B


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
M 8
36 L
17
ROMA


PSALTERIVM DAVIDICVM CONCORDATVM;

AVCTORE

R. P. FRANCISCO BASELLI

FOROIVLIENSI GRADISCANO,

E SOCIETATE IESV THEOLOGO.




Gentium ad
idem uocatio
Rome ethnicæ
fidem expugnan
Jerusalem
et Synagoga
desolanda
lor et fletus
solationis
Ecclesiæ
Christi
Roma
Sedes
Sine Bono
Prædicauerunt
ubique Domino
cooperante.
Persecutionum
in Ecclesiam
acerbitas.
Psalterium
P. Kilian f.



PSALTERIVM DAVIDICVM CONCORDATVM;

Ideſt,

PSALTERIVM VNIVS ARGVMENTI
à S. DAVIDE propoſiti deductione, tam quoad
Pſalmorum inter ſe, & rerum ijs contentarum,
Quàm Titulorum ipſis præfixorum connexum, atque conſequentem Ordinem,
Connexa, & conſequenter ordinata, ſibique in omnibus conſonante, &
concordante Explicatione expoſitum ſecundùm mentem, & ſenſum
à S. DAVIDE, iuxta Auctoris ſententiam, primariò intentum
DE CHRISTO, ET ECCLESIA;
In Quatuor Partes diſtributum.

DEDICATVM
Celſiſſimo, & Reuerendiſſimo Principi, ac Domino,

D. GVIDOBALDO

ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI,
SANCTÆ SEDIS APOSTOLOLICÆ LEGATO NATO.

Auctore

R. P. FRANCISCO BASELLI

FOROIVLIENSI GRADISCANO,
E' SOCIETATE IESV THEOLOGO.

Additis, præter illum Præuiorum Capitum, & Notatorum Primæ Partis,
in Lectorum, & Concionatorum gratiam Indicibus
Alphabetico Rerum Notabilium; Sacrorum Symbolorum; & applicationum
eorundem, ordine item Alphabetico; & locorum, qui e Sacra
Scriptura citantur, & explicantur.





VTINI, Ex Typographia Nicolai Schiratti. MDCLXII.

ANNVENTIBVS SVPERIORIBVS.

CELSISSIMO,

Et Reuerendissimo Principi,

Ac Domino,

D. GVIDOBALDO ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI,

Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato nato,

DOMINO GRATIOSISSIMO

Vitam ac felicitatem precatur

FRANCISCVS BASELLI E SOCIETATE IESV.



BEnignis Celsitudinis TVÆ obtutibus, Reuerendissime, & Celsissime Princeps, ac Domine, PSALTERIVM DAVIDICVM CONCORDATVM intuendum se se offert; imò etiam inferri omnium primò in Sacras Tuas Ædes peroptat, cuius nutu, munificaq; liberalitate in lucem venit. Et verò etiam Tibi Principi, eidemq; Archiepiscopo Ecclesiæ in Sacro Germanico Romano Imperio, & temporum antiquitate, & Fidei Romanæ integritate, sanctitateq; celeberrimæ debebatur PSALTERIVM DAVIDICVM, quod inter omnia Laudum Deo Opt. Max. pangi solitarum Cantica & vetustate antiquissimum, & sanctitate, vsuq; notissimum, atque celeberrimum esse non ambigitur. Simo-

Epistola Dedicatoria cōciōes Introductionē totius Operis ad Lectorem.

nidem nostrum, Pindarum, & Alcæum, Flaccum quoque, Catullum, atque Serenum lyra sua, & in decachordo Psalterio personantem Dauidem vocat D. Hieronymus. (in Prologo Bibliorum ad Paulinum)

Eiusdem Carmina Eusebius lib. 11. de Præpar. Euangel. cap. 3. & quæ ad dictionem pertinent, elegantissima, grauissima, & iucundissima, quæ verò ad sensum, nulli hominum scripturæ comparanda esse censet.

Psalterium Dauidicum nos passim nominamus Psalmos, siue Odas, & Hymnos, quos ipse perfunctus bellis, ac periculis (Iosephus lib. 7. cap. 10.) & in altissima pace degens composuit. Ego hoc ipsum Psalterium, quod omnia hæc continet, Celsitudini Tuæ exhibeo CONCORDATVM, ea vel maximè de causa, quod non solùm Psalmos omnes, eorumq; Titulos, suo illos certo loco, & ordine ex professo collocatos fuisse ostendam, verùm etiam quod eosdem Psalmos singulos ad suos, eosq; proprios Tonos, non secus, atque in Psalterio chordas, tendam, remittamq; secundum Toni ipsius, ad quem Psalmi ipsi ab eorum Auctore, & Harmosta S. Dauide fuere compositi.

Illud porrò quàm concordissimè hoc in opere PSALTERII CONCORDATI contingit, vt totidem illud Tonos numeret, quot à Musices peritis ad Diuina Officia, & Laudes Deo pangendas statuuntur.

Ij octo omninò sunt, & totidem numero Psaltes Noster, non iam ab humana vlla Musices Arte, sed à Cælesti, eaq; Archetypa Aulæ Dei Symphonia acceptos, perquàm accuratissimè obseruauit, provt in decursu Explicationis sum probaturus.

Ad

Ad octonos igitur hosce Tonos, Cęlo acceptos singuli Psalmi referendi, atque tendendi necessariò fuerunt, vt Psalterium concordem harmonicum concentum ederet, diciq; & esse Concordatum posset.

Hac ergo sua Concordantia Psalterium hoc, Reuerendissime, & Celsissime Princeps, concordem illam omnium Sacrorum Heroum Collegij Ecclesiæ Tuæ votis suis in Tui Electionem ad Sacras Infulas, & supremum Solium conspirantium Vnionem repræsentat. Sonoris verò suis Tonis, Illustrissimæ Familiæ Tuæ à THVN decora, vbiq; passim suauissimè resonantia, etiam amplius propagabit, eaq; nunquam sinet consopiri, aut intermori. Semper enim hoc planè magnum, & insigne censebitur Munificentiæ Tuæ Opus, quod ad Diuinæ Maiestatis sempiternas Laudes, dulciùs deinceps ex PSALTERIO CONCORDATO decantandas, penè infinitis Ecclesiasticorum, necnon & Religiosorum Choris Celsitudo Tua adiumentum dederit præsentissimum. Deinde verò de Sancta Romana Ecclesia, Sedeq; Apostolica, cuius Celsitudo Tua meritissimus Legatus natus est, præclarè omninò eadem munificentia meretur; siquidem innumera pro eiusdem S. Romanæ Sedis Maiestate, & præeminentia Mysteria, & Testimonia, quæ hactenus latuêre, ex eodem PSALTERIO CONCORDATO eruuntur; palamq; fit ea ab ipsomet Regio Psalte fuisse intenta, & ad cantandum in Diuinis Laudibus proposita.

Hoc ergo Celsitudinis Tuæ in Sanctam Romanam Sedem nouo obsequio, antiquo tuo aliàs Illustrissimo ab Heroum Romanorum sanguine prognato ortui splendorem nouum, nouæq; lucis radios addidisti. Ipsi verò

Pa-

Patriæ, & Archiepiscopali Sedi, ac Ditioni Tuæ, non solùm de Vno, eoq; pulcherrimo Fonte, celebratorum quorumvis aliorum facilè primo (qui perennibus suis aquis Tuam nunquam deficientem Liberalitatem testatur) voluisti esse prospectum; sed illi adiecisti hunc Secundum Sacrum Fontem, sua pariter pulchritudine, & aquarum, siue abundantia, siue pretio, & salubritate per omnia insignem: omninò enim Sacræ Veteris Paginæ Pars omnium pulcherrima est Psalterium, quod quidem hac Expositione ita dispositum est, vt adinstar Fontis per octonos canales concorde murmure, & consono sono cælestes suas aquas deferat, & effundat.

Demùm, Princeps Celsissime, hoc ex his omnibus, & quàm felicissimè consequitur, vt quod non nemini, sed frustra, auguratum aliquando fuit, vt Cygnorum concentu sublimè ad sidera efferretur, id re ipsa Celsitudo Tua hac Psalmorum melodia sit expertura; dum nimirum non solùm qui in amplissima Tua Diœcesi, verùm etiam qui toto Orbe Catholico sparsi cantandis Deo, & Deiparæ Virgini ex Psalterio Dauidico Laudibus vacant, dum Psalmos decantauerint, priùs quidem ipsi exquisitissimo interioris Musicæ genere intus canant; deinde Te Celsissimum Principem, ac Præsulem, qui Cōcordatis Psalmis, Lucem, Vocem, ac Sonum dederis,

Cantati sublimè ferent ad sidera Psalmi.

Benè igitur, beatèq; atque in tot Annos, quot PSALTERIVM DAVIDICVM CONCORDATVM Psalmos numerat, Viue, ac Vale, & dein beatæ Æternitati transcribere, Princeps Celsissime, & Reuerendissime.

Goritiæ 9. Decembris 1660.

PRO

PRO IMPRESSIONE.

EGo Ioannes Bertholdus Societatis IESV per Prouinciam Auſtriæ Præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi facta ab Admod. R. P.N. Gosvvino Nikel Soc. IESV Præpoſito Generali, facultatem concedo, vt Commentarius in Pſalterium Dauidicum, cuius titulus incipit; *Pſalterium Dauidicum Concordatum*, &c. à Patre Franciſco Baſelli eiuſdem Societatis Sacerdote conſcriptus, atque à deputatis eiuſdem Societatis Patribus cenſus, probatusque in lucem typis mandari poſſit, ſi ita ijs, ad quos vlterior approbatio pertinet, viſum fuerit.
Goritiæ die 4. Decemb. Anni 1659.

Ioannes Bertholdus.

ANteriores duas Partes Pſalterij Dauidici Concordati, Per Admod. R.P. Franciſcum Baſelli Societatis IESV ordine Commentario modulati, accuratè recognoſcat Admod. R.P. Thomas Martinellius Ord. Prędicatorum, S. Theologiæ Lector, S. Inquiſitionis Aquileiæ Conſultor, ac Theologus Patriarchalis, an quidquam erroris erga Catholicam Fidem, Apoſtolicas Conſtitutiones, & Decreta, vel bonos mores in his contineatur, expendat, & ad Nos approbationis teſtimonium in ſcriptis afferat.
Dat. Vtini apud ædes S. Officij Aquileiæ die 29. menſis Martij 1660.

Fr. Angelus Gherardinus Rauennas Ord. Min. Con. Inquiſitor Generalis Aquileiæ, Vtini, Concordiæ, &c.

PRimam, ac Secundam Partem Operis præclariſſimi, cuius inſcriptio eſt: *Pſalterium Dauidicum Concordatum*, Auctore R. Admod. P. Franciſco Baſelli è Societate IESV, noſtræ huius Patriæ Foro Iulienſis iubare ſplendidiſſimo, ſumma attentione, & animi oblectatione legi, ac perlegi iuſſus ab Reuerendiſs. P. F. Angelo Gherardino Ord. Min. Con. Inquiſ. Generali Aquileiæ, Vtini, ac Concordiæ, &c. & quia omnia in his exarata, ne dum Catholicæ Fidei, ac pietati Chriſtianæ conſona inueni, verùm & cunctis Sacrarum Litterarum Profeſſoribus vtiliſſima, & iucundiſſima fore ſum arbitratus, quod & quiſque facilè exiſtimabit, qui dicendi formam, Doctrinæ vbertatem, & potiſſimùm nouitatem argumenti, quod eſt concordata, conſona, & conſequens totius Pſalterij expoſitio à nemine vnquam antea excogitata, ſpectet, digniſſimas cenſeo, quæ in lucem prodeant, & Typis mandentur.

Fr. Thomas Martinellius Lector Ord. Prædic. S. Inquiſitionis Conſultor, ac Theologus Patriarchalis Aquileienſis.

Stante ſupradicta approbatione facultatem concedimus imprimendi.
Dat. Vtini apud ædes S. Officij Aquileiæ die 20. Maij 1660.

Fr. Angelus Inquiſ. qui ſupra.

Duæ

DVæ postremæ Psalterij Dauidici Concordati Partes ab Admod. R.P.Francisco Baselli Soc. IESV elaborati,an aliquid S.Fidei Catholicæ, bonisque moribus inconsonum contineant, Admod. R.P.Angelico Petricello Ord.Prædicatorum, Sac.Theologiæ Lectori,ac S.Offic. Aquileiæ Consultori recognoscendi facultatem committimus.

Dat.Vtini in ædibus S.Officij Aquileiæ die 27.Aprilis 1660.

Fr.Angelus Gherardinus Inquisitor Generalis Aquileiæ, Vtini,Concordiæ,&c.

COmmissioni Reuerendissimi Patris Inquisitoris Aquileiæ,& Concordię obtemperans, vidi ego infrascriptus, attentèque perlegi postremas duas partes Psalterij Dauidici Concordati (nempè à Psalmo quinquagesimo primo vsque ad 150. inclusiuè) ab Admod. R.P.Francisco Baselli elaborati; nihilquę in eis Sacrosanctæ Fidei,ac bonis moribus dissonum deprehendi:quinimò commendabili pietate, atque eruditione, ingenioque refertas aspexi. Dignas proinde censeo quæ in lucem exeant ad non modicam Fidelium,& S.Matris Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem. Vtini 16.Iulij 1660.

Ita affirmo ego Fr.Angelicus Petricelli Ord.Prædicator. Sacræ Theol.Lector, & S.Officij Aquileiæ Consultor, manu propria.

Stante antedicta approbatione facultatem tradimus Typis mandandi.
Dat.Vtini in ædib.S.Officij Aquileiæ die 20.Iulij 1660.
Fr.Angelus Inquis.qui supra.

Noi Reformatori dello Studio di Padoa

H*Auendo osseruato per fede del P.Inquisitor del Santo Officio d'Aquileia non esserui nel Libro intitolato* Psalterium Dauidicum Concordatum *in Tomi 4. del P. Francesco Baselli Gesuita opera Morale, e Scritturale, cosa contro la Santa Fede,e parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, ò buoni costumi,concedemo licenza,che possi essere stampato, douendo osseruarsi gli ordini, & esserne presentate due Copie per le publiche Librarie di Padoa, e di questa Città.*

Dat.dal Magistrato nostro li 15. Settembre 1660.

Nicolò Capello Reformator.
Andrea Pisani Procurator, Reformator.

Alemante Angelo Donini Segretario.

IN-

INDEX
Præuiorum Capitum, & Notatorum in PSALTERII Explicationem connexam, & consequentem.

Obiect. Prima.

Obiect.Secunda.

Obiect. Tertia. f.11

Caput Primum.

Caput Secundum.

Notatum Primum.

Notatum Secundum.

Notatum Tertium.

No-


Notatum Quartum.

Notatum Quintum.

Notatum Sextum.

Quæstio Vnica. f.49

PSAL-



PSALTERII DAVIDICI CONCORDATI PARS PRIMA.

Præuia Documenta tam propria Psalterio, quàm alijs etiam Scripturis Propheticis intelligendis communia.

Respondetur aliquibus Obiectionibus, quæ fieri possunt contra promissam in Titulo Psalterij Dauidici Concordati Explicationem faciendam, sub vnius Argumenti à S. Dauide propositi deductione, tam quoad Psalmorum inter se, & rerum ijs contentarum, quàm Titulorum ipsis præfixorum ordinem connexum, & consequentem connexa, & consequenter ordinata, sibique in omnibus consonante, & concordante explanatione, ad Literam, siue ad mentem, & sensum à S. Dauide secundùm meam sententiam primariò intentum de Christo, & Ecclesia.

A Varumuis quidem rerum, sed vel maximè ad Sacras Literas spectantium, nouitas, etiam apparens, earumdem Peritos, non tam vt admiratores, quàm vt Censores sint, quia periti sunt, euocare, si non prouocare consueuit. Id ipsum, cùm non ignorem effecturum Psalterium Dauidicum, sic, vt nunquam ante, inscriptum; occurrendum mihi necessariò est ipso initio, viaque illi aperienda ali-

quarum obiectionum amotione; non, vt illud censuram effugiat;sed,ne inauditum, & iniudicatum à quoquam reijciatur, & condemnetur. A

Verùm supponendum initio est,me Sacrorum Diuinæ Scripturæ Interpretum Doctrinam illam admittere, de qua fusiùs P. Ludouicus Alcazar Notatione vigesima Proœmiali in Apocalypsim; nimirum, *in eodem Sacra Scriptura loco non oportere esse vnicum sensum literalem, sed aliquando esse duos, aut plures*. Proinde, dum Explicationi meæ insistam; id faciam, mea probabiliter asserendo, cæteris Explanationibus, vel sententijs non aduersando, sed tantummodò Explanationi à me susceptæ inhærendo, quæ tota in id tendit, B quod Sanctum Dauidem primariò intendisse, fundamentis infra positis, deducit.

Obiectio Prima.

Vniuersim à varijs Patribus, & ipso Sacrosancto Concilio Tridentino Sessione 4. nouarum in Sacram Scripturam Expositionum vetari, vel coerceri licentiam. C

§. I.

Quia primum hoc telum non tam me, quàm singulos petit, qui aliquid aliquandò in Sacras Literas commenti sunt, facilè ab illis iam dudum exceptum, elusumque fuit; maximè verò à Societatis Nostræ P. Ludouico Alcazar in Apocalypsim Notatione Proœmiali 19. vbi ostendit Patres, qui vetare, & reprehendere videntur nouas Expositiones, contra hæreticos locutos fuisse, qui ad nouæ Doctrinæ confirmationem Sacræ Scripturæ testimonijs abutuntur; non contra Catholicos, qui Doctrinam ab Ecclesia receptam noua aliqua Scripturæ expositione conantur illustrare. D Eiusdem planè mentis, atque voluntatis est ipsum Concilium, cuius verba profutura potius, quàm obicem positura Explicationi huic, lubens hic subijcio. Itaque illa Sessione 4. in Decreto de Editione, & vsu Sacrorum Librorum sic mandat; *Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo sua prudentia innixus, in rebus Fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat*. E Sic Sacrosanctum Concilium.

Quænam nouæ expositiones à Sãcto Cõc. Trid. vetentur.

§. II.

Ex cuius prouidentissimi Decreti primis statim verbis, patet illud; non eos, qui omnem (etiam voti religione firmatam) Sanctissimæ Sedi Apostolicæ profitentur subiectionem; sed petulantia, eam non reuerentium (vt dictum est) ingenia coercere. Cæterum ad id, quod inhibetur, ne Diuinæ Scripturæ verbis contorsio fiat, id fore seruandum vel maximè in hac tota Psalterij F Expositione ausim polliceri, quandoquidem eam connexam, cohærentem, ordinatam, & consequentem promitto. Similiter etiam nihil futurum in ea, quod sit contra sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, confidenter spondeo; & id omne, quod dubium esse posset, eidem per omnia quàmpromptissimè submitto. Neque desiderabitur in ea Sanctorum Patrum con-

Qualis sit futura hæc expositio.

A consensus, siquidem in præcipuis quibusque difficultatibus aliquis, & ex selectioribus, eidem patrocinaturus est; neq; solùm aliquis, sed planè multi, omnesque illi (qui in fundamento quodam, pro hac Expositione, infra ponendo conuenient) dici poterunt, ac debebunt pro ea stare. Vt autem omnes sint, id fieri non posse, dudum ante expertus fuit Magnus ille Ecclesiæ Doctor, ac Pontifex Diuus Gregorius, qui in Proœmio Libri Regum, causam assignans, cur interdum in illa sua Expositione cogeretur *noua repræsentare*; ait; *ad quam profectò sententiarum pronunciationem, aliquandò ex necessitate ducor,*
B *quia Patres Venerabiles, si seriatim cuncta exponerent, quæ ex parte tetigerunt, eam seriem locutionis, quam tenere visi sunt, obseruare nequaquam potuissent.* Hoc ipsum in hac Expositione sentiendum est; quod, cum hactenus, sic, vt proposita est, *seriatim* (obseruando scilicet Psalmorum inter se ordinem, talemque dispositionem omnem, tanquam Psalterio necessariam) à nemine sit exposita, nihil mirum futurum sit, si interdum à Venerabilium Patrum, & Interpretum sententia sit discrepatura.

§. III.

C Verùm (vt ratio dictat, & sapienter citata Notatione obseruauit P. Ludouicus Alcazar) vbi defuerit robustæ alicuius, & receptæ auctoritatis pondus, necesse erit, vt explicatio ipsa sit ex se grauis, solida, atque robusta, & adeo apta, atque conueniens, vt sine alicuius auctoritatis adminiculo placeat, atque cohæreat. Addit etiam, quod in eiusmodi explicatione censenda trepidandum timore non sit, vbi non est timor; neque quicquam periculi esse ex eo, quod veritates Catholicæ in Sacra Scriptura in pluribus locis, quàm hactenus fuerint, ostendantur expressæ; illam autem ostensionem in ip-
D sius veritatis honorem, & consolationem fidelium redundare, atque ea ratione Scripturam illustrari, & Dei gloriam augeri.

§. IV.

Cum his omnibus, quæ dicta sunt, concordant Doctores Scholastici cum D. Thoma 1. p. q. 1. art. 10. (qui etiam infra pluribus citabitur) & cum D. Augustino, qui definiunt; quod, si sensus, quem quis affert, congruat alioqui cum sana doctrina, & cum alijs clarioribus Sacræ Scripturæ locis, & possit referri ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem: tunc omnem eiusmodi sensum
E admittendum esse; nec facultatem sic interpretandi Sacram Scripturam, appellandam esse nimiam licentiam: imò potius putandum esse, Spiritum Sanctum eam facultatem hominibus eruditis concessisse. Ita expresse Valentia, ex verbis Augustini, & similiter ibi Caietanus.

§. V.

Ad eiusmodi autem nouas Diuinæ Scripturæ expositiones Vincentius Lirinensis pulcherrimis verbis viros eruditos, & Religiosos hortatur, cap. 27. *O Timothee*, inquit, *ò Sacerdos, ò tractator, ò Doctor: si te diuinum munus ido-*
F *neum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina; esto spiritualis Tabernaculi Beseleel: pretiosas diuini dogmatis gemmas exculpe; fideliter coapta; adorna sapienter; adijce splendorem, gratiam, venustatem; intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti, ita doce; vt cum dicas nouè, non dicas noua.* Deinde subdit; *Inuidum esse hominibus,*

nibus, & exosum Deo, qui hunc religionis profectum prohibere conatur. Sed ita tamen, vt verè profectus ille Fidei sit, non permutatio. Hoc postremum tanti Viri monitum, cum alio, non dicendi *noua, cum dicas nouè*, pro virili mihi seruanda, Deo Domino adiuuante, suscepi. Sed hæc, quoad primam communem cum cæteris obiectionem spectat, satis. Nunc ad proprias, quæ contra talem Psalterij promissam Expositionem fieri possunt, est descendendum. A

Obiectio Secunda. B

Secunda, etiam ipsa quasi vniuersalis Obiectio, quæ fieri potest contra propositam connexam, ordinatam, & consequentem Explicationem Psalterij totius, est, quod in nullorum Patrum, seu Interpretum Psalterij sententia, Psalterium illam posse tolerare videatur. Nam Doctissimus Augustinus Torniellus Tom.1. quarta mundi ætate, ad Annum Mundi 2964. fol.706. Patrum, & Interpretum Psalterij, circa quisnam sit eius Auctor, opiniones, ad duas celeberrimas reuocauit; quarum prima, vt ipse obseruat, C fuit SS. Athanasij in Synopsi, Hilarij in Prologo super Psalmos, Hieronymi in Epist.134.& 139. Isidori lib.6. Etymologiarum, cap.2. Item Lyrani in Expositione 1. Psalmi.

§. I.

Hi putant plures fuisse Psalmorum Scriptores; & eos præcipuè, qui in Psalmorum Titulis notati reperiuntur; nimirum Moysen, Salomonem, D Asaph, Ethan, Eman, Idithun, & præter hos, illos quoque, qui dicuntur filij Core, & ante omnes Dauidem.

Pro huius sententiæ confirmatione quinque adducuntur argumenta, quæ solùm variato paululùm ordine, ab eo, quo illa ipse Torniellus ponit, hæc sunt.

Primum. Si Dauid omnium fuisset Auctor Psalmorum ipsi ascriberetur Psalterium, & sub nomine Dauidis idem Liber alicubi in sacris Libris prænotatus inueniretur: atqui hoc in sacris Voluminibus non reperimus.

Secundum. In Libro 2. Paralip. cap.29. v.30. hæc habentur: *Præcepitque Ezechias, & Principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph videntis.* Ex quo loco patet, sermones illos laudatorios, hoc est Psalmos, qui publicè canebantur à Leuitis, fuisse partim Dauidis, partim verò ipsius Asaph. E

Tertium, Non obstare, quod communiter omnes Psalmi habeantur tanquam si fuissent Dauidis: quandoquidem id fieri potuit propter dignitatem Personæ ipsius; à nobiliori namque fieri solet denominatio.

Quartum. Plures Psalmi nomine Dauidis; alij aliorum Auctorum nominibus præsignantur; quidam, etiam nullius Auctoris Titulum præseferunt; F consequens igitur est, non omnes esse Dauidis.

Quintum. Psalmus 71. *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. habet hanc in calce appendicem; *Defecerunt Laudes*, seu Hymni, *Dauid filij Iesse*. quibus verbis apertè indicatur, Psalmos Dauidis ibidem terminari; præsertim cum sequens Psalmus inscribatur: *Psalmus Asaph.*

Hæc

A Hæc est prima sententia, & quæ iam exposita, præcipua sunt eiusdem firmamenta. Eam qui teneret, dubio procul, etiam me assentiente, ægrè admodum, aut nullo prorsus pacto sibi vnquam persuaderi pateretur, inter tam multos Psalmos, eorumque Auctores esse posse ordinem, connexionem, & ad vnam, candemque metam, & terminum tendere omnes potuisse.

§. I I.

Verùm alia huic contraria sententia, quæ asserit, Sanctum Dauidem omnium omninò Psalmorum esse Auctorem, & communior est, & sequenda,
B quæ, vt patebit, cum adæquatè, & plenè soluat argumenta prioris, sua insuper habet illis longè fortiora stabilimenta.

Obseruandum autem est, hanc ipsam secundam sententiam mihi in eo solum fauere, quod firmissimis argumentis ostendat, S. Dauidem Regem, atque Prophetam omnium Psalmorum esse Auctorem; nam sic primum, maximumque habeo pro ordinata, & connexa Psalmorum Explicatione fundamentum, vt patebit ex dicendis infra, Notato secundo.

Secunda sententia, & vera, ita facit S. Dauidē omnium Psalmorū Auctorē, vt tamen neget esse inter ipsos ordinem.

Cæterum hæc ipsa, in argumenti vltimi, in quo vis summa est, resolutio-
C ne, ita illa satisfacit prioris sententiæ obiectioni, vt in nullo prorsus mihi prosit pro astruenda, quam propono, connexa, & ordinata Psalterij Expositione, quandoquidem, vt mox constabit, eam potius, vel destruit, vel impossibilem esse supponit, dum admittit, illum Psalmum septuagesimum primum Psalmorum esse vltimum, illoque alios fuisse terminatos.

Verùm in hoc (passim à multis admisso, & nihilominus, vt constabit, minimè stabili, ferendoque) supposito amouendo; licet mihi laborandum non foret, qui actu ipso, ordinem, & connexionem Psalterij, & Psalmorum om-
D nium, provt sunt, in vnam metam ordinatè tendentium, prętendo, atque propono repertam, ex qua, argumentatio ad potentiam infallibilis omninò est; nihilominus ad viam Explicationi meæ, ipsique veritati aperiendam, obiectioni illi quinto, & vltimo loco positæ longè aliter respondendum erit; cæteris, vt dixi, & patebit, eruditissimis responsionibus in sua vi, ac robore permansuris.

Itaque vt ex fundamentis, & ordinatè in re tanti momenti procedamus; Sententiam secundam, quæ Dauidem facit omnium Psalmorum Psalterio
E contentorum Auctorem, sequuntur S. Augustinus Lib. 17. de Ciuitate, cap. 14. Theodoretus, Cassiodorus, Beda, Euthymius, Paulus Burgensis, Caietanus. Item S. Chrysostomus: addo etiam P. Ioannes Lorinus, qui præ reliquis Societatis Nostræ Scriptoribus copiosissimum, & eruditissimum Commentarium tribus Tomis distinctum in Psalterium edidit. Pro hac sententia rationes sunt.

Primò. Ex Sacra Scriptura apertissimè colligitur, plures Psalmos, qui non habent in Titulis nomen Dauidis, nihilominus esse ab ipso Dauide compositos, vt patet de Psalmo 2. *Quare fremuerunt gentes, &c.* Actorum cap. 4. v. 25. Et de Psalmo 94. *Venite, exultemus Domino, &c.* ad Hebr. cap. 4. v. 7. Et de Psalmo 104. *Confitemini Domino, &c.* 1. Paralip. c. 16. v. 8. Et de Psalmis 105. 106. & 135. qui incipiunt; *Confitemini Domino, quoniam bonus, &c.* 1. Esdræ, cap. 3. v. 10. & 11. vbi legimus, Leuitas stetisse in cymbalis, vt laudarent Deum per manus Dauid Regis, &c.

Se-

Secundò. Non solùm Psalmi, qui non habent in Inscriptione Dauidem, A
aut alium Auctorem, sed etiam qui habent in Titulis aliqua nomina à Dauide diuersa, probari possunt nihilominus fuisse Dauidis, vt Psalmus 71. qui habet; *in Salomonem*, ex illa appendice, de qua paulò ante dictum, *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*, constat esse Dauidis.

Deinde Psalmus 89. cum decem sequentibus, quos prima opinio tribuit Moysi, non huius, sed ipsius Dauidis sunt, quia nulla in Libris Moysis fit illorum mentio, cum tamen in illis describantur duo eius Cantica, Exod.
c. 15. & Deuter. c. 32. Præterea Psal. 89. cum in ipso dicatur quod; *Dies an-* B
norum nostrorum in ipsis septuaginta anni; nec Moysi quadrat, qui centum viginti annis vixit; neque Patri eius, aut Auo, qui centesimum trigesimum superarunt. Cur autem ipse Psalmus inscribatur; *Oratio Moysis:* suo loco dicetur.

Tertiò. Scriptura Sacra, quandocunque citat aliquem Psalmum, ferè semper de ipso Dauide, tanquam de eius Auctore meminit; Lucæ cap. 20. v. 42. dicitur; *Quomodo Dauid dicit in Libro Psalmorum: Dixit Dominus Do-*
mino meo? Ex qua ipsius Domini Iesu allegatione, vel sola, satis superque C
constat, Auctorem Libri Psalmorum, non alium esse, nisi Dauidem. His positis.

Ad Argumenta illa in contrarium adducta respondetur.

Ad primum. Non semper in sacris Libris nomen Auctoris præponi solere. Patet ex Pentateucho, Libro Iudicum, Regum, Paralip. Esther, Iudith.

Ad secundum. Etiam posito, quod Asaph Psalmos, seu cantus aliquos fe-
cisset (licet alia de causa infra dicenda illi, alijsque multis, multi inscripti D
sint Psalmi) non tamen consequitur, illos in nostro Psalterio contineri, vt optimè notauit Torniellus; licet putet non inconuenire, si dicamus, quod, si spectemus materiam, seu doctrinam, quam Psalmi tradunt, omnes Psalmi, qui in Psalterio habentur, sint Dauidis; si formam, hoc est rationem metricam, & poeticam, ad modos musicos accommodatam; quorundam Psalmorum Auctores fuisse, qui nominantur in Titulis.

Verùm ego hoc etiam inconueniens puto, cum S. Dauid Psaltes fuerit, ac
proinde ipsi omnis etiam metrica, poeticaque forma in Psalmis omni iure E
debetur; provt in sua Musurgia fusiùs probat P. Athanasius Kircherus Societatis Nostræ lib. 2. §. 1. fol. 57.

Ad tertium. Non quia à nobiliori fieri solet denominatio, sed quia verè Dauid fuit Psalmorum Auctor, Psalmi omnes ipsius esse putantur, & sunt.

Ad quartum. Cum Beda in Prologo super Psalmos dupliciter respondet Torniellus; videlicet, Primò, quod Esdras, qui creditur fecisse Titulos Psalmorum, inscripserit eorum aliquos nominibus Asaph, Ethan, Eman, Idithun,
& alijs; non quia reuera ipsi fuerint dictorum Psalmorum Auctores, sed quia F
essent Principes Cantorum, vt colligitur 1. Paralip. cap. 15. 16. & 25. Secundò, ideò inscribuntur dictis nominibus, quia (quod magis placet ipsi Bedæ, & ante ipsum tetigit S. Augustinus Lib. 17. de Ciuit. cap. 14.) illa Auctorum nomina mysticè interpretata, atque intellecta, Psalmis, quibus præposita sunt, mirabiliter conueniunt.

In

A §. III.

In hac responsione duo sunt obseruanda; vnum est; supponi ex principio minimè stabili (vt probabitur in responsione ad quintum argumentum mox subiungenda) Esdram fecisse Titulos Psalmorum. Quinam sint Titulorum in Psalmos Auctores.

Sentiendum potius est cum Theodoreto, qui Præfatione in Psalmos, primò quidem *temeritatis* arguit *inuertere Inscriptiones Psalmorum*; deinde ait, quod illæ *in prima origine vsque ad Ptolomai tempora delata sunt, & ab Interpretibus LXX. in Græcam linguam translata*.

B Huic sententiæ addi debet, nihil repugnare, imò valde probabile esse, quod in quorundam Psalmorum Inscriptionibus certa quędam nomina, vt Moysis, Ieremiæ, Aggæi, Zachariæ, &c. à LXX. potius Senioribus apposita, quàm ab ipso S. Dauid expressa fuerint; (licet aliàs, vt S. Chrysost. super Psal. 43. loquitur; Prophetæ omnia tempora percurrant, præterita, præsentia, & futura) ad ita sentiendum, dicendumque moueor doctrina, & obseruatione quadam sapientissima, quam disputatione de Translationibus Sacræ Scripturæ, Cap. trigesimo quarto pluribus Leo Castro tradit; scilicet C Diuinæ fuisse Prouidentiæ, vt CCC. annis ante Incarnationem Domini à LXX. Interpretibus Senioribus Iudęorum Diuina Scriptura verteretur, non planè ad verbum, sed cum quadam paraphrasi, vt ante Lucem Euangelicam Mysteria Redemptionis essent explicata, & occurrere possemus falsis Iudęorum Interpretationibus, quibus eam obscurare conantur.

Tunc etiam dubio procul diligentiam ipsi suam in Psalterio, Diuinæ Scripturæ parte adeò principali, desiderari non sunt passi; proinde cum ipso Psalterio delatas ad se, vt Theodoretus ait, Inscriptiones ita ordinarunt, D & Psalmis ipsis præfixerunt, Domino eos illuminante, vt postmodum posteri ipsis Titulis indicibus non solùm scierent, ad quid, qualemve materiam Psalmi illi sic inscripti pertinerent, verùm etiam mirificam inde lucem ad eorum intellectionem perciperent; nam verè, vt ex D. Aug. paulò ante est dictum, nomina illa, seu Inscriptiones, & Tituli mysticè interpretati, atque intellecti Psalmis, quibus præpositi sunt, mirabiliter conueniunt.

§. IV.

Quod autem hic *mysticè* dicitur (quod est alterum, quod in responsione ad E quartum dicebam esse obseruandum) non ita accipiendum est, quasi illa acceptio non verè esset ad mentem, & primarium intentum Sacri Auctoris; sed tantùm denotat, non debere Titulum grammaticè, & provt iacet, intelligi, sed metaphoricè, symbolicè, seu typicè, provt mens illum ponentis fuit. De hoc pluribus infra peculiari Notato 4. Interim doctrinæ huius veritas, vel ex iam dictis elucescit; constat enim Psalmum septuagesimum primum, qui inscribitur; *In Salomonem*; & octogesimum nonum, qui Titulum habet; *Oratio Moysi hominis Dei*; neque de Salomone, neque de Moy-F se, sed de significatis per hæc nomina esse. Et hæc nunc satis. Clariùs hæc veritas patebit in Argumento Psalmi sexagesimi secundi, & septuagesimi sexti. Item in Psal. septuagesimo quinto. Quid sit mysticè interpretari Titulos Psalmorum?

§. V.

Iam ad quintum. Torniellus, vt dicebam, sic respondet; procul dubio negari non posse, quin in Psalterio post Psalmum 71. reperiantur plures alij

An Ps. 71. sit ordine vltimus in Psalterio?

Psalmi, quos constat esse Dauidis. Quid igitur sibi vult illa appendix? Respondemus, ait, cum Beda, & Caietano haberi ex antiqua traditione, quod Psalmi olim cum fuissent hùc, atque illùc dispersi, collecti tandem fuerunt ab Esdra, & in vnum Volumen eo ordine, quo paulatim reperiebantur relati, quæ traditio confirmari potest ex 2. Machab. cap. 2. v. 13. vbi dicitur, quod *Nehemias* (subaudi opera Esdræ) *congregauit de regionibus Libros, & Prophetarum, & Dauid, &c.* post quæ sic concludit. Quare cum Psalmi in Psalterio dispositi sint, provt ordo temporis (non quo singuli compositi, sed quo reperti fuerant) postulabat: non mirum est, si plures Psalmi à Dauide prius facti; positi tamen inueniuntur post septuagesimum primum, quem præfata appendix attestatur fuisse postremum à Dauide compositum; siquidem accidit post ipsum alios fuisse inuentos. A B

§. VI.

Sententia P. Lorini, & deductiones ex illa.

Hæc ipse; atque in hac cum Torniello, & ijs, quos ipse citat, sententia, est etiam P. Joannes Lorinus Societatis Nostræ, qui hoc tanquam indubitatè immobili nixus fundamento, etiam ipse approbando eorum opinionem, qui censent, quod cum perijssent Psalmi, potissimùm in captiuitate Babylonica, non omnes statim fuerint recuperati, provt autem recuperabantur, ita fuerint dispositi; subiungens eandem responsionem esse Eusebij, Iosephi Græci Auctoris, Anastasij Antiocheni, Chrysostomi, ac Euthymij. Hoc, inquam, ipse innixus fundamento, etiam plura alia ex eo infert, atque asserit, quæ ordinatæ, connexæ, consequentique Psalterij Expositioni è diametro repugnant. Itaque in Præfatione in eosdem Psalmos cap. *6.* C

Primò. Supponit tamquam certum, in eo, qui nunc est Psalmorum ordine, temporis, rerum gestarum, historiæ rationem habitam non esse. D

Secundò. Citat S. Hieronymum dicentem; malè quosdam, iuxta textum Historiæ, Psalmorum requirere ordinem, cum ordo hic in Lyrico carmine non obseruetur.

Tertiò. Ait; in his, non quærendum magis anxiè ordinem, quàm in alijs Libris, tum Sacris, tum etiam prophanis, vt in Epistolis D. Pauli, Plinij, Ciceronis, &c.

Hęc omnia, & si qua alia eiusmodi esse possunt, deducuntur, & consequuntur ex illo fundamento, quod illa Appendix, *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*, addita ad finem Psalmi 71. indicet illum esse Psalmorum omnium postremum. Cui prætenditur fauere traditio de perditis Psalmis, & sensim per partes, & non simul, atque ordinatè recuperatis, & ita vt recuperati fuerunt dispositis. Demùm dicitur hæc traditio confirmari ex 2. Machabæorum, cap. 2. E

§. VII.

Negatur Psalmum 71. esse vltimum.

Verùm bona eorum, qui hæc senserunt pace, atque reuerentia dicendum mihi est, ea minimè subsistere; fundamenta, quibus ad illa neganda impellor, subijcio. F

Atque omnium primò, nego ex Appendice illa, *Defecerunt laudes, &c.* inferri Psalmum illum 71. vltimum esse; sed potius dico, illam, duo alia, quæ consequenter in ordinem, & connexionem Psalmorum veniunt (vt patebit ex Argumenti in Psalmum explicatione) significare. Primum est. Cum

S.Da-

A S. Dauid illo Psalmo 71. quamplurima in Domini Christi sui Iesu gloriam dixisset, & nihilominus æstuaret desiderio plura adhuc, eaque excellentiora dicendi; imparem nihilominus diuinis eius laudibus deprædicandis se animaduertens, præ desiderij sui, & tanti Domini, quem susceperat laudandum, magnitudine exclamat, *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*; eo prorsus modo, quo de Domino loquens Ecclesiasticus cap. 43. v. 29. ait; *Multa dicemus, & deficiemus in verbis.*

Quid significet illa Appēdix Ps. 71 *Defecerūt laudes Dauid filij Iesse.*

Alterum quod illa Appendix significat, est; Cum S. Dauid illo Psalmo
B 71. vt patebit, ostendat Domini Iesu Christi Thronum apud Gentes constitutum, atque stabilitum; cumque apud easdem Gentes cum tanta Sanctissimi eius Nominis gloria, cum promptissimis erga maiestatem ipsius Gentium ad fidem conuertendarum obsequijs, permansurum videret; ex ineuitabili quadam consequentia pariter animaduertebat, iam actum esse de eo ipsius Throno amplius ad suos Iudæos, siue ad Synagogam reuocando, & reducendo; proinde dolentis, & ingemiscentis (hac tamen solum ex parte) in morem dicit; *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*. Ibi patebit magis huius
C explicationis veritas: sed hic hæc pauca satis, vt arbitror, ostendunt, illam appendicem minimè sufficiens dedisse fundamentum dicendi, Psalmum illum vltimum fuisse.

§. VIII.

Iam, quod ad traditionem illam attinet de perditis Diuinæ Scripturæ Libris, & maximè Psalmis, & his per partes recuperatis, & ab Esdra, non provt ab Auctore compositi fuerant, sed provt per partes recuperabantur, denuò in vnum collectis, fateor, me (vt traditio illa vera esset, quam mox
D constabit non esse) admodum admirari, quòd id Psalterio, seu Libro Psalmorum attribuatur, quod de nullo alio Diuinæ Scripturæ Libro dicitur; vt scilicet, ita miserandum in modum conuelleretur, dispergeretur in partes, & per partes denuò recuperaretur, cum de hac re citatus Machab. 2. c. 2. nihil omninò dicat, sed simili omninò modo de Psalterio, atque de alijs Diuinæ Scripturæ Libris loquatur; *congregauit*, ait, *de regionibus Libros, & Prophetarum, & Dauid, & Epistolas Regum.*

Traditio de pditis Libris Sacris, & libro Psalmorū, & his per partes recuperatis, non stat.

Atque hoc equidem testimonium non solùm (cum par ratio omnium sit)
E ostendit, Psalterio id non accidisse, quod reliquis Libris non contigit; verum etiam si benè animaduertamus, clarè, manifestèque significat, Diuinæ Scripturæ Libros, neque in Babylonica, neque in quacunque alia Hebræi Populi calamitate vnquam perijsse, quomodo enim perierunt, si Nehemias illos *congregauit de regionibus Libros, & Prophetarum, & Dauid?*

§. IX.

Sed nimirum altius rem hanc, & à fundamentis ipsis sapientissimè eruit, examinat, & pro me decidit Theodoricus Reynaldus è Sacra Oratorij Con-
F gregatione in suo in Baronij Annales eruditissimo Compendio ad Annum Christi 180. Eleutherij secundum, folio 292. asserens, quod hæc putata Traditio de perditis Libris Sacris suam duxit originem ex S. Irenæi lib. 3. cap. 25. & Eusebij lib. 5. cap. 8. opinione, arbitrantium per Babylonicam calamitatem, & captiuitatem Libros Sacros funditus interijsse, fuisseque postmodum per Esdram in integrum restitutos. Cum ipsis sentiebat Tertul-

lianus de habitu Mulieb.c. 3. inquiens: *Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicæ Literaturæ per Esdram constat restauratum*. Idem Clemens Alex. Theodoretus, & alij affirmant. A

Verùm ipse optimè ostendit, nusquam hac de re fieri mentionem in Esdræ Libris authenticis, & ab Ecclesia receptis, sed potius contrarium, cum 2. Esdræ, cap. 8. 1. dicatur; *Dixerunt Esdræ Scribæ, vt afferret Librum Legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coràm multitudine virorum, & mulierum, cunctisque, qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. Et legit in eo apertè* &c. Tunc ergo iam B extabat Liber Legis: quod ipsum ait Iosephus Antiq. l. 11. c. 5. Neque enim putandum est cum Templi, & Hierosolymæ incendio affatim perijsse Diuinam Scripturam, nam, vt ex Act. 15. *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis Ciuitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur*. Ex quo accidit, vt esto Libri Sacri, qui ibi erant, in Templi incendio perijssent (quamuis probabilius sit, & illos ex eo ereptos pro debita illis reuerentia, & ad calamitatis, captiuitatisque solatium, de quo, & similibus aliqua dicentur in Psalmi 136. explicatione) nihilominus alia tam multa passim vbique eorum extitissent exemplaria, quæ colligi, *& congregari de regionibus*, vt 2. Mach. 2. dicitur, facilè poterant, vt factum est. C

Quod si 4. Esdræ cap. 14. contrarium dicitur; Liber ille, & apocryphus est, & plenus erroribus veritati Catholicæ repugnantibus, quos Sixtus Senensis collegit.

§. X.

Psalteriũ semper mãsit integrum, prout à S. Dauide fuit compositum.

Manet ergo Psalterium, seu Librum Psalmorum Dauid integrum, & prout ab Auctore ipso compositum fuerat, semper permansisse: hoc autem D posito; iam, eo ipso sufficiens mihi est fundamentum asserendi; dari re ipsa eiusdem sub vnius Argumenti deductione ordinatam, connexam, & consequentem explicationem; id constabit semper magis.

Interim ad argumenta P. Ioannis Lorini, quæ illi fundamento, quod ostensum est non fuisse stabile, innitebantur, facilè est respondere.

Ad primum enim dicitur. In hoc ipso, qui nunc est, Psalmorum ordine seruatum omninò fuisse rerum ordinem, prout Diuina illa Scriptura, non Historialis, sed Prophetica, seu prophetans per Laudes, & Cantica exigebat; respectu semper habito ad ea, quæ Regius Psaltes primariò, & præcipuè significare intendebat. Neque Philastrum, aut eos, quos ipse citat, iure potuisse, aut debuisse reprehendere hunc ordinem, & hanc dispositionem Psalmorum, quam constabit esse ordinatissimam. E

Ad secundum respondetur. In Psalmis non quidem requiri Historiæ ordinem, prout Historia dicit simplicem, & consequentem rerum gestarum narrationem, cum, vt dictum est, Psalmi non sint Scriptura Historialis, sed Prophetica per Laudes Diuinas, & Cantica; sed cum nihilominus etiam sic, F contineant maxima quæque mysteria, atque vnà cum Dei laudibus deprædicent, atque prædicant insignia quæque opera præstanda, atque gerenda ad eiusdem Dei Domini Opt. Max. gloriam; dubio procul cum Diuina omnia ordinatissima sint, & esse debeant; tum hæc vel maximè, cum meræ, & continuæ Laudes sint, absque aptissimo inter se ordine, connexione,

depen-

A dependentia, & consecutione esse, & consistere nequiuissent, adeò, vt sicut ab Organo, vel quocunque alio Instrumento Musico, non solùm sublatis pauculis fistulis, vel chordis, sed etiam illis debito loco non collocatis omnis eorum harmonia deperderetur; ita & in Psalterio Dauidico, non solùm demptis, vel additis alijs Psalmis, sed etiam facta alia quacunque eorum dispositione, omnem eiusdem Psalterij consonantiam, & melodiam tolli necesse esset. Ex quo patet responsio ad tertium P. Lorini Argumentum; longè enim diuersa ratio est Epistolarum, siue Sacrarum, seu profanarum, atque sit ipsius Psalterij.
B


Obiectio Tertia.

Communiter omni nouæ Expositioni, seu Interpretationi hæc Obiectio fieri solet.

Quod noua Interpretatione, & Expositione admissa alijs veteribus, &
C iam diù receptis iniuria irrogari videatur, quod antiquioribus se se opponant, atque ijs auctoritatem derogent, quæ Antiquitatis calculo fuerant commendata.

Verùm Obiectioni huic occurrunt illa, quæ hùc vsque dicta, & resoluta sunt, contra id, quod supponebatur vt certum, scilicet; non dari in Psalterio, seu Libro Psalmorum ordinem, & connexionem, & consequenter neque dari posse eiusdem ordinatam, connexam, & consequentem Explicationem, quæ tamen modò, fauente Deo, exhibetur.

D Quomodo autem id futurum sit, & fiat absque vlla veterum expositionum iniuria, vel auctoritatis earum derogatione, cum maiori Dei Optimi, Maximi gloria, Psalterij decore, Psallentium bono, sensim magis, magisque elucescet ex ijs, quæ in præuijs ad eam Explicationem Capitibus duobus, & sex Notatis necessariò dicenda sunt.
E



F

A

Præuia Capita duo, & Notationes ſex ad Pſalterij Dauidici Explicationem ordinatam, connexam, conſequentem, & literalem.

B

CAPVT PRIMVM.

Ratio, ſeu cauſa ſcribendi dicto modo in Pſalterium, ſeu Librum Pſalmorum Sancti Regis, & Prophetæ Dauidis.

C

§. I.



PRæ reliquis omnibus Diuinæ Scripturæ Libris, Pſalterium, ſeu Librum Pſalmorum plurimorum Interpretum, ſeu Expoſitorum Commentarijs celeberrimum, atque decantatiſſimum eſſe, conſtat omninò, & eſt indubitatum. Longam eorum ſeriem collegit P. Ioannes Lorinus Noſter cap. 16. Præfationis ſuæ in Pſalmos, & P. Philippus Alegambe in ſua Bibliotheca Scriptorum Societatis Noſtræ, vel ex eadem nouemdecim enumerat, qui in Pſalterium ſcripſere; inter quos dubio procul eminet ſanctitate, & doctrina Eminentiſſimus Cardinalis Robertus Bellarminus ſuo Commentario in omnes Pſalmos. Ij omnes, tanti, tamque magni ſuamet & multitudine, & ſanctitate, atque eruditione inducere me omninò poſſent, vt ſuperuacaneum me aſſumpſiſſe laborem arbitrarer; niſi viam hanc non tentatam ab illis, vt quid inuium, & omninò præteritam iſtiuſmodi Expoſitionem, quam exhibeo, animaduerterem. D E

Non poteſt eſſe perfecta explicatio, quæ caret ordine, connexione, &c. ſaltim ex hoc.

Id ita ſe habere, non ſolùm dicta ad ſecundam Obiectionem oſtendunt, ſed etiam ipſamet edita eorum Commentaria in Pſalterium demonſtrant; in quibus vt multa eruditiſſima, & omni exceptione maiora reperiantur, nihilominus manifeſtum eſt, paſſim illos ad præciſam ſingulorum Pſalmorum, & verſuum explicationem attendere abſque alio inter eos oſtenſo ordine, connexione, & dependentia; quæ tamen omnia, vt paulò poſt probabitur, ad integram, plenam, atque adeò ad ipſam cohærentem, eſſentialem explicationem neceſſe fuiſſet oſtendere. F

Hoc vnum (bona omnium pace dictum ſit) deeſſe tam multis, qui ſunt in Pſalterium Commentarijs, longè ante me obſeruauit P. Ludouicus Alcazar Noſter in Apocal. cap. 19. Notatione ſecunda, vbi loquens de Pſalmorum In-

A Interpretibus ait; *Videntur attendere singulorum Psalmorum explicationem. Verùm quod attinet ad miram eorum inter se dispositionem, de hoc commentandi genere parùm, aut ferè nihil in Expositoribus, quos viderim reperitur.* Hæc ipse. Licet autem occasione quadruplicis *Alleluia*, illo Cap. 19. Apocal. repetiti, aliquorum Psalmorum dispositionem, & connexionem, quam in alijs desiderat, idem Pater sat aptam ostendat; illa tamen, etiam illorum paucorum, non est per omnia integra, vt cum ventum fuerit ad ipsorum Psalmorum Titulos, & Argumenta clarè patebit.

B Itaque ex his hic summatim comprehensis, pauca hæc, vt certa deduci, & inferri possunt.

§. II.

Explicatio quæ illum ordinē &c. habet, nec superuacanea, sed vtilis, & necessaria.

Primò quidem, nec superuacaneam, neque inutilem, aut iniucundam futuram hanc Expositionem, quæ hanc ordinatam Psalmorum omnium dispositionem complectitur.

Secundò. Eam insuper necessariam esse; nam supposito semel (quod iam probatum est in Responsionibus ad secundam obiectionem) quod Psalte-
C rium totum S. Dauidis sit; & quod, provt ab ipso compositum fuit, ad nos vsque transmissum, nobisque traditum fuerit; necessariò consequitur, illud ipsum, tanquam singularem excellentissimam, atque eminentissimam Prophetiam metricis diuinis Laudibus, & Canticis constantem suo eam esse preditam argumento; quod quidem argumentum ab ipso sanctissimo, atque sapientissimo eius Auctore S. Dauide conueniens, & necessarium fuerit deduci ordinato, atque inuariato cursu, & tenore ab initio vsque ad finem; & siue tanquam telam auream vno filo contexi; siue (quod Psalterium suo-
D met nomine præsefert) vt Instrumentum musicum suis omnibus numeris, & partibus, consonantibus, & concordantibus omnibus sonorum, tonorumque differentijs absolutissimè perfici.

§. III.

Scripturę Prophetarum requirunt ordinem.

Nam hoc Diuinas Prophetarum Scripturas requirere, fusè, atque optimè probat doctissimus Leo Castro in Isaiam cap. 18. ex Diuo Chrysostomo in Marcum Hom. 4. dum ait; *Scriptura Sancta haret sibi tota, & vno spiritu copulata est, & quasi vna catenula est, & quasi vt circulus in circulum in-*
E *nectitur, & quicquid aliud sumpseris, aliud late pendet.*

Item ex Clemente Alexandrino, Stromatum Lib. 1. vbi monet, vt instructi omni supellectile liberalis doctrinæ ad inuestigandam, & eruendam hanc Scripturæ consequentiam accedamus: & addit. *Est autem quam maximè fieri potest, dialecticè ad scripturam accedendum, consequentiam Diuina Doctrina venantibus.*

Ex Sancto Augustino, qui de vnitate Ecclesiæ, hunc Scripturæ interpretandæ Canonem præscribit; vt, *si constiterit ex literis Apostolicis de intellectu*
F *alicuius loci Scriptura; antecedentia, & consequentia omnia, qua coharere videantur, eodem referamus.*

Ex Aristotele 1. de phy. aud. lib. 1. c. 8. & lib. 4. c. 4. vbi *signum veritatis insolubile* esse ait, *cum omnia sibi mutuo respondent; & mendacij, cum multa repugnant.* Sed quia de hac re not. 3. & 4. mox subijciendis dicetur; hæc pauca ex illis ad rem præsentem satis.

Ter-

§. IV. A

Tertium, quod inferri ex prædictis potest, illud est.

Sine ordine, & cōnexione, nō potest esse permanentia in sensu literali.

Necesse omninò esse; eos, qui hunc connexum, & consequentem rerum ordinem non consectantur, in suis explicationibus frequenter ab intento ab Auctore sensu primario, & literali recedere. Id in Explicationis huius decursu patebit: modò satis fuerit præmonere; quod, tunc mihi etiam cum ipsi recesserint, eatenus solùm ab eorum sententia recedendum, eaque amouenda, & diluenda erit, quatenus consequenti Explicationis consequentis cursui obstiterint, cæteris omnibus eorum dictis, atque etiam illis B ipsis, alia in acceptione, suo in robore, doctrina, & integro pondere permansuris; quandoquidem stat mihi animo, Seniorum Studia, Doctrinam, & sapientia plenas Explicationes, non solum non carpere, & damnare, sed etiam amare, & suspicere. Verùm de his alijsque eiusmodi rebus, commodiùs, & pluribus agendum Capite sequenti.

CAPVT SECVNDVM. C

Methodus seruata in Expositione Psalterij.

§. I.

Sola vulgata Editio in Expositione sequēda.



IVxta Sacrosancti Concilij Tridentini Decretum Sessione 4. de Editione, & vsu Sacrorum Librorum; *vt hac ipsa vetus, & vulgata Editio, qua longo tot sæculorum vsu, in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & vt nemo illam reijcere quovis prætextu audeat, vel præsumat*; D solam, & vnicam, eam ipsam vulgatam Editionem sequor in hac Expositione Psalterij. Atque in ea à discussione aliarum Expositionum, nisi, vt dixi, quantum necessarium est ad prædictam ordinatam, connexam, & consequentem expositionem, abstineo.

§. II. E

Absq; variarū Lectionum, seu Interpretationum adductione; quæ modo nō est necessaria.

Similiter, ab vlteriori variarum Lectionum, & Textuum quorumlibet scrutinio supersedendum existimo; tum quod labori exantlato per S. Hieronymum in exponendis Sacris Scripturis Doctorem maximum, aliosque in Sacra, & alijs Linguis eruditissimos, atque excultissimos Interpretes, nihil superaddendum arbitrer; tum quod in Catholici Orbis Academijs, & ijs etiam, quas minima nostra Societas habet, semper sint Linguarum, & maximè Sacræ, eruditi, paratique ex ipsis fontibus, ad respondendum, & determinandum, si quando quæstiones de legitima vocum significatione F incidant.

Iam verò, post viam in Diuinam Scripturam aliorum laboribus apertam, planamque redditam per vulgatam Editionem, certum est, non esse amplius anxiè circa grammaticalem vocum sonum immorandum; quia quod ad penetrandum Diuinarum Scripturarum sensum, & dandam legitimam de ijs

ex-

A explicationem attinet, duo hæc indubitata sunt; *quod si solummodò vocum sonum spectemus; tam peritissimos earum, atque scientissimos nihil adiuuerit scientia; quàm earundem ignaros nullatenus impedire, vel retardare ad illum effectum potuerit ignorantia.* Primum illud constat ex ijs, quæ S.Paulus Act. c.13.27. ait; *Qui habitabant Ierusalem, & Principes eius, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt.* Secundum verò patet ex S. Augustino, qui Epistola 131. ad Memorium sic ait; *Quibus numeris consistant versus Dauidici non scripsi, quia ne-*
B *scio. Neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate, amplius quàm ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos constare numeris, credo illis, qui eam linguam probè callent.* Hæc S.Aug.

Quibus omnibus magnam vim addunt ea, quæ ex S. Hieronymo in Ezechielem, eiusdem S. Doctoris verbis, Canone vltimo in Prophetas maiores P.Cornelius à Lapide Societatis Nostræ monet; *Scire*, ait, *Lector debet, omnia propè verba Hebraica, & nomina, quæ in Græca, & Latina Translatione posi-*
C *ta, nimia vetustate corrupta, Scriptorumque vitio deprauata, & dum de inemendatis scribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, imò nullius gentis.*

§. III.

Etiam Acatholicis nouæ versiones odiosæ.

Et hoc quidem animi mei in hac Explicatione consilium, eam tali pacto continuandi, Catholicis omnibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filijs probandum, dubitare nullo modo possum, cum stet pro eo eiusdem, & auctoritas, & voluntas initio huius Capitis expressa. Sed quid? quod illud ipsum, ne-
D que ab Acatholicis improbari posse video; quando vt P. Becanus lib. 1. Controuers.c.1.q.8.notat (ex Libro Prophetiarum Martini Lutheri, à Georgio Vvaltero Hallensi Prædicante collectarum) eidem Hæresiarchæ Luthero non probatas, sed deploratas fuisse recentes Bibliorum Versiones. *Tam multæ*, inquiebat ipse, *nostro tempore sunt Versiones, vt paulatim, tam multa futura sint Biblia, quàm multi scioli in Hebraica Lingua magistros se profitebantur.*

§. IV.

Hæretici carent Sacra Scriptura.

E Atque (vt & hoc incidenter, & obiter adnotem) ex hoc ipso huius testimonio tam ipsorum Acatholicorum infelicitas, quàm nostra apparet felicitas; cum illi, vel ex eo solo, destituti esse, & carere omninò Diuina Scriptura conuincantur. Hanc illationem ex illo eodem fundamento longè ante me intulit acerrimus ille, & vir maximus, atque sanctissimus, Saluianus Massiliensis Episcopus, qui vixit Christi sæculo quinto. Hic ipse libro 5. de Gubernatione Dei, obiectioni cuidam, seu potius dubitationi, etiam temporibus nostris fieri solitæ, quod scil. Hæretici eadem legerent, quæ leguntur à nobis, sic respondet: *Quomodo eadem? quæ ab auditoribus quondam malis, & malè sunt interpolata, & malè tradita? ac per hoc, non iam eadem, quia non possunt penitus dici ipsa, quæ sunt in aliqua sui parte vitiata. Incolumitatem enim non habent, quæ plenitudinem perdiderunt; nec statum suum omninò seruant, quæ Sacramentorum virtute priuata sunt. Nos ergo tantùm Scripturas Sacras plenas, inuiolatas, integras habemus, qui eas, vel in fon-*

fonte suo bibimus, vel certè de purissimo fonte haustas, per ministerium puræ Translationis haurimus. A

Hæc ille. Cæterum qui plura de Sacra Scriptura, deque varijs eius Editionibus, & de nostra Vulgata voluerit, passim ea inueniet apud eius Interpretes, & ex fundamentis tractata apud supra laudatum Theodoricum Reynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad Annum Christi 231. Vrbani 5. reperiet. Sed hæc mihi circa seruandam methodum procedendi in hac Explicatione sunt satis.

§. V. B

In Expositione breuitati studēdū, vitata ariditate.

Verùm aliam insuper longè maiorem, & quæ vix, aut ne vix quidem superari possit, difficultatem superesse admonet ipse maximus, & sublimissimus Ecclesiæ Doctor S. Aug. Epistola 101. ad Euodium; dum ait. *Laborant homines in discendo; & breuia non valent intelligere, & prolixa non amant legere. Laborant itidem in docendo; qui, & pauca tardis, & multa pigris ingerunt.* Hæc inter extrema, vt media progrederer via, & quoad possem vitata prolixitate breuitati potius eruditissimo iam, & ad intelligendum aptissimo sæculo inseruirem; nullas huic Expositioni interserendas duxi, siue ad alias materias, siue ad alios sensus (quorum Diuina Scriptura est ferax) digressiones; prout eas complures Interpretes Textuum Sacrorum Expositionibus subtexuere. C

Neque tamen in hac succincta breuitate ariditas est pertimescenda, quandoquidem Deo Optimo adspirante, dum sensuum intentum à S. Propheta perscrutabimur, ad ipsas cælestium aquarum scaturigines, & fontes peruenire, accedere, atque ex ipsis in suomet fonte haurire licebit.

Et quoniam nemo non nouit, ad illuminandam mentem, & cor accendendum, quanta vis Diuinis Scripturis insit, dummodò illæ, vt par est, & ab eo, qui potest aperiantur; id boni maximi consequendi spes hic est non vana, cum eundem ipsum (ò sic ipse faxit!) habituri scimus Magistrum, qui eas aperiendo Discipulorum suorum corda accendebat, Luc. 24. v. 32. D

§. VI.

Vndenā Psalterio suauitas?

Deinde cum in hoc consonantissimo, & ab omni Christifidelium statu, gradu, ætate, sexu, conditione frequentatissimo Sancti Dauidis Psalterio, inclusa sint præcipua, & maxima Sanctæ nostræ Catholicæ Religionis Mysteria, eiusdem Expositio connexa semper, & consequens tantò vtilior, & iucundior accidet, quantò vnusquisque Diuini huius Psalterij amans illa viderit, non ex discursu, & accommodatione, seu applicatione Exponentis, sed re ipsa (loquendo secundùm meam sententiam) ex voluntate, & intento ea Prophetantis tantò ante, tamque patheticè, quàm concinnè fuisse expressa, atque decantata. E

Ex quo etiam illud maximum commodum sequetur, quod illa, alioquin iusta, Diui Chrysostomi Psalmo 140. querela de sacris Deo psallentibus personis locum non sit habitura; *ignorari*, nimirum, *sensum Psalmi obscuri, nec vim sententiarum eius quæri, sed canentes curare sola verba; thesauro assidentes abscondito; obsignatam crumenam circumferentes; illius obscuritate, ac difficultate non excitatos; puritate, & limpiditate istius quasi fontis non allectos; neque ceu floridi prati, & odoriferi amœnitate, ac suauitate prouocatos.* F

Quan-

A Quando etiam in consequente, atque ordinato Explicationis decursu constabit, Sanctum Prophetam toties, diuersis, ijsque penè integris Psalmis, & testimonijs, vel per se, vel euidentissima deductione claris, & manifestis, mentionem fecisse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, non tantùm vniuersim, vt dum de Ecclesia vniuersa loquitur; sed in particulari, & in specie, vt ibi, eoque loco constituendæ; vt Vicarij Christi Sedis; vt omnium aliarum per Orbem Ecclesiarum Matris, ac Capitis; quando, inquam, hoc constabit, certè vt id non poterit non summa lætitia afficere eius Filios; ita rubore, confusione,
B & tristitia (& illa vtinam ad pœnitentiam, & salutem!) suffundet eiusdem hostes, ac desertores.

§. VII.

Ad ea autem, quæ dicenda, & explicanda sunt, faciliùs, atque intimiùs intelligenda; pauca quædam Notanda præmittenda sunt, quæ sint instar Regularum Vniuersalium, & lumen, facemque præferant non ad Psalterium solùm, sed ad omnes omninò Prophetas, si Domino placuerit, intelligendos, & pariter cum consequente, ordinataque connexione explicandos.

C Et quidem P. Cornelius Noster à Lapide in suis Commentarijs in Prophetas maiores, octoginta omninò, & amplius Canones statuit in eum finem; sed tam multis minimè opus esse mox constabit; qui alia longè diuersa via, breui, eaque plana, & licet non trita, bona tamen; & vt patebit omninò vera, sumus progressuri.

Notanda ergo hæc senario solummodò numero comprehenduntur eo, qui sequitur modo, & ordine.

D

NOTATVM PRIMVM.

Præmittitur compendiosa Doctrina de Sacra Scriptura, tanquam fundamentum rerum omnium in ordinata, & consequente Psalterij Explicatione dicendarum.

E

§. I.



Vandoquidem Explicationem hanc Psalterij ordinatam, connexam, & consequentem promisi me ad literam, siue ad sensum à S. Dauide (vt dixi tamen) primariò intentum expositurum; expedit, & necessarium est, pauca quædam circa hoc ab ipsis fundamentis constituere, ex quibus dubitationes om-
F nes, & quæstiones, quæ in decursu Explicationis oriri solent, & possent, facilè omnes solui, & determinari queant.

Itaque Angelicus Doctor Diuus Thomas 1.p.q.1.a.10. supposito eo verissimo principio desumpto ex S. Gregorio lib. 15. Mor. quod *Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendat; quia vno, eodemque sermone, dum narrat gestum, prodit mysterium*. hoc, inquam, supposito; id ip-

sum fusius etiam ipse explicat, statuit, & definit in ⊖ eiusdem articuli 10. A
scil. *quod Auctor Scripturæ est Deus, in cuius potestate est, vt non solùm voces ad significandum accommodet, sed etiam res ipsas. Et ideò, cum in omnibus scientijs voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsæ res significatæ per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis. Illa verò significatio, qua res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literam fundatur, & eum supponit.*

§. II. B

In hac Doctoris Angelici fundamentali doctrina hæc pauca sunt obseruanda: nimirum, quod cum S.Doct. dicit; *illam primam significationem, qua voces significant res, pertinere ad primum sensum, qui est sensus historicus, vel literalis*; per ly *historicum, & literalem* intelligat sensum ipsarum vocum provt sonant, siue sensum grammaticalem, non verò propriè historicum; siquidem constat, Scripturas Diuinas alias Propheticas esse, alias Historicas, & illas nullam propriè dictam historiam continere.

Deinde, quando ait; primum illum sensum vocum esse literalem, non per hoc excludit, quin sensus spiritualis, siue ille, qui eruitur ex re significata per voces, sit etiam ipse literalis; nam supponit, hunc sensum, vel maximè literalem esse, quandoquidem definiuit, quod primus ille grammaticalis, & præcisè literalis, provt scilicet voces significant, sit quid commune cum omnibus alijs scientijs, seu scripturis; proprium autem Diuinæ, præter illum, sit significare res alias. C

§. III.

Atque vt id, quod hìc dicitur, ex rei veritate, suaque sententia Sanctissimus Doctor ostenderet rè ipsa esse tenendum, neque vlla occasio esset deceptionis, aut subreptitij erroris (in quo certè complures sunt, qui dum audiunt sensu spirituali aut mystico, seu spiritualiter, aut mysticè quidpiam explicari; putant, iam eò ipso à literali fuisse recessum) idem se ipsum magis explicans mox subiungit; quod, *Sensus literalis est, quem Auctor intendit.* D

Cum igitur frequentissimè, & passim liceat animaduertere, Auctores Sacros, Spiritu Sapientiæ plenos, in humili illo, plano, & infimo literæ grammaticalis sono nequaquam, vel voluisse, vel potuisse inhærere; dubio procul, eos altiora significare intendisse, illumque ipsum esse eorum sensum literalem dicendum est, si cætera ad illum requisita non desiderentur. E

Pulcherrima hæc est, certissima, atque infallibilis S. Doctoris intelligendi sensum, quisnam verè, propriéque literalis sit, Regula; proinde frequentissimè vsurpanda, & Scripturis applicanda erit.

§. IV.

Præter hanc, aliam etiam, quæ non solùm hìc hactenus dicta omnia confirmat, sed etiam, quæ in vsum frequentissimè, & vtilissimè veniet, regulam tradit, citato art. in Responsione ad 3. & est. F

Per voces significatur aliquid propriè, & aliquid figuratiuè; nec est literalis sensus ipsa figura, sed id, quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus, quod in Deo sit membrum huiusmodi corporale; sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operatiua. Infra osten-

A ostendetur, frequentissimas esse in omnibus Prophetijs, seu Scripturis, maximè Propheticis, qualis est Psalterium, seu Liber Psalmorum, figuratas locutiones, & voces; modò satis est obseruare in illis; *id quod figuratum est, esse sensum literalem* spiritualem, & mysticum, qui deinde trifariam diuiditur; siue triplex alius sensus consurgit ex illo, Allegoricus, Moralis, Anagogicus.

Cum hac S.Thomæ doctrina, & cum alijs principijs infra tradendis planè per omnia concordat Gabriel à Costa Theol. Doctor in Conimb. Acad. B in Commentarijs in 5. Libros Veteris Testamenti, Tractatu 4. §.2. in Caput 49. Geneséos.

Verùm his ita positis, & recepta hac D. Thomæ, & aliorum Doctorum vera, solidaque doctrina; duo quędam consequi intellectu admodum difficilia videntur.

§. V.

Primum est; quod supposito semel eo principio, quod sensus literalis spiritualis (siue ea significatio, qua res significatæ per voces, iterum res C alias significant) consurgat ex eo, quod Auctor Scripturæ sit Deus, in cuius potestate est, vt non solum voces ad significandum accommodet, sed etiam res ipsas: vt ex D. Thoma initio huius Capitis, & Notati est dictum. Supposito insuper, quod super hæc verba S. Doctoris Eminentiss. Card. Caietanus sapientissimè obseruat; nimirum, quod dum dicitur, Deum res ipsas ad significandum accommodare, intelligi debeat de omnibus omninò rebus, & non de aliquibus tantùm; nam sic, vt scilicet aliquæ tantùm res ad significandum accommodentur, non excedit hominis potestatem; nam quilibet D potest facere aliquos actus, vel aliquod artificiale, & faciendo illa intendere significare aliam rem, vt patet; sed quod omnia, quæ narrantur (dicamus in Psalterio, Isaia, aliaque simili Prophetia) sint ex sui constitutione signa aliarum rerum, hoc excedit humanam facultatem.

Hoc, inquam, supposito, quod res omnes omninò Deus in Diuinis Scripturis ad significandum accōmodet; sequitur necessariò, quod cum quæ Dei sunt, ordinata sint (& ipse Aristoteles dixerit, Deum esse intellectum, & ordinem) omnia planè tam in Psalterio, quàm in Isaia, alijsque Scripturis Pro- E pheticis connexa, ordinataque esse: hoc autem est ferè contra communem sensum, quandoquidem quod ad Psalterium attinet, illud ab Hebræis vocatur *Sepher thehillim*, quæ vox congeriem, siue aceruum significat Laudum, seu Canticorum nullo inuicem ordine, & dispositione compositorum. Similiter in Isaia, tam multa Onera Moab, Babylonis, Ægypti, Vallis Visionis, Tyri, &c. non videntur posse connecti, & tendere ad vnum aliquem finem. Et vniuersim de omnibus Scripturis Propheticis loquendo, multorum, magnorumque Auctorum sententia est, quod in illis fiant passim saltus, & tran- F situs repentini ad obiecta nullo modo connexa.

§. VI.

Alterum, quod captu difficile, & ex præiacta Doctrina consequitur, est: quod si ille est sensus literalis Scripturæ, quem Auctor intendit; deinde, si in figuratis locutionibus (quæ in Diuina Scriptura sunt frequentissimæ) literalis sensus non est ipsa figura, sed id, quod est figuratum; necessariò sequitur,

quod volenti Diuinas Scripturas exponere, debeat constare quidnam Sacer Auctor intenderit significare, maximè quando locutiones sunt figuratæ; alioqui & multæ esse possent expositiones, & nulla earum certitudo, aut quilibet præferre posset suam expositionem interpretationi alterius, opinando se melius assecutum fuisse Sacri Auctoris intentum. A

Ad hæc duo captu difficilia sequentibus Notatis respondetur. Propter primum ponitur hoc.

NOTATVM SECVNDVM. B

In Propheticis Scripturis non fiunt saltus, & transitus repentini ad obiecta nullo modo connexa.

§. I. C



Reter iam supra Obiect. 2. §. 2. dicta de actu ipso inuenta, ordinata, & per omnia connexa Expositione tam Psalterij, quàm Isaiæ, & si Domino placuerit, etiam aliorum Prophetarum, quod in eorum Scripturis non fiant illi saltus, & transitus ad obiecta nullo modo connexa, illa etiam ratio in Primo Difficili paulò ante proposito conuincit: sic enim quomodo Diuina ordinata essent? Deinde si hic saltitans res suas significandi modus prudentem hominem dedecet, quantò magis Diuinam Sapientiam? D

§. II.

Contrarium cum multis alijs tenet P. Paulus Scherlogus Societatis Nostræ, in Cantica, Antiloquio 1. Sect. 10. Sed iam dictis standum eò stabiliùs, & fortiùs, quò ipsemet ibidem adducit, nec soluit quorundam magnorum Scripturistarum auctoritates tanto rationum pondere firmatas, vt vel solæ, ad id quod diximus infallibiliter asserendum, tenendumque, sufficiant. Eæ autem auctoritates sunt. Leonis Castro, vt supra Cap. 1. §. 3.

Item Epiphanij asserentis; *Montani, Mahometis, & Pseudoprophetarum oracula solùm dissolutas imitari scopas, & ligamen nescire.* E

Item eiusdem, & Gislerij: *Spiritui Sancto parùm decorum eiusmodi dictasse, quæ parum cohæreant; sed hùc, illùc spargantur, & fluitent.*

P. Gasparis Sanctij. *Id ne in mediocri humano Auctore tolerandum.*

P. Ludouici Alcazar. *Confusi ingenij habendum, qui ita inter homines loqueretur. Ouidianas fabulas sic posse ad diuina transferri, si catenatio negligatur.*

Tertulliani lib. 4. contra Marcionem. *Iusta*, ait, *& diuina præscriptio est, in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis: cæterùm aliud consulenti, aliud respondere, dementis est: quò magis absit à Christo, quod ne homini quidem conuenit.* F

Hæ, inquam, auctoritates omninò persuadent, verum esse quod dicitur, neque Psalterium, aut Prophetiam vllam aliam esse posse aceruum, quasi temerè proiectorum in vnum granorum, vel lapidum.

Iam

§. III.

Iam verò quod attinet ad Diui Hieronymi auctoritatem, quæ in contrarium adfertur à dicto P. Scherlogo, eadem Sectione, quod scilicet; *Omnis Prophetia ænigmatibus inuoluitur, & præcisis sententijs, dum de alio loquitur, transit ad aliud, ne si ordinem Scriptura conseruet, non sit vaticinium, sed narratio.*

Respondetur; videri quidem esse repentinam transitionem de vno in aliud, & sæpe ad disparata, quando scilicet Prophetia ad illa ænigmatica delabitur, ijsque ænigmatibus, & symbolis, vt videbimus, passim, & maxima de causa vtitur: re ipsa tamen non esse, nec repentinam, nec transitionem, neque ad obiecta nullo modo connexa commigrationem, si illa ænigmatum, & symbolorum inuolucra intelligantur, & referantur ad id significandum, ad quod assumpta vltimatè fuerunt à Sanctis Prophetis, iuxta dicta, & inferius dicenda.

Propterea S. hic Doctor, non negat Scripturas Propheticas ordinem seruare, aut de ratione earum id esse, vt non seruetur; sed tantum vult dicere,
C eas, quia Vaticinia continent, quia ænigmatibus inuoluuntur, & præcisis sententijs, non habere illum planum, atque patentem sensum, & explicitum; sicut illum habent aliæ narrationes historicæ, qui tamen sensus planus etiam illis Propheticis verè inest; & qui, si ænigmatum inuolucra aperiantur, etiam manifestari potest.

Atque ego sanè non parùm admiror P. Scherlogum id non ita sensisse, cum tamen ipse consequentem in Canticam Canticorum explicationem proponat: quod cum miris, magnisque verborum, & rerum inuolucris, &
D ænigmatis contectum sit, & absconditum, par de reliquis Scripturis Propheticis videtur ferri debuisse iudicium, quando in illis, vel non tanta, vel par sit expedienda, atque explicanda perplexitas.

§. IV.

Iam verò, quod ad secundum Capitis, & Notati prioris difficile captu §. 5. propositum attinet. Caietanus in citatum Art. D. Thomæ admittit sensum literalem spiritualem multiplicari posse; litera autem, vt ipse loquitur, *habens multas Expositiones, dupliciter se potest habere ad illas. Primò compa-*
E *tiens illas, tam absolutè, quàm in ordine ad reliqua, quæ sunt fidei: & tunc multitudo expositionum literalium ad exercitationem nostram confert, dignitatique Auctoris attestatur. Secundò, vt compatiens illas in se, non tamen collata cum alijs Literis Sacræ Scripturæ. Et tunc ex tali collatione excludi possunt omnes Interpretationes repugnantes; non repugnantes verò admitti.*



Bona hæc est Doctrina, ad quam examinata hæc Expositio, quantum animaduertere potui, subsistet; & collata cum alijs Literis Sacræ Scripturæ, non solùm nullam repugnantem, sed etiam cum Isaia, reliquos etiam Prophetas,
F vt breui summatim ostendetur consentientes, est habitura. Vnde non sequitur, quod cum hoc examinum, & collationum rigore, cum ea cum reliquis Scripturis omnibus conuenientia, cum nullarum repugnantia, multæ esse possint Expositiones, de quarum certitudine dubitetur.

Insuper, vt nihil ad huius Expositionis certitudinem, veritatemque desit; etiam id quod summum, maximumque est, in sensu literali eruendo, & in

quo

quo is ipse consistit; *quidnam*, scilicet, *Sacer Auctor intenderit*; non obscuris A indicijs præuijs inuestigando, certis argumentis deprehendet hæc ipsa Expositio. Sed ad hæc tanta quis tam idoneus?

NOTATVM TERTIVM.

Iesus Christus Dei Filius, Dominus Noster ostendit, aperuitque nobis Vniuersalia quędam Capita, seu Fontes rerum, de quibus passim Sancti Prophetæ tractant; & ad quæ respiciunt; & qui sint illi, exponitur. B

§. I.

C



QVamuis vera sit Diui Augustini Tomo 2. Epistola 80. sententia; quod, *In diuinorum eloquiorum obscuritatibus, quibus nostras intelligentias Deo placuit exercere, non solùm alius alio mouetur acutiùs eorum, qui Scripturas Sanctas non improbabiliter tractant; sed etiam quilibet vnus illorum aliquando minus, aliquando melius intelligit*; nihilominus quotidiana experientia est manifestum, vnumquemque hominum suo vespertilionum lumini, vel potius obscuritati, & tenebris proprijs relictum, *difficile æstimare*, vel ea; *quæ in terra sunt;* D *& illa ipsa, quæ in prospectu sunt, inuenire cum labore*. Sap. c.9. Vt propterea inter innumera, & planè eximia beneficia, quæ nobis Saluator Noster largitus est, hoc censendum sit maximum, atque amplissimum; quod in Diuinis Prophetarum suorum Scripturis, quisnam sensus suus (siquidem ipse earum Dictator fuit, illi eius Amanuenses) in eis fuerit, nobis seruis suis manifestare sit dignatus. Licet enim ijs, qui à Christo alieni sunt, *obtusi sint* (prout 2. Cor. cap. 3. 14. Apostolus loquitur) *sensus eorum, & vsque in hodiernum diem, dum legitur Moyses velamen positum sit super cor eorum. Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à* E *claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu*.

§. II.

Itaque *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Ioan. c. 1. v. 18. Id verò ipse Dominus vel maximè præstitit, Lucæ cap. 24. v. 27. quando; *Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant*. Hoc quidem duobus Discipulis euntibus in Emmaus. Deinde verò eodem Cap. 24. v. 44. ad congregatos in Cœnaculo F ait; *quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*.

Et tandem eodem D. Lucæ c. 24. v. 46. & 47. ait. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma.*

Ex

§. III.

Ex his testimonijs, & declaratione eorum, quam ipse Dominus Iesus adnemuit, deducitur

Primò, ipsummet Dominum esse primum, & maximum omnium Scripturarum, & Prophetarum Thema, & Argumentum, de quo dubium nullum est, cum ipse Ioan. c.5. v.39. dicat; *Scrutamini Scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*.

Deinde, quod deducitur, & valdè obseruandum est; vim maximam habet id, quod in vltimo D. Lucæ testimonio Dominus dicit, scilicet; *Quoniam sic scriptum est*; in Lege nimirum, vt dixerat, Moysi, Prophetis, & Psalmis; ita vt ly *Scriptum est*, transeat, & se se extendat ad omnia illa rerum maximarum Capita, quæ ibi attinguntur; & quod consequenter de illis agant Moyses, Prophetæ, & Psalmi, idest; quod non solum oporteret Christum pati, & resurgere à mortuis; verumetiam quod, *oporteret prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum*; *scriptum est*; quod *in omnes Gentes*; *scriptum est*; quod de *incipientibus* Discipulis, & Prædicatoribus Fidei prædicationem suam ab Ierosolyma; *scriptum* ab illis *est*, de his omnibus, & vtique de ijs etiam, quæ cum his necessariò coniuncta sunt.

§. IV.

Itaque in hac rerum summa, quam Lex, Prophetæ, & Psalmi continent, multa necessariò, & essentialiter comprehenduntur, quæ si per singula enumerentur, & singillatim ad certa, & illa præcipua Capita reuocentur, bonum aliquem numerum facient.

Primò enim, data illa Prædicatione in nomine eius, pœnitentiæ, & remissionis peccatorum; ex suppositione, quod Ierusalem, & Iudæi non essent illam acceptaturi; sequitur necessariò futura, & subsecutura eorundem Reprobatio, Desolatio, & Exterminium.

Ex hac autem eorum Reprobatione, Desolatione, atque Exterminio necesse omninò est; eos, qui eiusmodi Reprobationem præuidebant, & prædicebant, magna affectos fuisse animi commiseratione, & dolore; fletuque, que lacrymis eam fuisse prosecutos.

Deinde, quia Iudæis repellentibus Dei Verbum, & paratam sibi salutem non acceptantibus, Sancti Apostoli ituri erant ad Gentes, sicut & Dominus præceperat illis, vel cum in Cælum ascenderet Act. 1. v.8. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*: debuerunt hæc ipsa præuidisse Sancti Prophetæ; ijsque de rebus, tanquam præcipuo Diuinæ Sapientiæ, Iustitiæ, atque Misericordiæ opere, multa vaticinasse.

Et quia futurum erat, vt eo ipso tempore, cui reseruabatur, & in quo executioni tradenda erat illa Vniuersalis Prædicatio Fidei in omnes Gentes, & *vsque ad vltimum terræ*; quia, inquam, futurum erat, vt tunc Gentium omnium Domina, Roma toti Terrarum Orbi dominatura esset, dubitari non potest, quin de potentissimo eius Imperio, eademque ipsa Orbis Vrbe plurima præuiderint, atque prædixerint Sancti Prophetæ; maximè quando illa ipsa Vrbe Ecclesiæ Sanctæ, Sponsæ Christi Sedes statuenda erat.

Et sanè ipsi Sancti Prophetæ, vix vnquam de Christi Ecclesia, & immensis

sis eius bonis loquuntur, quin Romæ pariter meminerint, eiusque, prout tunc erat, Idolorum cultui, & sceleribus illum consequi solitis deditæ. Quæ quidem eius, & talis, scilicet Ethnicæ, & idololatrantis Vrbis, sæpius iterata, & repetita mentio ex quodam consequenti fit, fierique debet; cum enim, vt dictum est, Ecclesiæ Sanctæ Christi Sponsæ Sedes in ea Vrbe statuenda esset, ea statui, & fundari ibidem non poterat, nisi prius abolita, & excisa inde, & consequenter ex omni Imperio Romano, Idololatria. A

§. V.

Iam verò ad propositum nostrum. B

In hac ipsa re, idest in Idololatria ex Romana Vrbe, & toto Orbe abolenda, & exterminanda, quanta necessariò futura, & subeunda erant certamina?

Quanta vi, & virtute præditi esse debebant, qui tantum opus erant aggressuri?

Postea verò sublatis tandem his è mundo malis, nonne Christi Ecclesia maxima Pace, atque tranquillo rerum suarum statu donanda, bonisque maximis abundatura erat? C

Hæc verò omnia nonne ad maximam Iesu Christi, Dei, ac Domini Nostri Ecclesiæ Sanctæ Sponsi, & Saluatoris gloriam, cuius Diuina vi, atque virtute opus tam immensum perficiendum erat, ordinabantur?

§. VI.

Igitur, si hæc omnia, quæ hìc breuiter dicta, & (quia necessariò inuicem connexa) deducta consequenter sunt, in ordinem aliquem redigantur; dubio procul ex illis, hæc quæ sequuntur, tanquam Vniuersalia Capita, & rerum maximarum Fontes, constituentur; quò quæcunque in Lege Moysi, Prophetis, & Psalmis dicuntur, reduci, & reuocari debebunt. D

Primò. Ad Iudæorum Obstinationem, eorumdemque Reprobationem, & Desolationem, atque Exterminium.

Secundò. Ad commiserationem, dolorem, & fletum eorundem Reprobationis, & Desolationis causa.

Tertiò ad Gentilium, & Idololatrarum Vocationem ad Fidem Christi, & in Ecclesiam in Iudæorum locum.

Quartò. Ad Conuersionem ipsius Gentium Dominæ, Romæ, & Imperij Romani ad eandem Fidem. E

Quintò. Ad eorum diuinam virtutem, qui tantum opus aggressi perfecerunt, qui fuerunt Sancti Apostoli, & eorum Successores.

Sextò. Ad eorum Mystica Prælia, seu Spiritualia Certamina, Persecutionum, atque etiam Martyriorum Labores, & Coronas; & miras Populorum ad Fidem Conuersiones, tanquam singulares Victorias.

Septimò. Ad Ecclesiæ Christi, sic in Gentibus fundatæ, eximia bona; & tandem. F

Octauò. Ad Iesu Christi Vnigeniti Dei, & Saluatoris Nostri gloriam, & exaltationem. Quod quidem primum fuit, & verè est Caput, & Fons, omnium supradictorum, & Scripturarum Diuinarum maximum Argumentum; primum omninò in intentione, sed vltimum cum sit in executione, octauo etiam, & vltimo hoc loco positum est.

Hæc

Hęc octo ſunt ſumma Capita, & rerum, de quibus S. Prophetæ agunt, Fontes; ad quæ animaduertendum quàm diligentiſſimè eſt; & inſuper.

§. VII.

Obſeruandum eſt, in ſingulis eorum contineri itidem alia particularia magis rerum aliarum capita; vt exempli gratia,

In Primo. De Reprobatione Iudæorum, includuntur Diuinæ ſæpè in eos iteratæ comminationes; acerrimæ reprehenſiones; inolita illis ſcelera, animi peruicacia, obſtinatio, & obduratio; longanimis Dei expectatio eorundem ad pœnitentiam; Diuini Iudicij in eoſdem impœnitentes ſeueritas; aliaque eiuſmodi.

In Secundo etiam Capite, & Fonte Doloris, & Fletus ob eorum deſolationem, verſantur variæ, eæque acerbiſſimæ cauſæ doloris; deprecationes, inſtantiſſimæque pro ipſis poſtulationes, &c.

In Tertio Vocationis Gentium, ſunt multa magna, admiranda, altiſſima Sapientiæ, Miſericordiæ, Benignitatis in eos; Iuſtitiæ, & ſeueritatis in Iudæos, opera. Conuerſorum gratitudo, amor, conſtantia; &c.

C In Quarto Conuerſionis Romæ, veniunt multa de eius Potentia, Fortitudine, Amplitudine, antiqua impietate; ſceleribus, exercita in Chriſtianos crudelitate, & alia, de quibus agetur infra Notato 5.

Ad Quintum referuntur, quæ ſunt de Apoſtolorum Vocatione, qualitate, paupertate, humilitate, inſtructione, miſſione ad prædicandum, &c. dignitate, donis, &c.

In Sexto continentur etiam particulares perſecutiones tam Iudæorum; quàm Gentium; quæ contra Eccleſiam fuerunt ſuſcitatæ; earum ſæuitia, &

D crudelitas, diuturnitas, & eiuſmodi.

In Septimo. Multa Eccleſiæ particularia bona; Sanctitas, Veritas, Concordia, Pax; Dei Verbum, Sanctiſſima Sacramenta; Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium; Diuinæ Laudes, orationis aſſiduitas, gubernatio, graduum, officiorum, ſtatuum, & conditionum diuerſitas; &c. aliaque eiuſmodi quamplurima; vt in decurſu Explicationis apparebit.

Similiter Octauus, & vltimus Fons vberrimus eſt; quandoquidem omnia, quæ Chriſti ſunt, vt eiuſdem Domini Incarnatio, Natiuitas; Vita pau-

E per; humilis; ſpreta; Prædicatio, eius Paſſio, Mors, Reſurrectio, &c. & reliqua omnia ad hunc ipſum Fontem pertinent; vtpote quæ omnia ordinata erant ad eiuſdem Dei, ac Domini Noſtri exaltationem, & gloriam.

In his omnibus adhuc obſeruandum occurrit; nihil referre, à quonam horum Capite, & Fonte Sancti Prophetæ ſuas Prophetias ordiantur (ſic enim ſolùm ex diſcurſu ex verbis Chriſti deducto ſunt diſpoſita) ſed ſatis eſſe, quod de ijs rebus potiſſimùm, & paſſim agant, & quod circa hos cardines verſentur. Id ita eſſe probatur amplius.

F

D Con-

Confirmatur, in Diuinis Scripturis, Prophetarum potiſſimùm, agi de ſupradictis rerum Vniuerſalium Capitibus, & ſpectantibus ad ſupradicta Capita, & Fontes. A

§. I. B

QVin hæc Sancti Dauidis Prophetia, Pſalterium, ſeu Liber Pſalmorum in his Capitibus, & Fontibus rerum verſetur, deque ijs, & ad ea ſpectantibus agat, dubitari non poteſt, quandoquidem Vniuerſale totius Pſalterij Argumentum, vt breui oſtendetur, in his ipſis fundatum eſt. Præterea, tam ipſe Explicationis curſus, quàm ad eiuſdem finem ſubijciendus Index, qui vbi ea Capita tacta fuerint, futurus eſt copioſiſſimus, rem hanc ita eſſe declarabit; proinde ſuperuacaneum hic eſſet, id attingere hoc loco, C
quod ſuo proprio proponendum reſeruatur. Mens potius mihi eſt, provt paulò ante inſinuaui, ad faciendam ipſo in limine fidem in hac ordinata, & connexa Pſalterij explicatione (quæ tota innitetur octonis hiſce fundamentis) reperiendæ Literalis, & à S. Propheta intentæ (vt dixi tamen) veritatis, breuiter, & ſummatim non tam explicare, quàm ſimpliciter, & tantùm indicare aliorum etiam Prophetarum in his ipſis Capitibus, & rerum Fontibus cum Pſalterio conſpirationem, indicatis ſolùm aliquibus, & obuijs ipſorum textibus, in quibus de illis ipſis, etiam illi non obſcuram faciunt men- D
tionem.

Quod ſi cui eiuſmodi Textuum circa illa rerum Capita citationes, dubiæ, ſeu controuerſæ in aliquo viderentur; eas certas, & indubitatas reddet, vel interim accuratum examen ad hæc iam poſita, & quæ ſuperſunt addenda Notata, vel expectata in eoſdem Sanctos Prophetas, iuxta hæc ipſa principia, & fundamenta, Expoſitio; quarum iam vna, quæ in Iſaiam eſt, cum poſt hanc, adſpirante Deo, in promptu futura ſit, nec non & in Ieremiam, ipſemet allegatarum ex eis citationum (quarum frequens erit pro E
Pſalterio vſus) veritatem atteſtari, & comprobare poterunt. Itaque hic ſubijciuntur

Octo Tabulæ, vel Columnæ, ſingulæ ad ſingula illa octona rerum Capita ſpectantes, per ipſam Prophetarum ſeriem, & ordinem, ordinatè deductæ. F

Ta-

Tabulæ, seu Columnæ continentes Capita, & Fontes rerum, de quibus Sancti Prophetæ agunt.

Cap. I. Reprobatio, & Desolatio Iudæorum, eorumq. obstinatio, peccata, & pœnæ.

ISAIÆ.

Cap.1.v.6.7.8.
c.2.v.34.
c.3.v.13.
c.5.v.1.& 26.
c.6.v.11.12. & 13.
c.8.v.6.7. 8. v. item 12. 13.& 14.
c.9. v.3. & 8. & v.11. vsque ad finem.
c.10.v.21.
c.16.à v.9.
c.17.v.10.
c.21.à v.10.
c.22. toto.
c.24.à v.1.ad 12.& v.18. 19.20.
c.25.v.2.5.
c.26. v.10.11.14. item v.21.
c.27.v.10.11.12.
c.28.v.1.2.3.4.5.
c.28.v.13.20.21.
c.29. v.9.10. & de Causis.
c.30.
cap.32. v.9. 10. 11. 12. 13.14.19.
c.33.à v.7.
c.38.& c.39.
c.40. v.30.
c.42.à v.14.
c.43.v.8.28.
c.50.v.1.2. & causæ, & pœnæ sequentes.
c.59.à v.1.ad 9. peccata eorum.
c.59.à v.9. pœnæ variæ, item
c.59.v.16.17.
c.63.à v.8 ad 15.
c.64.à v.6.
c.66.v.4.6.

IEREMIÆ.

Cap.1.à v.10.
c.3.à v.20.
c.4.à v.1.ad 19.
c.4.v.23.24.26.
c.5. eorum peccata ob quæ deserti.
c.6.v.4.5.29.30.
c.7. toto, eorũ peccata.
c.8.v.13.
c.9.toto.
c.10.à v.20. Causæ mali Pastores.
c.12.à v.10.
c.13.v.16.
c.14.à v.1.ad 8.
c.15.v.9.
c.17.à v.1.
c.18.
c.23.à v.33.
c.25.à v.34.
c.30.v.4.5.6.
c.32.
Threni omnes.

EZECHIELIS.

Cap.1.v.1.ad 11.
c.9.v.3.
c.10.v.4.
c.12.
c.17.v.22.10.
c.39.à v.23.

DANIELIS.

Cap.9.totum.

OSEE.

Cap.1.v.6.9.
c.2.à v.10.
c.9.à v.10.

IOEL.

Cap.1.

AMOS.

Cap.1. per totum, causæ.
c.2.à v.1.
c.3.v.12.
c.3. quam fuerint ante dilecti.
c.4. toto.
c.5.v.8.& 9.
v.10. Causæ. Odium in Christum Dominum, & immisericordia.
C.16.v.6.7.8.
c.8. v.9. Pœnæ spirituales.
c. 9.à v.1. Pœnæ temporales.

MICHÆÆ.

Cap. 1.v.6. Causæ persecutio Christi, & Apostolorum. Item
Cap.2.v.8.9.
c.3.à v.1.2.3. Pœnæ subsecutæ. v.6.
c.4.v.7.
c.5.v.1.
c.6.v.15.
c.7.v.8.10.

NAHVM.

Cap.1.v.4.5.7.8.

HABACVC.

Cap.1.v.5.11.
c.3.v.6. & aliis.

SOPHONIÆ.

Cap.1.v.3.7. Pœnæ. v.8.9. 10.11.12. & deinceps.

AGGÆI.

Cap.2.v.20.

ZACHARIÆ.

Cap.1.v.5.6.
c.5.à v.1.
c.7.toto.
c. 11. v. 8. 9. Antichristum accepturi v. 16. 17.
c.14.v.6.pœnæ v.12.

MALACHIÆ.

Cap.1.v.10.

Cap. II. Dolor, commiseratio, & fletus ob Iudæorum Reprobationem.

ISAIÆ.

Cap.1.v.24.
c.8.v.8.& 17.
c.9.v.3.
c.16.v.10.& 11.
c.21.v.3.4.& ferè toto.
c.22.v.4.& deinceps.
c.24.v.8.9.10.11.& ferè toto.
c.33.v.7.vbi plura.
c.38.per totum.
c.48.v.18.19.
c.59.v.11.
c.63.à v.15.ad finem.
c.64.à.v.6.

IEREMIÆ.

Cap.4.à v.19.v.31.
c.8.v.7.18.20.21.22.
c.9.v.12.
c.13.v.17.
c.14.v.8.9.17.
Cap.15.v.10.
c.20.plura.
c.25.à v.34.
c.31.à v.15.plura.
c.45.v.4.
Threni omnes ad hoc Caput referuntur.

BARVCH.

Cap.4. toto in persona Synagogæ.

EZECHIELIS.

Cap.20.v.49.

DANIELIS.

Cap.9.toto.

OSEE.

Cap.9.v.10.12.

IOEL.

Cap.1.per totum.
c.2.

AMOS.

Cap.5.v.1.2.16.17.

MICHÆÆ.

Cap.1.v.8.9.
c.2.v.11.

HABACVC.

Cap.1.à v.12.
c.3.v.16.& pluribus.

ZACHARIÆ.

Cap.10.v.4.
Ipse Dominus Iesus Luc. cap.19.& alias sæpius.
S. Paulus Epist. ad Rom. cap.9.



Cap.

Cap. III. Vocatio Gentium ad Fidem.

ISAIÆ.

Cap.1.v.24.
c.2.v.17.
c.9.v.1.2.3.
c.11.v.6.
c.15.& c.16.totis.
c.20.à v.10.
c.21.
c.22.à v.22.
c.24.v.16.
c.25.v.3.
c.26.v.15.
c.27.v.12.13.
c.28.v.20.21.
c.29.v.5.6.7.8.17.18.
c.30.v.31.32.& alijs.
c.32.à v.15.
c.33.à v.1. per totum.
c.35. toto.
c.37.v.31.32.
capp.38.39.40.
c.41.à v.1.
c.42.v.14.
c.43.v.6.7.20.21.
c.44.v.6.7.
c.45.v.14.
c.49.à v.6.
c.50.v.2.3.
c.55.v.4.5.
c.59.v.19.
c.64.v.5.
c.65.v.7.
c.66.v.7.8.9.

IEREMIÆ.

Cap.1.v.10.
c.10.v.13.
c.16.à v.15.
c.23.à v.23.
c.25.à v.15.
c.27.à v.7.
Cap.30.v.1.
c.30.à v.18.
c.31.v.24.
c.32.à v.37.
c.40.toto.
c.49.à v.3.

BARVCH.

Cap.4.à v.36.

EZECHIELIS.

A capite 1.ad 11.maximè.
c.9.v.3.
c.10.v.4.
c.17.v.22.
c.20.v.47.
c.29.per totum.
c.32.
c.36.à v.34.
c.37.toto.
c.38.toto.
c.39.à v.1.
c.47.v.22.23.

OSEE.

Cap.1.v.10.11.
c.2.v.14.
c.11.v.10.11.
c.13.v.15.
c.14.à v.1.

IOEL.

Cap.2.à v.9.ad 18.
c.3.per totum.

AMOS.

Cap.1.v.2.
c.2.v.2.3.
c.3.v.12.13.14.15.
c.4.v.12.13.
c.5.v.8.9.
c.9.v.6.

ABDIÆ.

Cap.1.v.20.

MICHÆÆ.

Cap.1.v.34.
c.2.v.12.13.
c.3.v.12.
Cap.4.v.7.
c.5.toto.
c.6.1.15.
c.7.v.8.9.

NAHVM.

Cap.1.v.1.2.3.
c.3.per totum.

HABACVC.

Cap.1.à v.5.
c.2.à v.13.
c.3.v.6.

SOPHONIÆ.

Cap.1.à v.1.
c.2.à v.8.per totum.
c.3.v.8.

AGGÆI.

Cap.2.v.7.8.
c.2. à v.21.

ZACHARIÆ.

Cap.2.à v.7.
c.5.à v.1.
c.8.v.20.
c.9.per totum.
c.14.à v.1.

Item de hac.

GENESIS.

Cap. 49.v.11.

NVM.

Cap.21.v.14.

DEVTER.

Cap.33.v.18.19.

I. REG.

Cap.2.v.2.3.10.

II. REG.

Cap.22.v.44.

IOB.

Cap.26.v.10.11.

ECCLESIASTICI.

Cap.36.& c.43.

Cap.

Cap. IV. Roma Ethnica, siue Imperio Romano conuerso ad Christum.

ISAIÆ.

Cap.2.à v.10. ad finem.
c.10. à v. 5. ad 2. & per totum.
c.11.à v.6.
c.13.à v.8.
c.14.à v.4. 9.10. 11.29.
c.15.1.
c.16.8.
c.18.v.2.3.7.toto.
c.19.per totum.
c.21.per totum.
c.23.per totum.
c.25.v.3.11.12.
c.26.v.5.
c.27.v.6.
c.29.à v.5.
c.30.v.25.31.32.
c.31.v.8.9.
c.34.toto.
c.35.toto.
c.37.v.31.
c.40.v.6.7.16.
c.41.v.15.
c.43.v.14.15.16.17.
c.44.à v.24.
c.45.v.2.
c.47.
c.48.v.14.15.
c.50.v.3.
c.60.v.15.
c.62.10.
c.63.v.6.
c.64.v.1.
c.65.v.7.17.
c.66.v.17.

IEREMIÆ.

Cap.3.v.19.
c.6.v.22.
c.25. c.27. à v.7.
c.29. c.30.à v.18.
c.31.v.7.
c.46.v.10.v.18.
c.50.& 51.totis.

BARVCH.

Cap.5.v.6.
cap.6.

EZECHIELIS.

Cap.17.à v.22.
c.20.v.47.
c.26. toto.
c.27.toto.
c.31.à v.3. per totum.
c.35.per totum.
c.36.v.2.
c.38.toto.
c.39.toto, maximè v.6.

DANIELIS.

Cap. 7.à v. 21.

OSEE.

Cap. 13. v. 15.
c. 14. v.1.

AMOS.

Cap. 2.v.3.
c.4.v.13.

MICHÆÆ.

Cap.1.v.3.c.2.v.3.
c.4.v.8.

NAHVM.

Cap.1.v.1.4.6.
c. 2. v. 1.2.
c. 2. v. 6. à c.3. per totum.

ABACVC.

Cap.1.v. 10.
c.3.v.6.7.10.13. 14. 15.

SOPHONIÆ.

Cap. 2.v.5.6.7.

AGGÆI.


Cap. 2.v.21.

ZACHARIÆ.

Cap.4. à v.7.
c.5.v.4.6. & c.11.v.1.
c.14.v.2.

Item de ea alijs Scripturis Propheticis.

Requirite diligenter in Libro Domini, & legite,&c.



Cap. V. Vis Prædicationis Apostolorum Christi. Secundò, eorumque Electio, & Vocatio ad Conuersionem Mundi.

De primo.

ISAIÆ.
Cap.13.v.1.2.3.4.5.&c.
c.16.v.9.& 10.
c.18.v.2.c.21.v.1.
c.23.v.13.
c.24.v.14.15.
c.25.v.4.
c.27.v.6.13.
c.29.v.5.6.
c.30.v.27.28.vsque ad f.
c.31.à v.4.
c.40.v.9.10.& deinceps.
c.42.v.12.13.
c.59.v.19. c.60.v.8.9.
c.65.v.14.15.

IEREMIAS.
Cap.49.v.19.
c.50.à v.42.

EZECHIEL.
Cap.28.v.7.8.

IOEL.
Cap.2.v.10.11.

MICHÆAS.
Cap.5.v.8.

NAHVM.
Cap.1.v.6.
c.2.v.1.2.3.4.toto.

HABACVC.
Cap.1.v.7.8.9.
c.3.v.8.12.14.15.

ZACHARIAS.
Cap.9.v.13.14.15.
c.10.v.3.5.7.
c.12.v.6.

Item de hoc.

NVMERORVM.
Cap.23.v.22.23.

DEVTER.
Cap.33.v.26.27.

Item de primo.

IVDICVM.
Cap.5.v.1.9.18.20.21.22.

IOB.
Cap.39.v.19.

II. REG.
Cap.22.v.12.13.14.15.

ECCLESIASTICI.
Cap.36.à v.6.ad 12.

ECCLESIASTICI.
Cap.44.v.27.

De secundo.

ISAIAS.
Cap.1.v.9.c.6.v.13.
c.8.v.18.c.14.v.1.2.3.
c.14.v.30.32.
c.21.v.14.
c.24.v.13.
c.26.v.6.
c.28.v.5.6.
c.40.v.26.

IEREMIAS.
Cap.5.à v.22.
c.16.à v.15.c.49.v.20.

EZECHIEL.
Cap.11.à v.18.
c.14.22.
c.17.v.22.

AMOS.
Cap.3.v.12.

ABDIAS.
Cap.1.v.21.

MICHÆAS.
Cap.5.v.3.7.

NAHVM.
Cap.1.v.3.

HABACVC.
Cap.1.v.6.7.
c.3.v.8.

SOPHONIAS.
Cap.2.v.8.9.

MALACHIAS.
Cap.4.v.5.

ZACH.
Cap.8.v.6.c.9.v.13.

Item de secundo.


GENESIS.
Cap.49.v.13.& 21.

DEVTER.
Cap.33.v.18.19.

IVDICVM.
Cap.5.v.8.9.10.

IOB.
Cap.26.v.7.8.

IOB.
Cap.37.à v.11.ad 14.



Cap.

Cap. VI. Mystica Prælia, vindictæ, cædes per Prædicationem Fidei facta. Secundo, Celeritas qua facta per Orbem.

ISAIAS.

Cap.9.v.5.
c.10.25.
c.12.c.13.v.8.
c.19.v.4.
c.20.à v.1.
c.21.v.15.
c.27.v.7.
c.30.v.25.27.28.30.
c.31.v.8.
c.33.v.1.
c.34.per totum.
c.40.pluribus locis.
c.49.v.25.26.
c.53.v.9.
c.59.v.17.18.
c.61.v.2.
c.63.v.5.6.
c.65.v.6.
c.66.v.8.15.16.

IEREMIAS.

Cap.23.v.19.20.
c.30.v.12.
c.25.v.15.& v.30.
c.30.v.23.24.
c.46.fere toto, & c.48.
c.49.à v.13.
c.50.v.14.

EZECHIEL.

Cap.26.toto.
c.28.v.23.& ferè toto.
c.30.

Cap.32.per totum.
c.39.per totum.

OSEE.

Cap.3.per totum.

ABDIAS.

Cap.1.v.15.16.

MICHÆAS.

Cap.4.v.13.
c.5.v.9.10.13.14.
c.7.

NAHVM.

Cap.1.v.1.2.3.4.5.6.
c.2.& c.3.sæpe v.10.

HABACVC.

Cap.1.v.16.17.
c.2.à v.15.
c.3.v.12.

SOPHONIAS.

Cap.2 à v.8.
c.3.v.8.

AGGÆVS.

Cap. 2.v.22.23.

ZACH.

Cap.1.v.15.16.

Cap.2.v.7.
c.5.à v.1.5.
c.9.v.4.
c.11.v.4.5.6.
c.14.v.2.4.

MALACHIAS.

Cap.1.v.14.
c.3.v.2.3.

Secundum. De celeritate qua Fides sparsa per Orbem.

ISAIÆ.

Cap.26.v.5.6.
c.31.v.7.8.9.
c.49.à v.9.v.18.19.
c.5.v.5.6.
c 62.v.10.11.12.
c.66.v.22.

IEREMIÆ.

Cap.50.à v.42.

BARVCH.

Cap.5.à v.6.

EZECHIELIS.


Cap.20.v.47.
c.26.v.21.

MICHÆÆ.

Cap.1.à v.3.

ZACHARIÆ.

Cap.14.v.5.6. & alijs.



Cap.

Cap. VII.
De Christi Ecclesia in Gentibus.

ISAIAS.

Cap.4.v.4.&c.
c.14.32.
c. 16.13.45. vsque ad finem.
c.27.ferè toto.
c.30.v.26.
c.31.v.9.
c.33.à v.20.
c.40.à v.1.
c.44.v.26.
c. 49. toto, maximè à v.20.
c.51.v.6.16.
c.52.à v.1.
c.54.v.9.10.
c.59.v.20.21.
c.60.v.1.2.3.
c.62.per totum.
c.65.à v.13.
c.66.à v.10.

IEREM.

Cap.3.à v.15.
Cap.24.
c.30.à v.18.
c.31.à v.1.& 23.
c.32.à v.37.
c.33.toto,& v.20.
c.46.v.18.

BARVCH.

Cap.4.v.36.
c.5.à v.1.

EZECHIEL.

Cap.28.v.25.
c.36.à v. 28. per totum.
capp.40.41.42.43.
c.48.

DANIEL.

Cap.2.v.35.v.44.45.

OSEE.

Cap.2.à v.14.

AMOS.

Cap.9.v.11.12.13.

MICHÆAS.

Cap.4.v.1.23.
c.7.à v.7.

HABACVC.


Cap.1.v.11.
c.3.v.18.19.

SOPHONIAS.

Cap.3.à v.8.9.10.

ZACHARIAS.

Cap.1.v.16.17.
c.2.à v.1.2.per totum.
c.4.à v.1.ad 7.& v.8.9.
c.6.v.12.13.
c.8.per totum.
c.9.à v.9.
c.12.v.1.2.3.
c.14.v.17.18.



Cap. VIII. Iesu Christi Filij Dei Domini Nostri Gloria, ad quam omnia referuntur notanter.

ISAIAS.

Cap.6.toto.
c.25.v.7.
c.26.v.3.
c.27.v.2.3.4.
c.28.à v.17.ad 19.
c.41.v.21.
c.44.à v.8.ad 11.
c.46.v.1.2.
c.63.à v.1.

IEREMIAS.

Cap.10.à v.1.
c.30.v.8.
c.45.v.11.12.

EZECHIEL.

Cap.28.per totum.
c.38. per totum.
c.39.v.13.

AMOS.

Cap.2.v.2.3.
c.3.14.

MICHÆAS.

Cap.5.à v.5.8.
c.7.v.8.9.

NAHVM.

Cap.1.v.13.14.15.
c.2.v.10.
c.3.

HABACVC.

Cap.1.à v.10.
c.2.v.16.
c.3.v.1.2.3.&c.

ZACHARIAS.

Cap.5.à v.1.

Cap.6.à v.1.
c.9.à v.6.

Item.

GENESIS.

Cap.49.v.9.

EXOD.

Cap.15.

NVM.

Cap.23.

DEVT.


Cap.33.

IVDIC.

Cap.5.

IOB.

Capp.40.41.



A §. II.

Verùm his tam multis, ex omnibus omninò Prophetis, citatis testimonijs non modica difficultas exoriri posse videtur; Quomodo, scilicet, Antiqui illi, de quibus Actorum cap. 13. v. 27. *Qui habitabant Ierusalem, & Principes eius* ignorare potuerint tot voces Prophetarum, & testimonia, si, vt dictum est, pro illis rebus dicta, & allegata fuerunt.

Sed stat hoc vtrumque firmum, fixumque, & eos ignorasse, & illa ipsa pro eadem veritate attestanda prolata fuisse tam multa ab omnibus Prophe-
B tis testimonia; nimirum *obtusi erant*, vt etiamnum sunt, *sensus eorum:* cæterum, quod hoc ipsum fuerit Antiquorum Prophetarum Argumentum, de prædictis illis rerum maximarum Capitibus disserere, Diuus Apostolus inculcabat Iudæis, &, *exponebat testificans Regnum Dei, suadensque eis de Iesu, ex Lege Moysi, & Prophetis*. Act. c. 28. v. 23. Et idem ipse Gentium Doctor, eandem doctrinam, tanquam aliarum fundamentum, voluit etiam ipsis Gentilibus esse perquàm notam, & familiarem, dum ad Romanos ipso suæ Epistolæ exordio, se, dicit, *segregatum in Euangelium Dei, quod ante promi-*
C *serat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis*. Epistola ad Rom. c. 1. Et in eadem, capite 16. v. 26. ait; nobis Dei miseratione esse factam reuelationem *Mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum*, &c.

Sanctus Petrus etiam clarissimè hoc ipsum, & sæpius docet, ad res Christianorum, & nostra hæc beata tempora respexisse Prophetas omnes. 1. Petri 1. v. 10. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis* (Christianis scribebat) *gratia prophetauerunt*. Et Act. cap. 3. v. 24.
D ait; *Et omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos*.

Igitur dubitari non potest; præcipuum, imò vnicum omnium Prophetarum Argumentum fuisse, prædicere quæ supra notata sunt rerum maximarum Capita, & Fontes, è quibus tam multa dependent; nam, si fuit singularissimum Diuinæ beneuolentiæ signum erga Sanctos illos amicos suos Prophetas (vt Notato sequenti ostendetur) reuelare illis mysteria abscondita, futuris Ecclesiæ temporibus exequenda, & patefacienda, quidni illa ipsa
E fuerint, quæ notata sunt, cum alia ijs maiora non sint?

§. III.

Neque, vt dixi, refert, quod qui ea per omne Sabbatum legebant Iudæi, non intellexerint; quia præterquam quod carnales erant; facilè etiam à rebus displicentibus, vt natura omnes docet, animum, mentemque auocabant; quales erant illæ, quæ acerrimas in eos reprehensiones, horrificas comminationes, vltimam denique ipsorum desolationem, & exterminium, atque Gentium in eorum locum substitutionem continebant.

F Id ipsum, suo in genere, etiam modò contingit Acatholicis, Diuinam Scripturam legentibus, vt singuli, quæ falsis eorum dogmatibus fauere videntur, facilè animaduertant, & complectantur; ad cætera verò omnia, quæ ea impugnant, & destruunt, hallucinentur, & cæcutiant.

§. IV.

Sic fecisse sui temporis Hæreticos Donatistas, luculentissimus testis est

D. Augustinus, qui eos ob id redarguens Epistola 166. ait, *In scripturis didicimus Christum. In scripturis didicimus Ecclesiam. Has scripturas communiter habemus, quare non in eis, & Christum, & Ecclesiam retinemus? Vbi agnouimus Christum in Psalmo secundo, v. 7. Filius meus es tu, &c. ibi agnouimus Ecclesiam in eo quod sequitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Eodemque modo argumentatur ex Psal. 49. v. 2. Psal. 18. v. 6. Psal. 21. v. 17. Psal. 56. 6. Psal. 71. 2. ex Danielis cap. 2. v. 34. Sophoniæ cap. 2. v. 11. Habacuc c. 3. 5. Isaiæ c. 53. & 54. quibus locis, licet solùm Christum, & Ecclesiam prophetatam dicat; non tamen excludit ea, quæ cum ijs necessariò inclusa sunt, vt sunt omnia prædicta Capita. A B

Ad hæc ergo Capita non respicere, errandi, aut saltem non consequenter intelligendi, explicandique Sanctos Prophetas certissima est causa, & occasio.

Tria præterea sunt, quæ in ijs non benè animaduersa, cùm difficillimum, & penè inextricabilem reddunt eorum intellectum, tum Explicationem ordinatam, connexam, & consequentem videri faciunt impossibilem. Proinde eorum quodlibet peculiari Notato pertractandum est, prout sequitur. C

NOTATVM QVARTVM.

Quod Prophetæ figuratiuè, symbolicè, ænigmaticè, & sub verborum, & rerum figuris, & inuolucris sint locuti in plurimis; & consequenter, quod ea, quæ figuris, & symbolis, & inuolucris eiusmodi substant, sint sensus literalis, & ab ijs intentus. D

§. I.



Licet ea, quæ supra Notato 1. §. 4. dicta sunt, sufficere possent ad id quod hoc loco propositum est persuadendum; nihilominus propter maximum materiæ, & rei huius momentum ad propositam consequentem Explicationem, necesse est particulari Notato hæc ipsa distinctiùs declarare. Nam vera omninò est doctissimi Leonis Castro sententia in Isaiæ Caput 9. quod scilicet. E

§. II.

Interpretes aliquando lapsi sũt, qui id nõ obseruarunt.

Huius rei ignoratio, sunt eius verba, *facit, vt Interpretes aliquando labantur, quod putent semper in scripturis, scapham, scapham appellari (vt est in prouerbio) quod, ne in tenuioribus Auctoribus interpretandis, ferendum est; in quibus Scriptor, aliud dicit sæpè per figuras; aliud intelligi vult; quod ait Quintilianus.* Item in eundem Isaiam in cap. 30. v. 6. F

Iniqui, ait ipse, *Iudices aduersus nos sumus; nostra, indicta causa, damnamus; quic-*

A *quicquid non humi repit; quicquid non refert terrena, & nostratia; quicquid sapit cælestia; allegoricum putamus. Ferè cum Marcionistis quidam in literis sacris respuunt quicquid terrenum non est.*

§. III.

Veritas ergo est, quam Angelicus Doctor D. Thomas 1.p.q.1.a.9.docet, quod scilicet; *Conuenienter in Sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium; & hoc est, quod dicit Dionysius primo Capitulo Cælestis Hierarchiæ. Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate* B *sacrorum velaminum circumuelatum.* Ratio, & fundamẽtum.

Huic innixus fundamento, veritatem quandam ad Iudæorum conuersionem, & etiam ad propositum nostrum plurimum facientem eruit, & docuit P. Ioannes Lucena Soc. Nostræ Lib. 10. vitæ S. Francisci Xauerij Cap. 7. quod scilicet; magna prorsus pompa, magna emphasi, & maiestate plenis verbis Prophetæ Sancti proponant potentiam, diuitias, prælia, victorias, triumphos, & pacificum Statum, & Imperium Messiæ; sed quis non videt, quàm hæc omnia contra Maiestatem Diuini Spiritus (qui est C Scripturarum Auctor, & Dictator) essent, si per illa res ipsæ corporeæ, & temporales intelligi deberent? cum ipsis quodammodo manibus liceat attrectare, eos Diuina quadam sapientia, & eloquentia præditos, pulcherrimis, & sublimissimis metaphoris exposuisse, Christi Domini Nostri prælia contra Dæmonem, & viria pro animarum libertate, & redemptione hominum, atque sic celebrasse victorias, & triumphos de extincta Idololatria, destructis Idolorum Fanis, Luce Euangelij vsquequaque per Orbem diffusa: de spe rerum cælestium: de abundantia verè internæ pacis; D alijsque eiusmodi plurima dixisse. Hoc nimirum erat *cornu illud salutis*, quod *Benedictus Dominus Deus Israel*, in visitatione, quam fecit, & redemptione plebis suæ, se erecturum in Domo Dauid pueri sui promiserat; prout *locutus fuerat per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*. Luc. 1. v. 68.

§. IV.

Proinde ex his dicendum est, eos Sanctos Prophetas, quando (vt sæpè) bellorum meminerunt; vt S. Dauid Psal. 17. & alijs, Ciuitatis munitæ in Idumæa expugnandæ; similiter S. Isaias, impendentium nominatissimis Vrbibus E calamitatum, vt Damasco, Tyro, Niniue, Babyloni, alijsque; dicendum, inquam, est, eos quidem eiusmodi, & dixisse, & prædixisse; verùm illorum occasione, & sub ijs nominibus, rebusque intendisse significare longè maiora, altiora, & augustiora, quàm illa essent. Quidnã velint S. Prophetę per rerũ bellicarũ narrationem.

§. V.

Id ita esse, præter prædicta, etiam illa D. Pauli recepta Regula 1. Cor. 5. v. 12. persuadet; *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Et verò etiam frustraneum omninò, & inutile opus futurum fuisse videretur, tam frequen- F ter, & tam multis, vel minas Babylonijs, Moabitis, Tyrijs, Ægyptijs, &c. intentare, quas nec audituri essent, neque futuri ex ijs meliores, vel cædes, & strages describere, quæ si simpliciter, & (vt ita dicam) corporaliter, & vt verba grammatica sonant, cum mysteriorum vacuitate, & inanitate essent intelligendæ, & non mysticè, idque ad ipsorummet Sanctorum Prophetarum mentem sic exponendæ; arguere meritò possent viros sanctissimos offi-

cij

cij ab ipsis assumpti, & impensi laboris minus pro ipsorum auctoritate, sanctitateque decentis; minus pro animarum salute proficui; quid enim aliud egissent (salua rerum futurarum prædictione) quam quod Historici nostrates faciunt? A

§. VI.

Præterea in rerum similium narratione, veluti historica, quam Prophetæ faciunt, occurrunt passim plurima, vt constabit, quæ sic grammaticaliter intellecta cum rei veritate non consistunt; vt proinde illis præclara illa, & vera D.Gregorij Magni Lib.18.Mor. c.27. Regula sit necessariò applicanda. B *Ipsa nos litera ab Historico sensu deficiens, ad indagandum allegoriæ mysterium mittit*. sensum scilicet mysticum à Sancto Scriptore intentum, ac proinde literalem.

§. VII.

Probatur auctoritate Sācti Gregorij Magni.

Planè totus pro hac re, & doctrina est idem ipse Magnus Doctor, & Pontifex Gregorius: in Iob cap.9.lib.9. Mor.ait de eodem Sanctissimo Iob; *Ecce vir Sanctus exteriora nominans, interiora considerans; aperta narrans, occulta penetrans; omne quod interius, exteriusque agitur, dicere conatur; sed opera summæ magnitudinis quomodo explicet lingua carnis?* C Ex eo, quòd Sanctus Doctor dicit; *Iobum exteriora nominando, interiora considerasse; aperta narrando, occulta penetrasse*; indicat, ita eum sub verborum symbolis, & inuolucris locutum fuisse; vt eius dicta non omnibus sint peruia; & intendisse significare, quæ lingua carnis non valeret exprimere?

Idem D.Greg. lib.35. Mor. cap.15. de S.Iobi obitu, sic ait; *Hanc itaque mortem, hanc dierum plenitudinem in Beato Iob, vno scilicet membro Ecclesiæ, credamus factam, & in tota simul Ecclesia speremus esse faciendam: quatenus* D *ita teneatur rei gestæ veritas, vt non euacuetur rei gerendæ Prophetia. Bona enim, quæ de Sanctorum vita cognoscimus; si veritate carent, nulla sunt: si mysteria non habent, minima.* Ex quo infertur, quod si etiam historica, vt vocamus, Diuinæ Scripturæ gesta, mysteria continent, quantò magis ipsæ Prophetiæ? si de gestis, quæ Diuinæ Scripturæ recensent (si mysteria non haberent) dici possent, quod essent minima; quid de Prophetijs dicendum esset, si ijs carerent? Illa verò omnia, cùm ad Testamentum Nouum pertineant, dubio procul continent illa rerum Capita, & Fontes, de quibus supra Notato 3. dictum E est, quandoquidem in illis mysteria maxima, & quibus nulla alia, siue maiora, siue sublimiora, & digniora Prophetico sermone, sunt inclusa.

§. VIII.

Hæc omnia, quæ & iam proximè, & hactenus, hoc Notato dicta sunt, confirmat, & concludit S. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 36. inter Epistolas, ad Honoratum Epistola 120. dum ait; *Illę felicitates Patrum* (scilicet Veteris Testamenti) *Dei beneficio concessæ prædicantur, quamuis ad istam vitam transitoriam pertinentes. Illa quippe terrena munera in manifesto promittebantur, &* F *tribuebantur. In occulto autem illis omnibus rebus nouum Testamentum figuratè prænunciabatur, & capiebatur intelligentia paucorum, quos eadem gratia Prophetico munere dignos fecerat. Dispensabant ergo illi Sancti pro congruentia temporis Testamentum Vetus; pertinebant verò ad Testamentum Nouum. Nam, & quando temporalem felicitatem agebant; æternam, veram, & præferendam intel-*

A *telligebant; & istam ministrabant in mysterio, vt illam consequerentur in præmio.*
Sic idem S. Augustinus in Psalmum 205, dixit, *Nouum Testamentum, in Veteri velari; Vetus, in nouo reuelari,*

§. IX.

Hæc autem omnia benè obseruata non grauatò persuadebunt, Psalmos quosdam, vel integros, vel quoad aliquos eorum versus, verè literaliter explicari, tametsi mystica penè omnia in ijs, eorumque Argumentis reperiantur, id quod ideò continget, quia ipse S. Dauid mysticis, ænigmaticis, symbo-
B licis, seu metaphoricis, translatisque verbis in ijs ad mentem, sensumque suum in proposito sibi sui sermonis themate significando vtetur; & in hunc sensum, prout supra Obiectione secunda, ad finem paragraphi secundi, & initio paragraphi tertij vidimus, S. August. dixit, Auctorum nomina Psalmis præposita mysticè interpretata, atque intellecta mirabiliter ijsdem Psalmis conuenire; nam mysticum hoc opponitur literæ tantùm grammaticaliter, non autem figuraliter, seu symbolicè, & metaphoricè sumptæ, vt ibidem est dictum. Sic etiam supra Not. 1. §. 4. S. Thomas ait, *id, quod figuratum est, esse sensum lite-*
C *ralem*. Simili modo, vt paulò ante dictum est, S. Augustinus dum ait, illis terrenis muneribus; *Nouum Testamentum figuratè prænunciatum fuisse, & in Veteri velatum*; de hoc mystico, seu symbolico, sed literali significandi modo loquitur.

Quo modo, vt patebit, S. Dauid sæpè vtitur, toto Psalmo 64. toto 103. nunc in aliquibus Psalmorum versibus, vt Psalmi 74. v. 2. Psalmi 76. v. 20. Ps. 91. v. 5.

§. X.

D Hic ipse verò loquendi modus non tam proprius, vt dixi, est S. Dauidis in Psalmis, quàm aliorum etiam Prophetarum: sufficiet hìc vnum solum ex Isaiæ locum adducere, vbi supra illa verba; *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium*; optimè Leo Castro ex S. Gregorio Nissseno docet: Quasdam esse allegorias, quarum sensus sit literalis; quemadmodum Troporum, & Schematum sensus literales sunt, non allegorici. Exemplum præbent citata Isaiæ verba; *Lætabitur, &c.* nunquam facta sunt hæc, si sensum ad verba exigas; sed per hæc significantur nationes infideles, quæ lo-
E ca arida dicuntur, &c.

Hæc omnia viam valdè planam aperient ad Explicationem (tam Psalterij, quàm Isaiæ, & aliorum Prophetarum) ordinatam, & consequentem.

Alterum, quod pariter plurimum ad eamdem proderit, est



NO-

 A

NOTATVM QVINCTVM.

Quod Roma, & Romanum Imperium Ethnicum ad Christi Fidem conuertendum, fuerit inter præcipua Prophetarum Argumenta. B



Patere id omninò iam sufficienter potest tam ex deductione facta supra Not.3. ex fundamentis Doctrinæ Christi Domini Nostri, quàm ex adnotatis in Tabula eius Argumenti propria planè multis, maximè Isaiæ Textibus, vbi frequentissima fit de ea mentio. Idcircò hoc Notato, non tam id probandum à me præterea est, quàm summa quædam capita sunt indicanda, propter quæ fit eiusmodi tam frequenter iterata mentio Romæ, Romanique Imperij. Horum hic indicandorum capitum illa erit vtilitas, C quod semel præcognita, & scita, subsecuturæ deinde Explicationis facilitati, veritati, & breuitati plurimum inseruient.

Itaque quando hoc ipsum Argumentum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honorificentissimum futurum est, tanquam rerum aliarum fundamentum, obseruetur

§. I.

Christi Domini, & Prædicationis Euãgelij tẽpora, florente Rom. Imperio.

Primò. Vnigeniti Filij Dei, Domini Nostri Iesu Christi de Virgine Maria Natiuitatem (Luc.2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto*) initium Prędicationis eius D (*Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris*: Luc. 3.) & ipsam Vniuersalem Euangelij Prædicationem; non absque sapientissima Dei Optimi, Maximi dispositione ad florentissima Romæ, Romanique Imperij tempora fuisse reseruata.

§. II.

Quod porrò Romanum Imperium re ipsa omnium maximum, & florentissimum fuerit, varij varia, plurima dicunt, eaque admiranda; quæ ad rem nostram faciunt, P. Ieremias Drexellius Societatis Nostræ in suo Daniele ad E tria quædam redegit; Amplitudinem Ditionis; Potentiam bellicam; Ærarij opulentiam.

Romani Imperij amplitudo.

De prima ait; quod Romani tribus Mundi partibus latissimè imperarunt. Imperij terminus ad Occidentem fuit extremitas Hispaniæ; Euphrates, Taurus, & Armenia ad Orientem. Ad Septentionem Rhenus, & Danubius. Ad Austrum Æthyopia. Dominabantur toti Mediterraneo Mari, & omnibus in eo Insulis; in Boreali Oceano, ipsi Britamniæ.

Non dubitat affirmare Appianus, priores Monarchias omnes, Assyriorum, Persarum, Medorum, & Græcorum, vix dimidiam Imperij Romani partem F possedisse. Quod Polybius ad Historiæ suæ exordium confirmat. Iustus Lipsius admiranda Magnitudinis Romanæ quatuor Libris complexus, de Amplitudine ditionis affirmat, pronuncians: Fines, inquit, Imperij Romani, Orbis, & Oceanus; ita vt quicquid opportunum, aut dignum vinci,

vi-

A vicerit. Itaque terminos sibi fecit Orientem, & Occasum, exceptis locis inaccessis, & inhabitatis. Eò Maronis illa spectant, non colorata nimium, & ficta:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

§. III.

Potentia bellica.

Alterum, quo Romanum Dominium excreuit; Potentia bellica, terra, marique prorsus admiranda. Adriani Cæsaris æuo, Appiano teste, Romani diuersis locis ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum sub signis B alebant: Elephantes trecentos, curruum falcatorum tria millia. De potentia bellica affirmat Lipsius: Summa, inquit, Legionum, Cohortium, Alarum, ducenta quinquaginta millia. Legio autem quatuor millium accipitur. In Vrbe viginti sex millia; vel post Seuerum, sexaginta millia. In Classibus centum millia militum, remigumque. Ita in vniuersum fient ordinariorum, supra quadringenta millia. Ita belli sumptus fuere maximi, quia continui.

§. IV.

Ærarij opulẽtia.

Tertium, Ærarij opulentia. De hac testis locupletissimus, quem dixi, Li-C psius fide optima: Ægyptus sola, inquit, Romanis titulo tributi dedit annua talenta duodecim millia & quingenta. Gallia, vt credibile, quindecim, aut viginti milliones. Quid iam reliquus Orbis? Syria, Asia, Africa, Hispania, Græcia, Illyricum, Insulæ, simul omnes? Summa tributorum vniuersa, supra centum quinquaginta milliones. Immensa vis auri solo tributi nomine congesta. Appianus attestatur, Romanos ad struenda ædificia, & ad fouendam militiam in diuersis ærarijs habuisse septuaginta quinque millia talentorum Ægyptiorum. Vnum eiusmodi talentum Ægyptium, octoginta libras D auri; vna verò auri libra Coronatos centum continet; ergo vnicum talentum Ægyptium octo millia Coronatorum habet. Facillimum iam rationes colligere, è septuaginta quinque millibus talentorum confici sexcentos auri milliones.

§. V.

Roma, & Imperiũ Rom. vt plurimũ in Scripturis cõsideratur, vt Idololatriæ, & vitijs subiectum.

Quando in Scripturis Diuinis agitur de Roma, siue Imperio Romano, vt plurimum, & passim significatur illa eorum Monarchia, provt erat Idololatriæ, & vitijs, atque sceleribus eam comitantibus præ cæteris Orbis partibus E dedita, & subiecta; & hoc ipso sensu vocatur Babylon, phrasi frequentissima. Romam autem fuisse præcipuam Idololatriæ, Dæmonis, & vitiorum, ac scelerum omnium sedem, atque seminarium, testatur S. Leo Serm. 1. de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo; *hic*, ait, *conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates; hic confutandi Dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda; vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Ad hanc ergo Vrbem, Tu, Beatissime Apostole Petre, venire non metuis, & consorte gloriæ tuæ* F *Paulo Apostolo aliarum adhuc Ecclesiarum ordinationibus occupato, siluam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior quàm cum super mare gradereris, ingrederis.*

S. Gregorius lib. 9. Mor. cap. 5. in Iob c. 9. v. 8. *qui graditur super fluctus maris.* Similiter loquitur. *Qui tumorem humanæ vesaniæ mitigat, quasi erectas in cumulo vndas calcat, Nam cum morem suum Gentilitas destrui noua conuersatio-*

nus Prædicatione conspiceret: cum Mundi huius diuites elationi suæ contraire viderent fact. pauperum; cum sapientes sæculi aduersari sibi imperitorum verba pensarent, in persecutionis protinus tempestatem tumuerunt. Psal. 92. *mirabiles elationes maris.* A

Idem S. Greg. lib. 9. Mor. cap. 2. eodem modo interpretatur illud Iob. c. 9. *Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo.* v. 5. & ait, id accidisse, *cum Prædicatores Sanctos à Iudæa obduratione subtraxit.* Et illud Psalmi 45. v. 3. *Transferentur montes in cor maris.* tunc factum fuisse asserit; *cum prædicantes Apostoli, à Iudææ perfidia repulsi, ad intellectum Gentilium venerunt.* Hæc epitheta Romæ Ethnicæ conueniunt. B

§. VI.

Notant, qui de Romanorum rebus scripsere; eos coluisse omnium Gentium, & Nationum Deos, vt sibi illos beneuolos, & fauentes redderent in suis contra eas expeditionibus; quod ipsum confirmat S. Leo, dum ait; quod, *hæc Ciuitas ignorans suæ prouectionis Auctorem, cum penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* C

§. VII.

Hinc facilè est assequi, quanta scelera tantam, tot falsorum Deorum sequerentur impietatem: satis est de illis id dicere, quod Eminentiss. Spondanus, post relatum Decretum Primi Pientissimi Christiani Monarchę Constantini Magni de impuritatibus abolendis, intulit; quod scilicet ipse Imp. eo anno, qui fuit post Christum natum trecentesimus decimus quintus; *cœnosas illas sordidissimarum libidinum cloacas obstruxerit.* Verè enim, vt Sap. cap. 14. v. 27. *Infandorum Idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis.* Et v. 23. & 24. &c. *Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat: & omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & periurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ.* D

§. VIII. E

Roma cōuersa. Ad Diuinam verò Bonitatem, & Prouidentiam pertinebat extremis hisce humani generis malis prospicere; & orbe iam redacto ad ferreum statum, eiusdem ferream molem, cadente in eam, abscisso sine manibus, de Virgineo monte, Lapide Angulari Christo, prosternere, & comminuere, vt deinde fieret mons magnus, & impleret vniuersam terram. Petrum igitur Romam destinat, vt Vicariam suam Petram. Petrus Romam peruenit Anno Christi quadragesimo quarto, Claudij Imperatoris Anno secundo; *cuius in eam Vrbem aduentus memoria, & erectæ sibi illic Cathedræ Pontificiæ, adeò omni scriptionum genere meruit consecrari* (ait Spondanus) *vt nec cuiusvis perfrictæ frontis Hæreticus, vel Schismaticus, eorum qui ante nostrum sæculum vixerunt, ausus fuerit vnquam de eo, vel leuiter dubitationem mouere.* Vnde & grauissimus auctor Optatus Mileuitanus aduersus Parmenianum Donatistam agens: *Negare non potes*, inquit, *scire te in Vrbe Roma Petro primam Cathedram Episco-* F

pa-

A *palem esse locatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus.*

§. IX.

Et certè consentaneum fuit, vt ad primariam Orbis Vrbem Primarius Ecclesiæ Vniuersalis Pastor dirigeretur, & quod, ait præclarè S. Leo; *Princeps Apostolici ordinis ad Arcem Romani destinaretur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite ad totum Mundi corpus diffunderet; & vbi essent omnium nationum homines, ibi confutarentur omnes Dæmonum cultus*, &c. *Cuius autem nationis homines in hac tunc Vrbe* B *non essent; aut quæ vsquam Gentes ignorarent, quod Roma didicisset?*

Disposito namque diuinitùs operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur Imperio, vt citò peruios haberet populos Prædicatio Generalis, quos vnius teneret regimen Ciuitatis.

§. X.

De Roma ad Christi Fidem conuersa, longè alia, quàm supra cum Scripturæ, tum aliorum Scriptorum est eloquendi ratio; nam ipsa tunc, vt iam sæpè citatus S.Leo ait, ad tantam gloriam prouecta fuit; vt *gens sancta, populus* C *electus, Ciuitas Sacerdotalis, & regia, per sacram Beati Petri Sedem, Caput Orbis effecta, latiùs præsideret Religione Diuina, quàm Dominatione terrena. Quamuis enim multis priùs aucta victorijs, ius Imperij sui terra, marique protulerit: minus tamen est, quod illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit.*

Atque hæc de Roma, eiusque Imperio, ad expeditiorem consequentem Explicationem sint satis.

D

NOTATVM SEXTVM.

Proponitur significatio phrasium aliquarum magis vsitatarum, tam Psalterio, quàm Isaiæ, & reliquis Prophetis.

E QVamuis ea, quæ dicta sunt Notato 4. sufficere possent ad intelligendas phrases quasdam, & modos loquendi, quibus Psalterium, & Prophetæ vtuntur, qui cum sint sub pulcherrimis verborum metaphoris, symbolis, ænigmatibus, alijsque inuolucris, aliud sæpè dicunt, & aliud volunt intelligi; quod quandonam contingat, & quomodo verè, & ad dicentis mentem intelligendi sint, cum non aliunde magis, quàm ex ipso Explicationis connexæ, & consequentis contextu animaduerti possit, suppositis illis principijs illo Notato traditis, F quę hic dicenda sunt, absolutè quidem ad ipsam Explicationem differri potuissent; nihilominus tamen, ne tunc quid nouum, & minus credibile appareat, & iam currentibus inijciat remoras; necesse est in ipsis præuijs ad ipsam Explicationem hoc vltimum Notatum apponere.

Quæ ergo frequentiùs, & difficiliores intellectu in Psalterio, alijsque Prophetis recurrunt phrases, illæ sunt, quæ sub nominibus Dei iræ, furoris,

ſeueritatis, iudicij, vindictæ, ſtragium, cædium, alijſque eiuſmodi ſignificantur peccatorum conuerſiones, Idololatriæ deſtructiones, Euangelij Prædicationes, animarum ſuſcitationes, & alia his ſimilia, quæ potius eximiam Dei benignitatem, clementiam, & miſericordiam important. Itaque primo auditu, quid violentum, & durum eſt, ſub nominibus iræ Dei, furoris, ſeueritatis, contritionis, confractionis, cædium, &c. intelligere illa, quæ optabiliſſima ſunt, miſericordiæ, & gratiæ Dei, animas viuificantis, conuertentis, ſanantis, & in ſeruos, amicos, & filios recipientis, opera; & nihilominus certum eſt, valdè frequenter per illa verba ad literam hæc ſignificari; idque ex ipſo ſacro contextu, antecedentibus, & conſequentibus, quando id fiat, facilè conſtare; ſicuti etiam, quando eiuſmodi verba in proprio ſuo ſignificatu debeant accipi, ex ijſdem indicijs, ſi cum Explicatione conſequente conſentiant, poſſe colligi. A B

§. I.

Itaque hanc ipſam difficultatem in ſua Apocalypſi (cum illa, vt inſinuatum fuit, frequenter ad Pſalterium reſpiciat, & conſequenter neceſſe ſit, eam in multis, ijſdem ſententijs vti) P. Ludouicus Alcazar fuſiùs Notationibus duabus, ſcil. 24. & 25. proponit, & ſoluit. C

Primò pro eiuſmodi locutionibus (quæ vindictam, ac ſeueritatem præſeferunt; & nihilominus ad literam, pro ſumma Dei clementia, & miſericordia accipiendę, & intelligendę ſunt) adfert Auctores omni exceptione maiores; Secundò rationum momenta; Tertiò nonnullos Scripturæ textus ita loquentes.

Quod ad primum Auctores ſunt, Dionyſius Areopagita, Irenæus, cum antiquiore Presbytero, Origenes, Athanaſius, Baſilius, Cyrillus, Epiphanius, Chryſoſtomus, nec non Tertullianus, Arnobius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Rufinus Aquileienſis, Gregorius, Heſychius, Beda, Richardus de Sancto Victore, Brunus, S.Thomas, & D.Bonauentura. Ex Rabbinis, Abenezra, & Kimhi. Ex Interpretibus Sacræ Scripturæ recentioribus, ijſque doctiſſimis, Forerius, Ianſenius, Genebrardus, Arias Montanus. Ex noſtris, Salmeron, Toletus, Ioannes Fernandez, Viegas. D

§. II.

Quod ad rationum momenta attinet, primò omnium adducit; quòd communis, & quotidianæ locutionis apud viros religioſos, & doctos vſus hic ſit; vt dum contingit Concionatorem aliquem excellentem magnos in populis motus facere, & multas animas Deo lucrari; is dicatur hoſti tartareo magnas ſtrages inferre, eius mœnia expugnare, diruere, igne charitatis populos accendere. E

Deinde ſi conſueta metaphora dicitur Dœmon ſuis oppugnationibus hominum animis inferre bellum, eoſque capere, deturbare, occidere; cur non ſimili ratione Viri Apoſtolici appoſitè dicentur, homines peccatores proſternere, perimere, accendere, &c. Et hæc, ad ipſorum beneficium, & ſalutem? F

Idem in humanioribus literis apparet ſolitum eſſe apud Poetas dicere; ſagittis corda vulnerari, inflammari, &c. Quid igitur mirum, ſi aſſeramus Chriſtiani, Chriſtum ſuorum verborum telis, ac Diuini Spiritus igne corda hominum transfigere, gentes proſternere, atque Vrbes inflammare? Ipſemet

Do-

A Dominus Luc. c. 12. v. 49. ait; *Ignem veni mittere in terram*; quod de igne Euangelij, siue de igne Spiritus Sancti, quo illuminantur corda, & purgantur, exponunt Sancti Amb. Thomas in Catena, Bonauentura in Commentario, & Cardinalis Toletus, qui pro hac explicatione adducit Origenem, Tertullianum, Athanasium, Cyrillum, Hesychium, Ambrosium, & Gregorium. Atque eadem est Salmeronis expositio.

Alia etiam ad hanc rem ostendendam adfert, quæ videri apud ipsum poterunt.

B

§. III.

Quod ad locos, & textus ex Sacra Scriptura desumptos attinet, qui similiter loquuntur; ex solo Libro Psalmorum, seu Psalterio citat aliquot, eosque valde insignes. Eos hoc loco adferre omnes, & explicare, superuacaneum esset, quandoquidem, & illi, & longè plures, suis quique Psalmis, in ea metaphorica, & symbolica significatione, quæ hic adstruitur, in Explicationem, non absque connexione, & requisita consecutione venient. Scilicet Psalmus 28. ferè totus. Psalmus 47. v. 8. Psalm. 67. v. 22. Psalm. 96. 3. Psalm. 103. 35.
C Psalm. 106. 16. Psalm. 109. 5. Psalm. 149. 6. De his alijsque suis locis. Hic tamen oportet etiam, vt minimùm, eos, qui primò omnium, idque in ipso Psalterij Argumento, duobus scilicet primis Psalmis, occurrunt textus hac, de qua agimus, phrasi ornatos, breuiter explicare, & quemadmodum dictum est, ex ipso Sacro Textu ostendere, eiusdem phrasis sensum, & intellectionem prædicta fauorabili, & benigna significatione esse accipiendam.

§. IV.

Primus igitur locus, seu textus, qui cum hac phrasi in speciem aspera, & severitatem; re autem ipsa suaui, & benignitatem significante, occurrit; est Psalmi primi Versus quintus, qui sic habet; *Ideò non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* Quis sit sẽsus Ps. 1 vers. 5. - *Ideo non resurgent* &c.

D

Hunc textum, vt varij variè explicent, ad mentem tamen S. Dauidis ipso significatur illos impios, qui *in via peccatorum steterint, & in cathedra pestilentiæ sederint*, quique fuerint *proiecti tanquam puluis à facie terræ*; non habituros partem, & consortium in Lege Euangelica, tempore status Gratiæ, cum iustis Christi fidelibus, qui in Christi Ecclesia maximis perfruentur
E bonis.

Itaque hoc loco, Ly *Iudicium*; ex frequentissima Psalterij, vt patebit, phrasi; non significat Extremi Iudicij Diem, sed illum potius optabilissimum statum Gratiæ, Euangelij, seu Ecclesiæ Christi. Hoc autem, quod deinde pluribus consequentia textuum similium verissimum esse fusiùs ostendet, nunc breuiter probatur.

Sanctus Dauid hoc primo Psalmo breuissimè perstringit bonorum felicitatem, & bona; impiorum verò infelicitatem, & mala; & de vtrisque agit,
F non de futuro, sed vt de præsenti statu, dum degunt, ea possident; ergo non esset consequens agere de resurrectione in Iudicio Diei extremæ, cum iudicium, & concilium Iustorum opponatur præsenti statui impiorum.

Huic similis est phrasis illa Psalmi 71. versus 2. *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. & Psalmi 95. versus 13. *quoniam venit iudicare terram*, &c. & passim similium locorum, vbi certum est, non esse sermonem de futuro Die Iudicij,
sed

sed de præsenti Ecclesiæ Christi, in qua ipse *iudicat pauperes populi, & saluos facit filios pauperum* Psal. 71. v. 4. & *iudicat populos in æquitate, & gentes in terra dirigit*. Psal. 66. v. 5. A

Plura de hac ipsa phrasi, & modo loquendi, in speciem de Iudicio Vniuersali, & extremo, significando interim per eiusmodi locutionem Euangelij Gratiæ statum, eiusdemque Prædicationem, dicentur in Isaiæ Caput secundum. Sed nunc in Psalterio, eiusque initio persistendo.

§. V.

Quid significet Ps. 2. v. 5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua*.

Secundus locus, qui in eodem cum eadem phrasi occurrit, est ex Psalmo secundo, versus quintus; *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*. B

Hæc verba intelliguntur de victoria, quam Christus per Fidei suæ prædicationem obtenturus erat de omnibus suis hostibus, dando Sanctis suis Apostolis, alijsque eiusdem Fidei Prædicatoribus spiritum, & sapientiam, cui non possent resistere omnes aduersarij. Id verum esse, patet ex antecedente versu, nam ait, irridendos, & subsannandos Christi hostes; deinde modum assignans, id futurum subdit, præualente, ac prædominante cunctis Fidei eius prædicatione, qua tandem effectum fuit, vt Dominus Christus, qui *constitutus erat Rex super Sion Montem Sanctum eius*, idest Ecclesiam, vt dicitur versu sequente id ipsum regnum suum consequeretur. Itaque hæc est propriè *ira, & furor eius*. C

§. VI.

Explicatur Ps. 2. v. 9. *Reges eos in virga ferrea*.

Tertius locus, quem in sua Notatione P. Alcazar primo loco posuit (sed vt vidimus illi priores fuere; neque cum plurimum pro dicendis faciant, omitti à me hic poterant) tertius, inquam, isque valdè insignis locus, est ex eodem Psalmo 2. v. 9. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. ad quem locum tribus omninò vicibus S. Ioannes in Apoc. alludit, cap. 2. v. 27. *Dabo illi potestatem super Gentes; & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringet eas*. Et cap. 12. 5. *Mulier peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea*. Et cap. 19. v. 15. *De ore eius procedit gladius, vt in ipso percutiat Gentes, & ipse reget eas in virga ferrea*. D

Iam quod attinet ad huius textus veram, legitimam, & a S. Dauide intentam significationem, & quantum ad rem præsentem est satis; illa est, quam Sancti Hilarius, & Augustinus in illum adferunt; vt scilicet per illum rigorem, & seueritatem, quam præ se fert *virga ferrea*, & vasorum testaceorum *confractio*, accipiatur, & intelligatur Christi Domini mira potentia ad euersionem peccati, & prauarum cupiditatum, & ad hominum conuersionem, atque sanctificationem. E

In hoc ipso sensu, qui sub illa metaphora benignitatem potius significet, quam seueritatem in die Iudicij contra inimicos Christi exercendam (quod tamen aliqui volunt, quos P. Alcazar Notatione 7. in cap. 2. citat) probatur, manifestè ex ipso Psalmi contextu; nam Dominus Filio suo in præmium, & tanquam rem ipsi gratissimam promittit; *dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. v. 8. qui immediatè antecedit; ergo quod sequitur non est intelligendum dari ad seueritatem, & destructionem, sed potius ad benignitatem, & viuificationem. F

Quar-

A §. VII.

Quartus, isque vltimus (qui initio Psalterij occurrat) locus huius phrasis est, iam dicti Psalmi secundi v. 13. *Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.*

Quid significet Psalm. 2. vers. 13. *Cum exarserit in breui ira eius,* &c.

Hoc loco; *exarsio ira eius*; Christi scilicet Filij Dei, constituti Regis super Sion montem sanctum eius, &c. dubio procul etiam in sensu benignitatem potius, quàm seueritatem significante est intelligenda; siquidem statim subiungit, tunc, *cum exarserit in breui* (idest post paulum, vt S. Hieronymus) *ira eius*; B beatos futuros qui confidunt in eo. Ex quo patet, per illam *exarsionem ira eius*; intelligi illam Vniuersalem Fidei eius prædicationem toto orbe faciendam, qua ipse, qui venerat ignem mittere in terram, omnes cupiebat vehementer accendi: & tunc vtique qui accensi fuerint, *Beati*.


§. VIII.

Non semper eiusmodi verba sūt accipienda in sensu metaphorico.

Neque tamen ex his, quæ dicta sunt, & ijs, qui tam in decursu Explicationis Psalterij, quàm ex alijs Prophetis, locis plurimis notandi sunt, qui hac phrasi vtuntur, sequitur, quod quotiescunque iræ, vindictæ, seueritatis, &c. C fit mentio, verba eiusmodi metaphorico, & mystico sensu sint interpretanda, & intelligenda, nam id minimè verum est, cum sæpè eiusmodi verba, in proprio significatu accipi debere, ipse sacer textus ex antecedentium, & consequentium, & coniunctorum collatione admoneat; vt est ille locus in ipso Psalmo 2. v. 12. Et nunc Reges intelligite, &c. deinde minatur; *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*. hoc loco nemo dixerit, *iram Domini*, mysticè esse intelligendam, cum eam mox certa, propriaque pœna subsequatur; *& pereatis de via iusta*.

D §. IX.

Et hæc de hac phrasi initio Psalterij occurrente prænotasse sufficiat. Quàm verò ea ipsa sit in alijs etiam Prophetis frequens, & vsitata, subiectus Index, iuxta meam interpretationem, notatis quibusdam, qui magis obuij sunt locis, ostendit.



Vindicta mystica ex Prophetis.

ISAIAS.

Cap.12.v.1.
c.13.à v.8.
c.19.v.4.
c.20.à v.1.
c.21.v.15.
c.27.v.7.& 8.
c.30.v.25.26.27.28.30.31.
c.31.v.8.
c.33.v.1.
c.34.toto.
c.49.v.25.26.
c.59.v.17.18.
c.61.v.2.
c.63.v.5.6.
c.65.v.6.

IEREMIAS.

Cap.23.v.19.20.
c.25.à v.15.v.30.
c.30.v.23.24.
c.46.ferè toto.
c.48.ferè toto.
c.49.à v.13.
c.50.v.14.

EZECHIEL.

Cap.26.toto.
c.28.v.23.& alijs.
c.30.
c.32. per totum.
c.39.per totum.

OSEE.

Cap.3. per totum.

ABDIAS.

Cap.1.v.15.16.

MICHEAS.

Cap.4.v.13.
c.5.v.9.10.13.14.
c.7.

NAHVM.

Cap.1.v.1.2.3.4.5.6.
c. 2.& c. 3. sæpè, maximè versu 10.

HABACVC.

Cap.1.v.16.17.
c.2.à v.15.
c.3.v.12.

SOPHONIAS.

Cap.2.à v.8.
c.3.v.8.

AGGÆVS.


Cap.2.v.22.23.24.

ZACHARIAS.

Cap.1.v.15.16.
c.2.v.7.
c.5.à v.1.ad 5.
c.9.v.4.
c.11.v.4.5.6.
c.12.v.6.
c.14.v.2.4.

MALACHIAS.

Cap.1.v.14.
c.3.v.2.3.




A Atque hæc, quæ ad Psalterij Explicationem ordinatam necessaria omninò erant, hisce præuijs ad eam Obiectionibus tribus, Capitibus duobus, Notatis sex prænotasse sit satis.

Nunc ad ipsum iam Psalterium ordinatè, connexè, & consequenter explicandum, vt accedamus; primò omnium videndum est;

QVAESTIONE VNICA.

B
An, & quodnam sit vniuersale totius Psalterij Argumentum?

§. I.



C EX dictis iam, & probatis, quod Psalmorum omnium S. Dauid sit Auctor, vt supra Obiect.2.§.2.&, quod Psalmi omnes nobis sint in Psalterio eo ipso ordine propositi, quo ab ipso Sancto Propheta, & Psalte fuere compositi; vt eadem Obiect.2. §.7. 8. 9. 10. probatum fuit.

Item ostenso, quod Scripturæ Propheticæ ordinatæ sint, connexæ, & consequentes, non saltitantes, & alienis materijs interruptæ, vt dictum est Not. 2. his, inquam, alijsque similibus ostensis, probatisque, dubio procul

Dicendum est, etiam Psalterio, provt omnia, quæ ordinata sunt exigunt,
D suum esse Argumentum, seu Thema vniuersale, circa quod in Diuinarum Laudum ordinatissimo concentu versetur.

Et certè de hac Psalterij ordinata connexione non solùm dubitari non potest ex eo, quod, vt supra dictum est, Psalterium sit (neque enim si consonans non esset, tale dici, aut esse posset) verùm etiam inde præsumendum esset, illud ordinatissimum esse, quod omnes omninò Psalmi, si duos primos excipias, Titulis suis certis, & Inscriptionibus proprijs sint insigniti.

§. II.

E Sic omninò ex hoc Capite Diuus Augustinus in Psalmum 105. Psalterio pulcherrimum subesse ordinem colligit; *Arcana*, inquit, *omnium Titulorum, qui sunt in Psalmis, & ordines eorundem Psalmorum; & magna esse, se credere; & nondum sicut voluit, penetrare potuisse*. D. verò Hieronymus eosdem Psalmorum Titulos, *Claues Psalmorum* nominat. Et rursus (ex quo ordinatissima omnia esse in Psalterio licet concludere) P. Ioannes Lorinus in sua in Psalmos Præfatione Cap.12. citat Diuum Augustinum docentem; *Titulum Psalmi esse frontem sublimitate sacramenti decoratam, vt sciamus, qui intraturi sumus,*
F *cum tanquam super postem quid intus agatur legerimus; vel cuius Domus sit; vel quis sit illius prædij possessor*. Eiusdem planè sententiæ est S. Chrysostomus in Psal.50.Hom.1. cuius doctrinam sequitur Leo Castro, & tanquam Canonem ad intelligendam Diuinam Scripturam proponit, scilicet, quod, *Superscriptione constringimur, ne possimus euagari, & aliò transferre mentem; statim enim ipso Titulo ea demonstrantur, & docentur, quæ textus continet*.

S. Augustini, & aliorum de Titulis Psalmorū sentētia.

G Itaque

§. III.

A

Itaque hisce Titulorum, & Inscriptionum adiuti adminiculis, siue tanquam Clauium fasciculo ad occulta reseranda instructi, siue tamquam à lecta præ Domorum foribus protestante Epigraphe, & ad sacramentorum sublimitatem, & ad ea, quæ intus aguntur intelligenda edocti; & maximè apertorum nobis ab ipso Domino, ac Saluatore nostro Deo rerum Capitum, & Fontium, de quibus supra Not. 3. scientia præditi, ad ipsa arcana omnium Titulorum, qui sunt in Psalmis, & ordines eorundem Psalmorum, absque vlla arrogantiæ, & præsumptionis nota poterimus accedere; non quidem, vt B quantum, vel illa mysteriorum continent, vel ea scrutantis animus appetit, penetrentur; sed solum, vt quantum Dominus dederit, & ad promissam ordinatam, connexam, consequentem, & literalem Psalterij Explicationem satis sit futurum, & sufficiat, eo ipso Domino largiente explicentur.

Sed quid illud est, quod dum primo omnium ipsos Psalmorum Titulos explicandos, in ijsque connexissimum ordinem ostendendum assumpsimus, primi duo Psalmi Titulo omni, & Inscriptione carent? Quæstio hæc cum secunda Quæstionis propositæ parte coincidit. C

Itaque cum ex dictis ad primam Quæstionis partem sufficienter responsum sit; nunc ad secundam, Quodnam, scilicet, sit Psalmorum omnium vniuersale Argumentum, respondetur.

Psalmorum omnium vniuersale Argumentum contineri in Psalmo primo, & secundo.

Et quod hi ipsi duo Psalmi illos octo paulò ante, Notato III. dictos Fontes, & rerum Capita complectantur. D

§. IV.

INter causas, cur primus, & secundus Psalmus Titulo, & Inscriptione careant, & quas pluribus P. Lorinus in primum Psalmum recenset, illa proximè ad propositum nostrum accedit, quæ est Diui Petri Chrysologi Archiepiscopi Rauennatis, cuius sanctitatis memoriam Ecclesia 3. Decembris celebrat. Ipse igitur Sermone 44. primum Psalmum, & eadem ratio est de secundo, cum & ipse Titulo careat, appellat *Psalmorum Præfationem, Psalmorum Psalmum, Titulorum Titulum, Argumentum generans Argumenta, totam causam sequentium Canticorum; & sicut Clauis Aulæ Regalis, vbi primam ianuam patefecerit, penetrales reddit intimas, ac multiplices mansiones; ita Psalmus iste, vbi reserauerit aditus intelligentiæ primos, Psalmorum omnium pandere mysterium, pandere secretum.* Ita ipse ad rem nostram verè eloquentissimè, atque accommodatissimè. Vtinam verò Sanctissimus, atque facundissimus Pater, quemadmodum ex hac ipsa augusta ad reliquos Psalmos porta, atque prima totius ædificij fronte, & facie probè, & penitissimè intellexit, Psalterium Daui-

E

F

S.Chrysologi sẽtentia de primo Psalmo.

uidi-

A uidicum, seu Librum Psalmorum referre, atque ostendere (non iam vnam aliquam indigestam molem, seu lapidum temerè in vnum proiectorum congeriem, atque aceruum, quod tamen aliquos ex etymologia vocis Hebraicæ, *Sepher thehillim* supra velle, at immeritò, vidimus) sed admirabilem prorsus, & omnibus numeris absolutissimam, omnique proportione, ac symmetria ordinatissimam Regiæ Domus structuram; vtinam, inquam, ipsemet Pater, prout eam agnouit, ita eamdem nobis, vnà cum intimis penetralibus, & mansionibus omnibus ordinatissimè dispositis aperuisset, & demostrauisset! quan-
B tis thesauris diuites reddidisset! quanto labore singula referandi liberasset!

§. V.

Verùm sat multa, vel hoc ipso per omnia insigni Psalterij, Psalmorumque testimonio, nos, quæ ad eos spectant, docuisse dicendus est; dum docuit, primos duos Psalmos esse Psalmorum Præfationem, esse eorum Titulum, esse Argumentum generans argumenta, esse Causam, Clauem, primam Ianuam, &c. Sic enim clarè dixit, Psalmorum omnium, siue totius Psalterij vniuersale Argumentum his ipsis duobus Psalmis contineri.

C At verò hoc non alio pacto, seu modo præstant, vel præstare possunt hi duo Psalmi, qui cæterorum omnium dicuntur, & re ipsa sunt Argumentum, nisi quia continent, & si benè aduertamus, referant, atque aperiunt nobis illos ipsos Fontes, & rerum Capita, quæ diximus, Dominum Iesum ostendisse, reperiri in Prophetis Not. 3.

Duo primi Psal. continet Octo supra dictos Fontes; & hi sunt Psalterij Argumēta.

Id ita esse, manifestum est ex ipsis horum Psalmorum verbis, & versibus, licet non omnes illos Fontes, & rerum Capita eo ipso ordine, quo supra ibidem exposita fuere, referant; quandoquidem ita illa proponunt, vt ipsa pro-
D positione eiusmodi vniuersalis Argumenti duos Psalmos, seu sacros Cantus conficiant; quod ipsum metrici, & quod profani etiam vates imitari solent, fuit artificij. Cæterum vt ille per omnia ordo non adsit, nihilominus tamen ita clarè illos omnes Fontes, & rerum Capita indicant, vt veluti digito ea nobis demonstrent.

§. VI.

Nam dum Psalmo primo, versu 1. nominat eos; *qui abierunt in consilio impiorum, & in via peccatorum steterunt, & in cathedra pestilentiæ sederunt*: Dum
E v. 5. ait; *non resurrecturos impios in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum.* Dum *v. 6. iter impiorum periturum* attestatur: dum, inquam, hæc aliaque eiusmodi proponuntur, respici potissimùm ad Iudæos, eorumque scelera, peruicaciam, obstinationem, ac tandem reprobationem, desolationem, atque exterminium est certum. Atque ita consurgit

Quomodo illos cōtineāt ostenditur.

Primus rerum maximarum Fons, & origo Not. 3. §. 6. assignatus, qui est Iudæorum Rebropatio, Desolatio, Exterminium.

Primum Fons.

§. VII.

F Sed iam illo posito, quis siccis oculis ferat, eam tanti, & tam dilecti olim populi Desolationem, & Perditionem? planè necessariò ingens eam consequitur Luctus, quamuis de eo expresè hic non faceret mentionem S. Dauid; quomodo enim vir mansuetissimus, pietatis, & charitatis speculum, in hostes etiam suos beneficus, non doleat, non ploret contribulium suorum interitum?

Secundus Fons.

Sed neque hoc in compendiosissimo initio hunc suum luctum indicare omisit (quod postea, vt patebit in Psalmorum decursu, sæpiùs, & profusissimis lacrymis, & gemitibus est facturus) dum Psalmo 1.v.4. altum ingemiscit, & dolet; quod *Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proÿcit ventus à facie terræ*; quo dicto sapientissimè notat, & luget suorum Iudæorum extremum, in quod inciderunt, exterminium. Atque sic A

Secundus aperitur Fons (a quo riuuli opinione plures toto Psalmorum Libro sunt deriuandi) qui est; Commiseratio, Luctus, & Dolor perdendorum Iudæorum causa. B

§. VIII.

Tertius Fons. Iam antequam ad Tertium deueniamus; quia Sanctus Dauid futurum præuidebat, vt ex Populo illo Iudaico pauci aliqui colligerentur, qui in vnam deinde cum Gentilibus Ecclesiam Christi coalescerent; propterea illos prius designat, dum Psalmo 1.v.1. ait. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum*, &c. v.2. *Sed in lege Domini voluntas eius*. His obiter indicatis, qui fuerunt reseruatum illud *semen*, de quo Isaias cap.1.v.9. *Nisi Dominus reliquisset nobis semen*, &c. clarè deinde Conuersionem Gentium exprimit, Psalmo 2.v.8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Quodque planè subiecturus sibi Gentes, easque ab omni Idolorum, & Dæmonum cultu, & tyrannide vitiorum liberaturus esset, statim versu sequenti nono denunciat: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. Esse autem sic intelligendos hos versus, maximè nonum, probatum est supra Not.6.§.6. Ex quibus C

Tertius Fons profluit, qui est; Gentilium, & Idololatrarum vocatio ad Fidem, & Ecclesiam in Iudæorum locum. D

§. IX.

Quartus Fons. In hac ipsa Gentium vocatione, quam his iam citatis versibus S. Dauid tam clarè ostendit, continetur etiam ipsius Romæ, quæ Gentibus dominabatur Conuersio ad eandem Christi Fidem; sicut enim ignorare non poterant Gentes, quod Roma didicisset; ita ea non subiugata Christi Fidei, subijci aliæ Gentes, & Prædicatio Vniuersalis habere peruios Populos, & consequenter Dominus adire hereditatem suam, terminos terræ non potuisset; prout Notato 5.maximè §.9.dictum fuit. E

Deinde tam Romæ, quàm aliorum regnorum subiectio Fidei Christi facienda Psalmo 2.v.10.clarè ostenditur. dum ius illi dicitur. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram*. Atque ita habetur

Quartus Fons, qui ad Conuersionem ipsius Gentium Dominæ Romæ, Romanique Imperij ad Christi Fidem spectat.

§. X.

Quintus Fons. Iam verò diuina illa virtus eorum, per quos tanta opera patraturus erat Dominus non siletur, dum dicitur Psal.2.v.5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*. Et versu 13. *Cum exarserit in breui ira eius*. Hæc de Euangelij Prædicatione, eiusque, & Prædicatorum eius mira vi, & efficacia ad conuersionem animarum dici; ostensum est supra Not.6.§.5.& §.7. Atque hæc, aliaque eiusmodi constituunt F

Quintum Fontem, qui est Diuina quædam virtus eorum, qui Gentium, Ro-

A Romæ, Romanique Imperij Conuerſionis Opus Chriſti ad Fidem aggreſſi, perfecerunt.

§. XI.

Sextus Fons, cum myſtica prælia, atque etiam perſecutionum, & martyriorum certamina complectatur, non tam aquis abundat, quàm ſanguine; ideò poſitus eſt à Regio Propheta patentiſſimo loco, Pſalmo 2. v. 1. 2. 3. *Quare fremuerunt Gentes, & Populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* — Sextus Fons.

B *Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Certum eſt, his tribus verſibus Sanctum Dauidem complexum fuiſſe ea omnia, quæ Dominus Ieſus Chriſtus in ſe, & corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, paſſurus erat tam à Iudæis, quàm à Gentilibus; nam Actorum cap. 4. v. 24. Primitiua Eccleſia Chriſti Ieroſolymis perſecutionem patiens; *vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es, qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: qui Spiritu Sancto per os Patris Noſtri Dauid pueri tui dixiſti. Quare fremuerunt Gentes, &c. conuenerunt enim verè in Ciuitate*

C *iſta aduerſus Sanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & Populis Iſrael, facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.*

Et hoc vnum teſtimonium ſit ſatis, quòd D. Propheta Dauid (meæ ſententiæ adhærendo) ad literam, & ex primaria intentione id voluerit nobis ſignificare in ipſo primo, & vniuerſali argumento, de qua deinceps materia, toto Pſalterio plurima occurrent.

Neque ſolummodò certamina expreſſit, ſed etiam victorias obtinendas

D demonſtrauit; v. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.* Quæ quidem victoriæ, quia in eo erant poſitæ, vt Infideles cederent, & Fidei prædicationi, ſuauique Chriſti iugo colla ſubijcerent, propterea & hunc ipſum modum pugnandi, & vincendi inſinuat v. 5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.* Et v. 13. *Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.* Iuxta ea, quæ de vindicta myſtica, ſeu ira, & vltione dicta ſunt Not. 6. & quæ etiam ad priorem Fontem pertinent. Ex his omnibus

E §. XII.

Septimus Fons, etiam ipſe abundantiſſimis promanat aquis: nam quis dubitet Chriſti Eccleſiam ſic protectam, fundatam, martyrum ſuorum ſanguine irrigatam maxima dona, & bona Cæleſtis ſui Sponſi poſſidere? Ea omnia, & omnes, qui ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentibus ſub vno Sponſi eius Capite Chriſto, eiuſque in terris Vicario, Romano Pontifice futuri eſſent, illis verbis complexus eſt S. Dauid, Pſal. 1. *Beatus Vir*, &c. v. 2. *in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.* v. 3. *Et erit tanquam lignum, quod* — Septimus Fons.

F *plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* v. 4. *Et folium eius non defluet; & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur.* v. 6. *Quoniam nouit* (approbando ſibique in ea complacendo) *Dominus viam iuſtorum*, qui vtique eius fideles ſunt: in his, inquam, & eiuſmodi conſtitutus eſt Fons 7. qui continet Eccleſiæ Chriſti in Gentibus fundatæ eximia bona. Et de his toto Pſalterio frequentiſſimus eſt ſermo.

Octa-

§. XIII. A

Octauus Fons.

Octauus, idest summus, maximusque, & omnium Fontium Fons, est Iesus Christus, Dei Filius, Dominus noster exaltatus. Eum respiciunt omnia, quæ scripta sunt in Psalmis, ipsomet attestante Luc. 24. v. 44. ideoque etiam ipse Dominus Iesus patentissimè, & verè in capite Libri proponitur, dum fremuisse Gentes, & astitisse Reges terræ, & Principes ait Psalmus 2. v. 1. 2. &c. *aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*. v. 6. At; *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*. v. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*. v. 10. *Et nunc Reges intelligite*, &c. B

Quia autem eiusdem Domini Iesu Exaltationem, & gloriam, atque agnitionem Diuinitatis eius, primam quidem in intentione, vltimam verò in executione esse, necesse erat: quibus ad eam toti Orbi patefaciendam gradibus, atque Laudum Canticis progressus fuerit S. Dauid, sensim, & successiuè constabit.

§. XIV.

Sensus literalis, & explicatio primi & secūdi Psalmi.

Ex hactenus dictis facilè literalis sensus, & explicatio horum duorum Psalmorum colligitur: nam in ijs, vt vidimus S. Dauid proponit Psalterij sui Thema, quod in octo illa summa Capita diuidit, de quibus, Psalterio deinde toto, tractaturus est; neque enim vlla alia rerum aliarum, quarumv is capita, quæ vel digniora essent diuina Prophetæ, & Psaltæ maximi, numeris metricis ligata eloquentia, vel plus facerent ad Domini Iesu maiestatem, ipsique; de quo omnis sermo Psalmorum est, magis atque intimiùs essent coniuncta, his ipsis, quæ iam posita constitutaque sunt, seu maiora, seu potiora excogitari possunt. C

Dum autem id assero, nolim suspicetur quispiam, ea tam pręclara, & grandia, quibus nulla alia maiora rerum Capita, à me excogitata esse, sed solùm obseruata fuisse sciat; nam re ipsa Sanctissimus ipse Dauid diuino illustratus lumine ea adinuenit, proposuit, & in ordinem pulcherrimum digessit, ipso Psalterij sui initio proponens rerum omnium (iuxta nihilominus superius dicta) à se in eo dicendarum Argumentum, quod quidem ad consequentem, ordinatumque sermonem, sicuti ipsum sapientissimum Prophetam proponere, planè erat necesse; ita id ipsum, quicunque velit plenè admirabilem in Psalmis dispositionem, ordinem, consecutionem, connexionemque reperire, non minus necessarium est, vt obseruet. D E

§. XV.

Quomodo suapte spontè profluant hi Octo Fōtes ex primo, & secundo Psalmo.

Neque verò hoc ipsum obseruatu difficile est; quandò, vt vidimus, ipsa verba horum duorum Psalmorum, qui pro Vniuersali Argumento Psalterij præponuntur, illa ipsa octona rerum Capita, & Fontes indicant, & quidem absque vlla Sacri Textus contorsione.

Nam si nos animo nostro concipiamus ea, quæ Sanctus Propheta, & Rex Dauid suo versabat, dum se se ad Psalterium componendum accingeret, vbicunque tandem, & quandocunque id composuerit; cum dubium non sit (meam explanationem sequendo) quin de hisce summis, maximisque rerum Capitibus, & Fontibus, vt ostensum est, esset acturus, cumque & illa summa Capita, & omnia reliqua ijs contenta mysteria præsentissima haberet; supposito, quod ea nobis vellet, & à Domini Spiritu iuberetur, manifestare; F

quo-

A quomodo quæso ea *opera summæ magnitudinis explicet lingua carnis?* vt supra Not.4. §.7. aiebat D.Greg. Dubio procul debuit se se humanæ capacitati nostræ accommodare, quæ angustissima cum sit, singula grandia per partes intelligit: proinde omnium primò, quòd maximè patheticum, & admirandum erat, obuium, & reuelandum habuit illud mysterium, quod Dei benignitate, & seueritate plenum erat, & Iudæorum Reprobationem, Gentium verò Electionem continebat; seueritatem in illos ob eorum peccata; in hos verò gratuitam benignitatem, *Si tamen in bonitate permanserint, alioquin, &*
B *illi excindentur*. Rom. c.11.v.22.

Ex his nihil consequentius, & promptius erat, quàm vt in illas voces prorumperet.

V.1. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.*

Proximum huic erat, vt inter eosdem oppositio fieret, scil.electos, siue eligendos, & reprobandos: illos sub vnius *Beati viri* nomine complectitur, non solùm quia multitudinis credentium est cor vnum, & anima vna; sed multò
C amplius, quia sub vno Christo ac Domino sunt, quem quidem Dominum ac Christum suum, eiusque gloriam atque exaltationem, licet præ reliquis omnibus menti suæ fixam gereret, suo tamen, & hoc ipso ordine, & loco, vt aliàs dictum est, ipsi ad eam erat perueniendum. Itaque sicut dicebatur, oppositio inter eligendos, & reprobandos fit; quod ille, *Beatus, qui non abijt in consilio impiorum*, &c.

V.2. *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte.*

D V.3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet: & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.*

Sicuti itaque horum Fidelium Christi, eiusque Ecclesiæ est optanda, & felicissima sors; ita lugenda, & miseranda aliorum, qui tales non sunt, nec in ea sunt: vnde sequitur, quod

V.4. *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem projcit ventus à facie terræ.*

E Dolendum, & deplorandum summoperè est, quod quia sceleribus, & concupiscentiarum suarum, quas secuti sunt ardoribus, effecti sint, *vt puluis, quem projcit ventus à facie terræ*; atque

V.5. *Ideò non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iustorum.*

Non erunt participes, siue non habebunt partem in illa ad vitam innocentem, sanctam, Deo placentem, suscitatione, quæ futura est per Euangelij Prædicationem; neque eximijs Ecclesiæ bonis vnà cum iustis perfruentur
F (sic explicandum esse hunc Versum supra dictum Not.6. §.4.) cuius tanti, & extremi eorum mali illa est causa;

V.6. *Quoniam nouit Dominus viam iustorum:* sicut illam approbat, & benedicit; ita,

Et iter impiorum peribit.

Atque in his omnibus versibus, planè vt iacent, & sonant explicatis, faci-

facilè vnusquisque aduertere potest, reperiri primum, secundum, tertium,& septimum, Capita, & Fontes rerum, de quibus proponit sibi in Psalterio esse tractandum: insinuato etiam Sexto Fonte, & Capite persecutionum ab impijs Iudæis suscitandarum. Et sic Prima Pars Vniuersalis Argumenti Psalterij Primo Psalmo terminatur. A

Iam verò, quia altissimis his, quæ in Primo Psalmo elucent, Sapientiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Bonitatisque Diuinæ Decretis se se oppositori erant Iudæi; & ipsę etiam Gentes, vesana mente, restiturę erant Euangelij Prædicationi, & consequenter Christi Domini Dei Filij Exaltationi, suscitatis in ipsum, fideles eius, eiusdemq. Fidei Prædicatores acerbissimis, & omninò sanguineis persecutionibus; quæ quidem cum contra Dominum, & Christum eius futuræ essent, deque ijs certa victoria obtinenda foret; propterea Sanctus Dauid, & consequenter, & ab interrogatione, quæ non tam admirationem, quàm subsannationem,& exprobrationem quandam contineat, orditur Psalmum secundum, & ipso eius exordio Fontem sextum, eumque amplissimum detegit B

Psalmus secundus.

V. 1. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* C

V. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

Et illi quidem conabuntur, & dicent

V. 3. *Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipsorum.* Verùm

V. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* nequidquam poterunt obsistere, quia Prædicationis Vniuersalis Euangelij tempore

V. 5. *Tunc loquetur ad eos in ira sua,& in furore suo conturbabit eos.* D

Illi quidem omnes, deuicti cedent.

V. 6. *Ego autem* (ait Christus, & in eius persona S. Dauid) *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius* (quę est eius Ecclesia in Gentibus, vt paulò post dicetur, fundanda) *prædicans præceptum eius.*

Promissum à Deo nouum Testamentum, siue Euangelium in ea condens, & instituens: id quod Ego, ait Dominus Christus, diuina mea potestate præstiti; nam

V. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Diuinitatem Vnigeniti sui, quam ab æterno habuit, in Resurrectione Dominus manifestauit; nam Act. c. 13. ait D. Paulus: *& nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs nostris resuscitans Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* quæ omnia cum versu sexto pertinent ad octauum Fontem. Versus 5. ad quintum. Versus 4. ad sextum. Primi tres ad eundem sextum. E

Sed ad octauum Fontem non solum versus sextus, & septimus spectant, verùm etiam reliqui omnes vsque ad finem ad illum ipsum vltimatè reducuntur, licet alios proximiùs indicent, vt dictum est. F

V. 8. *Postula me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam,* (pergit Christus, siue in eius persona S. Dauid in recensendis sibi promissis à Patre: quicquid aduersus eum fremuerint Gentes, illas ipse habet hereditatem) *& possessionem tuam terminos terræ.*

V. 9. *Re-*

A V. 9. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. eo, quem diximus sensu. id autem Christo Regi magnificato super omnes Reges terræ honorificentissimum cum sit, & ipsis terræ Regibus bonum, optimum, & maximum, hortatur ad subiectionem per Fidem in ipsum, minis intentatis malorum maximorum, ni parcant.

V. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram*.

V. 11. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*.

V. 12. *Apprehendite disciplinam* (quod supra dixi ex Rom. c. 11. v. 22. ita B bonitatem in Gentes, earumque Reges ad Fidem, & in Ecclesiam suam suscipiendos exercuit, vt terreat) *ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*. Summo studio, dum tempus acceptabile, & dies salutis sunt, contendendum

V. 13. *Cum exarserit in breui ira eius*, qua, vt dictum est, per Vniuersalem Euangelij Prædicationem Idololatriam, & omnem impietatem ex orbe eijciet; *beati omnes qui confidunt in eo*.

§. XVI.

C Cum itaque his duobus Canticis, seu Psalmis, summam reliquorum omnium Psalmorum suorum complexus sit S. Dauid; idcirco etiam, tam Vniuerso Psalterio, quàm dum Diuinæ laudes ex eo per partes acceptæ, vt in Dominicis, & Festis Deo Domino persoluuntur, ij ipsi duo Psalmi frequentissimi sunt, & passim primo loco collocantur; tanquam si psallentes, & instituere, & admonere percupiant, vt in Psalmorum omnium recitatione, ad inflammandum pietate in Deum animum, per genuinam, & propriam illorum sacrorum verborum, quæ sibi inuicem pronuncianda, seu decantanda D succedunt, intellectionem, ad illos, quos ipsi continent rerum, & mysteriorum maximorum Fontes, & Capita animaduertant.

Quare primus, & secundus Psalmus præponantur non solũ Psalterio, sed passim Diuino Officio recitando.

Hoc iam præiacto fundamento, siue præmisso, præpositoq. rerum omnium totis Psalmis dicendarum Vniuersali Argumento, facilè admodum, & inter Titulos, seu Inscriptiones singulorum Psalmorum, & inter ipsos Psalmos ordinem esse, connexionem, consecutionem, & concordantiam demonstrabimus.

Quia verò suis, vbi opus est, probationibus, ijsque fusiùs deductis pro-E bantur ipsi Tituli Psalmorum; ne videndæ connexionis, & ordinis inter eos, desiderio, Beneuolus Lector, veluti suspensus expectatione, diù detineatur, sed potius, vt illum vno quasi aspectu propositum, subiectumque oculis habeat: &, vt quæ penitiùs, longioreque mora inspicienda erunt, statim pateant, & reperiantur; operæ pretium est, breuem ante illos Indicem præmittere; quo, quidnam singuli, & Psalmorum Tituli, & ipsi Psalmi, omnes, & singuli suo ordine positi contineant, summatim, & paucissimis verbis proponatur. Atque vt hæc Nostra magis elucescant, aliorum pariter aliquo-F rum Interpretum, qui hoc Vniuersale Psalterij Argumentum non agnoscunt, vel sequuntur, eadem breuitate ex opposito sunt statuenda.


A

Index in Psalmos, & in Titulos Psalmorum summatim complectens, quidnam singuli contineant, ex quo proposita inter eos connexio, ordo, & consonantia statim inspicitur.



Vppositis, quæ supra Quæstione vnica dicta sunt; quod scilicet Psalmorum omnium Argumentum contineatur in primo, & secundo Psalmo, & quod hi duo Psalmi contineant octo illos supra Not. 3. dictos Fontes, & Capita rerum, quæ sunt totius Psalterij Argumentum; S. Dauid, qui non obscurè ipso initio Psalmi primi Sextum Fontem Persecutionum ab impijs Iudæis in Christum, eiusque Fideles suscitandarum insinuauerat, ab ipsis persecutionibus Psalterium suum à Psalmo tertio exorditur, illud per alia deinceps rerum Capita decursurus. B C

Nostra Argumenta.



In Psal. 3.

Itaque persecutiones Iudęorum contra Christum summatim continet Psalmus tertius.

Psal. 4. Ecclesia Christi persecutionibus afflicta, & bonis à Domino ditata proponitur Psalmo quarto.

Psal. 5. Noua Christi Ecclesia succedit in locum Synagogæ, quæ reprobatur.

Psal. 6. Dolor de reprobatione Iudæorum.

Psal. 7. Populi Iudaici scelera, & iusta desolatio.

Psal. 8. Christi exaltatio, Apostolorum prædicatio, Ecclesiæ fundatio.

Psal. 9. Iudæorum reprobatio, Gentium

Aliorum Interpretum in Psalmos Argumenta summatim comprehensa, ordinem non seruantia.

Psal. 1. Vitæ beatæ via describitur, cum antithesi recedentium ab ea. D

Psal. 2. Inuehitur Dauid in hostes regni, in quo iam Rex constitutus erat; sed sub hoc typo Christum proponit.

Psal. 3. Fugā Dauid à facie Absalom.

Psal. 4. Dauid liberatum ab illa persecutione.

Psal. 5. Dauid poscit restitui sibi hereditatem regni à Deo sibi dati. E

Psal. 6. Dauid, vt grauem afflictionem auertat, pollicetur pœnitentiam.

Psal. 7. Agitur de purgatione à crimine proditionis aduersus Saulem. F

Psal. 8. De Christo, & Dei sapientia, & potentia in Mundi conditione, & naturæ humanæ amplificatione.

Psal. 9. Per iudicium Christi interitus

A *Nostra Argumenta.*

tium vocatio; suscitatæ ab vtrisque contra Ecclesiam persecutiones, & tribulationes exprimuntur.

Psal.10. Christianorum, siue Ecclesiæ constantia in persecutionibus per confidentiam in Deum.

B

Psal.11. Iudæorum doli, astus, deprauationes Legis.

Psal.12. Iudæorum obstinatio, & mors in peccatis.

Psal.13. Iudæorum ingentia scelera.

C Psal.14. Christi fidelium in eius Ecclesia sanctitas.

Psal.15. Quomodo compensata Iudæorum perditio, cum maxima Christi Domini Exaltatione.

D Psal.16. Iudæi conantes Ecclesiam opprimere, supplantati.

Psal.17. Multis aduersantibus, facta Euangelij prędicatio, & Ecclesiæ apud Gentes fundatio, Christi Domini Nostri Exaltatio.

E Psal.18. Prædicationi Fidei, & Ecclesiæ, Romæ fuit constituta Sedes.

Psal.19. Fausta precatio pro expeditione prædicationis Euangelij Romæ, & inter Gentes faciendæ.

F Psal.20. Christus Rex per Euangelij prædicationem exaltatus.

Psal.21. Christi passio, & mors causa exaltationis eius.

Psal.22. Quanti fructus ex passione, & morte eius.

Fun-

Aliorum Argumenta.

tus impiorum, Diaboli, Antichristi, Iudæorum, &c. describitur.

Psal.10. Dauid sedibus suis pulsus solatur se ipsum, & diuina fretus ope nihil terretur.

Psal.11. Conquestio est de moribus deprauatis fictorum, & falsorum amicorum Dauid.

Psal.12. Conqueritur Dauid aduersus longam persecutionem Saulis, vel Absalonis, &c.

Psal.13. Descriptio improborum, & impiorum, è quorum numero Iudæi, &c.

Psal.14. Describitur qualem esse oporteat habitatorem Tabernaculi, &c.

Psal.15. Optat Propheta, subque illius potissimùm persona Christus, tutelam Dei, &c.

Psal.16. Multa fiducia refertus Psalmus, & canitur in persona viri in via Dei perfecti.

Psal.17. Est de Christo, & corpore eius Ecclesia, sed sub typo Dauid.

Psal.18. Disserit de cognitione Dei, per cælestium rerum notitiam; & hùc reducuntur qui dicunt Psalmum esse de Christo, &c.

Psal.19. Oratio Dauidis pro exercitu, quando ipse non proficiscebatur in expeditionem.

Psal.20. Psalmus refert impetratum quod petebatur, vt Christũ Regem Deus protegeret.

Psal.21. Conueniunt Psalmum esse de Christo, sed modum, ordinem, & causam cur hoc loco ponatur non assignant.

Psal.22. Gratulationẽ habet pro cura pastorali Dei, tã quo ad corpus, quàm & maximè, aĩam,

 Pro-

Nostra Argumenta.

Psal.23. Fundatio Ecclesiæ Christi in media Gentilitate, & ipsa Vrbe Roma.

Psal.24. Conuertentium se se ad Deum per Fidei prædicationem, Oratio.

Psal.25. Conuersorum ad Deum, Oratio.

Psal.26. Conuersorum ad Deum pugnæ, & tentationes.

Psal.27. Christus patientium tribulationes exemplar.

Psal.28. Efficacia prædicationis Diuini Verbi ad quam inuitat.

Psal.29. Christi Ecclesiæ militantis prima Dedicatio in internis animarum, &c.

Psal.30. Christi Ecclesia vbi plurimũ passa fuit, idest Romæ; ibi singulariter à Deo visitata.

Psal.31. Peccatorum remissio quantum beneficium; & modus eam obtinendi, & conseruandi.

Psal.32. Iustificatorum, seu iustorum gaudium, & exultatio.

Psal.33. Iustis tolerandæ rerum vicissitudines.

Psal.34. Christianis; exemplo Christi patienda sunt aduersa.

Psal.35. Erga bonos, & malos Dei misericordia, illorum autem quanta sit felicitas dicitur.

Psal.36. Bona spiritualia, & interna præ externis æstimanda, & quærenda.

Quia

Aliorum Argumenta. A

Psal.23. Proponit Dominium Vniuersale Dei, siue Christi ad Inferos descendentis, resurgentis, & ad cælos ascendentis potestatem.

Psal.24. Versantis in maximo periculo, & valdè ab inimicis vexati precatio. B

Psal.25. Quando exulabat Dauid, Saulem fugiens, &c.

Psal.26. Inuocatio auxilij diuini, quãdo Dauid fugiebat Saulem.

Psal.27. Item oratio Dauid, cùm ipsum Sauli prodere conarentur, aut Christus de Passione, &c. agens. C

Psal. 28. P. Lorinus duodecim diuersas sententias proponit circa Psalmi huius Argumentum.

Psal.29. Itidem vndecim diuersæ sententiæ circa Psalmi huius Argumentum.

Psal.30. Est de grauioribus persecutionibus, quibus Dauidis animus perculsus, sed confirmatus fuit. D

Psal.31. Deplorat pœnitens Dauid peccata sua, & impœnitentiam præcedentem.

Psal.32. Iubentur iusti exultare in Domino, eumque laudare. E

Psal.33. Dauid gratias agit Deo, quod euaserit periculum comprehensionis ab Achis Rege Geth.

Psal.34. Oratur Deus, vt præsidio sit contra inimicos, quorum peruersi mores describũtur.

Psal.35. Inuehitur in impios Dauid: & bonitatem Dei erga pios demonstrat. F

Psal.36. Parenecticus, ethicus, siue moralis, & hortatorius de prouidentia Dei est Psalmus.

Dauid

A *Nostra Argumenta.*

Psal.37. Quia Iudæi spoliandi erant bonis, maximè spiritualibus; luget.

Psal.38. Vita corrigenda, quando Deus minatur, & pœnas tam atroces infert.

B

Psal.39. Christus vt Caput Ecclesiæ agit de aduersis toleratis, Passionis suæ fructu, Ecclesiæ suæ fundatione, & protectione eiusdem.

C Psal.40. Quàm felix, qui in Christum pauperem credit.

Psal.41. In conuersis ad fidem ex Iudæis fuerunt, propter diuersa, affectus lætitiæ, & commiserationis.

D Psal.42. Precatio, & deprecatio pro conuersione populi Iudaici.

Psal.43. Luctus pro perditione, seu desolatione Iudæorum.

Psal.44. Christus Rex, eiusque Regnum, & Ecclesia eius Spõsa apud Gentes fundata.

E

Psal.45. Priusquam fundaretur Ecclesia, sustinuit maximas à Roma Ethnica, & Romanis Impp. persecutiones.

F Psal.46. Gentes conuersæ ad Fidem, Christo subiectæ, exultant.

Psal.47. Ecclesia Christi pace, & tranquillitate gaudens.

Pro-

Aliorum Argumenta.

Psal. 37. Dauid vim morbi deplorat, in quo sit à suis desertus, ab inimicis delusus, &c.

Psal.38. Dauid aduersus maledicta Semei, & similium comprimit, & continet seipsum in silentio.

Psal.39. Patres passim dicunt Dauidem hoc Psalmo liberatum à calamitatibus, typum gerere Christi.

Psal.40. Conueniunt, Christum esse Psalmi huius argumentum; & rem esse audacia, & temeritate plenam aliud statuere.

Psal.41. Sub Dauidis, aut pij alicuius Iudæi afflicti typo describitur quivis pius, ac religiosus homo fatigatus vitæ huius malis.

Psal.42. Dauid precatur liberari ab iniquo viro, siue Saule, siue Absalone.

Psal.43. Agitur de persecutionibus tum Confessorum, tum præcipuè Martyrum; sed tropologicè: literaliter verò quibus motiuis mouerētur vexati Hebræi.

Psal.44. Conueniunt, quod sit de Christo Rege, ac Sponso, Sponsaque eius Ecclesia.

Psal.45. Variant in statuendo huic Psalmo Argumēto, vt videri apud P. Lorinum possunt.

Psal.46. Hebræi volunt hoc Psalmo decantari victorias Iosue: Nostri, Ascensionē Christi.

Psal.47. Potior sententia vult Psalmo hoc sermonem esse de Christo, qui suo aduentu Ciuitatem Ierosolymitanā illustrarit, ac Templum, & Ecclesiam ibi erigere cœperit.

Pa-

Nostra Argumenta.

Psal.23. Fundatio Ecclesiæ Christi in media Gentilitate, & ipsa Vrbe Roma.

Psal.24. Conuertentium se se ad Deum per Fidei prædicationem, Oratio.

Psal.25. Conuersorum ad Deum, Oratio.

Psal.26. Conuersorum ad Deum pugnæ, & tentationes.

Psal.27. Christus patientium tribulationes exemplar.

Psal.28. Efficacia prædicationis Diuini Verbi ad quam inuitat.

Psal.29. Christi Ecclesiæ militantis prima Dedicatio in internis animarum, &c.

Psal.30. Christi Ecclesia vbi plurimũ passa fuit, idest Romæ; ibi singulariter à Deo visitata.

Psal.31. Peccatorum remissio quantum beneficium; & modus eam obtinendi, & conseruandi.

Psal.32. Iustificatorum, seu iustorum gaudium, & exultatio.

Psal.33. Iustis toleranda rerum vicissitudines.

Psal.34. Christianis; exemplo Christi patienda sunt aduersa.

Psal.35. Erga bonos, & malos Dei misericordia, illorum autem quanta sit felicitas dicitur.

Psal.36. Bona spiritualia, & interna præ externis æstimanda, & quærenda.

Quia

Aliorum Argumenta.

A

Psal.23. Proponit Dominium Vniuersale Dei, siue Christi ad Inferos descendentis, resurgentis, & ad cælos ascendentis potestatem.

Psal.24. Versantis in maximo periculo, & valdè ab inimicis vexati precatio.

B

Psal.25. Quando exulabat Dauid, Saulem fugiens, &c.

Psal.26. Inuocatio auxilij diuini, quãdo Dauid fugiebat Saulem.

Psal.27. Item oratio Dauid, cùm ipsum Sauli prodere conarentur, aut Christus de Passione, &c. agens.

C

Psal. 28. P. Lorinus duodecim diuersas sententias proponit circa Psalmi huius Argumentum.

Psal.29. Itidem vndecim diuersæ sententiæ circa Psalmi huius Argumentum.

Psal.30. Est de grauioribus persecutionibus, quibus Dauidis animus perculsus, sed confirmatus fuit.

D

Psal.31. Deplorat pœnitens Dauid peccata sua, & impœnitentiam præcedentem.

Psal.32. Iubentur iusti exultare in Domino, eumque laudare.

E

Psal.33. Dauid gratias agit Deo, quod euaserit periculum comprehensionis ab Achis Rege Geth.

Psal.34. Oratur Deus, vt præsidio sit contra inimicos, quorum peruersi mores describuntur.

Psal.35. Inuehitur in impios Dauid: & bonitatem Dei erga pios demonstrat.

F

Psal.36. Parænecticus, ethicus, siue moralis, & hortatorius de prouidentia Dei est Psalmus.

Dauid

A *Nostra Argumenta.*

Psal.37. Quia Iudæi spoliandi erant bonis, maximè spiritualibus; luget.

Psal.38. Vita corrigenda, quando Deus minatur, & pęnas tam atroces infert.

B

Psal.39. Christus vt Caput Ecclesiæ agit de aduersis toleratis, Passionis suæ fructu, Ecclesiæ suæ fundatione, & protectione eiusdem.

C Psal.40. Quàm felix, qui in Christum pauperem credit.

Psal.41. In conuersis ad fidem ex Iudæis fuerunt, propter diuersa, affectus lætitiæ, & commiserationis.

D Psal.42. Precatio, & deprecatio pro conuersione populi Iudaici.

Psal.43. Luctus pro perditione, seu desolatione Iudæorum.

Psal.44. Christus Rex, eiusque Regnum, & Ecclesia eius Spōsa apud Gentes fundata.

E

Psal.45. Priusquam fundaretur Ecclesia, sustinuit maximas à Roma Ethnica, & Romanis Impp. persecutiones.

F Psal.46. Gentes conuersæ ad Fidem, Christo subiectæ, exultant.

Psal.47. Ecclesia Christi pace, & tranquillitate gaudens.

Pro-

Aliorum Argumenta.

Psal. 37. Dauid vim morbi deplorat, in quo sit à suis desertus, ab inimicis delusus, &c.

Psal.38. Dauid aduersus maledicta Semei, & similium comprimit, & continet seipsum in silentio.

Psal.39. Patres passim dicunt Dauidem hoc Psalmo liberatum à calamitatibus, typum gerere Christi.

Psal.40. Conueniunt, Christum esse Psalmi huius argumentum; & rem esse audacia, & temeritate plenam aliud statuere.

Psal.41. Sub Dauidis, aut pij alicuius Iudæi afflicti typo describitur quivis pius, ac religiosus homo fatigatus vitæ huius malis.

Psal.42. Dauid precatur liberari ab iniquo viro, siue Saule, siue Absalone.

Psal.43. Agitur de persecutionibus tum Confessorum, tum pręcipuè Martyrum; sed tropologicè: literaliter verò quibus motiuis mouerētur vexati Hebræi.

Psal.44. Conueniunt, quod sit de Christo Rege, ac Sponso, Sponsaque eius Ecclesia.

Psal.45. Variant in statuendo huic Psalmo Argumēto, vt videri apud P. Lorinum possunt.

Psal.46. Hebræi volunt hoc Psalmo decantari victorias Iosue; Nostri, Ascensionē Christi.

Psal.47. Potior sententia vult Psalmo hoc sermonem esse de Christo, qui suo aduentu Ciuitatem Ierosolymitanā illustrarit, ac Templum, & Ecclesiam ibi erigere cæperit.

Pa-

 A

Nostra Argumenta.

Psal.48. Proponitur patheticè Iudeorum desolatio, & deploratur.

Psal.49. Fertur sententia reprobationis in Iudæos, susceptis gentibus in eorum locum.

Psal.50. S. Dauid deflet Iudeorum reprobationem, & peccata, quæ cum commissis à se similitudinem habebant.

Aliorum Argumenta.

Psal.48. Parænericus, seu adhortatorius est Psalmus ad vitanda vanitatis studia: alij alia.

Psal.49. Communiter censent, agi de duplici aduentu Christi, in carnem, & ad iudicium.

Psal.50. Dauid deplorat peccata adulterij, & homicidij, aliaque in ijs contenta. B

Sic S. Dauid primam Psalmorum Quinquagenam terminat: atque ex his apparere incipit, quonam pacto circa octonos illos rerum, & Laudum diuinarum Fontes supradictos occupatus, ordinato, & per omnia consono sono, & tenore sit easdem decantaturus: quem quidem ordinem in oppositis Argumentis necesse est desiderari. C

Nostra Argumenta.

Psal.51. Principum Sacerdotum, & Iudeorum in primitiuam Christi Ecclesiam odium, expressum per crudelitatem Doeg, & Saulis in Achimelech.

Psal.52. Synagoga incessanter persequens Christi Ecclesiam, omni timore Dei proiecto, & sola rerum temporalium prosperitate ante oculos posita.

Psal.53. Sub typo Ziphæorum cum Saule, Dauidem persequentium, Christus, eiusque Ecclesia apud Iudæos patitur.

Psal.54. Sub figura fugæ, & exilij Dauidis, Christus, eiusque Ecclesia Ierosolymis vexata.

Psal.55. Dauid, ad Allophylos in Geth profectus, figura Christi, eiusque Ecclesiæ migrantis ad Gentes.

Psal.56. Dauid in speluncam fugiens; Christus, eiusque Ecclesia à Iudæorum persecutionibus se se subducens.

Item

Aliorum Argumenta.

Psal.51. Continet increpationem, & imprecationem in impium, & crudelem Doeg.

Psal.52. Stultitia humani generis describitur orta ex peccato; egens remedio Christi. D

Psal.53. De Ziphæis prodentibus Dauidem.

Psal.54. Conqueritur Dauid de Ceilanis, à quibus cum illos obsidione liberasset, proditus turpissimè fuisset. E

Psal.55. Exponit Dauid periculum suum apud Achis, in quo diuinam opem implorauerit, &c.

Psal.56. Dauid narrat summum illud discrimen, quando à tribus millibus intra speluncam circumdabatur: mystico autem sensu agitur de Christi Passione, Resurrectione &c. F

Acris

A *Nostra Argumenta.*

Psal. 57. Item de Iudæorum persecutionibus; & quasnam propter eas Iudæi dederint pœnas.

Psal. 58. Ecclesia Christi extrema apud Iudæos perpessa, ni-
B hilque cum eis proficiens, tandem abit.

Psal. 59. Ecclesia Christi migrat à Iudæis ad Gentes tanquam validus exercitus. Migrationem Ecclesiæ ad Gentes,
C qui, & quam diuersi consecuti sint affectus. Ecclesia Christi à Iudæis migrans erat aggressura Romam.

Psal. 60. Oratio Ecclesiæ iam inter Gentes constitutæ.

D

Psal. 61. Ecclesiæ, seu Christi fidelium commorantium iam apud Gentiles, animorum præparatio.

Psal. 62. Ecclesiæ Christi in deserto
E Gentilitatis ad Deum suspirat.

Psal. 63. Orátio Ecclesię pręparatoria ad patiendum apud Gentes.

Psal. 64. Gentium concursus ad Fi-
F dei prædicationem in Christi Ecclesiam, eiusque grandia bona.

Psal. 65. Gentium ad vitam gratiæ resurgentium, Canticum.

Ple-

Aliorum Argumenta.

Psal. 57. Acris obiurgatio iniquorum, cum comminatione horrendę vindictæ Dei: è contrario cum prædictione de præmijs iustorum, fructuque iustitiæ.

Psal. 58. Oratio Dauidis quando misit Saul, & custodiuit Domum eius, vt eum interficeret: sub hac historia Hilarius, Augustinus, alijque Latini agnoscunt mysterium de Christi Passione, ait P. Lorinus.

Psal. 59. Dauid totius Rex Populi parere se bellum canit in Idumæos.

Psal. 60. Dauid longiùs exulans propter persecutionem siue Saulis, siue Absalonis diuinam implorat opem.

Psal. 61. P. Lorino videtur Psalmus de crebra Dauidis fuga, alij apud ipsum volunt Argumentum Psalmi esse Machabæos.

Psal. 62. Dauid in deserto delitescens, atque Saulem fugitans, optat reuisere siue tabernaculum, siue arcam.

Psal. 63. Orat Dauid contra persecutionem Saulis; sub hoc autem typo intelligitur ea, quę contra Christum eiusque membra excitatur. Sic P. Lorinus.

Psal. 64. Argumentum Psalmi, vt passim omnes docent, est captiuitas populi, præsertim Babilonica, dum ibi reditum expeteret.

Psal. 65. Argumentum Psalmi huius ex plurium opinione est resurrectio Christi, & nostra.

Ar-

Nostra Argumenta.

Psal.66. Plena affectu deprecatio pro Gentium Conuersione.

Psal.67. Christi Ecclesia magnis passibus, & plena Dei benedictionibus progreditur in Conuersione Gentium.

Psal.68. De acerbissimis persecutionibus, quas Ecclesia apud Gentes, & maximè Romæ, est passa, in quibus tolerandis Christi Passio maximum fuit incitamentum.

Psal.69. Ecclesiæ, seu Christi gratiarum actio pro liberatione à persecutionibus.

Psal.70. Christi fideles agentes Deo gratias post persecutiones proponuntur.

Psal.71. Domini Iesu gloria in Ecclesia apud Gentes post persecutiones summatim proponitur.

Psal.72. Dolet S. Dauid desertos à summo Rege Christo Iudæos.

Psal.73. Pergit, & crescit in eodem luctu ob illam desertionem.

Psal.74. Deprecatio pro Populo Iudaico non perdendo.

Psal.75. Stabilitur sententia Reprobationis Iudæorum, & Electionis Gentium.

Psal.76. Quonam pacto Christi Ecclesia inter durissimas persecutiones fortissimè substiterit, & felicissimè sit progressa in Gentium ad Fidem conuersione.

Psal.77. Dominus fert Legem suam Nouam Vniuersali suæ Ecclesiæ Christianæ.

Psal.78. S. Dauid hoc Psalmo, provt in fine prioris inçeperat, luget Populi sui exterminium per

Aliorum Argumenta. A

Psal.66. Argumentum Græci affirmant esse, ac Hilarius bonaque Latinorum pars, de Incarnatione, deque Gentium vocatione.

Psal.67. Conueniunt nostri contra Hebræos, quod Psalmus sit de Christo, quia illum B D. Paulus ad Ephes.c.4.v.8. citat sensu literali.

Psal.68. Continet Passionem Domini, & omnia, quæ hìc dicuntur ad Christum sunt referenda.

Psal.69. Redigit in memoriam veterem liberationem, vel ab C Absalone, vel ab alio graui periculo.

Psal.70. Supplex oratio in Babylone captiuorum Hebræorum.

Psal.71. Conueniunt, agi hoc Psalmo de Christo.

Psal.72. Consolationem continet piorum, qui interdum offen- D duntur prosperitate impiorum.

Psal.73. Cladem continet Populi Hebræi factam per Romanos.

Psal.74. De futuro iudicio, de malorum supplicijs, & de bonorum præmijs.

Psal.75. Vaticinium destructionis Assyriorum sub Senacherib. E

Psal.76. Magna aliqua Populi afflictio, quæ eum priuaret cultu Dei, cum spe recuperandæ facultatis eundem cultum celebrandi.

Psal.77. Enumeratio admirabilium Dei operum, iam inde à F Populi de Ægypto liberatione.

Psal.78. Alij agi censent de calamitate Iudæorum tempore Antiochi, vt Græci enarratores

A *Nostra Argumenta.*

per Romanos illatum, seu inferendum.

Psal.79. Oratio, qua saluari saltem reliquias Populi Iudaici à Domino postulat, & ijs se solatur.

Psal.80. Inuitatio ad lætitiam ob Legem Sanctam Euangelicam promulgatam, quæ abundantia gratiarum similis est Torcularibus vino redundantibus.

B

Psal.81. Iudæi priùs exaltati; quia progressi in peruersitate sua vsque ad mortem Christo inferendam, fuerunt reprobati.

C

Psal.82. Promulgata iam Christi Lege, & iusta Iudæorum Reprobatione ostensa, cantatur hoc Psalmo, quod Ecclesia Deo auxiliante de Principum, & Regum Idololatrarum Persecutionibus victoriam obtinuerit.

D

Psal.83. Ecclesia Christi sua pulchritudine, & donis à Dño acceptis in sui amorem excitat.

Psal.84. Bonorum Ecclesiæ propositione, omnes quidem homines, sed maximè Iudæos, ad ingrediēdum in eam S. Dauid conatur prouocare.

E

Psal.85. Christus, vt Ecclesiæ Caput, gratias agit ob Ecclesiam à Persecutionibus liberatam, donisque locupletatam; fauorem, & protectionem perpetuam poscit.

F Psal.86. De dilectione, quam Dominus habet erga Ecclesiam; quæ dilectio est causa bonorum ipsi collatorum, & multitudinis Fidelium in ea lætantium.

Lu-

Aliorum Argumenta.

res, quibus non repugnant Latini: alij nobiscum sentiunt deplorari vltimum excidium per Romanos.

Psal.79. Alij volunt hoc Psalmo prædici salutem aduenturam per Christum: alij futuram sub Assyrijs captiuitatem: alij alia: de quibus fusiùs P.Lorinus.

Psal.80. Adhortatio ad Laudes diuinas à Populo, & à Leuitis præsertim celebrandas Septembri mense, &c.

Psal.81. Alij volunt à Deo argui Principes iniustos: alij sermonem esse de iudicio, quod exercebit Christus: alij innui aduentum Christi primum, &c.

Psal.82. Continet precatoriam formulam contra hostes. extenditur ad quaslibet persecutiones Hebræorum, & ipsorum Christianorum.

Psal.83. Ardens desiderium eorum, qui longiùs à Templo siue in captiuitate Babylonica, siue alibi aberant.

Psal.84. Sub typo de Babylonica captiuitate agitur de Christi liberatoris aduentu.

Psal.85. Alij precari opem aduersus Assyriorum obsidionem. P.Lorinus. Sub typo Dauidis vult Psalmum esse de Christo.

Psal.86. Continet laudem Ciuitatis Ierosolymitanæ supra celebriores alias Vrbes, &c.

I Con-

Nostra Argumenta.

Psal.87. Luget infelicem eorum sortem, qui morbo perfidiæ, & obstinationis laborantes, non venerunt ad Christum in Ecclesiam.

Quare autem S. Dauid tam frequenter Populum suum lugeat, dicitur ibidem.

Psal.88. De Christi Domini Regno; Exaltatione per Fidei Prædicationem; Regni eius Perpetuitate; & Iudæis, qui ab hoc Regno alieni erant futuri.

Psal.89. Comiserans deprecatur Iudæorum exterminium.

Psal.90. Ecclesia Christi cum Laude, & Cantico gratias Deo agit, quod in se, ministris, & fidelibus suis fuerit auxilium eius experta; & confideret se deinceps experturam id ipsum.

Psal.91. Summa quædam Dei Laudum, Benedictionum, & Gaudiorum, quando Dei Ecclesia requiem tandem post diuturnas Persecutiones est consecuta.

Psal.92. Post præuiam diem passionis, persecutionum Ecclesiæ, peruentum esse ad eius pacem, in qua omnium primo proponitur lætissimum illud; *Dominus regnauit*;

Psal.93. Celebrat Christum Dominum, eiusque Ecclesiam post deuictas persecutionum noctes toti orbi terrarum illuxisse.

Psal.94. Ecclesia, obtenta pace, & tranquillitate, Deo ac Domino suo Laudis Canticum cum exultatione concinit, & ad id inuitat.

Ec-

Aliorum Argumenta.

A

Psal.87. Continet querelam hominis afflicti, & expostulatoriam orationem: etiam ipsam Christi Passionem.

Psal.88. Argumentum est mixtum, ex rebus, quæ pertinent tum ad Dauidem, tum ad Populum, tum ad prædictionem venturi Christi.

B

Psal.89. Moses oratione à Deo impetrare contendit, vt Populum Hebræum à vanitate ad amorem æternorum bonorum traduceret.

C

Psal.90. Eum, qui speret in Domino ab omni malo tutum fore, vel ab illo liberandum.

Psal.91. Continet gratiarum actionem celebrandam omnium Cantorum vocibus. Item Dei laudem, & annunciationem rerum diuinarum die festiuo, &c.

D

Psal.92. Dei laudes pro Mundi Creatione, ac etiam pro recreatione.

E

Psal.93. Docet patientiam, constantiamque in aduersitatibus, expectando diuinam vltionem de superbis, &c.

F

Psal.94. Continet laudes musico ritu in Templo decantandas, ad quas conuocantur tum Iudæi, tum Gentiles, &c.

Lite-

Nostra Argumenta.

A Psal.95. Ecclesia Christi florens, & gaudens post diuturnas persecutiones, maximè Romæ, toleratas cum maximo animarum, & gentium ex toto Orbe conuersarum lucro; Sic etiam sentit S. Chrysostomus.

B Psal.96. Ecclesiæ Christi noua, seu continuata gratulatio cum Rege Sponso suo pro adepta, & adita iam hereditate, & possessione eius, Gentium conuersarum.

Psal.97. Pergit in eadem materia.

C Psal.98. Item de eadem.

Psal.99. Laus Domino defertur ob beneficia accepta, maximè Vocationis, & Conuersionis Gentium ad Fidem, & ingressus in eius Ecclesiam.

Psal.100. Christus Dominus hoc, quem in prioribus Psalmis vidimus, modo iam D *constitutus Rex super Sion montem sanctum suum*, qui est eius Ecclesia, in ea etiam magna Domo suo prædicat præceptum suum, vitæ innocentiam, à malis separationem, virtutum exercitium commendando;

E

Aliorum Argumenta.

Psal.95. Literaliter est de materiali siue Tabernaculo, siue Templo.

Psal.96. Alij primum, alij secundum Christi aduentum, volunt contineri: videtur etiam innui insignis aliqua de hostibus victoria.

Psal.97. Idem habet argumentum, quod proxima duo.

Psal.98. Idem argumentum, quod priora.

Psal.99. Prouocatio ad laudandum Deum, gratiasque agendas pro infinita eius bonitate in creando, regendo, tuendo, &c.

Psal.100. Describitur spiritu prophetico à Dauide probatissima optimi, ac religiosissimi Regis futuri Iosiæ vita.

Quo terminatur Secunda. Et tertia Quinquagena Psalmorum inchoatur.

Nostra Argumenta.

Psal.101. S. Dauid, quia cum Christo in eius Domo, quæ est Ecclesia, non erant futuri Iu-

F dæi, luget.

Psal.102. Quilibet Christi fidelis dat Domino benedictionem, ob accepta beneficia longè maiora, quàm antiquitùs fuerint data.

Aliorum Argumenta.

Psal.101. Nullum statuitur Psalmo huic Argumentum à P. Lorino, præter id quod Titulus indicat, *Oratio pauperis*, &c.

Psal.102. Psaltes prouocat se ipsum, Angelos, & omnia ad prædicandum Dei beneficia.

Nostra Argumenta.

Psal. 103. Pergit in benedictionibus, & Dei laudibus, & describit symbolicè totam Ecclesiam.

Confessio, & Laus cum maxima exultatione referuntur Domino in tribus *Confitemini*, id quod Alleluia significat Psalmorum 104. 105. 106.

Notanda circa Titulum; *Alleluia*, & Psalmos viginti, qui eo Titulo inscribuntur, Paragraphis octo proponuntur.

Psal. 104. Beneficia, antiquo Populo Israelitico exhibita, ad Populi Christiani eruditionem proponuntur.

Psal. 105. Item.

Psal. 106. Beneficium vocationis Gētium ad Fidem, & Ecclesiam præfertur reliquis omnibus antiquis.

Psal. 107. Diù optatam Cōuersionem Gentium, & Romæ Ethnicæ, vt factam celebrat.

Psal. 108. Desolationis Populi Iudaici causas, & pœnas proponit.

Psal. 109. Mysteria maxima de Christi Diuinitate, Ecclesiæ, eiusdemque Domini exaltatione cōpēdio restringit.

Secunda series, seu ordo Psalmorum nouem, qui sequentur, inscripti Titulo *Alleluia*, pertinent ad Christi Fideles vtriusque sexus, cuiuscunq; ordinis, & conditionis illi sint. Notato proprio.

Psal. 110. Iidem Fideles, cū exultatione Deum laudant, propter magna opera Domini, Gratię scil. Conuersionis Gentiū, Fundationis Ecclesiæ, Institutionis SS. Sacramenti, & Sacrificij Eucharistiæ. Gra-

Aliorum Argumenta. A

Psal. 103. Agitur de constitutione Mundi, & commendatur Deus à creaturarum conditione, conseruatione, gubernatione.

Psal. 104. P. Lorinus varia adfert supra Titulum *Alleluia*, & ex Nysseno, quod quando B hęc vox alicui Psalmo prę-scripta est, ad Dei laudationem ducat.

Psal. 105. Idem quod prius.

Psal. 106. Literaliter de Populo Iudaico multa à Deo accipiente beneficia, & reuocato à captiuitate Babylo- C nica.

Psal. 107. De persecutione, qua Saul Dauidem in spelunca delitescentem persecutus est: & de victoria super Idumæos, & Ammonitas.

Psal. 108. Continet præcipuè Iudam Christi proditorem, tum D alios Iudæos eiusdem persecutores.

Psal. 109. Conueniunt literaliter de Christo tractari hoc Psalmo, alioqui cōtradixissent Hebræi, qui conuicti scribuntur citatione eiusdem Psalmi. E

Hinc notandum parem esse debere rationem de alijs Titulis interpretandis iuxta id quod continent, non autem iuxta id quod grammaticè sonant; nam etiam huius Psalmi Titulus est; *Psalmus Dauid*.

Psal. 110. Continet laudem Dei, atq; F gratiarum actionem, vt & alij Psalmis quibus præponitur Alleluia. Variant autem quænam beneficia memorentur hoc Psalmo. Da-

Nostra Argumenta.

A Psal. 111. Gratię Deo cum lætitia referuntur, propter Ecclesiam Christi post persecutiones Romanorum ædificatam, & pacem cum bonis maximis obtentam.

Psal. 112. Omnes, præcipuè tenerior B ætas, ob conuersionem Gentium inuitãtur ad laudandum Dominum.

Psal. 113. Canitur spiritualis exitus populi Christiani ex Mundi, Idololatriæ, & peccatorum miserabili statu.

Psal. 114. Exultatio, eò quod Chri- C stianus populus à Deo ereptus ex tenebris peccatorum, & morte; & constitutus sit in regione viuorum, Christi Ecclesia.

Psal. 115. Gaudium ob insignes Sanctorum Martyrũ victorias.

Psal. 116. Laudes hasce, & gaudia es- D se propria Gentium conuersarum ad Fidem.

Psal. 117. Totius Ecclesiæ de periculis ereptæ, & Christo Domino exaltato, gaudium, & gratulatio.

Psal. 118. Pace, & tranquillitate Ecclesię obtenta, eius fideles E sese prõptissimos offerunt ad obseruandam legem Euangelicam, vitamq. sanctam, & immaculatam ducendam.

Psal. 119. Post hęc, inchoantur Psalmi Graduales quindecim, in quibus ijdem Christi fide- F les, maximè verò Ecclesiæ ministri, per Gradus, seu Virtutum ascensiones ad perfectionem tendentes, hoc primo, linguę refrænandæ studium proponũt. Di-

Aliorum Argumenta.

Psal. 111. Dauid præuidet Aggæum, & Zachariam è captiuitate Babylonica reuersuros, & admonituros populum, quanta sit viri iusti felicitas.

Psal. 112. Hortatur cultores Dei ad ipsum laudãdum, eò quod Altissimus cum sit, benignè tamen nos respicit.

Psal. 113. Est de beneficijs collatis à Deo in gentem Hebręam eductam ex Ægypti seruitute multis prodigijs.

Psal. 114. Alij gratiarum actionem populi Babylone reuersi: alij ipsius Dauidis ob liberationem à Saule, & Absalone, &c. continere volunt Psalmum hunc.

Psal. 115. Gratiarum actio pro liberatione à persecutione Absalonis, & votum pro illo beneficio.

Psal. 116. Alloquitur Propheta Ecclesiam ex Gentibus, ac Iudæis congregatam, & hortatur ad laudandum Deum.

Psal. 117. Gratiarum actio pro liberatione à maximis periculis, præsertim sub Saule, & pro collatis summis beneficijs.

Psal. 118. Versatur in lege Dei commendanda, quam nominibus multis appellat.

Psal. 119. Exponitur clamor populi Babylone captiui, & liberationem à Deo flagitantis.

Nostra Argumenta.

Psal.120. Diuinam opē experti Christi fideles, de eadem gratulantur, quod nunquam sit defutura; cui fident.

Psal.121. Cum gaudio & gratiarum actione, exposito pacifico Ecclesię Christi statu, hortatur ad zelum pro ea, maximè eius ministros.

Psal.122. De confidentissimo, quem Christiani in persecutionibus ad Dominum habuerunt, & porrò habituri erant, recursu.

Psal.123. Recordatio suauissima diuini adiutorij, in quo persistent deinceps.

Psal.124. Confidentiam in Dominum, Ecclesiæ filij boni semper habituri.

Psal.125. Ecclesiæ Christi, & Christianorum à persecutionum Romanarum pressuris liberatorum, felicissimè conuersus rerum status.

Psal.126. Cuncta in Dominum referuntur, quæcunque Ecclesiæ, Domui eius, prospera acciderunt.

Psal.127. In Christi Ecclesia non tantùm eius ministri, sed etiam qui sunt coniugati insignē sanctimoniam, & benedictionem Dei cōsequuntur, & ad illos etiam spectant Gradus, seu ascensiones.

Psal.128. Gratulatio de superatis oppugnationibus persecutorum ab Ecclesia, eiusque fidelibus.

Psal.129. Persecutionum, & calamitatum Ecclesiæ causam fuisse etiam Christianorū peccata; ex omnibus tamen copiosa fuit redēptio.

De

Aliorum Argumenta.

A

Psal.120. Exulis, aut peregrini consolatio reuertentis in Ierusalem.

Psal.121. Pium studium adeundi, visendique Templi Ierosolymitani, siue de alijs regionibus, siue etiam de captiuitate Babylonica. B

Psal.122. Voces captiui, peregrini, exulis ad Ierusalem suspirantis.

Psal.123. Gratiarum actio pro liberatione à graui furore hominum. C

Psal.124. Consilium ascendentibus de captiuitate de collocanda spe, & fiducia in Deum.

Psal.125. Facta redeundi in Ierusalem à Cyro facultate, captiui Iudæi, læti, beneficentiam Dei prædicant. D

Psal.126. Alij volunt agi hoc Psalmo de primo Templo Salomonis: alij de secundo.

Psal.127. Quæ bona consequatur is, qui timet Deum, & per temporalia bona, spiritualia intelligenda sunt. E

Psal.128. Populus opem diuinam expertus in captiuitate Babylonica consolatur se ipsum in præsentibus malis. F

Psal.129. Temporalis Hebræorum in Babylone exilij deplorat calamitatem.

Da-

A *Noſtra Argumenta.*

Pſal.130. De profundis calamitatum, Eccleſia Chriſti ad proſpera euecta, in humilitate perſtitit.

Pſal.131. Templo priore relicto, nouam Sion, Chriſti Eccleſiam, in ſempiternam habitationem eam benedi-
B ćturus, Dominus eligit.

Pſal.132. Magna charitas in Chriſti Eccleſia inter Fideles omnes: hic ſummus eſt Gradus; cum Plenitudo Legis ſit dilectio.

Pſal.133. Gratulatio Chriſti fideli-
C bus; maximè Dei ſeruis, deſtinatis ad Dei Laudes, & Eccleſiæ miniſteria; quod per dictos Gradus, & Aſcenſiones in Domum Domini venerint.

Poſt Cãticum Graduum ſequitur duplex *Alleluia*, quod tertiò po-
D nitur, eoque inſcribuntur Pſal. 134. & Pſal. 135.

Pſal.134. A Sacerdotibus, & Euangelij, ſiue Eccleſiæ miniſtris, per ſacrificia potiſſimùm, & Conciones Laus Deo decantatur.

Pſal.135. Item.

E Nouem Pſalmis, qui ſequuntur, interiectis inter hunc tertium, & poſtremo loco ponendorum Pſalmorum Alleluiariorum ordinem; fit Recapitulatio rerum omnium antecedenter toto Pſaterio dictarum Notatione ad reliquos Pſalmos, & Titulos.

F Pſal.136. Ærumnas, & ingentes calamitates Romæ diù perpeſſas Eccleſia Chriſti, in ipſa ſua ſibi, per ipſum, parta felicitate in mentem reuocat.

Ea-

Aliorum Argumenta.

Pſal.130. Dauid ſe ipſum proponit exemplum ſperandi in Deum: vel admonentur liberati è captiuitate, vt ſe ſe in officio contineant.

Pſal.131. Dauid ſuam voluntatem, & votum ędificandi Templi declarat.

Pſal.132. Dauid laudat concordiam, quæ erat in regno ſuo, ſubditis ſibi omnibus Tribubus.

Pſal.133. Eos, qui ad ſupremum gradum aſcendendo feliciter peruenerint, hortatur, vt diuinis laudibus perpetuò vacent.

Pſal.134. Continet laudationem Dei pro eximijs beneficijs Populo exhibitis. arguitur Idololatria.

Pſal. 135. Item laudationẽ Dei propter opera Creationis, Prouidentiæ generalis, & curę particularis circa Populum ſuum.

Pergunt alij, ſuppoſito illo principio non dari inter Pſalmos ordinem, quod ſupra, non ſtare, oſtendimus; pergunt, inquam, & ſua Pſalmis Nouem ſequentibus, abſque alio ad alia priora reſpectu, aſſignant Argumenta.

Pſal.136. De captiuitate Babylonica Populi Iudaici.

Gra-

Nostra Argumenta.

Psal. 137. Eadem Christi Ecclesia de Roma deuicta, & præsenti sua felicitate, quam in Sponsum suum refert, gratulatur.

Psal. 138. De probationibus à Christi fidelibus, siue eius Ecclesia toleratis; Dei sapientia, prouidentia, protectione, &c. in illis: de Apostolorum Prædicatione, fructu, Conuersione Gentium, &c. cantatur.

Psal. 139. De persecutionibus, quas Iudæi intulerunt Ecclesiæ, & pœnis, quibus propterea fuere puniti.

Psal. 140. De ijsdem vtrisque rebus.

Psal. 141. Cōpendio recensentur persecutiones, quas Christus, eiusque Ecclesia à Iudęis Ierosolymis fuit passa.

Psal. 142. Est de ijsdem sub nomine Absalonis, sicut supra Psalmo tertio.

Psal. 143. Omnia, quæ à Gentibus pertulit Christus, eiusque Ecclesia comprehendit.

Psal. 144. Exaltationem, & Gloriam Domini Nostri Iesu Christi, in quam omnia priora ordinata sunt, continet, & proponit.

Vltimæ, eæque excellentissimæ, cum Iubilo Laudes persoluuntur Domino à tota Ecclesia senario

Alleluia,

Sex Psalmorum,

145
146
147
148
149
150

Aliorum Argumenta.

A

Psal. 137. Gratiæ aguntur Deo ab ijs, qui de Babilonica seruitute, veluti parta de hostibus victoria, reuersi sunt.

Psal. 138. Psaltes theologatur altissimè de sapientia, profunditateque scientiæ diuinæ.

Psal. 139. Dauid precatur aduersus persecutores suos Saulem, Philisthęos, Absalonē, &c. B

Psal. 140. Idem Arg. quod præcedens.

Psal. 141. Titulus: Dauid *cum esset in speluca oratio*: indicat Arg. Psalmi esse de re eadem.

Psal. 142. De persecutione Dauidi facta ab Absalone. C

Psal. 143. Psalmus literaliter est de victoria ex Goliath.

Psal. 144. Toto Psal. perpetua quædam laus Dei continetur, vel etiam Christi, per se, ac immediatè. Ita P. Lorinus, in hoc mecum sentiens; non tamen pari deductione à prioribus. D

Psal. 145. Populus gratias agit pro reditu ex captiuitate Babylonica commemorādo Dei beneficia.

Psal. 146. Describitur reditus populi ex Babylone.

Psal. 147. Inuitatur populus Iudaicus ad Deum laudandum, ob plura beneficia in ipsos, & eorum Ierusalem collata. E

Psal. 148. Continet gratiarum actionem pro liberatione Babylonicæ captiuitatis.

Ps. 149. Est obligatio populi Hebræi, vt Dominum supra cunctas alias Gentes laudet, à quo plura ipse acceperit. F

Ps. 150. Adhortatio ardēs ad laudādū Dñm, adhibito vario instrumentorū musicorū genere.

Ex

A Ex his hic summatim, & ordine positis Psalmis, eorumque Argumentis patet inter eos omnes pulcherrimus ordo, cohærentia, & nunquam interrupta alienis, & disparatis rebus connexio, & consonantia.

Quod autem, quæ dicta sunt, sint eorum Argumenta, constabit ex Titulorum, qui Psalmis præfiguntur Explicatione. Nunc summatim pariter ostendatur, quomodo singuli Psalmi ad sua Octo illa rerum Capita, & Fontes, quibus totum Psalterium constat, reducantur.

Itaque ad Primum Caput, & Fontem rerum, qui est Iudæorum Obstinatio,
B eorumque Reprobatio, & Desolatio cum ijs, quæ rebus huiusmodi coniuncta sunt; de quibus supra Notato 3. §. 6. & 7. pertinent Psalmi infrascripti.

Psal. 1. 7. 16. 48. 49. 75. 81. 108. 131.

Cum hoc primo connexionem habet Cap. 2.

Ad Secundum Caput, & Fontem, qui est Commiseratio, Dolor, & Fletus eorumdem Iudæorum Reprobationis, & Desolationis causa spectant Psalmi sequentes.

C Psal. 6. 37. 41. 42. 43. 48. 50. 72. 73. 74. 78. 79. 87. 89. 101. 131.

Ad Tertium. Gentilium, & Idololatrarum Vocationem ad Fidem Christi, & in Ecclesiam in Iudæorum locum, pertinent

Psal. 5. 9. 15. 44. 46. 59. 64. 65. 66. 67. 95. 96. 97. 98. 99. 107. 112. 113. 116. 131.

Ad Quartum, scilicet Conuersionem ipsius Gentium Dominæ Romæ Ethnicæ, & Imperij Romani ad Christi Fidem

D Psal. 18. 23. 30. 59. 109. 136.

Particulares longè plures alios locos, & citationes huius Quarti Capitis dabit Psalmorum Explicatio.

Ad Quintum; Diuinam eorum virtutem, qui tantum opus aggressi, perfecerunt, qui fuerunt Sancti Apostoli, & eorum Successores, referuntur

Psal. 10. 17. 28. 59. 60. 61. 62. 63. 76. 115. 136. 138.

Ad Sextum, quod continet mystica prælia, ipsas persecutiones, martyria, populorum conuersiones, victorias, &c. spectant

E Psal. 3. 9. 45. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 68. 76. 82. 114. 115. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143.

Ad Septimum. Ecclesiæ Christi, sic in Gentibus fundatæ eximia bona, &c. & quæ §. 7. Notati 3. sunt cum eo adiuncta.

Psal. 4. 5. 14. 17. 18. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 29. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 47. 60. 64. 65. 67. 69. 70. 77. 80. 82. 84. 85. 86. 90. 91. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 102. 103. 104. 105. 106. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 117. 118. 119. 120. 121. 122.
F 123. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135.

Vltimi etiam sex Psalmi, & quamplurimi alij ad hoc Caput reducuntur; vt propterea mirum non sit, ab Ecclesia Sancta Dei Psalmos tam frequenter, & vbique in omnibus Diuinis Officijs vsurpari.

Ad Octauum Iesu Christi Vnigeniti Dei, & Mariæ Virginis Saluatoris Nostri Gloriam, & Exaltationem pertinent


Psal.

Psal. 4. 8. 15. 17. 20. 21. 23. 39. 44. 71. 88. 92. 93. 95. 96. A
97. 100. 104. 105. 106. 109. 134. 135. 144. 145. 146. 147. 148.
149. 150.

In omnibus his adnotatis Psalmis, veluti ex professo, fit mentio prædictorum octo Fontium, seu Capitum rerum, seu Tonorum, ad quos adaptati fuere Psalmi; incidenter autem passim, & frequentissimè insinuantur.

Quanta verò in Psalterio toto concordantia ex singulorum Psalmorum, & Titulorum ipsis præfixorum Explicatione, quam nunc aggredimur, manifestabitur.





PARS SECVNDA
PSALTERII DAVIDICI CONCORDATI.
Primæ Quinquagenæ Psalmorum Explicatio.

Breuis Præfatio in Primam Psalmorum Quinquagenam.

A *OBseruandum vniuersim est, Sanctum Dauidem circa Psalterij, & Psalmorum suorum dispositionem, & ordinem eo ferè modo progredi, quo duobus proximè explicatis Præfatorijs, vt ita dicam, Psalmis, rerum à se dicendarum Capita disposuit; nam quemadmodum Primi, & Secundi Psalmi initium constituit* à Concilio impiorum; à via peccatorum; à cathedra pestilentiæ;
B à fremitu Gentium, Regum, & Principum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius; *ita ab ijsdem Persecutionibus Psalmos suos orditur. Deinde quia illæ erant* aduersus Dominum, & aduersus Christum eius; *aliquibus Psalmis inserit, quæ ad eiusdem Christi Domini Maiestatem, & diuinitatem ostendendam spectant. Quia verò,* constitutum Regem, *dixit,* prædicantem præceptum eius; *multis planè agit de Euangelij Præ-*
C *dicatione, Gentium Conuersione, Persecutionum, tam à Synagoga, quàm à Gentibus suscitatarum acerbitate, vsque dum perueniretur ad obtinendam plenam* hereditatem Gentium, & possessionem terminorum terræ.

Fuisse autem his passibus, atque hoc ordine progrediendum (quod clarè ipse

Dominus, Lucæ cap. 24. insinuauerat, vt in Notatis Præuijs, Not. 3. §. 4. vidimus) S. Dauid ipso in Psalmorum limine expreßit. A

Cum verò vniuersus Psalmorum numerus ad centum quinquaginta sese extendat; ita singulos quinquagenarios numeros rebus dicendis distinguit, vt licet ferè in omnibus, maximè duobus primis quinquagenarijs, omnia illa rerum Capita, in Vniuersali Psalterij Argumento notata, pulcherrimo ordine, & dispositione pertractet; nihilominus tamen, vnà cum ipso Psalmorum progressu, semper clariùs, explicatus, & apertiore sensu, atque manifestatione, sacro suo carmine sacrosancta proponit, & pangit mysteria; ita vt Secundus quinquagenarius longè sit clarior Primo, & Tertius Secundo. B

Tertius etiam, cum iam aditam Gentium hereditatem, & tranquillum Ecclesiæ Christi statum proponat, lætißimus est, & ferè totus in Ecclesiæ bonis, & Domini Iesu gloria manifestandis impenditur.

Quod verò subinde eadem repeti videantur, & re ipsa repetantur, neque hoc aut superuacaneum, aut contra ordinem, connexionem, & dispositionem est. Id enim cùm propter magnitudinem, vbertatem, atque fœcunditatem mysteriorum, quæ decantantur, fiat; illa ipsa, quæ indiuisa intellectus nostri exilitas nequit comprehendere, sic partita in partes melius percipit, atque etiam iucundiùs degustat: præsertim quando quæcumque repetuntur, noua, & cum nouis semper mysterijs sunt coniuncta. Sed hæc, aliaque omnia magis constabunt ex dicendis. C D



PSAL-

PSALMVS III.

Domine, quid multiplicati, &c.

Arg. seu Titulus Psal. III.

B *Psalmus Dauid, cum fugeret à facie Absalon filij sui.*



Salmus hic, qui in Psalmorum numero tertius est, sed in orationis connexione, & rerum coordinatione, primus; licet ex Titulo videatur esse planè ad literam de ipsomet Psalmographo Dauide, nihilominus quia non omnia, quæ eo Psalmo dicuntur Dauidi conueniunt, dicendum est, ad literam, & intentum S. Dauidis, iuxta meum argumentum, esse totum Psalmum de Christo;
C atque ita prout supra insinuatum fuit, exordium hoc Psalmo ducitur à persecutionibus contra Christum verum nostrum Dauidem suscitatis, omnium primò ab ipsis Iudæis, qui per Absalonem filium aptissimè exprimuntur. Nam sicut ipse post patratam Amnonis fratris sui cędem ipsum Regem Patrem persecutus est, ita Populus Iudaicus, post *occisos Prophetas, Sapientes, & Scribas*. Matt. 23. 34. in ipsum Dominum sæuierunt. Benè etiam, & ipse populus Filij nomine intelligitur; nam Deuteronomij c. 32. v. 19. dicitur: *prouocauerunt eum filij sui, & filiæ*. Item Luc. 15. 31. per fratrem seniorem, venit ipse populus; & Ioannis 1. maximè de Iu-
D dæis est illud; *in propria venit, & sui eum non receperunt*. Quanta autem ab ipsis, iam inde ab initio pertulerit Christus, notius est, quàm vt explicatione indigeat.

Iam verò quod non omnia, quæ Psalmo hoc dicuntur, Dauidi conueniant, & consequenter, iuxta dicta Notato 4. in præuijs Documentis, aliò sint deriuanda, constat vel maximè ex Versu 6. *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, &c.* Hæc verba passionem Christi, & Resurrectionem sonant, eamque & solam intendunt; vnde S. Augustinus 17. de Ciuit. c. 18. miratur si quis ita desipiat, vt credat velut magnum nobis indicare voluisse Prophetã, quod dormierit, & exurrexerit; P. Lo-
E rinus addit, quod in hac quoque sententia sequitur Origenem Burgensis, quia Dauidi fugienti, non licuit somno ac sopori vacare, sed etiam de nocte transgredi compulsus est, & transire Iordanem, donec dilucesceret. Verùm in hoc ipso Titulorum, & Argumentorum initio

Notandum est; quod licet tam hic, quàm reliqui ferè omnes Tituli de rebus, quas sub illo suo veluti cortice verborum continent, sint explicandi; non tamen proptereà sequatur mysticam, & non literalem esse explicationem: Nam iuxta dicta, & probata in præuijs Notatis, maximè Notatione 1. & 4. & Obiectione 2.
F §. 4. illa literalis est explicatio, quæ iuxta mentem, & intentum Sacri Scriptoris fit, sub quibuscunque verborum metaphoris, translationibus, seu symbolis fiat. Mens autem atque intentum Sacri Scriptoris, non aliunde magis, meliusque, quam ex sermonis connexione, cohærentia, atque consequentia colligitur.

Quanta verò illa sit, patebit ex ipsa Psalmi huius explicatione, quæ hoc posito Argumento, tota facilè, nec inuita sequetur.

Interim, quod ad connexionem maximè pertinet, obseruare hic oportet, Sanctum Dauidem, ita Psalmum hunc concludere, vt ipsa eius conclusio initium sit connexionis huius Psalmi cum sequenti; nam dum ait v.9. *Domini est salus* (quibus verbis occurrit falsæ eorum opinioni, qui supra v.3. de Christo dixerant, *Non est salus ipsi in Deo eius*) non contentus id dixisse, addidit: *& super populum tuum benedictio tua*: quo dicto se se extendit ad eos, qui in Christum crediturі erant, & futuri eius populus. De hoc autem eius populo, siue de ijs, qui eum erant recepturi, statim sequenti Psalmo multa habet; & deinde Psalmus subsequens quintus, totus de Christi Ecclesia est. Sed hæc satis. Breuius expedituri aliorum Psalmorum Argumenta, nisi vbi rerum difficultas diutiùs immorari coegerit. Benè autem prius inspecto, perceptoque Argumento, contextus ipse Psalmorum sola difficultatum insinuatione facilè percipietur. Quomodo autem circa Psalterij finem, in recapitulatione rerum in eo dictarum, tertio huic Psalmo correspondsurus sit centesimus quadragesimus secundus ibi dicetur. Nunc talis est Psalmi explicatio.

PSALMVS III.

V.2. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.

Cum ad literam totus hic Psalmus sit de Christo Domino, vt dictum est, vice eiusdem Domini S.Dauid in hæc verba admirationis prorumpit; non quod ipsi, qui summa Sapientia est, vel nouum, vel mirum aliquid accidere posset, sed quod rem propositurus esset, quæ meritò poterat vniuersum Mundum in admirationem, & stuporem rapere; ea verò illa erat; quod cùm ipse Dei Vnigenitus factus homo in Mundum venisset, remedium, & salutem ægro eidem, & perdito allaturus, ipse nihilominus Saluator, & Medicus adeò phreneticum Mundum repererit, vt & medicinam respueret, & in ipsum suum Curatorem consurgeret. Eò vsque nimirum processerat miserabilium hominum lethalis infirmitas! Quidni igitur salutis humanæ amantissimus Dominus in propria, & ad suos Contribules (quos tanquàm Oues, imò & Filios diligebat) veniens, ab ipsis non solùm non receptus, sed etiam odio habitus, atque iniurijs, ad mortem vsque affectus non exclamet? *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?*

Neque verò existimandum est iniurias, & tribulationes Christo Domino illatas exiles, & paruas extitisse, tam enim ingentes fuerunt, vt multi dicerent

V.3. Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius.

Idest, tam dirè, & crudeliter sæuitum est in me, vt putatus fuerim *quasi leprosus, & percussus à Deo, & humiliatus*. Isa. c.53. v.4. fuerimque factus pro hominibus *maledictum*, cùm sim Deus benedictus in sæcula. Gal. 3. v.13.

Ad rei huius tantæ stuporem denotandum, hoc loco additur in hebræo; *Selah*; idest, vt ait P.Em. Sà, eleuatio, quia nimirum Cantores hic vocem intendebant ad

A ad exprimendam rei indignitatem, seu calamitatem. S. Hieronymus loco illius habet; *semper*; quasi dicat, rem esse perpetuò cogitandam.

Nulla autem alia rei huic par, & quæ vel maiorem contineat seu commiserationem, seu indignationem, quàm Dei Filium eò vsque miseriarum, & calamitatum redactum, vt putari de eo posset, quod, ***non est salus ipsi in Deo eius***.

Verùm erronea nimium, & omninò falsa hæc est de eo opinio, nam ait ipse Dominus Christus, vt homo, ad Deum;

B **V. 4. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.** Idest, nonnulli propter persecutionum, & tormentorum meorum acerbitatem, & Crucis meæ ignominiam iniqua æstimatione, vel penè, vel omninò inducti fuere ad credendum, me derelictum fuisse à Deo; & tamen reipsa, & revera, ***Tu, Domine, susceptor meus es***. Quinimò etiam tunc in illis meis ærumnis

C **V. 5. Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.** Neque verò, vel Crux mea, vel ipsa mea mors in Cruce obita, vel sufficiens, vel vlla causa diffidentiæ de mea Diuinitate esse debebat; ***quoniam*** (Luc. c. 24. v. 46.) *sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die*, Atque sic omninò factum est;

V. 6. Ego dormiui, & soporatus sum

D per mortem in Cruce, & inde positus in sepulchro; vnde **& exurrexi, quia Dominus suscepit me,** parta iam per mortem, & resurrectionem victoria, ac propterea

V. 7. Non timebo millia populi circundantis me: sed in omnibus persecutionibus, & pressuris confidenter dicam; exurge Domine, saluum me fac Deus meus; nam memor

E sum aliàs præstiti mihi auxilij;

V. 8. Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti. Atque hinc, ex his meis reportatis de Morte, Inferno, & omnibus meis hostibus, victorijs, & triumphis, palàm constitit, quia

F **V. 9. Domini est salus: &** (subintellige, quod sit semper futura) **super populum tuum benedictio tua.**

 A

PSALMVS IV.

Cum inuocarem,&c.

Argumentum Psalmi IV.

In finem in carminibus, Psalmus Dauid. B



MVlti sunt Psalmi, qui præfixum habent; *In finem*; & multæ sunt harum particularum explicationes; vna (rebus omnibus cum bona dispositione, ordine, & connexione dicendis) nobis est sufficiens; quod scil. *In finem*; non aliud significet, nisi ea, quæ Psalmo, cui id præfixum est, sunt inclusa, respicere ad ea, quæ futura erant in Ecclesia Christi; siue non sistere in præsentibus. Illud autem; *In carminibus:* C

Multas, & hæc dictio; *Carmen*; significationes habet in Diuinis Scripturis; lætas interdum; subinde lugubres; hoc loco; item Psal. 6. Psal. 53. & Psal. 54. indicat his Psalmis contineri deprecationem in tribulatione, seu afflictione. Nam etiam Ezech. c. 2. v. 9. lamentationibus additur, *carmen*.

Psalmus Dauid; est in Datiuo; scil. Dauidi: sub quo nomine passim in Psalmorum Titulis, vt constabit, intelligitur Dominus Noster Iesus Christus: hic verò innuitur, quod Psalmus iste cantetur ipsi Domino Christo ab eius Populo in tribulatione constituto; qui quidem Populus ille est, super quem (vt paulò ante dixerat in fine prioris Psalmi) futura erat *benedictio eius*: quia scilicet credituri erant in ipsum Dominum Christum; ad quod hoc ipso Psalmo hortatur S. Propheta Dauid eos, qui *graui erant corde*, & qui ipsi Domino aduersabantur, nimirum Iudæos, proposita eiusdem Domini diuinitate; *quia mirificauit Dominus Sanctum suum*, & bonis eximijs, quæ largiturus erat suis fidelibus. D

PSALMVS IV. E

ILle ergo *Populus super* quem *Domini benedictio* facta fuit, dum Christum recepit; licet simul tribulationum, & persecutionum Domini sui particeps effectus fuerit, nihilominus fiducia, & consolatione plenus ait,

V. 2. Cum inuocarem in tribulationib. & persecutionibus positus, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: qui sibi me mundauit in populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum; & qui est omnis meæ Iustitiæ auctor, & remunerator, vt P. Emm. Sà; planè ò Deus iustitiæ meæ; in tribulatione dilatasti mihi; scil. cor, vel (LXX.) dilatasti me; idest in latitudinem eduxisti è loco angusto. Idem P. Sà. F

Quàm verò aptè hæc omnia conueniunt primitiuæ Ecclesiæ, quæ collecta fuit è Iu-

A Iudæis! pergite ita planè mecum misericorditer operare, ò Domine, Miserere mei, & exaudi orationem meam. Cum verò tam benignam erga me Domini bonitatem, tamque promptum eius auxilium intueamini

V. 3. Filij hominum, Iudæos alloquitur in obstinatione, & perfidia sua permanentes, B vsquequo graui corde? Sed quia non vna obstinatio cordis eis erat non credendi in Christum causa; verùm etiam cor terrenis vanitatibus, & voluptatibus immersum, addit, vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mēdaciū?

Ad eos ab his malis eripiendos potentissimis medijs, veluti fortissimis brachijs, & lacertis vtitur, dum ait,

V. 4. Et scitote, quoniam mirificauit Do- C minus Sanctum suum: Sanctus Domini, Sanctus Sanctorum, & simpliciter, Sanctus, per excellentiam nominis Christus Iesus Dominus noster Messias appellatur, proinde cum de ipso, non de se S. Dauid in persona eius fidelium loquatur; idem est, atque si dicat; ad emolliendum cor vestrum induratum, vosque inducendos, vt vanitati, & mendacio rerum terrenarum nuntium remittatis, id quæso, quod nobis à Domino promissum est, altissimè in animum, & cor vestrum demittite, Et scitote quoniam fidelissimus D Deus stetit omninò promissis suis, & iam mirificauit per Incarnationem, & Natiuitatem sui Vnigeniti de Spiritu Sancto concepti, deq; Maria Virgine nati, mira patrando, mirificauit, inquam, Dominus Sanctum suum. In quo quidem dilectissimo suo Vnigenito adeò sibi complacuit, vt quicquid per ipsum, & in nomine ipsius petiero sim obtenturus; Dominus exaudiet me, cum E clamauero ad eum.

V. 5. Quis igitur hæc audiens non sancto in se ipsum, & vitia sua odio exardescat? ita quæso Irascimini, & nolite peccare: neque verò solummodò id volo, vt quàm maximo odio persequamini peccata, quæ patent, quæque in oculos hominum incurrunt, & in opus externum exeunt (Iudæos potissimùm, & Pharisæos ex hypocrisi, & simulatione constantes alloquebatur) verùm etiam vt intima peccata cordis detestemini; propter illa, inquam, ipsa, quæ male F dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris, & quæ nullum præter Deum, ipsamque conscientiam vestram testem habent, compungimini. Eiectis autem ex animo, & corde vestro omnibus malis, & iniquitatibus, quæ illud coinquinant; tum demum

V. 6.

V.6. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ,& ſpe- A
rate in Domino, tum, inquam, bonis operibus omnis iuſtitiæ, & ſanctitatis, orationis ad Deum,& miſericordiæ ad proximum vobis vacandum, & inſudandum erit.

Omnia hæc, quæ à verſu quarto breui quidem compendio, & connexione dicta ſunt, qui tamen magis reſtringere vellet, & ſimul clariùs, atque compendioſiùs explicare, diceret cum D. Paulo ad Titum c. 2. v. 11. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus* (hoc eſt illud, *Et ſcitote, quoniam,&c.*) *erudiens nos, vt abnegantes impietatem* (& hoc eſt, *Iraſcimini,&c.*) *& ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo*; quod planè dicit S.Dauid, dum ait, *Sacrificate ſacrificium,&c.* Id ipſum dicit S. Zacharias in ſuo Cantico *Benedictus,&c.* Lucæ c.1. à v.68. B

Iam verò cum ſatis videri potuiſſet Sanctum Dauidem hortatum fuiſſe ad opera ſanctitatis, & pietatis illis verbis, *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ*; quod addiderit, *& ſperate in Domino,* commendare voluit conſtantiam, & perſeuerantiam in ijs bonis operibus, quæ coniuncta ſemper eſſe debet cum magna erga Deum confidentia, & longanimitate; & hoc quidem ideò, quia periculum eſt, ne alioquin decipiantur errore hominum mundanorum; nam Multi ſunt, qui dicunt mundani, plebei, & inferioris conditionis, & notæ homines, præſentia ſolùm, & terrena ſpectantes, ſolas diuitias, & terrena bona, bona eſſe putant, & *dicunt*, quis oſtendit nobis bona? alia his potiora, meliora? Sed profectò falluntur illi quàm maximè, cum non illa ſint vera hominis bona; ſed potius veræ hominis diuitiæ ſint id, quod C

D
V.7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine, ideſt, gratia tua, fauor, benignitas, & beneuolentia tua, ò Domine, qua animas noſtras exornas, & per quæ dilectis ſeruis tuis dare ſoles, & re ipſa dediſti lætitiam in corde meo. hæc, inquam, ſunt vera hominis bona; & ideò illa indeſinenter ſunt quærenda. Hæc enim S. Paulus paulò ante citatus ad Titum c. 2. v. 13. paucis explicat, dum cum illa dixiſſet, ſubiungit; *expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti*. vis eſt in verbo *expectantes*, quod illam perſeuerantiam, fiduciam, & longanimitatem innuit. E

Sed pergit S.Dauid, & vbi ea dixiſſet eſſe vera, & vnicè optanda hominis bona, ſimul addit. Dubium nullo modo eſſe poſſe, quin Dei ſeruis, & amicis affatim ſuppetant ingentia Domini bona, non tantùm illa ſpiritualia, quæ iam dixit, ſed etiam temporalia, quandoquidem

V. 8. A fructu frumenti, vini, & olei ſui, F
multiplicati ſunt, illi ipſi eius ſerui. Nihilominus S.Dauid per hęc, quæ hìc enumerat, dum ait, *à fructu frumenti, vini, & olei ſui*, quæ ſcilicet ipſe dedit; *multiplicatos* eius ſeruos; potiſſimùm reſpicit, ad frumentum electorum, & vinum germinans Virgines Sanctiſſimi Euchariſtiæ

Sa-

A Sacramenti, & Sacrificij: nec non per oleum ad copiosam Sanctissimi Spiritus gratiam, eiusque dona communicata Christi fidelibus.

Hæc verò Dei dona tam grandia sunt, tanta liberalitate, & perpetuitate danda, donanda, & communicanda Christi fidelibus, vt plenus spe, & fiducia

V. 9. In pace in idipsum, quod dixi hactenus, dormiam, & requiescam. Et cur id non faciam? vel id meritò faciam,

B V. 10. Quoniam tu Domine *mirificando* scil. *Sanctum tuum*, verè singulariter in spe constituisti me. nam, *qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo, omnia nobis donauit?* Rom. 8. v. 32.

C PSALMVS V.

Verba mea, &c.

Argumentum Psalmi V.

In finem pro ea, quæ hereditatem consequitur, Psalmus Dauid.

D 

PRovt priori Psalmo S. Dauid Christi fidelium meminerat, Ita hunc totum Psalmum de eius Ecclesia (ipsa enim est, *quæ hereditatem consequitur*) decantat, eius vice, ac voce. Et certè omnia ipsi Ecclesiæ Christi quadrant, quæ Psalmo dicuntur, vbi etiam causæ proponuntur, cur repulsi, seu non ingressi in eam fuerint Iudæi, quia scil. *viri sanguinum* V. 8. & quæ V. 10. & 11. etiam de ipsis sunt. Ipsa autem non suis meritis, sed *in multitudine misericordiæ tuæ introibo in* E *Domum tuam*, ait; & idipsum repetit V. 12. & 13. quæ maximè conueniunt Ecclesiæ ex Gentibus collectæ.

PSALMVS V.

V. 2. Verba mea auribus percipe Domine, ostendens se locuturam ad eum, qui Deus simul esset, & homo, quod ni vellet si-F gnificare, superfluum fuisset dicere *auribus percipe*; intellige clamorem meum. Quod autem hoc ipsum intenderit demonstrare, se scil. Vnigenitum Dei Incarnatum, Dominum suum alloqui, etiam clariùs Versu sequenti manifestat.

V. 3. Intende voci orationis meæ, Rex

meus, & Deus meus. Titulo, Regis sui, Hominem Deum nuncupando. A

V. 4. Quoniam ad te orabo: his præmissis; quibus, ad quemnam sibi oratio esset futura, declarauit, tum ait, Domine mane exaudies vocem meam. Et rursus

V. 5. Mane adstabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Quid, quæso, sibi vult S. Dauid hoc repetito *mane?* An non ipse, & meridie, & vesperi; an non & media nocte Dominum deprecabatur? an non quocunque tandem seu diei, seu anni tempore deprecaretur Dominum, agnoscebat omninò, quod, non Deus volens iniquitatem ipse esset? B

Scio passim illud *mane*, pro tempestiuè explicari, sed illo plus aliquid significare voluisse S. Dauidem, certum est. C

Id porrò, vel aliud non, vel potissimum est, quod per *mane* repetitum intellexerit optatissimum illud tempus Aduentus Vnigeniti Dei in carne. Hoc ita esse probatur ex simili modo loquendi, & id ipsum intelligendi, quem vsurpauit S. Isaias Cap. 21. V. 12. *Venit mane, & nox*, cuius literalis explicatio ibidem videnda erit.

Deinde rerum connexio in hoc Psalmo, vt de eo intelligatur, exigit; nam verè pusillus ille grex, quem Dominus in carne sibi delegit, vitæ innocentia planè insignis, vel fuit, vel factus fuit, ipsum sequendo. Et tunc omninò conuersante in carne Domino, & ei optimis quibusque adhærescentibus; alijs verò, qui secus, ei aduersantibus, patuit *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*; & quod D

V. 6. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. E

V. 7. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium. F

V. 8. Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus: Sed hìc in hac abominatione eius *viri sanguinum* facienda, populi Iudaici reprobatio fuit insinuata. Propterea ab hoc versu vsque ad finem continuata fit op-

A oppositio, eius Populi Iudaici deserendi, cum Ecclesia in eiusdem locum substituenda; iuxta id, quod in ipso Titulo prædixerat, Psalmum esse *pro ea, quæ hereditatem consequitur*. hæc autem vtique fuit Ecclesia, substituta Synagogæ. Igitur cum futurum esset, vt Virum sanguinum, & dolosum abominaturus esset Dominus; idest non toleraturus amplius, sed proiecturus à se, & è domo sua eiecturus; Ego autem, sibi, & felicitati suæ gratulans Ecclesia, suamque hanc felicitatem, in eum à quo illam accipiebat referens; in multitudine misericordiæ tuæ, ait introibo

B in Domum tuam: è qua illi eijciendi, adorabo ad templum sanctum tuum, quod augustissimum, & cuius gloria prioris Templi longè excedat maiestatem in Gentibus est ædificandum; *adorabo*, inquam, *ad* illud *templum sanctum tuum* in timore tuo.

Cum verò tantum, tanquam excellens bonum, sine peculiari gratia, & auxilio

C tuo, ò Domine, nullatenus consequi valeam.

V. 9. Domine deduc me in iustitia tua, fac vt accuratè seruem ea, quæ mihi à te præcepta sunt, neque vnquam à via, & vestigijs, quæ me docuisti, deflectam. Et quia mihi potissimùm aduersaturi sunt illi ipsi Iudæi, quos tu abominaberis; propter inimicos meos, dirige in

D conspectu tuo viam meam.

V. 10. Dirige, inquam, viam meam, vt quàm remotissima sit à vijs eorum: Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

V. 11. Sepulchrum patens est guttur eo-

E rum, linguis suis dolosè agebant; Hæc planè vitia, & scelera, propria illorum Iudæorum, qui tempore Christi, & primitiuæ eius Ecclesiæ vixerunt, vt patet ex Euangelijs, & Actibus Apostolorum. Sed nunquid impunita remanere debebant? Id quidem nequaquam, nam grauissimas pœnas, quas pro ijs dederunt, subiungit S. Dauid, non illis eas optando, vel imprecando, sed tantùm prophetando, & prædicendo; quod monitum necessariò est obseruandum, in decursu enim Psalterij sæpissimè recurrit. De pœnis ergo, quæ eos apprehensuræ

F erãt, ait; iudica illos Deus. Decidant a cogitationibus suis; maximè intelliguntur illa eorum consilia, quæ tam sæpè agitarunt contra Dominum Christum, vt Ioan. c. 11. & aliàs; frustrandos ergo illos spe illa sua, quæ per necem innocentis Domini se locum suum, & gentem conseruaturos arbitrabantur, S. Propheta prædicit: imò quia in ijs eorum

cogitatis,& factis horrendum constitit facinus, prædicit insuper; secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te, Domine. Illi quidem, qui adeò obstinati, & impij fuerunt, sic: sed non sic, qui fideles, & probi; propterea hi A

V. 12. Et lætentur omnes (cum sicut supra dixi fiat in his Versibus oppositio, idem est atq; si dicat; *e contra verò lætentur omnes;*) qui sperant in te, in æternùm exultabunt; & habitabis in eis. B

V. 13. Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuũ; quoniã tu benedices iusto. C

Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Bona Ecclesiæ Christi communicanda, eorumque perpetuitas, per coronam, & scutum, his duobus vltimis Versibus describuntur; quæ omnia ex fonte Diuinæ Beneficentiæ propter Dilectissimum eius Vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christum profluunt.

Sed iam quonam pacto, & quàm ordinatè S. Dauid ad sequentem Psalmum transeat, videndum est. D

Itaque posteaquam præuidisset, prædixissetque, quod *virum sanguinum, & dolosum Dominus abominaturus esset*; in eoque Populum suum Iudaicum expressum cerneret; & quòd *secundùm multitudinem impietatum eorum expellendi essent*. v. 11. vtique è Domo Ecclesiæ; commota commiseratione sunt viscera Sanctissimi Prophetæ, atque idcircò sequenti Psalmo mœstis, & lugubribus sæpiùs subsecuturis suis Carminibus, & Psalmis dat initium.

PSALMVS VI. E

Domine, ne in furore tuo, &c.

Argumentum Psalmi VI.

In finem in carminibus, Psalmus Dauid, pro Octaua.


ESt planè Psalmus hic magno commiserationis affectu, magnoque luctu decantatus à S. Propheta Dauide, respiciente *in finem* sæculorum illorum, & temporis, quo reprobandus erat Populus Iudaicus; est *in carminibus*, idest in lamentationibus, gemitibus, & deprecationibus affectuosissimis ad Deum pro auertendo tanto malo à suo illo Populo. Est *pro Octaua*, idest F

A idest ad obtinendam, seu impetrandam quoquo modo posset ipsis Iudæis resurrectionem ad gratiam, & gloriam, nam hæc duo, per *Octauam*, scil. diem, designantur.

Hoc esse Psalmi huius Argumentum, facilè persuadent primò quidem connexio, & cohærentia; deinde explicatio textus, quæ, illo posito, facilis est, & consequitur; tertiò, conuenientia, & concordantia textus fuie modi, & phrasis loquendi Sancti Dauidis; nam supra Psalmo 2. V.5. cum de vincendis per Fidei Prædicationem persecutionibus aduersantium Christo, & de futura maxima
B animarum ad eius Fidem, & Ecclesiam conuersione ageret; dixit, *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos*. Sic autem intelligi debere, ostensum est supra Notato 6. §. 5. Hoc ergo Psalmo solicitus, ne tunc per obstinationem obsurdesceret suus populus, & à fide, & gratia excideret, ait, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Hoc ipso modo loquendi, & his ipsis verbis, similique de causa etiam infra, vt videbimus, vtitur.

Non esse autem nouum, quod per iram, & furorem intelligatur optatissimum illud tempus promulgationis Euangelij, & status gratiæ, etiam sæpius videbimus
C in Isaia, maximè Cap.12. V.1. vbi ait, *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me*. Similiter & alij Prophetæ, vt Habacuc c. 3. v. 12. planè acceptabili sensu pronunciant verba in speciem horrifica: vt, *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes*, vt fusiùs dictũ Not.6. Versu nono huius Psalmi notatur, quod Populus Iudaicus posteaquam *inueterauerit inter inimicos suos*, idest, in sua illa Reprobatione, & Desolatione diù fuerit, reliquiæ conuertentur; *Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei*.

Hic autem, quod etiam infra repetam, obseruandum est; non propterea, quod
D id statuam Psalmi esse Argumentũ, me eximere ipsum Psalmum à numero Psalmorum Pœnitentialium, quandoquidem tota S.Ecclesia inter Pœnitentiales primum hunc verè, & ordinatissimè numerat, etiam me assentiente; non, inquam, propterea eximitur, sed potius propter hoc ipsum Argumentum mœstissimum, est vel maximè Psalmus Pœnitentialis, in quo S.Dauid in sua, & Populi sui persona, peccata sua luget, & deprecatur Dominum, vt ingens illud malum reprobationis, quod propter illa Populo suo impendebat, auerteret. Sic ergo ait

E

PSALMVS VI.

V. 2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Versus iste explicatus iam in Argumento est, eamque ipsam explicationem, vt videbimus, confirmabit Psal. 89. v.10. Præter dicta no-
F tetur, quod licet in Diuina Scriptura, corripi à Deo, non inter mœsta, & odiosa, sed inter læta, & fauorabilia aliquando ponatur, & vt Heb.c.12. v.7. *quis enim filius, quem non corripit pater?* nihilominus debere ex contextu, & connexione colligi in quamnam partem assumatur: hic ex oppositione, quæ fit inter eos, qui per Fidei prædicationem conuertendi, & assumendi erant; & alios, qui mansuri in obduratione cordis, & impietate sua; ly *argui, & corripi*, ad mœsta, & odiosa pertinere:

nere; atque ideò, iuxta dicta, magna erga sic corripiendos Iudeos commiseratione commotum S.Dauidem precari, *Domine, ne in furore tuo, &c.* A

V. 3. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Hæc futura Populi Iudaici reprobatio maximo luctu, & mœrore afficiebat summos quosque, & probatissimos viros (qui Reipublicæ ossa sunt) de eo populo, quales erant Sancti Prophetæ, & iusti. B

V. 4. Et anima mea turbata est valdè: sed tu, Domine, vsquequo? postremis verbis innuit turbationem, afflictionemque suam, inde vel maximè augmentum, atque incrementum sumere, quod illam populi sui desolationem valdè diuturnis temporum spatijs protrahendam esse intelligeret: *sed tu Domine vsquequo?* Chal.habet. *Vsquequo refrigerium mihi? mihi*, ait, quia & per C charitatem, & per Regis officium, vices, & personam populi sui agebat, atque sustinebat; sic etiam sequentibus versibus.5.6.pro illis, tanquam pro se loquitur.

V. 5. Conuertere Domine, & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. D

V. 6. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Mortem animæ intelligit, qua morituri erant Iudæi à Deo derelicti; & per infernum, locum tormentorum. Sic etiam intelligit, & explicat P.Emm.Sà.

Quis verò ad hæc tam horrenda, & horrifica mala non totus contremiscat? totus omninò contremuerat S. Dauid, qui ea præuidebat; propterea in luctuoso E hoc Psalmo suo pergens, subiungit. Vt à populo meo, quem tanquam animam meam diligo, hoc quod, iam dixi, ipsis impendere summum malorum omnium, si quomodo possem, auerterem.

V. 7. Laboraui in gemitu meo, & lubens, volésq. ad id obtinendũ, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Verùm, proh dolor! futura est in F populo meo tanta obstinatio, & obcæcatio, vt nulla vi ad sanam mentem reducendi sint; vel tunc, cum ad Euangelij prædicationem omnes alij sunt illuminandi; & hoc vult prima pars V.8.

V.8.

A V. 8. Turbatus est à furore oculus meus: illi planè, tunc de populo meo obcæcandi, qui eius oculus esse debuerant Scribæ, Pharisæi, Principes, & Seniores. Id, quod Dominus ipse Ioannis Cap. 9. V. 39. lamentabatur; *In iudicium ego in hunc Mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Propter hanc ipsorum, qui videntes esse debebant, cæcitatem, consecutum est illud aliud illi annexum malum; inueteraui inter omnes inimi-

B cos meos; vt scil. populus, & gens Iudaica in suo illo à se tot sceleribus promerito exterminio, & desolatione, inter hostes suos, tam visibiles, quàm inuisibiles, & carnales, & spirituales diutissimè permaneret, & quod ipsi videmus, inueterasceret, & consenesceret. Vnicum in tot calamitatibus, & lacrymis solatium superest, quod ad finem Mundi sint conuertendi. Id, quod S. Dauid in spem, & consolationem aliquam erectus exprimit reliquis tribus versibus. Nam tunc Populus Iudaicus veternum suum, & obstinationis, & vitiorum excutiens, dicet tandem,

C V. 9. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

V. 10. Exaudiuit Dominus deprecationē

D meam: Dominus orationem meam suscepit.

V. 11. Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur, & erubescant valdè velociter. Quomodo Psalmo huic connexus sit sequens, indicat eiusdem

E Titulus, & Argumentum.

PSALMVS VII.

Domine Deus meus in te, &c.

F Titulus, seu Arg. Psalmi VII.

Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.

PRimò omnium Psalmi huius Titulum necesse est explicare, vt videamus quonam pacto hoc loco, & ordine consequatur, & Psalmo priori correspondeat.

E mul-

E multis, quæ P. Lorinus adducit, hæc pauca proposito connexionis, & cohærentiæ sunt satis. Illud; *pro verbis Chusi*; hebraico more, *verba*, sumi pro factis, & Chaldaicè esse; *super interitum Saulis* filij Cis: ita vt Paraphrastes videatur legisse, non Cusch, sed Kis, quod est nomen Patris Saul, qui vocatur Cis, quasi nomine Patris intelligi debuerit ipse filius. Addit idem P. esse opinionem hanc de Saul non paucorum, vt Hieronymi, Lyrani, Valentiæ, Treueti, Vatabli, Clarij, Flaminij, Bredembachij, Iansenij, Sà, &c. A

Rationem cur dicatur Chus, aut Chusi, idest Æthiops, assignant, tetros mores, & crudeles. Huic sententiæ, quæ cum consequente Explicatione, vt mox patebit, coniunctissima est, stare oportet. B

Nihilominus tamen ipse P. Lorinus magis inclinat ad illam, quæ ait Titulo illo; *pro verbis Chusi*; explicari de Chusi, qui consilium Achitophel infatuauit, seu dissipauit, & hanc ait propter Patrum auctoritatem ferè omnium tam Græcorum, quàm Latinorum probabiliorem censendam: adiungit, quod illi faueat in Biblijs Annotatio marginalis loci ex secundo Regum 16.

Fateor hanc ipsam marginalem Annotationem in Vulgata additam (quam per omnia sequi constitui) me, licet aliàs etiam Patrum auctoritatem maximè suspiciam & reuerear, non mediocriter perplexum reddidisse, quonam pacto cum ea stare posset illa Tituli de Saule filio Cis interpretatio, cùm & Chusi ponatur, & indicetur historia, quæ 2. Reg. 16. de Chusi potius Consiliario Achitopheli contrario, quàm de alio vllo intelligenda videatur. C

Nihilominus tamen, rem omnem accuratiùs perpendenti via sese certissima aperuit, obicem hunc, etiam cum maiori connexionis, & consecutionis propositæ ostensione, amouendi.

Quandoquidem ergo potissima difficultas suboritur, propter Vulgatæ citationem loci illius 2. Reg. 16. quando illi per omnia standum est. D

Obseruare oportet Vulgatam illo 2. Regum 16. citato non vocare *Chusi*, sed *Chusai*, Achitophelis aduersarium, ipsumque non *filium Iemini*; sed *Arachiten* nominare, idest *filium Arachi*: & hæc ipsa causa fuit cur D. Hieronymus acriùs refutauerit, atque vehementer errare, & Hebræi sermonis scientiam non habere, dixerit eos, qui de Chusai Titulum esse sentiebant. Quid igitur dicendum ad illam citationem illius 2. Regum 16?

Congruentissimè planè, & diuino consilio positam esse dicendum est; non quidem, vt quicquam de Chusai Arachite innueret, sed vt agi significaret de *Saule filio Cis filij Iemini*, iuxta supra dicta. In ipso autem illius 2. Reg. capitis 16. initio fit luculenta mentio de Semei, qui erat de cognatione domus Saul, eiusque Saulis occisi, & Regni illius perditi partes acerrimè contra Dauidem agebat, multis in eum coniectis maledictis. E

Hoc posito, cum iam priori Psalmo S. Dauid populi sui luxisset interitum, & desolationem; ne hanc tantam pœnam putare quis posset populo illi innoxio, atque innocenti illatam, sed vt verè, provt erat, iustam esse quis sciret; hoc Psalmo eundem Iudaicum Populum per Saulem Filium Cis iniquissimum suum persecutorem exprimendo, simul ostendit odia, & ipsam necem, quam ipse ille populus Iudaicus exercuit in Christum Domini maximum suum Dominum, & benefactorem, reddendo ipsi mala pro bonis, &c. vt ait v. 4. & 5. Ex quibus iusta infertur fuisse eius Populi Iudaici reprobatio, & assumptio in eius locum Populi Gentilis, F

ma-

A maximè quando nullis minis, & terroribus intentatis v. 13. & 14. cedere voluit. Omnia clariùs patebunt in explicatione ipsius Psalmi. Intereà, vt illa facilior reddatur;

Notandum; quod secundus, & tertius Psalmi versus sint quædam pars continuationis prioris deprecationis factæ à S. Dauide Psalmo priori pro Populo Iudaico, ne perderetur.

Versu quarto, supponendo, quod pro responso præuiderit in spiritu impietatem, & iniquitatem ab illo suo Populo Iudaico in Dominum Christum perpe-
B trandam (cuius iniquitatis Saulis peruersitas fuerat typus) conuictum se fatetur, & iustum Dei iudicium approbat.

Hoc autem posito, (quod valdè notandum est, & miram connexionem arguit) in propria significatione accipiuntur verba versus 5. *Decidam meritò ab inimicis meis inanis*. Item v. 6. *Persequatur*; & 7. 8. 9.

In versu 9. vis est maxima, *Et propter hanc in altum regredere*; à nobis Iudæis, in altum Gentilitatis, vbi *Dominus iudicat populos*, in sensu explicato in Isaia, & dicendo Psalm. 66. & de quo supra Not. 6. §. 4. Simili modo approbationis est ver-
C sus 10. & 11.

Versu 12. ad conuersionem inuitat populum, pro quo deprecatur, & luget.

Versu 13. & 14. minatur, & terret. Verùm frustra, vt ostendit versu 15. & 16. Obstinationem sequitur pœna v. 17.

His peractis, ipse Sanctus Dauid in persona Ecclesiæ, & Christi fidelium ait v. 18. & vlt. *Confitebor Domino, &c.* & confitetur statim Psalmo sequenti ordinatissimè, & consequentissimè. Sed prius Psalmi huius explicatio hæc est.

D

PSALMVS VII.

V. 2. Domine Deus meus in te speraui, saluũ me fac ex omnibus persequẽtibus me, & li-
E bera me. Non de se vno loquitur, vel pro se vno est solicitus, sed vt dictum est, pro toto populo, vt ab eo, quem tanquam se diligebat, auerteret illud horrendum eis impendens malum desolationis, & vltimi excidij: quod autem de hoc ipso malo auertendo sit solicitus, declarat, seseque magis explicat Vers. seq.

V. 3. Ne quando, scilicet dum fuerit populus meus destitutus suo auxilio, gratia, & protectione: rapiat, (hostis infernalis subintelligendus) vt sequentia denotant; vt leo (ipse enim est, qui *circuit tanquam Leo rugiens quæ-*
F *rens quem deuoret* 1. Petri c. 5.) animam meam, sic populum suum eiusdem amantissimus Rex vocat, dum non est, qui redimat (subintellige absque, vel Te non defendente) neque qui saluum faciat. Tunc solùm Iudæis non fuit, qui redimeret, neque qui saluum faceret, quando tandem benignissimus Domi-

nus Iesus Mundi Redemptor, & Saluator cum sua Ecclesia ab eis recessit, eosque deseruit. Et quidem infra etiam simili modo loquendi idem proponet, & lugebit S.Dauid Psal.48.8. *Frater non redimit, redimet homo?* A

In hoc æternitatis infelicissimæ puncto dubitandum non est, virum sanctissimum diù multumque hæsisse animo attonitum, atque suspensum in ipsa sua, quam ad Dominum effundebat, obsecratione. Ibi ergo diuino lumine illustratus, cum illius futuræ populi sui desolationis causam iustissimam fuisset intuitus; esse eorum obstinationem, & impietatem in ipsum Christum Domini exercitam (quam quidem malorum causam ipse S. Dauid in ipso titulo, sub illa impij, & sanguinarij Saulis figura expressit) sic quasi à Domino S. ipse Dauid rei huius tantæ, quam deplorabat, arbiter, & iudex constitutus; hinc quidem Domini Dei sui bonitate, & fidelitate; inde verò populi sui iniquitate perpensa, fatetur, cogi se ad ferendam contra se, & ipsum suum populum decretoriam sententiam. B

V.4. Domine Deus meus si feci istud, non dubitantis, sed affirmantis est particula, *si feci*, q.d. cum fecerim; ipse in persona populi loquitur, & si est iniquitas in manibus meis. Ex hoc ipso modo loquendi, & ad Dominum sic respondendi colligitur S. Dauidi reuelatam fuisse illam populi Iudaici insignem malitiam, ad quam ita cohorruerit, vt non haberet, quod reponeret, sed de sua etiam sententia Dei iustissimum iudicium approbare compelleretur; & sic pergit. C

V.5. Si reddidi retribuentibus mihi mala, eodem modo, & hæc verba intelliguntur, & propriè ipsis Iudæis conueniunt, qui verè retribuerũt mala pro bonis, & odium pro dilectione, &c. Iam his suppositis, & conuictus de his; decidã meritò ab inimicis meis inanis. omni spe mea, quam de bonis maximis præsentibus, & futuris à Domino meo obtinendis habebam frustratus, & *ab inimicis meis* tam corporalibus, quàm spiritualibus victus, & prostratus *meritò decidam*; & ipsa etiam iniquitas mea meretur omninò, vt D

V.6. Persequatur inimicus animam meã, & comprehendat, & conculcet in terram vitam meam; & gloriam meam in puluerem deducat. plena emphasi, & sacro horrore verba, tam plenè in Iudæorum exterminio, & præsenti, in qua sunt, desolatione verificata, non egent alia explicatione. Sed pergit S.Dauid tanquam arbiter, & ad sententiam, quam proferre incepit, adiungit. Cum illa iam dicta ita se habeant; E F

V.7. Exurge Domine in ira tua: Vt decreuisti Domine peccata, & Idololatriam ex toto Mundo extirpare abundantissimæ gratiæ tuæ largitio-

A tione, quam ad Vnigeniti tui Aduentum reseruasti; iam tandem posteaquam populus meus curationem non est recepturus; *exurge Domine in* illa *tua ira* Mundi peccata, & idololatriã destruendam; **&,** dum te Iudæi, ad quos mittendus, & non sunt recepturi; **exaltare in finibus inimicorum meorum.** exaltare apud ipsas gentes, seu Gentiles (omninò per inimicos Iudæorum, intelliguntur Gentes, & alieni à fide in Deum)

B **V. 8. Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti,** quod S. Dauid ea, quæ iam dicta sunt intelligat, declarat his verbis; nam loquitur de præcepto, quod Dominus dederat transeundi, & discedendi ad Gentes cum Euangelij prædicatione, vbi illud Iudæi reijcerent. sic Actorum c. 13. v. 47. Paulus, & Barnabas constanter dixerunt, &c. *ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* & ibidem citatur Isaias c. 49. vbi de conuersione Gentium agit, *posui te in lucem Gentium,* &c. Si quis autem amplius
C adhuc inquirat, & vbi nam Dominus (nam hæc vox Christum innuit) hoc præceperit Apostolis, vt ad Gentes se conferrent Iudæis repellentibus verbum Dei? id reperiet præceptum ab eodem Domino disertis verbis Luc. 24. v. 46. & 47. quæ initio citata sunt Notato 3. à §. 1. & seqq.

Omnia hæc confirmat, & sensum suum non alium esse, declarat S. Dauid sequẽtibus verbis huius Versus; **& synagoga populorum circumdabit te.** idest quando ad te Iudæi venire nolunt, vbi ad Gentes iueris, maxi-
D mo numero, & multitudine ad te confluent;

V. 9. Et propter hanc scil. ipsam Synagogam, seu multitudinem populorum, qui ad te cõcursuri sunt, è Gentilibus, **in altum** ipsius Gentilitatis mare, **regredere** à Iudæis, qui te non sunt recepturi. Et verò etiam hanc transitionem Ecclesiæ tuæ ad Gentes præmonstrando dicturus es aliquando, *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Luc. 5. 4. *in altum*, inquam illud Gentilitatis te expectantis, teque toto affectu complexu-
E ræ, *regredere*, ibique commorare, ita vt dicatur, **Dominus iudicat populos,** dignissimo illo tuo iudicio, quod aduenisse ipse annuntiabis, Ioannis c. 12. 31. *Nunc iudicium est Mundi; nunc princeps huius Mundi eijcietur foras*, quo iudicio optabilissimo homines in te credentes mori facis peccatis, iustitiæ verò viuere.

Sic, sic obsecro, Domine (loquitur S. Dauid in persona conuertendorum ad Christum, seu eius Ecclesiæ fundandæ in Gentibus) **Iudica**
F **me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.** quam vnam à te accepi in mei ad te conuersione, vt in ea scil. adiutus gratia tua semper, & ad finem vsque perseuerem; quam quidem gratiam eò ardentiùs à te peto, quò clariùs intelligo, quia

V. 10. Consumetur nequitia peccatorũ, A
eorum, qui ad te non accesserint; quales potissimi, & primi futuri sunt Iudæi obsti-nati; & diriges iustum, scrutans corda, & renes Deus. planè *scrutans corda*, &c. hæc enim discretio, & selectio iusti à peccatoribus Diuinæ sapientiæ tuæ, ipsa inscrutabilia hominum corda penitissimè perscrutantis, est opus.

Mihi igitur, & ijs omnibus, qui per Fidem susceperint Dominum, gratiæ ip- B
sius innixus polliceor; quia,

V. 11. Iustum adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde. Verùm, quid quæso vos, ò viscera mea, mei Iudæi? vos ego denuò, atque instantissimè, dum veniæ, &
propitiationis obtinendæ tempus est, obtestor; vt quàm accuratissimè fieri po- C
test perpendatis; quia,

V. 12. Deus iudex fortis, & patiens: *fortis*, vt eum timere; *patiens*, vt ad ipsum recurrere noueritis; & quidem hanc eius vobis potius patientiam, & longanimitatem propono, vt eam amplectamini; nam, nunquid irascitur per singulos dies? minimè; provt enim ipsa vos
anteacta & seueritatis, & benignitatis eius exempla edocent; post illatam sceleri- D
bus nostris castigationem maxima quæque suæ benignitatis in nos dona effudit.

Quidni igitur his permoti, atque animati tam benignum Dominum & vos amplectamini? En ipse vos, non solùm patientia sua, & bonitate ad se inuitat; sed etiam minas, ne conuersionem, vel diù negligatis, vel omninò contemnatis, intentat; & illas ego ipse vobis denuntio. Itaque

V. 13. Nisi conuersi fueritis, gladium suum
vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit il- E
lum.

V. 14. Et in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. vt scil. castigatio eius hìc inchoata ipso igne æterno terminetur.

Sed; ò cordium humanorum duritiem! ne quidem ab his sagittis ardentibus F
penetrabilem! quàm parùm, quàm nihil effectum?

V. 15. Ecce parturijt iniustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Populus Iudaicus de quo, & ad quem loquor.

V. 16.

A V. 16. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit. Verùm quando ille quidem sic voluit, nihilominus tamen

V. 17. Conuertetur dolor eius in caput

B eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Ego verò concludit S. Dauid in persona Ecclesiæ, & Christi fidelium

V. 18. Confitebor Domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini altis-

C simi. Sequenti statim Psalmo hanc, quam promisit Dei laudem, & confessionem priora complectentem subiungit.

PSALMVS VIII.



Domine Dominus noster, &c.

Titulus, seu Arg. Psalmi VIII.

D *In finem pro torcularibus, Psalmus Dauid.*



PRo Argumento huius Psalmi, quia multa in consequentiam veniunt, quæ P. Lorinus habet; cum ipso dicendum est, nefas esse ambigere, de Christo sermonem esse, quando Christus ipse de se, ac Paulus tercitat hunc Psalmum de Christo.

Id autem, quod addit, laudari hoc Psalmo Dei sapientiam, potentiam, benignitatem in Mundi conditione, &c. accommodatione tantùm, non intentione prima-

E ria S. Prophetæ verum esse constabit ex danda Psalmi connexa explicatione; nam aliam esse causam admirationis, quàm mundialis machinæ fabricam indicat v. 3. & qui cum illo coniunctus est v. 4.

Illa voce, *pro torcularibus*, qua insigniti sunt etiam Psalmi 80. & 83. significatur, Psalmis illis contineri voces lætitiæ, & laudum pro spiritualibus bonis, quorum auctor Christus fuit. Indicant vini copiam torcularia, & in vindemia, & torcularibus ob vbertatem exaudiuntur exultantium voces, quæ vocantur Celeus-

F mata.

His positis, & maximè habito respectu ad finem prioris Psalmi, quo se promiserat Propheta Diuinam Maiestatem laudaturum ob susceptum Gentium Populum in loco Iudæorum; laudat hoc Psalmo S. Dauid, & deprædicat Dominum ob admirabilem Christi eius Vnigeniti, Domini Nostri exaltationem, & gloriam, quam per Apostolorum eius prædicationem totó orbe faciendam erat obtentu-

rus,

rus. Eos autem Christi Apostolos exprimit per infantes, & lactentes; nam & ipse Christus sæpè eosdem, aliosque Discipulos suos vocat pusillum gregem, & paruulos, quos opponit sapientibus, & prudentibus. A

Vniuersam verò Ecclesiæ fundationem, & vniuersale in omnes Christi Dominium complectitur reliquis Versibus. De quibus omnibus dubium esse non potest, cum eorum Interpres sit D. Paulus ad Hebr. c. 2. v. 7. 8. 9.

Notandum hoc loco est, hunc Psalmum (certosque alios quosdam, de quibus suo loco) continere magna quædam rerum multarum capita, veluti compendio quodam, & summa, restricta, quæ paulatim deinde magis distinctè, & in plures B partes diuisa proponet; quod quidem mirificè ordini, connexioni, atque etiam memoriæ inseruit.

Itaque connectendo ea, quæ priori Psalmo de futura Populi Iudaici reprobatione dixerat, sic Psalmum hunc octauum incipit.

PSALMVS VIII.

C

IN hac, & propter hanc Populi quidem Iudaici reprobationem, Gentilis verò in eorum locum assumptionem

V. 2. Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!

Nihil autem esse, quod magis in admirationem, & stuporem rapiat, testis est Apostolus Rom. 11. v. 33. vbi cum hoc ipsum argumentum pertractasset in illas voces D erupit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

Quia verò cum hac Iudæorum reprobatione semper coniuncta est illa, quam ipsi Messiæ, Christi Domini fecerunt reprobationem (quæ vnica est illius ipsorum reprobationis causa) propterea ob id ipsum ***admirabile*** ait esse Domini nomen, ***quoniam*** quem illi vsque ad Crucis ignominiam depresserunt, ipse super cælos eleuauit; sic de ipso Christo Domini, Domino Nostro, eius Vnigenito ait,

Quoniam eleuata est magnificentia tua, E

qui est ipse Christus, **super cælos.** tunc eleuatus Dominus Iesus; non solùm cum super omnes cælos ascendit, verùm etiam, & vel maximè, quando per Fidei ipsius prædicationem factam per totum terrarum Orbem palàm constitit, ipsum esse verè Dei Vnigenitum Dominum, ac Redemptorem Mundi, qui in Cælos ascendisset, & ad dexteram Patris sederet; hoc enim propriè significat eleuatio, ascensio, & exaltatio Domini, vt infra maximè Psal. 46. constabit. Quod autem de hac ipsa eleuatione Domini, per Fidei prædicationem loquatur, ipse S. Dauid se declarat; nam subiungit; F

V. 3. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos,

Christus Dominus Mat. 21. v. 15.

A v. 15. Scribis, aduersarijs suis, inuidis gloriæ suæ hunc Versum obiecit; dum pueri clamarent in Templo, & dicerent, *Hosanna filio Dauid*. Ex quo constat, quod cum illi, qui sic clamabant non planè infantes, & lactentes essent; sed pueri, idest iam grandiusculi; iuxta mentem S. Prophetæ fuerit hoc versu intelligere eos, qui malitia paruuli erant, qui nulla, vel generis nobilitate, vel officij, & dignitatis splendore, vel doctrinæ auctoritate pollerent, quales fuerunt Sancti Apostoli, & Discipuli Domini, quos, vt dictum est in Argumento Psalmi, etiam Dominus paruulos, pusillumque gregem vocat; ad paruulorum omnimodam inci-
B tationem inuitat; & quos statuerat opponere sapientibus, & prudentibus Mundi; quod S. Dauid vocauit *perficere* per eiusmodi *laudem*, *propter inimicos Domini*, qui veritas est, vt sic, ò Domine, destruas inimicum, & vltorem. Et verè D. Paulus 1. Cor. 1. v. 2. fidenter, tanquam de destructo inimico, & vltore loquitur, *Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius Mundi?* Grande hoc, atque per omnia admirabile fuit opus dexteræ Excelsi, hæc tanta per illa adeò vilia, & infirma instrumenta per-
C ficere. Planè hæc ipsa à suo adhuc seculo valdè remota videndi desiderio S. Dauid totus exardescebat;

V. 4. Quoniam videbo Cælos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti. Non loqui de materialibus Cælis, & Stellis certum est ex eo, quod hæc, quæ oculis parent; quotidie, & omni nocte
D intueretur; & quod, si de illis egisset, non opus fuerat illa repetita inculcatione, quod scil. essent *opera digitorum eius*, & quod *ipse ea fundasset*; quis enim sanæ mentis potest de hoc ambigere? *inuisibilia ipsius*, vt Rom. 1. v. 20. *à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Deinde connexio consequens non fert, vt de materialibus sermo sit. Esse autem de Cælis spiritualibus, idest de SS. Apostolis, & vniuersim de Christi Ecclesia, non solùm sermonis consequentia exigit, sed etiam ostendit similis planè phrasis, qua non solùm S. Dauid, vt infra patebit, sed etiam S. Isaias ad idem exprimendum sæ-
E pius vtitur, vt Cap. 42. à V. 6. & aliàs. Hæc meritò percupiat videre sitientissimus gloriæ Domini Christi sui, Sanctus Dauid; hæc ipsa meritò vocet *opera digitorum Domini sui*, ad quæ scilicet, ipsa Sanctissima Trinitas operanda concurrerat; hæc illa, quæ ipse *fundauit*.

Hæc omnia non solùm in eximiam Dei gloriam cedebant; sed etiam per illa natura nostra humana in Christo Dei Filio, qui eam assumpturus erat, supra modum extollebatur. Nam, vt dictum est, per Fidei prædicationem, quam facturi erant Sancti Apostoli, vniuersi Orbis Gentibus, & Nationibus reuelandum erat,
F & ab illis credendum indubitata fide: Eum Hominem, seu Filium hominis, Christum Iesum, quem Iudæi impij impiè crucifixissent, verè esse Dei Filium, verumque Deum Hominem, constitutum à Deo Iudicem viuorum, & mortuorum; neque esse aliud nomen, in quo nos oporteat saluos fieri. Propter hanc ergo sublimitatem, ad quam natura nostra humana euecta est in Christo in altissimum gradum supra humilis status sui conditionem, S. Dauid admiratur, & exclamat;

V. 5.

V. 5. Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? A

V. 6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Hæc immediatè quidem dicta sunt de Christo Domino Nostro; nam etiam in ipso natura humana aliquantum inferior est Angelica, quod est, *esse imminutum paulo minus ab Angelis*; consequenter verò intelliguntur B
etiam de nobis, quos sibi ipse factus homo concorporauit.

Similiter etiam in verbis sequentibus: gloria & honore coronasti eum:

V. 7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

V. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, C
oues, & boues vniuersa: insuper & pecora campi.

V. 9. Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. In his inquam omnibus versibus ipse quidem primariò venit Dominus Iesus, vt clarè explicat S.Paulus ad Hebr. c. 2. v. 9. *Eum autem, qui modico, quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*; cum ipso autem consequenter veniunt etiam illi omnes, quos ipse Dominus sibi per fidem, & charitatem vniuit, & quos operis sui Vicarios post se, & Ecclesiæ suæ Pastores, & Rectores constituit. Hoc enim loco id, quod in argumento Psalmi breuiter insinuaui, D

Obseruandum est; Sanctum Dauidem, eiusque Expositorem Diuum Paulum, E
per illam rerum omnium subiectionem factam Christo non intelligere res huius Mundi materiales, oues, boues, pecora, volucres, pisces, &c. sed per illas exprimere voluisse illud Dominium, quod in animas, & homines totius Mundi, omnium statuum, nationum, ordinum, & conditionum habiturus erat; quæ enim gloria, & quis honor Christo Dei Filio fuisset ijs dominari rebus, quarum non possessio, sed despicientia est gloriosa? Quod verò de spiritualibus illis iam dictis sit sermo, conuincit D.Paulus dum illa Ep. ad Heb. c.2. v. 8. ait, *Nunc autem necdum videmus omnia subiecta ei*. quia scil.tunc, cum hæc diceret Paulus, sermo F
Domini, & Fidei prædicatio non omnes Mundi partes peruaserat; & sic, necdum videbat omnia, provt optabat, subiecta ei. Quo autem momento temporis, illa materialia non fuerunt subiecta ei, à quo habent, vt sint, & sine quo non sunt? Illud igitur spirituale Domini in animas, & Vniuersam Ecclesiam Dominium, Domino ipsi Christo debitum, & datum, & per ipsum Ecclesiæ suæ Vicarijs,

& Pa-

A & Pastoribus communicatum admiratur, & effert S. Dauid, concludendo, vt inchoauerat;

V. 10. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!

Quod autem addidi, Sanctum Dauidem voluisse significare etiam illud Dominium, quod Dominus communicauit Ecclesiæ suæ Pastoribus, id colligo ex eiusdem D. Pauli illius Ep. ad Heb. c. 2. verbis, nam cum Versu 3. dixisset, *quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt in nos confirmata est, contestantes Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem:* his, inquam, præmissis, quæ manifestè sunt de eius Ecclesia, subiungit v. 5. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Per orbem terræ futurum, de quo loquebatur de præsenti S. Paulus, ostendit Ecclesiam Christi, & fideles, qui in ea sunt, se intelligere; quem quidem orbem terræ futurum, idest nouam Ecclesiam in Gentilitate fundandam, non subiecisset Angelis, sed hominibus Christi Dei, & hominis seruis.

B

C

Notanter autem ne quis, cum ab eo audiret dici, *orbem terræ futurum*, putaret, se loqui de orbe terræ futuro post diem Iudicij (provt aliqui inter quos est P. Emm. Sa, intelligunt) addidit, *de quo loquimur*, determinando, & volendo intelligi sua verba non de illo orbe terræ futuro; sed de eo, de quo illo capite cæperat loqui; qui orbis erat Ecclesia Christi, quæ noua erigebatur in Gentibus.

Hunc autem modum loquendi, & per terram nouam fundationem Christi Ecclesiæ in Gentibus intelligendi, sæpè vsurpat S. Isaias, alijque Prophetæ; & sæpissimè, vt infra constabit ipse S. Dauid. Hinc ad Psalmum Nonum progreditur.

D

PSALMVS IX.

Confitebor tibi, &c.

E

Argumentum Psalmi IX.

In finem pro occultis filij, Psalmus Dauid.



Titulus indicat Psalmum hunc à Dauide Sancto compositum *pro occultis* quibusdam, seu arcanis, spectantibus *ad Filium*, Dei scil. Vnigenitum, Dominum Nostrum Iesum Christum, qui etiam est Filius Dauid secundùm carnem. Hæc autem *occulta*, siue arcana eius potissimùm consistunt in duobus. Primò quod reprobatis Iudæis elegerit Gentes. De his occultis sæpè Apostolus ad Rom. c. 9. c. 10. c. 11. sæpè Isaias. De his ipsis occultis, quæ mirabilia vocat versu 2. est versus 4. & 6. Nam *In conuertendo inimicum meum*, &c. dum conuertentur Gentes infirmabuntur Iudæi, & v. 6. Dum *increpasti* Gentes, *perijt Impius*, quo

F

nomine ipse Iudaicus populus venit, sicuti etiam versu 7. Secundum arcanorum, A
seu *occultorum* caput, siue in quo *occulta Filij* consistunt, est; quod Dominus Noster, per Cruces, & persecutiones tam suas, quàm Ecclesiæ suæ, tam à Iudæis, quàm à Gentibus illatas, regnum suum, suam, & Ecclesiæ suæ exaltationem voluerit obtinere. Secundùm hæc duo explicantur omnia, quæ toto Psalmo continentur. Nam versus 8. & 9. est de Christo per illa iam dicta Thronum suum statuente: Reliqui versus consequenter omnes tam primæ, quàm secundæ partis Psalmi (secundùm Hebræos in duos diuisi) continent Christi Ecclesiam inter aduersa ab vtrisque Populis illata colluctantem, & omnia superantem. In hunc B
modum.

PSALMVS IX.

V. 2. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. Domini *mirabilia* & illa sunt, quæ prioribus Psalmis constrinxit, & quæ etiam hoc Psalmo circa reprobationem Iudæorum, & viam persecutionum (quæ sunt illa duo capita arcanorum, & occultorum) dicturus. C

V. 3. Lætabor, & exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime. ad ipsa mirabilia, & mirabilium capita descendit, & primum illud reprobationis Iudęorum, & substitutionis Gentium in eorum locum proponit; D

V. 4. In conuertendo inimicum meum retrorsum. Per inimicum conuertendum retrorsum, scil. à via praua, per quam ambulabat, intelligitur Populus Gentilis idololatra, qui etiam ideò *inimicus* dicitur, quod idololatriæ esset deditus, & falsitatibus, atque impietatibus, quæ cum illa coniuncta sunt, quæ vtique maximè aduersantur Veritati, quæ Christus est, Dei Sapientia. Sic etiam Psal. 109. eosdem Gentiles ido- E
lolatras intelligit per *inimicos ponendos scabellum pedum Domini*. Igitur dum illi à via praua conuertentur, alij, quibus viæ rectæ Legis Domini ostensæ fuerant; infirmabuntur, & peribunt à facie tua. Iudæi scilicet propter cordis ipsorum obdurationem, & impietatem; & id quidem iustè eis eueniet, sic exigentibus eorum sceleribus, & impietate in Christum Domini exercita. (hic S. Dauid in eiusdem Christi Domini persona ad Deum loquitur)

V. 5. Quoniam fecisti iudicium meum, & F
causam meam: P. Em. Sà. benè ait, q.d. suscepisti causæ meæ patrocinium: sed isti super thronum, qui iudicas iustitiam. iustè vtique Dominus iustissimus iudicat; sed quàm

A quàm horrendum incidere in iudicium eius! Ecce,

V. 6. Increpasti Gentes; per Fidei Prædicationem Dominus ostendit Gentibus horrenda scelera, in quibus viuebant; & dum illæ miserabilem suum statum agnoscunt, & ad lucem, & veritatem Euangelij veniunt, & saluantur; proh dolor! & perijt impius: hoc nomine vocatur populus Iudaicus, etiam Isaiæ c. 26. v. 10. nomen

B eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi. est de ijsdem Iudæis; item etiam de ijsdem est totus versus 7. sequens; nam illi omninò fuerunt, qui primi in Christum, eiusque Ecclesiam continuatis temporibus, & annis vsque ad illatum per Romanos vltimum Ierosolymis excidium, persecutiones sæuissimas suscitarunt; sed tandem huius populi, tam mihi, & meis, inimici

V. 7. Inimici defecerunt frameæ in finem:

C & ciuitates eorum destruxisti. Perijt memoria eorum cum sonitu: Illi quidem sic: provt merebantur. At verò non provt impiè exoptabant, omnem Christi Domini, eiusque fidelium memoriam perdere, & nomen extinguere; non, inquam, sic, sed potius contrarium ijs accidit. Nam

V. 8. Et Dominus (at verò Dominus) in æternum per-

D manet. Parauit in iudicio thronum suum.

V. 9. Et ipse iudicabit orbem terræ in æquitate: iudicabit populos in iustitia.

V. 10. Et factus est Dominus refugium

E pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Propter hanc tam miram rerum conuersionem,

V. 11. Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quæren-

F tes te, Domine. Hinc ad laudes, & gratiarum actiones Deo horum operatori dandas inuitat;

V. 12. Psallite Domino, qui habitat in Sion: annunciate inter Gentes studia eius.

V. 13. Quoniam requirens, vt vindicaret, ſanguinem eorum recordatus eſt; non eſt oblitus clamorem pauperum. humilium, & afflictorum Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ. Sic planè inter aduerſa omnia, ſic ſemper. A

V. 14. Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam, afflictionem, de inimicis meis. quam ſcil. patior, vel patiar ab inimicis meis. Tu enim ipſe es, ò Domine. B

V. 15. Qui exaltas me, qui ideò me liberare ſoles, de portis mortis: de periculis ſummis, & morti vicinis, P. Sà. vt annunciem omnes laudationes tuas in portis Filiæ Sion. Cum ſæpè, & in Iſaia, & infra dicendum, & oſtendendum ſit; per *Filiam Sion*, intelligi nouam Chriſti Eccleſiam in Gentibus fundatam; Verſus hic, planè per omnia confirmat ſuperius dicta, quod ſcilicet S. Dauid agat hic de perſecutionibus; quas Chriſti Eccleſia tolerauit apud Iudæos, à quibus hoc verſu liberandam mirabiliter à Deo prædicebat, *vt* poſſet *annunciare omnes laudationes Dei in portis*, ideſt non ſolùm palàm, & publicè in Gentibus prædicare gloriam Dei, ſed etiam *in portis Filiæ Sion*, quas Chriſti Eccleſia habitura erat in Gentibus; quæ *Portæ* fuerunt ipſa Mundi Ciuitas Roma. Quod autem hoc nomine; *Portæ*; Roma intelligatur, videbitur infra Pſalmo 23. Et iam ſupra in Argumento Pſalmi dictum fuit. Item in Iſaia cap. 28. v. 6. & cap. 26. v. 2. & cap. 62. v. 10. eadem Phraſi, Roma intelligitur. Huius autem nomenclaturæ ratio potiſſima eſt, quæ tradita fuit ſupra Notato 5. §. 9. quia ſcilicet, ex Vrbe Roma, tanquam Porta, citò habebat peruios Populos prædicatio vniuerſalis, quos vnius tenebat regimen Ciuitatis. C D

Benè igitur propter hanc tam benignam, & potentem Domini liberationem ait Eccleſiæ nomine,

V. 16. Exultabo in ſalutari tuo; quod ſalutem conſecuta ſim apud Gentes, & quidem ea in Vrbe, vbi minimè omnium mihi ſperanda fuerat vlla ſalus, & proſperitas. Quamuis enim etiam ipſæ Gentes me perditam vellent; & omnem adhiberent machinam, vt planè interirem; nihilominus dextera tua protegente illæ ipſæ infixæ ſunt Gentes in interitu, quem fecerunt. E F

In laqueo iſto, quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes eorum. Victa ſunt omnia eorum blandimenta, & tormenta, omnis vana Mundi ſapientia, & carnis prudentia; conuicti ſunt proprijs ipſorum argumentis, & figmentis.

A mentis. Illis ipsis innotuit, quàm vana, & inania fuissent sectati; agnouerunt, & erubuerunt vitæ anteactæ turpitudinem, & sic iam

V. 17. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: quando quidem in operibus manuum suarum cōprehensus est peccator; agnito, vt dictum est, infelici animæ suæ statu, à quo respiciendo, & ad

B Deum se conuertendo *cognoscetur Dominus iudicia faciens*, peccata condemnans, peccatores absoluens; eosque vitæ, & gratiæ restituens. Vtinam verò sic peccatores in se ipsos inspiciendo, miserabilem animæ statum, quæ peccatis subdita est (& quendam in se infernum repræsentat, & verè ob conscientiæ vermem, circumfert) agnoscendo; & ex hoc ipso inferno, ad locum ipsum tormentorum verè infernum, paratum impijs, cogitatione descendendo; vtinam, inquam, hoc pacto,

V. 18. Conuertantur peccatores in infernū;

C nec solùm illi, sed etiam omnes Gentes, quæ obliuiscūtur Deū.

Dubio procul si id facerent, statim, & Fidei veritatem, & Christi fidelium seruorum, licet hìc multis calamitatibus afflictorum felicitatem agnoscerent, & certò scirent,

V. 19. Quoniam non in finem obliuio erit

D pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. Sicuti peccatorum, & infidelium omnis spes est peritura.

Verùm, quia ad hæc tam sancta, & salutaria, tam ipsis ad salutem necessaria, non aduertunt homines, neque ea capiunt. Tu ò Domine, bonitate tua, eos adiuturus

V. 20. Exurge Domine, non confortetur

E homo, non permitte illum, siue illos in infidelitate, impietate, & sceleribus crescere, obfirmari, & obdurescere; sed fac, vt ad te per Fidem veniant, & iudicentur Gentes in conspectu tuo, inueniant apud te veniam, & misericordiam. Et certè, cum iam passim Gentes toto Orbe dispersæ sine lege brutorum more viuant; tuum quæso Vnigenitum, quem constituisti Iudicem viuorum, & mortuorum etiam super eos

F V. 21. Constitue Domine legislatorem super eos: vt sciant Gentes, quoniam homines sunt.

Ad horum hactenus propositorum desideriorum, maximè hoc versu 21. expres-

preſſorum, optatum effectum, quia durantibus acerbiſſimis Romanorum Imperatorum in Chriſti Eccleſiam perſecutionibus non poterat ipſa Eccleſia peruenire; Reliqua parte Pſalmi S. Dauid ipſius Eccleſiæ nomine proponit earundem perſecutionum diuturnitatem, & acerbitatem ipſamque, vt in Argumento obiter dictum fuit, inter ipſos perſecutionum fluctus agitatam, & eluctantem. Ad illa ergo prius dicta, tam ardentia deſideria, cum ſpes, quę differtur affligat animam (& re ipſa, vt aliàs dicetur, Dominus ita permiſerit, Eccleſiam ſuam à perſecutoribus, maximè Romanis, vexari, vt eam deſeruiſſe videri poſſet) benè ſubiungit; A

V. 1. Vt quid Domine receſſiſti longe; deſpicis in opportunitatibus, videris tuos negligere, cum opus habent auxilio tuo. P. Sà, & alij, in tribulatione? explicat in quibus opportunitatibus, B

V. 2. Dum ſuperbit impius, dum impius quidem paſſim omnis ſuperbit, & dominatur; qui verò eſt ſeruus tuus, incenditur pauper, cruciatur, premitur, affligitur; & omninò hi ipſi pauperes tui, à potentiorum ipſorum ſuorum perſecutorum, comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant, eos ſcil. capere, & perdere. Cum S. Dauid etiam ſequentibus verſibus pergat in deſcriptione malitiæ impiorum; Iy, *comprehenduntur*; non ad ſuperbos impios, ſed ad pauperes afflictos refertur in vera ſermonis, & verbi, quo vulgata vſa eſt, proprietate. C

Illud ergo, quod iam dixi, grande omninò eſt malum, ſed alia etiam non minora ſequuntur; D

V. 3. Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicitur.

V. 4. Exacerbauit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret. E

Ideſt, prę nimia arrogantia, & faſtu, non requiret Deum, & ſic idem explicat, & ait,

V. 5. Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur. F

V. 6. Dixit enim in corde ſuo: Non mo-

ue-

A uebor à generatione in generationē ſine malo.
V. 7. Incipit mala enumerare, quæ Deo è corde excluſo patrat peccator. Cuius maledi-
ctione os plenum eſt, & amaritudine, & do-
lo: ſub lingua eius labor, & dolor.
B V. 8. Sedet in inſidijs cum diuitibus in
occultis, vt interficiat innocentem.
V. 9. Oculi eius in pauperem reſpiciunt:
inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelun-
C ca ſua.
Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pau-
perem, dum attrahit eum.
V. 10. In laqueo ſuo humiliabit eum, in-
D clinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit
pauperum.
V. 11. Quod eorum malorum illa fuerit cauſa repetit. Dixit enim in corde
ſuo: Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam,
E ne videat in finem.
V. 12. Sed ſe ipſam ſolatur, quod Dominus tantis malis finem ſit impoſiturus. Exurge Do-
mine Deus, exaltetur manus tua: ne obliui-
ſcaris pauperum.
F V. 13. Quod oſtenſurus ſit Deus iuſtitiam ſuam. Propter quid irritauit
impius Deum? Dixit enim in corde ſuo: Non
requiret.

V. 14.

V. 14. Quod impios quidem puniturus Vides, quoniam tu laborem, & dolorē cōsideras: vt tradas eos in manus tuas. A

Pauperes verò liberaturus Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.

V. 15. Sic omninò prædicit, non optat, Contere brachium peccatoris, & maligni: quæretur peccatum illius, dum ad Dei iudicium vocabitur propter malefacta, & non inuenietur condemnatus, & è terra viuentium eiectus. Atque sic B

V. 16. Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi: ni ergo concertamini, peribitis Gentes de terra illius. Ex his ergo patet, quia C

V. 17. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Quod quidem erat, vt confusis hostibus, & persecutionibus Filium suum Vnigenitum, eiusque Ecclesiam exaltaret, quod totum exprimit D

V. 18. Iudicare pupillo, & humili, vt non apponat vltra magnificare se homo super terram. Aptissimè Christi pusillus Grex inter persecutiones degens per pupillum, & humilem denotatur. Huius ergo Christi fidelium cœtus nomine pergit S. Dauid Psal. seq. E

PSALMVS X.

In Domino confido, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi X.

In finem, Psalmus Dauid.

QVia Psalmus hic nihil peculiare in suo Titulo continet, indicium est, cum (& idem esto iudicium de reliquis, qui pariter nihil præseferunt noui) conti-

A tinere continuationem materiæ priori Psalmo pertractatæ. Argumentum ergo Psalmi huius est; quod Ecclesia Christi, siue pusillus ille pauper, & pupillus eius grex, confidens in Domino Deo suo, nullis hostium, & persecutorum suorum minis, & cædibus permiserit se terreri, & superari; illi semper innixa, qui innocentum, & bonorum adiutor est, & inspector, & reorum iudex, vt ait v.5. & *6.* V.4. est de cædibus paratis à Iudæis in primitiuam Christi Ecclesiam; neque obstat, vt etiam de illatis à Gentilibus intelligatur. V.7. declarantur pœnæ grauissimæ, quibus impios tradit Dominus, tam corporales, quàm spirituales, &
B hæ vel maximè, *quoniam* scilicet, *iustus Dominus, & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*; vt ait versu 8. & vltimo.

PSALMVS X.

PVsilli ergo illius cœtus, siue Ecclesiæ Primitiuæ nomine S. Dauid pergit, & ait;

C V. 2. In Domino confido, cuius tam promptum, & fidele semper expertasum auxilium, & protectionem. Cum autem ipse sit spes, & fiducia mea, quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer? quid me minis vestris, & terroribus, persecutionibus, & cædibus, tanquam omni auxilio, & ope, atque etiam viribus destitutam (hæc omnia passeris
D auiculæ minimæ, & contemptibilis nomine significantur, etiam de ipsius Domini Iesu sententia, *non ne duo passeres asse veneunt*, &c. Matt. 10.29.) terrere, & vincere nitimini? Quid assiduè inculcatis?

V. 3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt ijs, ipsi latentes, & quasi illi non essent malorum, & cædium auctores; sagittent in obscuro rectos corde. Planè hoc versu S. Dauid tangit Principum Iudæorum malitiam, qui quasi essent innoxij à cædibus, quas patrabant, Pilati ad Christum, & Herodis ad Apostolos Iacobum, & Petrum, ni Dominus auertisset, è medio tollendos opera vtebantur. Et verè ipsis (pergit S. Dauid) multa planè ex animi sententia cesserunt, maximè dum apud eos Apostoli, & Discipuli Domini, eiusque Ecclesia sunt commorati. quis enim ignorat, ò Domine,

F V. 4. Quoniam quæ perfecisti, in ea ipsa opera, quę tu ipse in terris cum hominibus conuersans, diuino tuo opere, & sermone, nec non Sanctissimi Spiritus tui missione perfeceras, impias illi manus immiserunt, & destruxerunt, nulla ad id faciendum habita, vel data ab illis tuis innocentibus, & iustis fidelibus causa; sed sola eos impellente

animorum malignitate,& implacabili odio. & hoc eſt; iuſtus autem quid fecit? Poſſunt hæc omnia, vt in Argumento dictum eſt, etiam ad perſecutiones, à Gentibus illatas extendi; verùm primariò quadrant Iudæis. Pergit Pſalmiſta. A

V. 5. Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius. Quaſi dicat, quod dixi Eccleſiæ Chriſti nomine, eam innixam diuino auxilio nequaquam vinci, vel terreri potuiſſe, vel poſſe; id rurſum repeto, & confirmo; in vanum, & irritum caſura omnia tela in eam intorta. Quid enim? ait ipſa, meus, quem colo, & adoro ***Dominus*** eſt ***in templo ſancto ſuo, &c.*** quaſi dicat (& verè ipſa S. Mater Eccleſia die Aſcenſionis Domini ſecundo loco primi Nocturni vtitur hoc Pſalmo) ille ***aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.*** Marci 16. v. 19. Ego igitur quid timeam, cum ipſe ſit conſtitutus Iudex viuorum, & mortuorum, & ſit daturus bonis præmia, reis ſupplicia? Verè ipſe, vel inde vbi ***in cælo ſedes eius eſt***; B

Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius, oculi ſemper intenti ſuper omnes vias hominum, interrogant, diligentiſſimè obſeruant filios hominum, quid faciant. C

V. 6. Dominus interrogat, explorat more interrogantis P. Emman. Sà; iuſtum, & impium: & propterea valdè inſipiens, & ſibi ipſi hoſtis eſt, qui cùm hæc ita omninò eſſe ſciat, non tamen deſiſtit à malis, neque vitam ſuam corrigit; qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Et quod quæſo odium grauius, & peſtilentius poteſt eſſe illo eorum in animam ſuam odio, qui iniquitatem diligunt; quandoquidem ad peccata punienda, ſicut olim in Pentapolim, Dominus iuſtus Iudex D

V. 7. Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, per hæc alluditur ad pœnam Sodomorum; & ſpiritus procellarum, per hæc denotatur pœna ſpiritualis, odij, irarum, carnalium deſideriorum, quibus traduntur peccatores, pars calicis eorum. Et hæc quidem ideò, E

V. 8. Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit: æquitatem vidit vultus eius. F

Cùm verò in has à iuſto Iudice Deo peccatoribus paratas pœnas incurſuri eſſent, ipſi potiſſimùm Iudæi, S. Dauid illarum acerbitate territus ſubdit Pſalmũ XI.

PSAL-

A

PSALMVS XI.

Sáluum me fac, &c.

Argumentum Pſalmi X I.

B

In finem pro Octaua, Pſalmus Dauid.

SAnctus Dauid cum & formidabilem Dei iuſtitiam, & exundantem populi ſui iniquitatem maximè *in finem* futuram animaduerteret, Pſalmum hunc decantat, quo implorat pro eo Diuinum auxilium, *pro Octaua*, vt ſcilicet conſequi poſſet reſurrectionem ad vitam, gratiam, & conſequenter ad gloriam, quam Chriſtus fidelibus ſuis erat largiturus.

C

PSALMVS XI.

V. 2. Saluum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus. Verè luctuoſa erat in toto Populo Iudaico facies, maximè cum ad eos Dominus in carne venit; varijs ſceleribus, quæ deinceps enumerat, corruptis ijs, qui medelam alijs adferre de-
D buiſſent, quales erant eorum Principes, Scribæ, & Phariſæi, & Seniores, regnante in omnibus hypocriſi, dolis, vafritie, &c. quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.

V. 3. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad
E proximum ſuum: labia doloſa, in corde, & corde locuti ſunt. idem ferè omnes, ſed

V. 4. Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam. perdet

F V. 5. Qui dixerunt; Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? ſicut in argumento dictum eſt, omninò hìc damnatur Iudæorum, & Phariſæorum arrogantia, & impietas, maximè in eo, quòd traditionibus ſuis,

Dei legem deprauarent, omnia dirigendo ad proprium ſuum commodum, auaritiam, & faſtum. A

Mala hæc tanta ad opem ferendam, maximè intuitu paucorum bonorum, Diuinam Maieſtatem compulerunt,

V. 6. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. B

Ponam in ſalutari, idem eripiam; ſeu vt Chaldęus habet, *ſtatuam redemptionem Populo meo*, non quomodocunque, ſed innuit auxilium, & ereptionem conferendam per ſuum Salutare, qui Filius eſt; ideoque ſubiungit quaſi explicans, & quodnam futurum ſit illud *ſalutare*; fiducialiter agam in eo. Hæc verba P. Emmanuel Sà interpretatur, q. d. faciam eum agere confidenter, & nullum timere; quæ quidem interpretatio bona eſt, C & in conſequentiam rerum ſufficienter venit; addendum tamen eſt, quod per illa verba inſinuetur officium Meſſiæ Domini Noſtri futurum, vt Doctrina ſua ſanctiſſima Populum erudiret, & omnes, qui priorum Doctorum, vel prauitate, vel inſcitia irrepſerant errores, damnaret, atque corrigeret: in quem finem Meſſiam expectatum, optatumque fuiſſe, vel ipſi Mulieri Samaritanæ perſuaſum, & notum erat, cum Ioan. c. 4. v. 25. diceret, *Scio, quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus, cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia*.

Hoc, quod dixi, addendum illi *fiducialiter agam in eo*, oſtendit antitheſis, quam D S. Dauid facit Doctrinæ Domini, opponendæ illi, quam lingua magniloqua Scribarum, & Phariſæorum docuerat; ſubiungit enim, quod cum illo addito conſequens, & connexum eſt;

V. 7. Eloquia Domini, eloquia caſta, q. d. Cũ venerit ille docebit, nõ vt illi, &c. argentum igne examinatum, probatum terræ, i. in cõflatorio, purgatum ſeptuplum. perfectiſſimè mũdum, prout eſt id, quod ſæpè percolatur. E

Verùm dum deſideratiſſimus hic Meſſias, ac Dominus Noſter adueniat, qui nos Diuina ſua præſentia, & eloquio ſuo ſoletur, & erigat; deinde etiam poſteaquam ipſe à nobis in cælum aſcenderit, noſque, qui populus ipſius fidelis ſumus, morari apud eiuſmodi homines, de quibus prius locutus ſum, neceſſe erit; tũ verò

V. 8. Tu Domine ſeruabis nos: & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. F planè illam generationẽ notat, de qua Dominus conquerebatur ſæpius, quod eſſet generatio praua, peruerſa, & adultera. Et ex ipſo addito; *generatione hac in æternum*; nec non ex ſequenti Verſu S. Dauid oſtendit nequitiam ipſorum, & iniquitatem continuandam, & tranſmitten-

ten-

A tendam ad posteros, qui nequiores futuri essent suis antecessoribus, provt etiam ingemiscebat ille, quod ætas parentum peior auis tulisset filios nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem; id verò S. Dauid significantissima similitudine idcircò fieri, & futurum ostendit, quia scilicet

V. 9. In circuitu impij ambulant, idest, sic se se inuicem, veluti in vnum circulum connexi, & ad vnam molam alligati ita consequuntur, & subsequuntur, vt nunquam finis eorum futurus sit; nimirum ò Deus!
B secundum altitudinē tuā, tuæ inscrutabilis sapientiæ, & iudiciorum tuorum omni abysso profundiorum, multiplicasti filios hominum. permisisti, & permittis etiam illos impios multiplicari, & crescere (*per filios hominum*, malos se intelligere, ostendit statim Psalmo 13. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum*, &c. *omnes declinauerunt*, &c.) nec solùm Dominus permittit malos multiplicari, & crescere, sed etiam in proprietate sermonis dicitur eos multiplicare, iuxta ea quæ in Enchyridio cap. 25. 26. & 27.
C tom. 3. S. Augustinus sapientissimè docet, quod scilicet *non desinat Creatoris bonitas hominum, quamuis de propagine vitiata, damnataque nascentium, formare semina, & animare, & ordinare membra, per temporum ætates, per locorum spatia, vegetare sensus, alimenta donare. Melius enim iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.*

Quia verò hanc impiorum multiplicationem, & viam ipsorum *in circuitu*, maximè in ipso populo suo Iudaico, S. Dauid valdè diù, & in multa planè sæcula extendendam, atque protrahendam cum plurimorum æterna perditione animad-
D uertebat; idcircò hoc ipsum ingemiscit, deplorat, & deprecatur hoc, qui sequitur, Psalmo XII.

PSALMVS XII.

Vsquequo, Domine, &c.

E
Titulus, seu Argumentum Psalmi XII.

In finem, Psalmus Dauid.

CVm Titulus nihil particulare habeat, S. Dauid id ipsum, quod prius etiam hoc Psalmo, vt dixi, pertractat, atque deplorat.

F
PSALMVS XII.

Vsquequo, Domine, obliuisceris me in finem? obliuisci Domini, est non opitulari, non succurrere, non saluare; sic etiam, Vsquequo auer-

tis

tis faciem tuam à me? gratiam, & fauorem, velut iratus, negando. Atque hinc est, vt sic destitutus (cum *cogitationes mortalium sint timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*, Sap.c.9.) nihil planè eorum, quæ pro remedio meis, & Populi mei malis afferendo excogito, & conquiro, ad salutem, & remedium prosit; sed potius ipsa me solicitudo angat, excruciet, atque exulceret; & hoc est, A

V. 2. Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Iam verò, dum hoc pacto gratia tua, & auxilio destitutus permansero, ò Domine, perget animarum hostis Dęmon (de hoc hoste loquitur, vt statim subiunget Versu sequenti) potenter dominari, & tyrannidem suam in me (pro populo suo orat) exercere, & proh dolor! B

V. 3. Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Grande hoc animarum malum paucis notum deplorat S. Dauid, non verò vllam suam ab aliquo externo hoste sibi illatam tribulationem; cum de illis nullam vel in huius Psalmo, vel in priorum Titulis mentionem fecerit; hoc, inquam, malum deplorat, & auertere conatur; respice, & exaudi me; Domine Deus meus. Et quia periculum erat, ne ex dilatione gratiæ diuinæ Iudæi in obstinatione sua, & peccatis planè obdurescerent, & somnum mortis, nunquam ex eo, nisi ad finem Mundi, excitandi, caperent; ideò, quod præuidebat futurum deprecans, ait; C D

V. 4. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, intelligitur, qui supra Diabolus, præualui aduersus eum. Id quidem ita fiet, vt illi ipsi animarum hostes, E

V. 5. Qui tribulant me, (etiam hìc in persona populi sui loquitur) exultabunt si motus fuero: Chal. habet si declinauero à semitis tuis. Propter vim particulæ illius, *si motus fuero*, fusiùs explicandæ Isaiæ c.6.v.4. addendū est; futurum hostibus infernalibus gaudium, non solùm dum Iudaicus Populus à semitis Diuinæ Legis, & mandatorum Dei declinauerit, sed etiam cum omninò à gratia, & protectione Dei exciderit, translata ab ijs, & ablata Lege, & Ecclesia. Hoc, quod additur, velle significare S. Dauidem, colligitur ex sequentibus verbis eiusdem, & sequentis etiam vltimi versus, in quibus ipse S. Propheta oppositionem quandam facit, quod scilicet, illi quidem, de quibus prius dixerat mali, & in malitia perseueraturi Iudæi, essent illis pœnis plectendi; at verò se, & sui similes ab illorum numero, & impietate eximens, vt qui fidem in venturum Messiam haberent, & F

ha-

A habituri essent, ait pro se, & illis, ego autem in misericordia tua speraui.

V. 6. Exultauit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: &
B psallam nomini Domini Altissimi.

PSALMVS XIII.

Dixit insipiens, &c.

C Titulus, seu Argumentum Psalmi XIII.

In finem, Psalmus Dauid.



DE eadem materia, vt ex Titulo eodem colligitur, est etiam hic Psalmus: agit de malitia omnium quidem hominum (nam S. Paulus Rom. c. 3. v. 9. citans hunc Psalmum ait; *causati enim sumus Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse*) potissimùm verò Iudęorum; *quoniam*,
D (vt idem Apostolus eodem cap. v. 19.) *quæcunque lex loquitur, ijs, qui in lege sunt loquitur*. Itaque sic pergit;

PSALMVS XIII.

AD finem prioris Psalmi dixerat S. Dauid, quod ipse quidem cum bonis *psallet nomini Domini Altissimi*, Vnigenitum eius, quem missurus erat, totis
E cordis visceribus amplectendo; at verò non sic tam multi, & penè infiniti alij, nam

V. 1. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Per scelerum multiplicationem, & voluptatum terrenarum affectum omnes passim, non solùm Mundi huius homines, sed etiam, & præcipuè ipsi mei Iudæi, eò vsque insipientiæ, & rerum spiritualium, ac cælestium insensibilitatis peruenerunt, vt Deum non esse sibi persuaderent; atque exinde
F Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Vnde factum, quod

V. 2.

V. 2. Dominus de cælo prospexit super filios huminum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. & reperit, quod A

V. 3. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt (Chald. obtorpuerunt) non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. S. Aug. 16. Ciuit. benè notauit in hunc locum dici, *omnes filios hominum declinasse*, non autem filios Dei. Et lib. de perf. iust. c. 17. ait, hæc dici de prędestinatis ad interitum. Nam habet Dominus suos, de quibus paulò ante Psal. 11. v. 6. dicebat, quod, *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* B

Hominum autem sceleratorum hæ sunt notæ, C

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum.

Quorum os amaritudine, & maledictione plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. D

Contritio, & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum. P. Em. Sà benè notat, quod hæc videantur translata ex Rom. c. 3. à v. 10. vbi S. Paulus, provt in Argumento Psalmi est dictum, ita illa vniuersim de omnibus hominibus dicta fuisse asserit, vt nihilominus primariò de Iudæis dicta intelligi debeant, non solùm ex eiusdem S. Apostoli explicatione v. 19. (dum ait, *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, ijs, qui in lege sunt loquitur*) sed etiam ipse S. Dauid statim v. 4. declarat, quos potissimùm intellexerit per filios illos hominum, qui declinauerunt, qui corrupti sunt, qui non faciunt bonum; nam ait, E F

V. 4. Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, (& qui illi essent ostendens, Iudæos scilicet, Christum, eiusque Ecclesiam apud eos primo

mo

A mò congregatam, persequentes) subiungit qui deuorant plebem meam, sicut escam panis? nonne aliquando tandem se errare, & malè agere aduertent? Certè illos vel maximè, qui tempore Christi fuerunt, insignes in omni impietate fuisse, clarius est, quàm vt probatione egeat: Eosdem Principes eorum, & Seniores notat v. sequenti;

V. 5. Dominum non inuocauerunt, illic

B trepidauerunt, timore vbi non erat timor. quando scil. stulto timore, & amore non perdendi *locum*, *& gentem*, Christum Domini perdere non dubitarunt, vt Ioan. 11. à v. 47. neque cogitarunt,

V. 6. Quoniam Dominus in generatione iusta est, quod scilicet cum Dominus in hominibus iustis, & probis sibi complaceat; tantam iniustitiam, & impietatem esset detestatu-

C rus. ò pessimos rerum Iudices! consilium monita doctrinam, vitam, & omnia eius inopis Christi pauperis (quod ipse hoc nomine veniat sæpè in Isaia) confudistis: spreuistis, contempsistis, & contemptui habendum proposuistis, quoniam Dominus spes eius est. ideò, inquam, ipsum spreuistis, quod videretis hominem nullis humanis opibus, & fauoribus fultum, sed solùm Deo innixum, & fidentem. Id verò egisse, quàm absurdum, quàm iniquum fuit! Tantis,

D tamque deplorandis malis remedium quærens S. Dauid, ait,

V. 7. Quis dabit ex Sion salutare Israel?

Christus ipse Messias promissus, ille est, qui remedium, & salutem rebus afflictis, & perditis adferet; ille *salutare Israel*, siue Israelis est; non iam eius, qui secundùm carnem, sed qui per repromissionem Israelita est, vt docet D. Paulus Rom. c. 9. v. 7. & 8. *Quis* igitur *dabit*, ò vtinam, quis det, *ex Sion*, quia de Sion, & ipse, & Lex, non acceptantibus Iudæis, exibit; quis inquam det *salutare* hoc *Israel*,

E qui salutem omnibus adferat, Rom. c. 3. *Omnes enim peccauerunt*, vt dixi, & luxi, hoc Psalmo, *& egent gloria Dei*, gratia eius, & misericordia, per quam in conuersione peccatorum glorificatur; *iustitia autem Dei per Fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio*. v. 22. Et hæc conuersio peccatorum, hæc salus eorum, pergit S. Dauid, tunc fiet, cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, quam ipse suam plebem nouit; nouit enim Dominus, qui sunt eius; cum

F ergo illi, qui captiui nunc tenentur, sub potestate peccati, & Dæmonis fuerint per Fidem, quæ per Charitatem operatur liberati; tunc exultabit Iacob, & lætabitur Israel, Christi scil. fideles omnes, ad Fidem conuersi, qui in sortem, & hereditatem *Iacob*, & *Israel* ingressuri sunt (veri ipsi Iacobitæ, & Israelitæ per repromissionem) exultabunt, & lætabuntur. Et hæc quidem expectatio

plena omninò est omni exultatione, & lætitia, vt iam nunc beatissimos, & felicissimos omnes illos denuntiem; sed, quæso Domine, & quinam illi, quibus hæc optatissima sors continget? A

PSALMVS XIV.

Domine quis habitabit, &c. B

Titulus, seu Argumentum Psalmi XIV.

Psalmus Dauid.



Nquirit, & definit qualem esse oporteat eum, qui ab illo insipientium, & abominabilium hominum numero separatus dignus futurus est, qui in Ecclesiam Dei, per *Tabernaculum, & Montem Sanctum eius* significatam, recipiatur. Et quia eiusmodi non alius est, quàm qui innocens manibus, &c. & reliquis virtutibus ornatur; quas Psalmus proponit per eas ad illam perueniendum. C

PSALMVS XIV.

V. 1. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? D Per *tabernaculum*, & Montem Sanctum Domini intelligitur hoc loco, non Cælum Sedes Beatorum, sed eius Ecclesia in Terris; hoc enim tam sermonis, & rerum consequentia, quàm ea, quæ S. Dauid toto Psalmo subiungit, requirunt; quæ non Beatis, & Triumphantibus, sed Viatoribus, & pugnantibus Christi fidelibus conueniunt; de his enim verè dicitur, & de præsenti tempore E

V. 2. Qui ingreditur sine macula, idest, qui cõuersatur sine peccato, seu vt Chal. habet; qui ambulat in perfectione, & hoc magis exprimit S. Dauid, dum addit; & operatur iustitiam.

V. 3. Qui loquitur veritatem in corde suo idest, vt P. Em. Sà, ex corde, vel q. d. qui iustitiam corde meditatur: qui non egit dolum in lingua sua. F

Nec fecit proximo suo malum, & oppro-

brium

A brium (idest calumniam, seu sinistros sermones) non accepit (nõ admisit) aduersus proximos suos. Aliam præterea conditionem habeat, necesse est, vt scil.

V. 4. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus; idest, sit talis, qui auersetur, & despiciat eum, qui propter scelera sua meretur contemni, & vi-
B tari. hoc omninò est, quod hìc dicitur, neque hic agitur, aut commendatur proprius contemptus, prout statim sequentia verba indicant, quæ faciunt antithesim, vt sit sensus, malignos quidem despicit, & odit; timentes autem Dominum glorificat: Præterea ille *habitabit*, &c.

Qui iurat proximo suo, & non decipit.
C Chal. & Hier. qui iurat, vt se affligat, & non mutat. P. Em. Sà; quo etiam sui ipsius mortificatio commendatur.

V. 5. qui pecuniã suam non dedit ad vsurã.

Generaliter accipiendum est, quod hoc loco S. Dauid dicit, habitaturum in Tabernaculo Domini, eiusque Monte, scil. Ecclesia, eum, tanquam seruum sibi gratum, qui *pecuniam*, &c. Nam omninò *vsura* est intrinsecè mala, quia nullo iure exigi potest. Quod asseritur etiam Clementina vnica de *Vsuris*; eaque dicitur esse
D contra Diuina, Humanaque Statuta; & iura illam approbantia reprobantur.

Ad illud verò Deuteronomij Cap. 23. v. 19. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: sed alieno.* Respondent

Primò quidem cum S. Thoma 2. 2. q. 78. a. 1. ad secundum multi Scholastici, eam tantùm permissam fuisse impunè Iudæis in alienigenas, vt à vexatione fratrum abstinerent; sicuti permittuntur scorta, ne coniugia adulterijs violentur.

Secundò cum Bonfrerio, Ioan. Medina in Codice q. 2. de vsura, multi alij censent, licuisse Iudæis fœnerare cum exteris Deo indirectè dispensante, idest
E ex potestate supremi Dominij ipsis gratuitò largiente, quod supra sortem nullo alio iure exegissent; quo etiam modo permisit spoliare Ægyptum. Sed de his plura alij, & ex professo; nobis hæc satis ad propositum. Insuper *habitabit*, qui

& munera super innocentem non accepit.

aduersum innocentem, vt S. Hier.

Qui facit hæc non mouebitur in æternum.

F idest, habitabit in Tabernaculo, non deijcietur, non cadet, perseuerabit apud Dominum.

Obseruandum est, pulcherrimo artificio, & consecutione hunc Psalmum è diametro opponi priori; & sicuti ille filiorum hominum peruersorum varia, eaque horrenda scelera proposuerat; ita iste præclarissima Filiorum Dei opera, virtutesque enumerat. Sed ad maiora progrediendo, sequitur;


 A

PSALMVS XV.

Conserua me, Domine, &c.

Argumentum Psalmi XV.

Tituli inscriptio ipsi Dauid. B



X eo, quod Psalmus hic XV. pulcherrima mysteria, & planè digna, quæ marmori ad æternam memoriam inscriberentur, ad Christum Dominum pertinentia continet, inscribitur, *Tituli inscriptio ipsi Dauid*, scil. Christo.

Quod supra insinuatum fuit, S. Dauid sensim semper fusiùs pro nata opportunitate, quæ ad Christum, eiusque Maiestatem, & Diuinitatem declarandam pertinent, explicat. C

Pro connexione autem animaduertendum est; quod cum Psalmo priori iuxta antecedentium exigentiam tractatum fuisset de excellenti virtute, & vitæ innocentia, qua, necesse erat, præditos esse Christi Discipulos, eiusque fideles; & quoniam illa singulare Dei donum futura erat, Christus, vt homo, & vt eorum caput ait ad Patrem, *Conserua me, &c.*

V.3. Exauditum se pro ijs ostendit, & omnia, atque adeò ipsos Fideles in ipsum refert, & eos eius facit, vt Ioan. 17.

V.4. Non eadem sors obstinatorum Iudęorum, qui proinde erant proijciendi. D

V.5. Dominus, qui dixerat Psal. 2. *Postula à me*, &c. dedit præclaram Gentium hereditatem, & abundè compensatum est, quod ob Iudæorum perditionem fuit deperditum, Gentium scil. substitutione, & introductione, vt v.*6*.

Deinde v.7. causa iusta benedicendi Dominum duplex. Vna ob illam Gentium electionem, in qua, quia Domini instinctu, nutu, ordinatione, & pientissima miseratione facta fuit, propterea dicitur, *tribuisse intellectum*. Alia verò benedicendi causa illa est; quod, quia Iudæi nolentes Christum recipere, & vsque ad mortem persequentes. E

V.8. *Prouidebam Dominum*, *&c.* Hic versus cum reliquis vsque ad finem à S. Petro Act. c. 2. vv. 25. 26. 27. 28. explicati sunt; & quod ad substantiam eorum attinet, ijs Passio, Mors, Resurrectio, & Ascensio Christi fuere insinuata, & paucis expressa. Sic ergo incipit.

PSALMVS XV.

V.1. Conserua me, Domine, quoniam speraui in te. F

V.2. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam

A niam bonorum meorum non eges. Conuenientissimè hęc verba dicuntur à Christo pro membris suis, quando cum ipsis, & pro ipsis orans etiam ait, *Pater noster*, &c. *Dimitte nobis*, &c. & Ioannis c. 17. *Pater Sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*. V. 11. & V. 17. *Sanctifica eos in veritate*. Hac ergo ad Cælestem Patrem à Christo directa oratione, exauditum se ostendit ipse Christus, dum ait;

B V. 3. Sanctis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis. Exauditum, inquam, se ostendit his verbis, in ea ipsa petitione, quam pro obtinenda ijs, & toti Ecclesiæ suæ insigni vitæ sanctitate, & innocentia obtulerat; nam conuerso iam sermone ad explicandum, quid eo supplici ad Deum recursu obtinuisset; omninò, ait, idipsum, quod petieram; nam *Sanctis*, idest electis suis & vocatis, atque per Fidem conuersis, *qui sunt in terra eius*, hic Christus Ecclesiam suam nominat, & nihilominus C *terræ eius*, scil. Patris Æterni appellat nomine, vtique pleno affectu, & planè simili illi, quem Ioannis Cap. 17. V. 10. expressit, *quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt*. Illis igitur *Sanctis, qui sunt*, viuunt, & victuri sunt, *in terra eius* beata portione, & hereditate, quæ est Ecclesia eius, & mea, &c. *mirificauit omnes voluntates meas in eis*; dedit hanc gratiam, vt vitæ meæ (Christus loquitur) Institutum amplectantur; meque per viam, qua ipse ingressus sum, Paupertatis, Mundi contemptus, Passionis, & Crucis, &c. sequantur, & imitentur. In his verò, alijsque eiusmodi fuisse Domini Iesu *voluntates*, & beneplacitum, quis D ambigat? quando Luc. 10. v. 21. *In ipsa hora exultauit Spiritu Sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terra, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam Pater quoniam sic placuit ante te*.

In hac explicatione ly, *in eis*, non superabundat, vt ait P. Emmanuel Sà; sed præter datam significationem etiam innuit in his verbis contineri quandam antithesim, & rerum, atque personarum oppositionem, quod scilicet aliqui quidem in Christum non crediderint, neque in Ecclesiam sint ingressi; cæterùm qui crediderunt, insignes planè factos fuisse, & *in eis* mirificè resplenduisse vitam, & sanctitatem E tem Domini Iesu.

Contineri dictam oppositionem, antecedenter dicta Psalmo 13. & 14. qui sunt oppositi, persuadent; deinde idipsum confirmat statim sequens versus

V. 4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. Quod est, quasi dicat. Id quidem boni, & felicitatis contigit meis fidelibus: at verò ijs, qui in perfidia sua, & obstinatione permanserunt Iu- F dæis (de his etiam supra ostendimus primariò sermonem esse) *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum*. Per *infirmitates*, Chaldæus, & S. Hieronymus intelligunt *Idola*: vt consequens sermo sit, explicari debet; quod sicut olim pronissimo impetu ad Idola adoranda currebant, sic etiam Christi tempore mala eorum, maximè animæ, & spiritualia, mirum quantum excreuerunt; dominantibus iam palàm in ijs passionibus iræ, odij, rancoris, indignationis, vnde *postea accelerauerunt* impiam suam

ſuam voluntatem contra me, & meam Eccleſiam perſecutionibus, & cædibus A
exequi; nam cum ſupra Pſal. 13. *veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, dictum ſit; hoc loco *accelerationem* eorum in eodem ſenſu debemus intelligere, & omninò de hæc eſſe ſermonem, verba ſequentia Verſus huius confirmant; nam ait Dñs, quod in pœnam tam abominandæ crudelitatis, quam Iudæi exercuerunt;

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea. B
Congregare Domini eſt ſaluare; nam Ioan. c. 11. v. 52. *Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt Filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum*, Quicquid ergo ille non congregat, perditum manet; in æterna obliuione eſt quicquid ille non nominat. Hæc porrò grauiſſima pœna Iudæos attingit. De ijſdem eam intelligit Nicephorus, quod Iudæos, qui occiderant Chriſtum non congregabit. Item Cyrillus Ieſoſoly. Catecheſi 14. apud P. Lorinum explicat de reiectis ſanguinarijs Iudæis, à quibus derelictus eſt, ne Rex eſſet. An autem, & C
quàm ſæpè concilia collegerint, & conuentus, ſeu conuenticula inſtituerint contra Dominum, eiuſque Eccleſiã, notiſſimum eſt ex Euangelijs, & Actis Apoſtolorum. Hanc ipſam explicationem non ſolùm antecedentia connexa confirmant, ſed etiam conſequentia exigunt. Nam ſequitur

V. 5. Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: Supra Pſal. 2. Dominus optionem dederat Filio, vt poſtularet, accepturus *gentes hereditatem ſuam*. Hanc promiſſio- D
nem, ſiue Dominum hæc promittentem vocat *partem hereditatis ſuæ, & calicis ſui*, ſiue portionem, qua fruiturus erat; & ſubiungit: tu es, qui reſtitues hereditatem meam mihi. quaſi dicat, vt in Argumento iam inſinuatum fuit, ipſe eſt, qui, quod mihi deperditur ob Iudæorum perditionem, qui hereditas mea etiam ipſi erant, & eſſe debuerant, aliunde compenſaturus eſt hoc detrimentum; & certè v. 6. ait, abundè valdè id præſtitit, & feliciſſimè mihi commutatio hereditatis ceſſit; nam E

V. 6. Funes ceciderunt mihi in præclaris: per hæc intelligitur ſors, ſeu hereditas (Palæſtini enim, vt benè notat P. Emm. Sà, funibus agros metiebantur) ſeque ipſum explicat, quod hoc intelligat S. Dauid ſequentibus verbis, etenim hereditatis mea præclara eſt mihi. dum totius Mundi gentes, & nationes in Iudæorum locum ſubſtitutæ, & in Eccleſiam ingreſſæ ſunt. Idcircò Deum laudandi, & benedicen- F
di iuſta cauſa hæc ipſa eſt, & verò etiam

V. 7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: qui auctor, & cauſa mihi fuit, vt hanc tam optabilem, & felicem commutationem facerem, ſeu

cuius

A cuius instinctu, nutu, ordinatione, & pientissima commiseratione erga gentes hæc commutatio facta est, vt etiam ipsæ saluarentur. Et hæc quidem vna causa est benedicendi Dominum; alia verò, etiam illa valdè magna, est, insuper, & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei. Notandum hoc loco, *renum* nomine, Iudæos denotari, propter consanguinitatem carnis, quam cum Christo habuerunt. Sic Lyranus apud P. Lorinum, qui addit, quod idem ferè Glossa, Beda, Hugo Card. Thomas,
B Haymo, Remigius, Ruffinus, & alij. hoc posito (quod textus consequentia verum esse comprobat) idem est, atque si Christus, vt supra inceperat, pergens dicat; *insuper* etiam alia causa benedicendi Patrem meum cælestem est, quod cum ij, qui de sanguine, & carne mea erant Iudæi, me vsque *ad noctem*, mortem scilicet ipsam, insectarentur, & persecuti fuerint; ego tamen

V. 8. Prouidebam Dominum in conspe-
C ctu meo semper: quoniam à dextris est mihi, ne commouear.

V. 9. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultabit lingua mea; insuper & caro mea
D requiescet in spe.

V. 10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

E V. 11. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem. Hos omnes versus D. Petrus Actorum c. 2. vv. 24. 25. 26. 27. 28. explicat ad literam de Christo: nam à v. 29. aiebat, *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur*
F *cum esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius: prouidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.* Ex hac D. Petri explicatione apparet à S. Dauide illis Versibus Psalmi huius vltimis fuisse expressam, non

solùm

solùm Passionem, & Mortem Christi, sed etiam gloriosam eius Resurrectionem, & Ascensionem ad Cęlum. Ex quibus primò quidem constat, quod cùm tanta Mysteria Psalmus hic complectatur, meritò inscriptus fuerit, ***Tituli inscriptio ipsi Dauid.*** A

PSALMVS XVI.

Exaudi, Domine, &c. B

Titulus, seu Argumentum Psalmi XVI.

Oratio Dauid.



Vm priori Psalmo S. Dauid non ex professo, sed incidenter tantùm, mentionem fecisset de Christi Resurrectione, & Ascensione, illa scilicet occasione, qua dixerat, ipsum Dominum Christum (cum ipsum *increparent renes sui vsque ad noctem)* ***prouidisse Dominum in conspectu suo semper:*** Hoc Psalmo ab illa modica, quam fecerat (si tamen fecerat) digressione reuertens, petit se, & Ecclesiam suam ab ijs liberari, quos prius dixerat contra se, & ipsam sanguinaria ***conuenticula*** instituisse. C

Sicuti autem hoc Psalmo continetur inuocatio auxilij, ita sequenti sequetur pro eius adeptione solemnissima gratiarum actio; & reliquis tribus felicissima post istam liberationem prosperitas. Nunc verò sic Christus pro se, suisque fidelibus, seu Ecclesia sua orat. D

PSALMVS XVI.

V. 1. Exaudi, Domine, iustitiam meam: intende deprecationem meam. E

Auribus percipe orationem meam, non in labijs dolosis. iustam petitionem; allegat etiam hoc motiuum versu secundo.

V. 2. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates. æquitas quædam erat, vt qui Christum fuissent sequuti, & per aduersa probati, liberarentur à malis, & in bono confirmarentur. Est igitur F

V. 3. Probasti cor meum, & visitasti nocte:

igne

A igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. de probatione per aduersa sic etiam

V.4. Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego
B custodiui vias duras.

V.5. Perfice gressus meos, Christus pro membris suis, & fidelibus, vt in semitis tuis, angustis, & arctis perficiantur, petit, vt non moueantur vestigia mea, non declinent, neque labantur ij, qui me sequuntur.

C V.6. Ego clamaui plenus fiducia obtinendi, quia noui, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. propterea,

V.7. Mirifica, fac miras apparere, & clarescere misericordias tuas,
D qui saluos facis sperātes in te. quod pręstabis, ò Dñe, si me, fideles meos custodieris.

V.8. A resistentibus Iudæis, qui obdurata cordis obstinatione, dexteræ tuæ resistunt, qui me tuum Vnigenitum, brachium, & dexteram tuam non recipiunt; & consequenter etiam remedium, & salutem, quam tanquam pientissimus Medicus illis cōferre volueras, respuunt; custodi me, & meos vt pupillam
E oculi, tanquam rem valdè charam, & pretiosam, vt nihil illis noceat, nihil illos lædat. Neque hic Domini Iesu erga fideles suos planè plenus pietatis viscceribus affectus sistit; sed quod ipse charitatis, & protectionis præstare paratus fuerat, vel ipsis hostibus, & aduersarijs suis Iudæis (quos scilicet sæpius *voluerat congregare, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas*, Matth. 23. v.37.) id ipsum, inquam, pietatis, & protectionis impendi postulat bonis, & dilectis suis fidelibus.

F V.9. Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum, qui me afflixerunt. & necesse omninò erat hac pientissima, & potentissima Dei protectione. Nam

V.10. Inimici mei animam meam circum-

dederunt, adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam. Crudelitas eorum exprimitur. A

V. 11. Proijcientes me, nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram. cum me ante expulissent; id innuitur, quod S. Ioan. sæpè meminit de eiectis è Synagoga, qui eum confiterentur. B

V. 12. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis. ideo

V. 13. Exurge Domine, opem, auxiliumque afferendo, quod peto esse eiusmodi; præueni eum, anteuerte auxilio tuo id, quod impiè machinatur facere, & dum ipse impius populus Iudaicus totus est in exterminanda, & excindéda mea Ecclesia; supplanta eum; efficies, vt mei quidem fideles propter suscitatas ab eis persecutiones se se furori eorum subducant, & in omnem circa regionem, Fidem meam disseminaturi, dispergantur; illi verò à superueniente Romanorum exercitu arctissima obsidione intra suam Ciuitatem sanguinum perituri, includantur; & sic eripies, eripe animam meam ab impio, eos scil. quos ego tanquam animam meam diligo, atque ita fiet, vt eos eripiendo, qui prædicaturi Euangelium proficiscentur in mundum vniuersum, dicendus sis eruisse frameam tuam, seu gladium tuũ, quo per eorum, seu verbi tui prædicationem insignes victorias parere, & mundum tibi subijcere disposuisti, dicendus, inquam, sis eruisse ab inimicis manus tuæ. C D E

V. 14. Quæ dum fient; id est hæc separatio, & discessio continget bonorum à malis; illud grande malum, quod illis impendere, iam præuideo, & prædico; vt scilicet diuidendi, & disiungendi, & separandi sint *à paucis de terra*, qui sunt mei fideles, & electi; Domine à paucis de terra diuide eos, id est diuides, seu separabis eos; hæc autem, quæ futura eis est infausta, & infelix diuisio, & separatio, nequaquam in longinqua tempora differenda est, sed fiet in vita eorum, id est dum adhuc superstites erunt illi, de quibus paulò ante dixi, qui me, meosque fideles *Proijcientes circumdederunt me*, &c. *Susceperunt me sicut leo*, &c. Sic Christus Dominus simili planè sensu, Matth. c. 24. v. 34. loquendo de excidio eodem, quod impendebat Ierusalem, neque diù differendum erat, dicebat, *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.* F

Item

A Item ad idem refertur, & est cum hac ipsa materia coniunctum, id quod Cap. 26. v. 64. dixit Caiphæ, & toti Concilio, *amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Quibus verbis Dominus Prædicationem Fidei mox post Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem futuram prædixit; vt in Isaias cap. 2. & S. Aug. probabit. *In vita* ergo *eorum à paucis de terra diuides eos*; illisque *paucis* ab eis ad Gentes discedentibus, ipsi relinquentur, vt paulò ante dixi, supplantati, & destituti gratia tua, & auxilio, tandemque à Romanis vastabuntur.

B Interea verò de absconditis tuis adimpletus est venter eorum; idest; abundant opibus, & diuitijs, quas illis dedisti, & absque vlla rerum futurarum solicitudine toti terrenis immersi vacant voluptatibus, nihil vltra optantes, vel sperantes, vtpote, quia de illis *absconditis* terræ *adimpletus est venter eorum*. Maximè quia præterea; Saturati sunt filijs: prole etiã facti fecũdi, & filijs, quos diuites fecerunt; quod est;

C & dimiserunt reliquias suas paruulis suis. Sed in his omnibus, quid non vanum est?

V. 15. Ego autem, non sic ego, & qui me sequuntur; sed potius per rerum terrenarum contemptum, perque earum inopiam, sola paupertate contenti, satis nobis diuitiarum suppetere arbitramur, gratia tua modo gaudere, quæ dum aderit; in iustitia apparebo con-

D spectui tuo; habentes nobis reseruatam in altera vita beatitudinem; tunc enim; satiabor cum apparuerit gloria tua. Post hanc Orationem sequitur

PSALMVS XVII.

E

Diligam te Domine, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XVII.

In finem puero Domini Dauid, qui locutus est Domino verba Cantici huius, in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit: (2. *Reg.* 22. 2.)

F

SVb illa figura, quæ in Titulo proponitur, *Puer Domini Dauid*; Christus Saulis, Iudæorum persecutiones, vt orauerat, vicisse exprimitur; quod & decantatur vsque ad versum octauum.

A versu octauo. Quia Christus paratum sibi Regnum in Gentibus adire per Fidei Sanctæ Prædicationem, apud illas faciendam, debebat; propte-

rea eiusdem Prædicationis, non tantùm iam ex parte apud Iudæos factæ; sed mox vniuersaliter apud omnes Gentes futuræ, cursum, & progressum felicissimum sub pulcherrimis aptissimisque metaphoris, & rerum symbolis exprimit; eiusdem Prædicationis vim, efficaciam, celeritatem, mirabiles, eosque obstupescendos effectus, & operationes, animorum commutationes, & conuersiones animarum maximas proponendo, vsque ad versum 20. A

Sic autem eos omnes versus esse, & literaliter, vt in Psalmi explicatione dicetur, explicandos, inde conuincitur, quia, vt etiam Euthymius obseruauit; nihil eorum, quæ ijs dicuntur, Dauidi euenit. B

Inde ad Ecclesiæ sic in Gentibus fundandæ statum longè feliciorem, quàm intra vnius Iudeæ angustias fuisset, explicandum progreditur; ***eduxit me in latitudinem***, &c. v. 20. vsque ad 38.

Et quia felicibus hisce successibus non defuturæ erant aduersitates, tam ex parte Gentilium, quàm & maximè Iudæorum Euangelij dilatationi obstantium; *prohibentes*, &c. vt Apostolus 1. Thess. 2. 16. *gentibus loqui*, &c. victorem se Dominus omnium, & maximè horum, vt versu 44. ait, ***Eripies me de contradictionibus populi***, vsque ad finem Psalmi prædicit. Atque etiam hìc C

Notandum est; admirabili ordine, atque connexione ita hunc Psalmum reliquos consequi, vt simul aliorum etiam consequentium Psalmorum sit quoddam præludium. Nam verè quæ hic summatim dicta, particulariter deinde, & fusiùs omnia explicantur, & decantantur. Sic ergo incipit;

PSALMVS XVII.

D

V. 2. Diligam te Domine fortitudo mea: quia scil. iuxta ea, quæ pro me, meaque Ecclesia petebam, obtinui; nam factus est.

V. 3. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. E

Deus meus adiutor meus: & sperabo in eum.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. F

V. 4. Laudans inuocabo Dominum, tam firmũ mihi est Dominus firmamentum, tam promptus protector, vt vel laudando si inuocem, & ab inimicis meis saluus ero. & illi quidem,

V. 5.

A V. 5. Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. magnus, & numerus, & impetus iniquorum; &

V. 6. Dolores inferni circumdederunt
B me: præoccupauerunt me laquei mortis. ad mortem, & sepulchrum vsque deducentes. Verè hæc omnia Christo, & primitiuæ Ecclesiæ apud Iudęos commoranti accidisse, constat ex Act. Apostolorum; sed

V. 7. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.

C Et tandem exaudiuit de tēplo sancto suo vocē meam: & clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius. quonam pacto?

V. 8. Commota est, & contremuit ter-
D ra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. Hinc omninò initium sumit auxilium, quod sibi, & Ecclesiæ suæ collatum fuisse grato animo commemorat Christus Dauid Noster. Nam certum est, quod tanta verborum emphasi ab omni hyperbolica phrasi, fictione, & auxesi siue poetica, siue rhetorica alienus, sermo Sancti Prophetæ plus aliquid significare velit his
E verbis, quàm id, quod aliqui volunt, illum scilicet ***sonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum***, de quo 2. Reg. cap. 5. hìc enim non iam arbores, quæ perflante quocumque vehementiore vento fragorem edunt, sed ***terram commotam, & contremuisse***; sed ***fundamenta montium conturbata fuisse dicuntur***, &c. Quod cum nusquam sub Dauide legatur contigisse, sub Christo tunc accidit, quando impleta iam mensura peccatorum, à Iudæis ad Gentes Sancti Apostoli, totaque Christi Ecclesia, sunt profecti. Hac autem phrasi ***commotionis terræ, & montium***, quæ frequens est etiam in Isaia, vt videbitur cap. 6. v. 4. Isaiæ, illam ipsam Ecclesiæ
F profectionem, & migrationem se velle significare, repetet S. Dauid Psalmo 45. v. 3. & phrasim hanc ibidem hoc ipso sensu explicabit S. Gregorius Magnus.

Hic motus, & hæc Ecclesiæ translatio fiet à Iudæis ad Gentes, quia Domino Iesu postulante pro Gentium conuersione (quandoquidem recusabant Iudæi ingredi) Dominus tandem ***iratus est eis***, ita vt perirent de via iusta, & Gentes in eorum locum subintrarent, pro quarum conuersione intelligendus est *v. 9.*

V. 9.

rea eiuſdem Prædicationis, non tantùm iam ex parte apud Iudæos factæ; ſed mox vniuerſaliter apud omnes Gentes futuræ, curſum, & progreſſum feliciſſimum ſub pulcherrimis aptiſſimiſque metaphoris, & rerum ſymbolis exprimit; eiuſdem Prædicationis vim, efficaciam, celeritatem, mirabiles, eoſque obſtupeſcendos effectus, & operationes, animorum commutationes, & conuerſiones animarum maximas proponendo, vſque ad verſum 20. A

Sic autem eos omnes verſus eſſe, & literaliter, vt in Pſalmi explicatione dicetur, explicandos, inde conuincitur, quia, vt etiam Euthymius obſeruauit; nihil eorum, quæ ijs dicuntur, Dauidi euenit. B

Inde ad Eccleſiæ ſic in Gentibus fundandæ ſtatum longè feliciorem, quàm intra vnius Iudeæ anguſtias fuiſſet, explicandum progreditur; *eduxit me in latitudinem*, &c. v. 20. vſque ad 38.

Et quia felicibus hiſce ſucceſſibus non defuturæ erant aduerſitates, tam ex parte Gentilium, quàm & maximè Iudeorum Euangelij dilatationi obſtantium; *prohibentes*, &c. vt Apoſtolus 1. Theſſ. 2. 16. *gentibus loqui*, &c. victorem ſe Dominus omnium, & maximè horum, vt verſu 44. ait, *Eripies me de contradictionibus populi*, vſque ad finem Pſalmi prædicit. Atque etiam hic C

Notandum eſt; admirabili ordine, atque connexione ita hunc Pſalmum reliquos conſequi, vt ſimul aliorum etiam conſequentium Pſalmorum ſit quoddam præludium. Nam verè quæ hic ſummatim dicta, particulariter deinde, & fuſiùs omnia explicantur, & decantantur. Sic ergo incipit;

PSALMVS XVII.

D

V. 2. Diligam te Domine fortitudo mea: quia ſcil. iuxta ea, quæ pro me, meaque Eccleſia petebam, obtinui; nam factus eſt.

V. 3. Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. E

Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. F

V. 4. Laudans inuocabo Dominum, tam firmū mihi eſt Dominus firmamentum, tam promptus protector, vt vel laudando ſi inuocem, & ab inimicis meis ſaluus ero. & illi quidem,

V. 5.

A V. 5. Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. magnus, & numerus, & impetus iniquorum; &

V. 6. Dolores inferni circumdederunt
B me: præoccupauerunt me laquei mortis. ad mortem, & sepulchrum vsque deducentes. Verè hæc omnia Christo, & primitiuæ Ecclesiæ apud Iudęos commoranti accidisse, constat ex Act. Apostolorum; sed

V. 7. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.
C Et tandem exaudiuit de tẽplo sancto suo vocẽ meam: & clamor meus in conspectu eius, introiuit in aures eius. quonam pacto?

V. 8. Commota est, & contremuit ter-
D ra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.

Hinc omninò initium sumit auxilium, quod sibi, & Ecclesiæ suæ collatum fuisse grato animo commemorat Christus Dauid Noster. Nam certum est, quod tanta verborum emphasi ab omni hyperbolica phrasi, fictione, & auxesi siue poetica, siue rhetorica alienus, sermo Sancti Prophetæ plus aliquid significare velit his
E verbis, quàm id, quod aliqui volunt, illum scilicet *sonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum*, de quo 2. Reg. cap. 5. hic enim non iam arbores, quæ perflante quocumque vehementiore vento fragorem edunt, sed *terram commotam, & contremuisse*; sed *fundamenta montium conturbata fuisse dicuntur*, &c. Quod cum nusquam sub Dauide legatur contigisse, sub Christo tunc accidit, quando impleta iam mensura peccatorum, à Iudæis ad Gentes Sancti Apostoli, totaque Christi Ecclesia, sunt profecti. Hac autem phrasi *commotionis terræ, & montium*, quæ frequens est etiam in Isaia, vt videbitur cap. 6. v. 4. Isaiæ, illam ipsam Ecclesiæ
F profectionem, & migrationem se velle significare, repetet S. Dauid Psalmo 45. v. 3. & phrasim hanc ibidem hoc ipso sensu explicabit S. Gregorius Magnus.

Hic motus, & hæc Ecclesiæ translatio fiet à Iudæis ad Gentes, quia Domino Iesu postulante pro Gentium conuersione (quandoquidem recusabant Iudæi ingredi) Dominus tandem *iratus est eis*, ita vt perirent de via iusta, & Gentes in eorum locum subintrarent, pro quarum conuersione intelligendus est *v. 9.*

V. 9.

V. 9. Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit; carbones succensi sunt ab eo. Id consequenter factum, quando Apostoli, & Discipuli Domini zelo gloriæ Dei, & salutis animarum, & Sanctissimi Spiritus igne succensi (quæ aptissimè per *fumum, ignem, carbones succensos* exprimuntur) profecti, *prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Marci vltimo. Et tunc etiam Dominus sic cooperans, & signis mirabilibus sermonem, Fidemq. suam confirmans, dùm ad miseras, & ignorantiæ tenebris, & vmbra mortis obcęcatas Gentes illuminandas destinauit Apostolos,

V. 10. Inclinauit cælos, & descendit, hoc ipso mòdo loquendi S. Dauid ad idem significandum vtetur Psalmo 143. *inclina cælos tuos, & descende*; quæ verba (& idem esto de his iudicium) S. Greg. lib.30.Mor.c.10.explicans, ait, *cum inclinantur, Cæli descendit Dominus, quia cum se in prædicatione sua Sancti Doctores attrahunt, Diuinitatis notitiam nostris cordibus infundunt*.

Iam ergo his versibus, vt in Argumento notatum fuit, S.Dauid sub pulcherrimis, aptissimisque, nècnon, & altissimis metaphoris, & rerum symbolis Prædicationis Fidei, & Diuini Verbi admirabiles effectus exprimit. Insistendo autem ijs solùm explicandis, qui cum connexa, & consequente explicatione coniuncti sunt (nam accommodatitio sensu ad plura possunt transferri) quid sibi vult S.Propheta Dauid, quod tam hoc versu, quàm sequentibus scilicet 11.12.13.& 14.quædam connectat, quę non paruam oppositionem habent? hoc quidem versu vbi dixisset, *inclinauit cælos, & descendit*, subiungit, *& caligo sub pedibus eius*; cum potius ad Domini descensionem, siue manifestationem eius (quæ fiebat, vel futura erat per Apostolorum Prædicationem) lucem, & splendorem vbique passim eam consequi, & succedere, esset consentaneum?

Verùm hoc nimirum est illud ipsum, quod tanquam arcanum, & admirandum proponit S. Dauid, tantas scilicet fuisse in mundo tenebras, vt non statim potuerint ab illa tanta Euangelij luce, & splendore illuminari, fugarique omnes, & expelli ex mundo, & sic caligo sub pedibus eius. Id ergo hic obscuriùs dicitur, quod clarissimè S.Ioan. c.1.v.5. expressit, *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; quod (vt benè P.Emm.Sà) idem est atque si dicatur; cum lux in tenebris lucere soleat, scilicet expulsis his, tamen mentes excęcatæ lucem hanc non receperunt; vniuersim autem loquitur S.Ioan. tam de Iudæis, quàm de Gentibus.

In hac ipsa rerum admirabilium compositione, & oppositione pergens S. Dauid, ait;

V. 11. Et ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventorum. Primò, sensus huius versus, vt consequens sit, licet per illam propositionem superintelligi possit celeritas, quod scilicet plusquam, & velocissimè, vt cum P. Emm. Sà complures alij explicant;

A cant; nihilominus cum velocitas satis exprimatur per volatum, repetito verbo *volauit*; dicendum est, quod *super* in hoc versu idem significet, quod, in, vel, cum, vt scilicet ipse fuerit ascensor, & in illis, & cum illis volauerit, ea planè phrasi, & significatione, qua Habacuc c.3. v.8. ait, *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio*; etiam ipse ad literam de SS. Apostolis loquens. Et Iob cap. 39. v.18. *deridet equum, & ascensorem eius*. Hoc ergo posito, S. Dauid rem æquè dignam admiratione proponens ait; quod *Et ascendit super Cherubim, & volauit*, idest licet, siue quamuis *ascenderit super Cherubim*, (per Cherubim intelligit Sanctos Apostolos, & Discipulos Domini repletos omni sapientia, & Spiritu Sancto,

B qui loquebatur in illis, & cui non poterant resistere omnes Mundi Sapientes) & venerit cum illis, & in illis, seu potius volauerit, & *volauerit super pennas ventorum*, qui fuerunt illi ipsi expediti ab omni onere, & pondere Mundi huius, & rerum terrenarum curis (quod fuit volasse *super pennas ventorum*) nihilominus tamen hic ipse Domini velocissimus ad omnes Gentes per Fidei Prædicationem aduentus diutissimè circumseptus fuit, & positus in medijs Gentium idololatrarum tenebris, quod est,

C **V.12. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius:** idest, diù eius Ecclesia, quæ est eius tabernaculum, coacta fuit delitescere inter medios Gentiles idololatras, neque palàm, & in apertum potuit, quæ ad diuinum cultum spectant, proferre, atque sic, in hac tam hominum, quàm rerum, & religionis adeò diuersorum commixtione id accidit, vt fuerit veluti **tenebrosa aqua,** populus ipse Gentilis, **in nubibus aeris**

D cum Christi fidelibus veri Dei cultoribus, qui per nubes, quæ ex se leues, & lucidæ sunt, significantur. Et certè si sanctam Christianorum vitam, maximè vero Sanctorum eius Apostolorum, & eorum, quos in ea Dominus Pastores, & Doctores posuit, consideremus, omninò

V.13. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, ipsi certè magna luce, magno splendore sanctitatis; magna potestate; multis signis, & miraculis; siue operatio-

E ne, & potestate ea patrandi; ardentissimo in Deum, & proximos amore; alijsque eiusmodi virtutibus valdè conspicui fuerunt, vt meritò possent ad Christi Fidem omnes omninò homines conuertere; verùm quod planè ingemiscendum est, non omnes ad eam perducti sunt, sed per eandem prædicationem, dum quidam conuertuntur, alij verò in perfidia, & infidelitate, atque obstinatione permanent; sic factum, vt veluti ex ijsdem nubibus prodierint, & emissa fuerint, **grando, & carbones ignis.**

F quæ duo aptissimè, illa obstinatis, hi conuersis conueniunt. Quomodo autem per grandinem obstinatio, & obduratio denotetur, multa habet P. Ludouicus Alcazar in Apocalypsim cap.9.v.9.Not.16.fol.449.

Quod autem hæc, quæ ad Fidei Prædicationem, & mirabiles per eam effectus operatos pertinent, intentum Sancti Prophetæ fuerit declarare; se ipsum, quod id voluerit, explicat,

V.14.

V. 14. Et intonuit de cælo Dominus, & A
Altissimus dedit vocem suam. certè his verbis plus aliquid, atque quid excellentius, vult ostendere, quàm quod accensis in nubibus exhalationibus, concussa, atque effracta earum latera, sonum, & tonitru ediderint; quid enim hoc, vel nouum, vel mirum, dignumque descriptione S. Prophetæ fuisse?

Verùm hanc nubium coruscantium, & personantium similitudinem ad Verbi Dei, & Fidei ipsius Prædicationem transferendo, quid potest esse elegantius? B
Similis planè phrasis, atque elegantia pro eadem Diuini Verbi Prædicatione exprimenda reperitur Iob cap. 37. à v. 3. quo S. Dauid videtur hoc Psalmo allusisse; nam sic ait Iob; *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ*, &c. Quando ergo, quod etiam supra dixerat *præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt*, &c. *Et intonuit*, &c. *Altissimus dedit vocem suam*, omninò tanquam rem singularem denuò repetit, quod inde consecuta sint *grando, & carbones ignis*, aliquorum, & multorum conuersio; aliorum, & plurium in infidelitate, & tenebris, atque peccatis obduratio. C

Quod verò hanc diuturnam multorum obdurationem in infidelitate, per grandinem S. Dauid velit declarare, & ostendere, quodque diù fuerit cum ea Prædicatoribus S. Fidei colluctandum, statim sequenti versu demonstrat; nam ait, vt eam tandem euinceret.

V. 15. Et misit sagittas suas, addendo tonitribus fulmina, vim scil. & gratiam efficacem dando Prædicatoribus, & auditoribus Verbi; & dissipauit eos, ab idolorum cultu, & vitiorum illecebris remouendo; D
fulgura multiplicauit, & conturbauit eos, ad pœnitentiam, ad Crucem perducendo, & viam arctam.

Atque sic tandem multiplicatis his fulminibus, & per assiduam feruentium Prædicatorum Fidei vocem, & operam intortis in corda Gentilium; tandem effectum est, vt plenè victi fuerint, atque manus dederint idololatræ; hanc autem plenam, & vltimam victoriam pulcherrima similitudine exprimit, exsiccatorum ad imum vsque alueum fluminum, & fontium aquarum; hæc quidem phrasis frequens est, & de ea multa dicenda sunt Isaiæ c. 11. v. 15. & 16. Item cap. 18. toto. E
Ipse S. Dauid sæpiùs deinceps vtetur eadem, vt Psal. 92. Item Ps. 136. &c. Sic ergo

V. 16. Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.

Per hæc autem vniuersim intelliguntur concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, & illa omnia horrenda scelera, quæ cum idololatria coniuncta esse solent, de quibus longum catalogum enumerat Sap. c. 14. à v. 23. F
vsque ad finem; & S. Paulus ad Rom. cap. 1. & 2. De ijsdem dictum est supra Notato 5. §. 7.

Hæc autem tam ingentia, & tam vastis, & immensis aquis decurrentia flumina, quæ & Fidei Prædicatoribus ad miseras hominum animas; & his ad Christi Fidem

A dem accessum omnem prohibebant, fuisse exsiccata; opus planè diuinæ virtutis fuit, neque ab alio fieri poterit, quàm

Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ; qua tandem misericorditer irascendo peccatis hominum, ea perdere, & exterminare Sanctissimi Spiritus tui missione, & aduentu constitueras. Ita planè fecit benignissimus Dominus (pergit Christus in persona suorum fidelium ereptorum ex
B illis malis, in quibus cum Idololatriæ seruirent, fuerant.)

V. 17. Misit de summo Diuinissimum Spiritum suum in Apostolos, & alios eorum successores Fidei Sanctæ Prædicatores, Doctores, & Pastores; & accepit me: & assumpsit me de aquis multis miseriarum Gentilitatis, assumpsit ad Fidem, & in Ecclesiam.

C V. 18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, quales fuerunt Primi Romanorum Imperatores, qui dirissimas in Christi Ecclesiam persecutiones suscitarunt, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. eripuit, inquam, ab his, qui, Domino sic permittente, ad Ecclesiæ suæ, & suorum Christianorum profectum, & correctionē inualuerant, & robustiores ipsis erant; & qui etiam dum differretur auxiliū,

D V. 19. Præuenerunt me, videbantur præuenisse, & consequenter superaturi, in die afflictionis meæ: Nihilominus tamen id non ita contigit; nam & factus est Dominus protector meus.

V. 20. Vt dictum est in Argumento, S. Dauid cum hactenus Prædicationis Diuini Verbi admirandos effectus, & persecutiones
E exantlatas compendio exposuisset; iam ab hoc Versu bona per hæc sibi, idem Ecclesiæ suæ, & fidelibus parta enumerare incipit. Itaque ait; Et eduxit me in latitudinem; ideſt iam tandem non solùm vnius Iudææ, seu Palæstinæ angustis spatijs non includor; sed etiam licet mihi ex meis latibulis, & cryptis (in quas ad declinandum summarum persecutionum impetum memet abdideram) licet, inquam, in publicum prodire, & palàm omnia ad Diuinum cultum spectantia munia obire, *eduxit me in latitudinem:*
F saluum me fecit, quoniam voluit me. Chald. habet, & verè complacuit sibi in me. Sic Pater ipse (Matth. 17. 5. testatur, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. De ipso etiam dilectissimo Domino Iesu sunt,

V. 21. Et retribuet mihi Dominus secun-

H dùm

dùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. A

V. 22. Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.

V. 23. Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me. B
ita, inquam, hi versus de ipso sunt, vt in ipso includantur etiam eius electi tanquam membra; & ad hæc refertur, quod dicitur sequenti versu.

V. 24. Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab iniquitate mea. me custodiam, ne peccem. Summa cura, & solicitudo membrorum Christi est vitare peccata; id quod duplici de causa faciendum, quarum prima est, quia C

V. 25. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam: & secundùm puritatem manuũ mearũ in conspectu oculorũ eius. D
Secunda verò causa summo studio conseruandi vitæ innocentiam est, quia persuasum mihi, & experientia notum, quod

V. 26. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

V. 27. Et cum electo electus eris; idest, vt benè P. Sà, talem te exhibes homini, qualem ille se tibi, vel talis cuique videris esse, qualis ipse est; illud autẽ & cum peruerso peruerteris, significat, tractabis eum, vt eius meretur peruersitas. Dicitur autem peruerteris eo, quod Dei proprium sit potius misereri, parcere, & benefacere. Quod autem potius in hac significatione, quàm alia (scil. peruerso homini videri Deus peruersus, vel peruersè agere, licet etiam hæc valeat) sit hæc particula accipienda, requirit cohærentia cum versu sequenti, qui est etiam de pœna infligenda superbis. E F

V. 28. Quoniam tu populum humilem saluũ facies: & oculos superborum humiliabis.

Chri-

A Christus ergo ad hanc, de qua dictum est, iustitiam Dei respiciens, solicitus pro membris suis ait,

V. 29. Quoniã tu illuminas lucernã meam Domine: Deus meus illumiua tenebras meas.

ne quidquam obscuritatis, & noctis peccatorum reperiatur in membris meis, sed qui fuerunt aliquando tenebræ, vt Apostolus loquitur, nunc ad me conuersi lux

B sint, & splendor.

Et quidem in consectanda hac vitæ innocentia, magna admodum futura est difficultas, *his qui ad voluntatem Gentium consummandam ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, commessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus*. 1. Petri 4.3. Verùm diuino tuo auxilio innixus, spes mihi certa est.

V. 30. Quoniam in te eripiar à tentatione;

de tentationibus prædictis loquitur, quæ conuersos excepturæ erant; & quæ

C eos inuadere solent; sed quicquid maximè arduum occurrerit, vincam; & in Deo meo transgrediar murum. de iam dictis loquor, & aio necesse esse volenti me sequi, illa vincere. quia

V. 31. Deus meus impolluta via eius;

non enim vocauit vos in immunditiam, sed in sanctificationem, *vt iam non ambuletis sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes*

D *intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum; qui desperanter semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu*. Ephes. c. 4. à v. 18. hæc est eius voluntas; hæc doctrina; hæc exigit ipse; nam eloquia Domini igne examinata, probatissima, & mundissima sunt, nullam habentes admixtam rerum vllarum impurarum scoriam. Neque verò aliquem absterreat

E tam purus, tam sanctus, tam incorruptus vitæ status, quo minus ad illum accedat, eumque amplectatur, quia ipse Dominus, protector est omnium sperantium in se. ipse, inquam, omni iure *protector*, &c.

V. 32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

F omninò ipse est, cum præter ipsum nemo alius Deus sit, aut Dominus.

V. 33. Deus, qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam. loquitur Christus, vt caput Ecclesiæ,

quam verè habet, non habentem maculam, neque rugam, & in qua sola verà A
sanctitas vitæ, & legis. hoc autem Dei opus est, & donum eius, quod Christus,
vt homo, ipsi refert in acceptis; insuper illud, quod sequitur;

V. 34. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & super excelsa statuens me. Hæc de Sanctis Apostolis cum Fidei Prædicatione per Orbem vniuersum discurrentibus ad instar Ceruorum, & ipsam Romam, & Imperium Romanum aggredientibus, & B
occupantibus, ibidemque Christi Ecclesiæ Sedem stabilientibus, sunt dicta; verè enim illa excelsa erat, neque quicquam postea excelsius Roma Ethnica fuit, vt supra Not. 5. à §. 1. Vt autem Christi thronus statueretur ibidem, quanta fuerunt toleranda? Verùm ipse Dominus fuit,

V. 35. Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti, vt arcum æreum brachia mea. C

V. 36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me.

Et disciplina tua correxit me in finem: Persecutiones, quas Ecclesia Romæ initio, & successiuè est passa, fuerunt ad eam etiam emundandam; nam in multis etiam illi Christiani offendebant: propterea, D
& disciplina tua ipsa me docebit. Sed demùm post correctionem per persecutiones

V. 37. Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.

V. 38. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant. hoc factum obtenta Romæ Ecclesiæ tranquillitate sub Constantino Magno, vt passim toto Orbe Idololatria extirparetur, & Deorum Templa diruerentur; sicque verè accidit; E

V. 39. Confringam illos, quod fuerat promissum etiam Psal. 2. v. 9. nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. F
& de hoc mystico bello per conuersionem animarum est,

V. 40. Et præcinxisti me virtute ad bellum:

A lum: & supplantasti insurgentes in me subtus me. victa omni Sapientum Mundi Doctrina; sapientia, & prudentia carnis. sic etiam de victis Idololatris est,

V.41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.

B V.42. Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum: nec exaudiuit eos.

V.43. Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum dele-
C bo eos. hi tres versus de Idololatris, seu Gentilibus deuictis intelligendi sunt, vt sit cum antecedentibus connexio. Iam verò, quia sequentibus versibus tribus collationem, seu compositionem Populi ad Populum, Iudaici ad Gentilem facturus est, hic versus qui statim sequitur

V.44. Eripies me de contradictionibus Populi, de Iudæis est, qui maximè omnium Christo, & Christianis, etiam ad Gentes profectis, iamq; inter eas commorantibus, & crescentibus, con-
D tradicebant; vt *qui*, sicut loquitur Apostolus 1. Thess. c. 2. v. 16. *& Dominum occiderunt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, prohibentes nos Gentibus loqui, vt salua fiant*, &c. Verùm his nihil obstantibus constitues me in caput Gentium. De Christo, non de Dauide cum omni proprietate, veritate, & antecedentium cum consequentibus connexione est hæc Prophetia, quam S. Dauid, sicuti hoc Psal. pro futuro tempore ponit, ita alijs, quibus magis ad particularia descendet, ostendet Re-
E gnum illud in Gentibus plenissimè fuisse consecutum Dominum Iesum, aggratulaturus ipsi, & sæpè repetiturus, *Dominus regnauit*. Itaque admirabiliter factum, ait Christus, vt

V.45. Populus, quem non cognoui, gentilis scilicet, quem Christus non cognouit præsentia corporali, vt S. Aug. explicat, seruiuit mihi: in auditu
F auris obediuit mihi. idest, vt benè P. Emm. Sà, ad solam famam nominis mei, seu ad primum auditum voluntatis meæ.

Omninò, non solùm primis, sed successiuis etiam, & nouissimis temporibus nostris magna promptitudine, incredibili affectu Populus Gentilis ad Christum accessit: dum qui erant filij, scil. Iudæi, de quibus ipse Dominus Matt. 15. v. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, dum, inquam, illi

V.46.

V. 46. Filij alieni ipsum Dominum, & Patrem dereliquerunt; quod est, mentiti sunt mihi: filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Verùm propter hunc eorum à me recessum, meique contemptum, & repulsam, non est, quod multum mei causa conquerar; nam, quod quidem me concernit; A

V. 47. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. quod supra dixi Psal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, commutatio facta, quæ optanda fuerat, vt pro Iudæis Gentes in meum populum acciperem; quod quidem munus, & beneficium tuum est, ò B

V. 48. Deus, qui das vindictas mihi, per hanc potestatē vlciscendi, quam sibi Christus à Patre datam dicit, intelligenda est solita, familiaris, & propria diuinæ bonitatis vltio, qua scilicet sibi per conuersionem à peccatis, & Idololatria subijceret sibi Gentes, easque in Iudæorum locum, in populum suum assumeret: hunc autem sensum esse, sequentia verba declarant; & subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis, qui sunt, & fuerunt Iudæi; de quibus etiam est ver. seq. C D

V. 49. Et ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

V. 50. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicā. quia scil. sicut initio huius Psalmi dicere inceperam, & deinceps dicam, tu ipse es E

V. 51. Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in sæculum. Etiam his vltimis versibus duobus ostenditur, sermonem esse, & fuisse toto Psalmo ad literam de Christo Domino Nostro. F

Ad Psalmum iam XVIII. progrediendo.

PSAL-

A

PSALMVS XVIII.

Cæli enarrant, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XVIII.

B *In finem, Psalmus Dauid.*



Vod Psalmus hic Prædicationem vniuersalem Euangelij, vt dictum est, contineat, omni exceptione maior Interpres est D. Paulus Rom. c.10. v.18. per *Cælos* autem Apostolos intelligi, patebit, phrasim esse tam in Psalterio, quàm in Isaia valdè vsitatam. Et sanè versu octauo Sanctus Psalmista explicat, quidnam prioribus versibus symbolicis voluerit intelligi; scil. se loqui de illo tempore, quo promulganda esset
C *Lex Domini immaculata conuertens animas, &c.* ideoque & Titulo addidit, *In finem*.

Quia verò Fidei promulgandæ in Gentibus, & Ecclesiæ Christi primaria sedes, erat locanda loco toti Orbi conspicuo, idest in ipsa Gentium Domina Vrbe Roma; idcircò eam pulcherrima, & aliàs 2. Reg. cap.12.v.11. vsurpata phrasi indicat v.6. Itaque sic incipit,

D

PSALMVS XVIII.

V. 2. Cæli enarrant gloriam Dei, hi Cæli sunt Sancti Apostoli, & Fidei Prædicatores; & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Per firmamentum intelligit ipsam totam Christi Ecclesiam ita aptè, ordinatèque ministeriorum, & Ministro-
E rum gradibus, & ordinibus distributam, vt sua pulchritudine inciteur, æmuletur, & superet materiale Vniuersi firmamentum. Verè de ipsa etiam ad literam, & intentum Ecclesiastici est, quod ait cap.43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est, species cæli in visione gloriæ.* neque enim vel Ecclesiasticus, vel S. Dauid stitit in ipso materiali, quandoquidem cuiusvis alterius Scriptoris, & Philosophi ingenium, & eloquentiam non excessisset laus hic proposita: sed ad quæ dixi transferendo, inæstimabilem habent hæc pauca verba dignitatem, & sublimitatem, imò etiam veritatem; nam quis magis vel melius gloriam Dei enarra-
F uit, quàm SS. Apostoli? quàm opera manuum eius patentia sunt reddita per Ecclesiam, seu ministerio Ministrorum eius; seu dum ipsa in Gentibus fundata, & propagata fuit? Certè tunc optatissimum illud tempus adfuit, quando dispulsis toto orbe tenebris,

V. 3. Dies diei eructat verbum, & nox no-

cti

ēti indicat ſcientiam. Tunc, inquam, quando enarrabant Apoſtoli gloriam Dei, aduenerat *Dies* expectata lucis Euangelij, in qua omnia plena luce, plena Dei notitia, plena cognitione ſalutis æternæ, plena doctrina, & ſcientia rerum cæleſtium cum eſſent, *Dies eructabat*, proferebat maxima abundantia *Diei verbum*, illam Dei, & rerum cæleſtium, & ad ſalutem ſpectantium notitiam. Prima ergo vox, *Dies*, denotat tempus Euangelicæ Legis, & gratiæ; quo adueniente erat eructandum, proferendum *Diei*, ipſi ſtatui gratiæ, ſeu Euangelij, ſeu futura erat in eo abundantia illa lucis rerum diuinarum. A B

Verùm in hac ipſa re illud planè admirandum accidit, vt ſcilicet ad illius Diei, aliàs per ſe, & ex ſe illuminatiſſimæ, lucem maiorem plurimum conferret duplex quædam *nox*, Iudæorum videlicet impietatis, perfidiæ, & obſtinationis; & alia nox Idololatricæ ſuperſtitionis, & infidelitatis: his duobus oppoſita Lux Euangelij multò clarius fulgebat, atque ita *nox* vna coniuncta alteri *nocti indicat*, manifeſtat, palàm facit, & demonſtrat veram Euangelij, & Prædicatorum eius *ſcientiam*.

P. Lorinus ad huius verſus explicationem cum complures expoſitiones alias, longè ab hac differentes adferat, quæ apud ipſum, ſi lubet, videri poſſunt; ſimul ex S. Chryſoſt. ſententia vocat celebrem iſtius loci, & difficilis ſolutionis interpretationem, quæ à multis quidem afferatur, à paucis autem rectè doceatur. C

Pro explicatione, quam poſui ſtant ea, quæ Iſaiæ c.21. v.11. & 12. dicenda ſunt, ad illud; *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte*, &c. *Venit mane, & nox*, &c. quæ cum omnia quadrent etiam iſti perdifficili modo loquendi, quem S. Dauid hoc loco vſurpat, dubio procul ipſe S. Iſaias ad hunc Dauidis Pſalmũ, & verſum alluſit. Ad illa igitur Iſaiæ verba S. Greg. 6. Mor. 13. ait; *Venit mane, & nox; quia per eius præſentiam, & noua lux Mundo inclaruit, & tamen in corde infidelium vetuſta cęcitas remanſit*; & paulo ſupra. *Quia humani generis Protector, & manifeſtus in carne apparuit, & tamen hunc, preſſa perfidiæ ſuæ tenebris Iudæa, minimè cognouit.* D

Quod ſi de communi Patrum, etiam aliorum ſententia, per *noctem*, infidelitatis; per *mane*, & *diem*, Gratiæ, & Euangelij tempus exprimitur; quid vetat id ipſum, cum aptiſſima ſit per illa expreſſio, voluiſſe ſignificare Sanctum Dauidem?

Tandem pro veritate poſitæ explicationis fortiſſimum Argumentum eſt, cohærentia, & connexio tam cum antecedentibus, quàm cum conſequentibus. Iuxta ergo iam dicta, quid magis conſequens eſt, quàm quod, cum lux Euangelij, eiuſque veritas, eorumque, qui illud annuntiabant, veracitas auctoritatem acciperent, & confirmationem ab ipſis, ſiue Iudæorum, ſiue Gentilium tenebris, quod erat; *noctem nocti indicare ſcientiam*: conſequenter apparuit voces, & ſermones eorum, qui Euangelium prædicabant, non fuiſſe eiuſmodi, qui tanquam indoctæ hominum fabulæ, & fabulationes latere poſſent, & angulis priuatarum aliquarum ædium, ſeu hominum conuenticulis concludi, terminarique deberent, neque vltra progredi poſſent; &, vt res vanæ, mox etiam euaneſcere cogerentur: abſit, vt hoc dicamus de Euangelij, & Fidei Chriſti prædicatione, & Prædicatoribus; nam verè E F

V. 4. Non ſunt loquelæ, neque ſermones,

quo-

A quorum non audiantur voces eorum. Id enim planè contra à Domino intentum finem fuisset, qui ad Fidem, & salutem per verbum suum volebat omnes homines adducere. *Nunquid ergo* (Rom. c. 10. v. 18. in eum finem missos in vniuersum Mundum Apostolos) *non audierunt?* & quidem.

V. 5. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Absit, quod dixi, vt diuinissimum Domini verbum, latibula vel quærat, vel amet, vel patiatur, & sustineat. Id potius quod ipse Dominus dicebat: *Ego palàm locutus sum Mundo:* Ioan. c. 18. 20. id quod iubebat, *quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quod in aure auditis prædicate super tecta*. Matt. c. 10. id, inquam, potius voluit Dominus, & effecit vt fieret, vt diuinum eius Euangelium, & Noua amoris Lex non solùm in omnem terram exiret, sed etiam mandauit, vt maximè publico, & conspicuo totius Orbis loco promulgaretur, & proponeretur, atque in eodem maximè conspicuo, & toto Orbi noto loco Ecclesiæ suæ, quæ est eius Tabernaculum, sedem suam, & thronum collocauit; is autem Roma totius Mundi Domina, & Vrbs Orbis fuit.

V. 6. In Sole posuit tabernaculum suum: Iuxta Scripturæ phrasim 2. Reg. 12. facere, vel ponere aliquid in Sole, est loco aperto, publico, & manifesto omnibus rem collocare, vel facere: verba sacri textus sunt: *Tu fecisti absconditè*, aiebat Nathan ad Dauidem, *ego autem faciam istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis*, &c. *& dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius*. Certum ergo est, quod cum S. Dauid phrasim hanc tanto suo luctu sibi inculcatam sciret; neque quicquam magis conspicuum tempore prædicationis Euangelij Christi in Orbe ipsa Romana Vrbe futurum præuideret; certum, inquam, est, & consequentia sermonis infert, ipsum eandem Romam his verbis delineasse, *in Sole posuit*, &c. sequentia etiam verba idipsum confirmant, quod scil. vt supra ex S. Leone notatum est, ita in illo Sole Vrbis Romanæ Tabernaculum suum, Ecclesiæ suæ sedem posuerit, vt inde, tanquam à capite, & fonte, & Arce facilis pateret in omnes alias regiones Romanæ Vrbi subiectas, & confederatas accessus. Et omninò Dominus Iesus, iam à Romana Vrbe receptus, deinde Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. ab ipsa ibi constituta Sede Ecclesiæ suæ Sponsæ processit tanquam Sponsus amabilissimus ad alias nationes: & sanè, vt Ecclesiastici Annales testantur,

V. 7. Exultauit vt gigas ad currendam viã, velocissima fuit aliarum Nationum, & Gentium conuersio, à summo cælo egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius; Fides eius sancta mox dilatata fuit in Orientem, & Occidentem Solem;

neque est, qui se abscondat à calore eius, A
cum omnia peruadat, omnia penetret, & ad omnia pertingat, tanquam Sol.

Ad huius sensus, & explicationis veritatem confirmandam plurimum ponderis habet id, quod Eminentissimus Card. Spondanus ad Annum Christi quadragesimum sextum notauit ex Epistola prima Innocentij, in qua asserit. *Manifestum antiquis fuisse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos B. Petrus Apostolus, aut eius Successores constituissent Sacerdotes. Imò & in Britanniam eiusdem ipsius Apostoli* B
prædicatione Euangelium penetrasse, Metaphrastes, & alij scribunt. Denique velut à Sole radij, à fonte riui, sic à Sede Petri longè, latèque Fides Christiana diffusa, vbique est feliciter propagata. Hæc ipse, & verissimè; vt proinde cum omni proprietate sermonis de hac ipsa à Sede Romana Fidei propagatione Versus hic connexissimus cum antecedentibus intelligi possit, & debeat. Sed quid? quod hanc & non aliam vllam, siue huius Versus 7. siue aliorum præcedentium omnium, explicationem admittat sequens Vers. 8.?

V. 8. Lex Domini immaculata conuertens C
animas; hoc est, quasi dicat: quid verò mirum est, per Fidei Christianæ semel fundatæ, & stabilitæ in Romana Vrbe prædicationem tantas progressiones, & tantam vbique terrarum eiusdem Fidei propagationem factam, quandoquidem hoc ex se habet *Lex Domini immaculata*, illa Lex noua, Lex amoris, & gratiæ, Lex plena vitæ innocentia, puritate, & sanctitate, vt admirabili vi, atque efficacia hominum animas ad sese alliciat, & pertrahat, sitque *conuertens animas:* verè testimonium Domini, id omne, quod ipse in lege sua sancta præcipit, fidele, est veritate plenum, sapientiam præstans paruulis, maximè D
aptum, quod ab imperitis, rudibus, & (vt habet Chaldæus) ab insipienti, subintellige, plebe, vel populo percipiatur. Hinc ergo nihil mirum, quod eam passim amplectantur omnium Nationum, & Gentium homines. Præsertim etiam cum quæcumque opera præscribat illa immaculata Domini Lex, omnia sint naturæ humanæ, & rationi maximè conformia, quæ admirabili lætitia corda, & intellectum lumine eorum, qui ea exercuerint, perfundunt, quod est; E

V. 9. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Timorem quidem Lex hæc immaculata in hominum animas inducit; sed eum, qui filialis est, seruili per charitatem expulso; eum, qui est F

V. 10. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: qui cum ex Diuinæ Maiestatis notitia, & reuerentiali erga tantam, & tam immensam Maiestatem affectu oriatur, *permanet in sæculum sæculi*, non pœna affligens, sed sua-

A suauitate, & lætitia afficiens animas agnoscentes, & in ea cognitione, vt intellectu, ita tota voluntatis affectione conquiescentes, quod **Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa.** quæcunque ipse facit, statuit, mandat, ordinat, disponit, omnia eius iussa, & præcepta sint veritate plena, sint omnibus modis, omnique perfectione iusta. Ex quo sequitur, vt etiam sint

B **V. 11. Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel, & fauum.** Quæ cum ita sint, inde fit, vt quicunque per Fidei Prædicationem in hac tua sancta Lege Euangelica illuminatur, valde prompto, paratoque animo eam suscipiat, & obseruet; vtpote ex cuius obseruatione magnum sibi præmium conferendnm intelligat, & hoc ait;

C **V. 12. Etenim,** vnde, quapropter **seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis,** non sola Fide, sed opere, **retributio multa.** Verùm esto non esset tam ingens præmium propositum Legis huius tam sanctæ obseruatoribus; nihilominus tamen quilibet meritò induci posset ad eam accuratissimè obseruandam, vt eo pacto per eam, cum immaculata omninò sit, immunis esse à quibusvis peccatorum sordibus posset. Et eheu! quàm

D multa, & innumerabilia illa sunt, quæ in hoc vitæ statu miserum hominem coinquinant!

V. 13. Delicta quis intelligit? illa, quæ externa sunt & nos circumstāt mala quis prouidere, & præcauere omnia potest? quàm multa propria, & interna sunt, quæ nos latent? **ab occultis meis munda me,** ô Deus! & quia sæpè, multisque modis alienorum peccatorū participes simus,

E **& ab alienis parce seruo tuo.**

Quid verò dicam de passionibus, & concupiscentijs, quæ militant in membris nostris? certè absque præsidio, & auxilio eiusdem Sanctæ, & Immaculatæ Christi Legis eos prauos affectus vincere non possumus; si verò eius obseruatione, & gratia, quæ per illam mihi communicabitur adiutus fuero, passiones, prauosque meos affectus domuero;

V. 14. Si mei non fuerint dominati, tunc

F **immaculatus ero:** acquiram illam vitæ puritatem, & innocentiam, ad quam maximè aspirare, vtpote summè mihi necessariā, debeo; **& emundabor à delicto maximo,** & ita fiet, vt sensim conualescam, & saner à vulnere inflicto mihi per peccatum originale, sintque opera, verba, & cogitationes meæ omnes, vt complaceant;

V. 15. Et erunt vt complaceant eloquia A
oris mei: & meditatio cordis mei in conspe-
ctu tuo semper.

Domine adiutor meus, & redemptor meus. Sic Psalmum hunc concludit S Dauid, circa cuius finem ad illa, quæ B
breuiter explicata sunt, digressus fuerat ex occasione operum, & effe-
ctuum mirabilium, & desiderabilium, quos Lex Euangelica, per Prædicationem promulgata, & in omnes oras disseminata, operatura erat.

Verùm his etiam ipse breuiter expeditis, ad id, quod potissimum, & præcipuum fuit in hoc Psalmo continuandum, reuertitur. Id verò ordinatissimè in hunc modum facit.


Quandoquidem solemnis, & vniuersalis promulgatio, seu Prædicatio Fidei futura erat *à summo cælo, vsque ad summum*; idest per omnes Gentes, & quatuor C
partes Orbis, atque in Sole Vrbis Romanæ Sedes Ecclesiæ collocanda fuerat, vt ostensum est, subiungit Psalmo sequenti faustam pro re tanta ad Deum apprecationem.

PSALMVS XIX.

Exaudiat te, &c. D

Titulus, seu Argumentum Psalmi XIX.

In finem, Psalmus Dauid.


Itulus idem cum priori indicat eandem etiam hoc Psalmo, quæ ibi, pertractari materiam; ei nihilominus quidpiam, quod & sin- E
gulare est, & connexissimum superaddit; nimirum

Quod illi iam dictæ solemni, & vniuersali Promulgationi Euangelij toto Orbe Terrarum, & in ipsis Orbis Terrarum theatro Vrbe Roma faciendæ, tanquam generali, & maximæ Iesu Christi Summi Regis exercitus Expeditioni, fiat hoc Psalmo felix, & fausta apprecatio pro felicibus successibus eiusdem Expeditionis. Propterea licet quædam, quæ hoc Psalmo dicuntur videri, possint dicta pro Exercitibus Dauidis, quando cum ijs ipse non proficiscens ad bella, ipsis ad ea euntibus, Domi benè precabatur; ni- F
hilominus ne opinari possemus, id eum velle significare, notanter Psalmum inscripsit, *In finem*, quod scil. non præsentia, quibus ipse viuebat, sed futura Euangelij tempora respiceret.

Deinde exercitui Dauidis non quadrant, neque cum veritate de eo dicuntur, quæ versus octauus habet; *Hi in curribus*, &c. cum & equorum, & armorum, & mili-

A mixtum numero instructissimus esset. Christi verò copijs omni humana ope destitutis, omnia adamussim conueniunt. Sic ergo precatur.

PSALMVS XIX.

V. 2. Exaudiat te Dominus in die tribu-
B lationis: dies, & tempus tribulationis, id ipsum profectionis ad Gentes conuertendas tempus erat; nam verè mittebantur, *sicut oues in medio luporum*. & prædixerat ijs Dominus. *plorabitis, & flebitis vos*. Ioan. c. 16. 20. Illi ergo Christi Domini exercitui simul sumpto benè precatur vt sit, in illa expeditione perquàm ardua: protegat te nomen, maiestas, seu potentia, & inuocatio nominis Dei Iacob. idest; qui Iacob, maximè qui per repromissionem est, diligit.

C V. 3. Mittat tibi auxilium de sancto, sanctuario suo, seu sede sua cælesti (potius, quam terrena Ierusalem; Templo, seu Sione) & de Sion tueatur te, inde tanquam ex munitissima Arce tueatur te.

V. 4. Memor sit omnis sacrificij tui, planè ab ipsis primis Ecclesiæ exordijs Sancti Apostoli, & Discipuli Domini incruentum Sacrifi-
D cium, Agnum immaculatum, vt S. Andreas loquebatur, Deo assiduè offerebant, eiusque diuinas carnes eo integrè perseuerante Christianus Populus comedebat; neque hoc solum Sacrificium; sed etiam se ipsos, tanquam mundas hostias, in prædicatione Euangelij immolabant, quotidie morientes pro Domini gloria, & animarum salute. *memor sit* ergo, & omninò acceptabilissimum vtrunque Sacrificium, & holocaustum tuum pinguefiat; veerat, quod est, velut pingue, Deo gratum sit.

E V. 5. Tribuat tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum confirmet. Cum Christi Domini exercitus, Sancti Apostoli, ipso initio Prædicationis suæ, aggrediendam inuadendamque sibi duxissent Romam Ethnicam, tanquam omnis Gentilitatis, & Idololatriæ Caput, & Arcem; qua expugnata pateret ad omnes alias regiones aditus; S. Dauid hoc versu ad hoc sublimissimum eorum, quod Domino inspirante
F conceperant, *Consilium* respicit; & vt id, quàm felicissimè succedat, exoptat: de hoc ipso Consilio infra Psalmo 32. v. 11. aget. Ad idem respiciebat Isaias cap. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Et certè si rem magni omninò momenti esse, necesse erat; pro qua S. Dauid tam ardentia ad Deum vota, desideria, & preces effundebat; hac ipsa nescio, quæ possit esse maior, & ijs ipsis votis, & precibus dignior. Summa rerum, & cardo, in ea vertabatur.

Si

Si id obtineatur, vt tandem victa Roma Ethnica cedat Ecclesiæ Christi, eique se se submittat, tunc enim verò. A

V. 6. Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur. aliàs nec plena lętitia, nec debita honorificentia nobis (Populo tuo Christiano, pro quo, & in cuius persona loquebatur Dauid) contingere potest; quod vtrunque si id fiat, mox consequemur. Quod cum ita omninò sit, pergit S. Dauid. B

V. 7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: & quia rem grandem ipse pro Christi Ecclesia petebat, post productam amplius, & diuturnioribus affectibus, & desiderijs orationem, cum id quod petebatur, obtentum esse intellexisset, id ipsum magno animi sui gaudio enuntiat. nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum. dum eius Ecclesiam ita potenter liberabit, eriget, & victricem de ipsa potentissima hoste Roma Ethnica faciet, C

Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus, in potentijs, & fortitudinibus, salus dexteræ eius; idest, quod Esther cap. 13. 9. aiebat, *Dominus, Dominus Rex omnipotens, in ditione eius cuncta sunt posita, & non est, qui possit eius resistere voluntati, si decreuerit saluare*: siue in hoc vim suam admirabilem, & potentiam efficaciter saluantem ostendet Dominus, dum quidē D

V. 8. Hi in curribus, & hi in equis, aduersus potentissimos hostes omni apparatu ad pugnandum, & vincendum instructos certare fecit, & vincere omni humano auxilio destitutos; prout erant Christiani tempore persecutionū à Romanis suscitatarū; nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. E

V. 9. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. per omnia dictis conueniunt. Sic planè, sic semper.

V. 10. Domine saluum fac Regem, Christum scil. tuum in eius fidelibus, & membris; & quia nunquam aduersa defutura sunt, & exaudi nos in die quacūq; qua inuocauerimus te, cum quicquid nobis contuleris, eidem dilectissimo Filio tuo Domino nostro, cuius intuitu nobis omnia donas, sit impensum. F

In

A In hac Oratione, quam S.Dauid Ecclesiæ Christi, seu fidelium eius nomine offerebat, videns se exauditum, & quod omninò Deus-Dominus potenti virtute, robore,& fortitudine sua protecturus, erepturus, & erecturus esset Ecclesiam inter aduersa, & quod hoc ipsum redundare deberet in singularem, non tantùm gloriam, sed etiam lætitiam ipsius Vnigeniti Dei, ac Domini nostri Iesu Christi, qui re ipsa ob similem causam, & præuisam ingentem animarum conuersionem *exultauit Spiritu Sancto*,Luc.10.v.21. Propter hæc, inquam, omnia,& propter ardentissimum,quo in ipsum ferebatur amorem, lætitia plenus Deo,eidemque Do-
B mino suo Iesu congratulatur Psalmo seq.

PSALMVS XX.

Domine in virtute, &c.

C
Titulus, seu Argumentum Psalmi XX.

In finem, Psalmus Dauid.



ESt de Christo Domino per Fidei Prædicationem, eiusdem receptionem,& Gentium conuersionem exaltato,deque eius hostibus humiliatis, & perditis.

Hoc esse Psalmi huius thema tam ex Titulo, priori simili, quàm ex ipso Psalmi initio colligitur,dũ antonomasticè ait, *Domine*, &c.
D *lætabitur Rex*,&c. quod non faceret, si de se humillimus Dauid loqueretur, qui non semper Rex, sed *de post fœtantes* ad Regnum vocatus, & inunctus in Regem fuit. Neque Dauidi reliqua Psalmi, Christo autem omnia conueniunt. Ideo etiam Rabbini de ipso illum intelligunt, quamuis impudens Rabbi Salomon,vt notat P.Lorinus,tantùm vt Christianis (quos Hæreticos vocat) contradicatur, iubeat illum exponi de Dauide.

Quod autem P. Lorinus in huius Psalmi Argumento ait; auctorem Libri Ecclesiastici Cap. 47. v. 7. scribendo de Dauide, videri respectum habuisse ad hunc
E Psalmum; id negandum omninò est, nullam aliam vrgentiorem ob causam,quàm quod verus sit ille Diuinam Scripturam interpretandi Canon, quem Leo Castro in Isaiam proponit; scilicet, *Ideò locorum Scripturæ fieri ex alijs Scripturæ locis paraphrasim, vt nobis significetur idem his, & illis significari*. Propterea cum fieri non posset, & Psalmum hunc esse literaliter de Christo, & eundem à Diuina Scriptura citari eodem sensu primario de Dauide; Vulgata nostra notanter ad illum locum Ecclesiastici cap. 47. v. 7. ne vlla esset errandi, & ad hunc Psalmum respiciendi occasio propter verborum affinitatem, (*laudauit eum in benedictioni-*
F *bus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ*) in marginalibus notis ostendit, non ad hunc Psalmum 20. sed ad primi Regum Cap.18. v.7. alludi; vbi agitur de Dauide, quod scil. *in decem millibus glorificauit eum, & laudauit in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ*. quæ diuersa sunt ab ijs, quæ hoc Psalmo dicuntur de Christo. Itaque,vt dictum est, ait,

A

PSALMVS XX.

V. 2. Domine in virtute tua lætabitur rex: provt in Argumento probatum est, hic Psalmus agit de Christo, ideò Chaldæus habet pro *lætabitur*; *regnabit Rex*, cum addito; Christus, seu Messias; & super salutare tuum exultabit vehementer. B

Christus, vt homo (vt benè hic P. Lorinus) pendet ex Patris virtute, atque potestate, tanquam superioris, & maioris, vt ipsemet passim profitetur in Euangelio. Vnde tamen, & ex Prophetijs, quæ id quoque continent, Iudæi, alijque perperam colligunt, Christum purum hominem esse, non item Deum. Sic ipse: quibus addi debet, quod sicut Prophetiæ Christum, vt hominem, subinde proponunt, ita etiam frequenter eundem verum Deum esse testantur; vt patuit iam ex varijs Psalmis, & deinceps etiam petebit ex hoc Psalterio, & Isaia, alijsque. C

V. 3. Desiderium cordis eius tribuisti ei: & voluntate, (idest petitione) labiorũ eius non fraudasti eũ. Domini Iesu desiderium, & petitio alia potior non fuit, nisi vt haberet Gentes hereditatem suam, & ipsam Romam, sine qua eas habere non poterat; provt Psalmo 2. v. 8. notatum fuit; atque etiam Psalmo priori v. 5. dictum est; id ipsum secundùm cor eius, & consilium eius fuisse. D

V. 4. Quoniã præuenisti eum, qua Homo erat, in benedictionibus dulcedinis: quales fuere; gratia vnionis hypostaticæ, & illæ, quæ per se eam consecutæ sunt, immunitas à peccato, plenitudo gratiæ, beatitudo, dignitas capitis; omnia adeò magna, vt eius gloria fuerit, *quasi Vnigeniti à Patre*, idest tanquam qui verè erat Vnigenitus Patris, plenus gratiæ; & veritatis. Ioan. 1. posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Hæc Corona, est Domini Iesu dignitas Sacerdotalis, & Regia; Sanctorumque eius congregatio, seu cætus. E

V. 5. Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi. Heb. 5. 7. Ioan. 17. 17. Ioan. 12. 34. F

V. 6. Magna est gloria eius in salutari tuo:

glo-

A gloriam,& magnum decorem impones super eum . Philip.2.9.

V.7. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gau-
B dio cum vultu tuo.

V.8. Quoniam Rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi nō cōmouebitur. omnia de Christo, & ita Christo conueniunt, vt vel Dauidi, vel Ezechiæ, vel alteri propriè, & immediatè non possint.

C Hic lubet perpendere, quanto affectu hæc de Domino Iesu à S. Dauide dicta uerint, & quasi à nobis sint pronuncianda.

Verùm hæc ipsa, quæ immensam eiusdem Domini Nostri Iesu Christi dignitatem, sublimitatem, & gloriam ostendunt, manca videri potuissent, neque Regni eius stabilitatem inconcussam permisissent, nisi edomitis, & deuictis, atque subiugatis eius hostibus omnibus. Sed ne hoc quidem ei defuit, nam vt verum esset quod non commouebitur Rex Noster Christus,

D V.9. Inueniatur manus tua (inueniet, seu inuadet) omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt: quidni dextera Domini inueniat, &c. quando etiam Principum, & Regnum terrenorum manus ita longæ vulgò dicuntur, vt effugere eas, & euadere rei non possint. Sed Deo nostro longè etiam facillimus est puniendi modus, quando hostes suos propriæ suæ ipsorum conscientiæ, tanquam carnifici, & tortori, cruciandos tradit; sic Augustinus,
E Cassiodorus, alijque cum S.Gregorio intelligunt primam partem Versus.

V.10. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, exturbabit eos à facie sua, seu vt S. Hier. præcipitabit eos, & deuorabit eos ignis, externa etiam combustione ignis cruciandi.

F V.11. Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filijs hominum; significat, vt benè P. Lorinus, atterendas vires, & obscurādū nomē Iudæorū, vt errēt ꝑ incertas sedes oīb. nationib. abominabiles. Vniuersim autē omniū oīō Christo aduersātiū infelicissima posteritas.

V.12. Quoniam declinauerunt in te mala; A
Iudæi omnem lapidem mouerunt, vt Christum perderent, cogitauerunt consilia, quæ
non potuerunt stabilire, vt constat ex S.Ioan.c.11. & aliàs; ideo

V.13. Quoniã pones eos dorsum: viles fient, quasi tantum ad onera,
& verbera excipienda idonei. Illi quidem sic, at verò in reliquijs tuis pręparabis vul- B
tum eorum. hoc loco in consequentiam venit P. Lorini explicatio; vt scil. per reliquias suas intelligat S. Dauid Christi fideles,
qui eius sunt hæredes, & ipsi chari, cum quibus efficiet, vt vultus eorum sit hila-
ris, lætusque propter fugatos hostes, & partam victoriam. Ita prorsus concludit,

V.14. Exaltare Domine, & omninò exaltaberis, in virtute
tua, & cum ijs, qui reliquiæ tuæ sunt, cantabimus, & psallemus vir- C
tutes tuas.

PSALMVS XXI.

Deus Deus meus, &c. D

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXI.

In finem pro susceptione matutina, Psalmus Dauid.

IAm supra S.Dauid Psalmo 15. vt insinuatum fuit, de Domini Iesu Passione, & morte mentionem fecerat, quod ad eius rem, & substan-
tiam pertinebat; nunc verò, quod hoc Psalmo ita ad particulares E
Dominicæ Passionis, & mortis circumstantias descendat, vt verè, quod Cassiodorus notauit, nullibi adeò perspicuè, proprièque descripta fuerit Passio, nec tam Prophetia, quàm Historia esse videatur, rei huius causam (maximè respectu habito, ad Psalmorum inter se ordinem, connexionem, atque consequentiam) non aliam assignare possumus meliorem hac, quam paucis subijcio.

Illuminatissimus Rex, & Propheta S. Dauid cum in spiritu vidisset eximiam
illam, & sublimissimam Domini Iesu Christi sui gloriam, quam in Ecclesia inter F
Gentes fundanda toto Orbe erat habiturus, quam Psalmo priori cum pulcherrimis expressisset sententijs, adiecta ad finem acclamatione plena ardentissimis affectibus, & desiderijs videndi illam eius exaltationem, & celebrandi diuinas eius laudes v.14. *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus*, &c. his inquam præmissis, dicendum est, ipsum mentem suam reflexisse ad illud admirabile Diuinæ Sapien-

A Sapientiæ medium, & adinuentionem, quo constituerat exequi, & conferre eidem Domino Christo illam exaltationem, & gloriam per ipsam eius acerbissimam, & despectissimam Passionem, & mortem. Ob hanc tam miram causam quidni ipse, & hoc Psalmo integro, & alijs aliquibus per insinuationem ad hanc materiam non tam digrediatur, vt ad aliquid à proposito suo alienum; quàm, vt quid proprium, & connexum (vt opposita iuxta se posita, & causa, atque effectus esse solent) pertractet?

Simili planè modo, & ob eandem prorsus rationem S. Propheta Isaias, cum B de Domini Iesu gloria, & exaltatione tractaret, patheticum illud caput 53. de eius Passione, & morte inseruit, vt ibi dicetur.

Et sicut hoc Psalmo S. Dauid, præmissa Domini Passione, subiunxit prædictionem de Ecclesiæ fundatione, dilatatione, & ingentibus bonis, quibus erat locupletanda, quæ omnia pretiosissimus eiusdem Passionis, & mortis Dominicæ fructus futura erant; ita & de ijsdem eodem capite D. Isaias egit; vt proinde cum sese apertissimè hæ Diuinæ Scripturæ explicent, aliud vel dubium, vel dicendum, & explicandum fusiùs superesse non possit.

C Hæc ipsa autem Psalmo hoc contineri Titulus eius indicat, qui est; *In finem pro susceptione matutina*, &c.

Quid illa *susceptio matutina* significat? nisi (hanc præ varijs, quas P. Lorinus adfert eligo) quando Christus susceptus est à Iudæis tempore Passionis, præcipuè facto mane, quando consilium ineuntes vinctum tradiderunt Pilato, Matt. c.27. Certè potior pars Psalmi eorum inhumanitatem in Christum, imò plusquam ferinam immanitatem describit.

Sic ergo S. Dauid, facta reflexione ad illud admirandum Diuinæ Sapientiæ D medium, scil. viam Passionis, & Crucis, per quam Dominus Iesus Christus plenam illam, & summam Sanctissimi sui Nominis celebritatem, & gloriam erat consecuturus, & repræsentata mentis suæ oculis luctuosissima eiusdem Domini sui Patientis, & Morientis specie, ex abrupto in hæc verba prorumpit.

PSALMVS XXI.

E V. 2. Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? quasi diceret; dixeram paulò ante, & Domino ac Deo meo gratulatus fueram, quod *in virtute tua lætabitur Rex*; sed subit mentem meam illud mœstissimum tempus, quo ipse Passionem suam à pauore, tædio, & tristitia, quę ipsi mortem ipsam afferre posset, auspicatus, in eaque vsque dum expiraret in Cruce perseuerans, has ipsas voces in eadem pronunciaturus est, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?*

F O miram rerum commutationem, quam iusta pro peccatis nostris, quæ luenda in se susceperat Dei Filius, satisfactio exigebat! Præter multa alia, quæ P. Lorinus ad confutationem hæreticorum perperam hæc verba intelligentium, & interpretantium notat hoc loco, illud est ad pietatem singulare, quod Beatissima Virgo, S. Brigittæ, vt lib. 4. c. 70. retulerit, has voces cum ipsa à Filio prolatas audiuisset, nūquam in tota consequenti vita obliuisci potuisse, quas dicebat Filium magis ex

compassione erga illam, quàm erga se ipsum protulisse. Sed pergit S. Dauid. Dixeram quod Rex ipse, ac Deus meus Christus *super salutare tuum exultabit vehementer*; sed eheu ipse, qui peccata nostra pertulit in corpore suo dicet, longe à salute mea verba, opera, facta, &c. dilectorum meorum, idest, pro quibus, veluti si essent mea, passionẽ subij; P. Em. Sà. Dixeram, quod *Desiderium cordis eius tribuisti ei*, &c. sed ipse in Passione dicet, A

V. 3. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. Clamabo, & clamo, & non exaudiar; quod autem non exaudiar, non est ex vlla mea insipientia, aut culpa, quæ me insipientem esse ostenderet, si ea non prius deposita, exaudiri à te postularem. Hæc referuntur ad orationem in horto à Christo factam; de qua hoc loco, vt benè P. Lorinus, prædicitur, non exaudiendum Christum ratione humani, & naturalis affectus, quo mortem horrebat, ac fugiebat, tum tanquam proprium suum malum; tum, vt Origenes docet, propter Iudæorum destructionem, quam in pœnam suæ interfectionis futuram sciebat. B C

Obseruandum autem est, eandem Christi orationem non fuisse absolutam, sed conditionatam, sub voluntate Patris; nam, quod Christus humana voluntate absoluta orauit, impetrauit, vt Ioan. 11. 41. *Ego autem sciebam, quia semper me audis*. & Heb. 5. 8. *exauditus est pro sua reuerentia*. idest pro honore ei debito, P. Emm. Sà. Quod autem hìc non exauditus fuerit, nulla eius culpa, sed nostra, quæ eius morte diluenda fuerat, intercessit. Id autem quod addit, se immunem à culpa fuisse, idcircò dicit, quia non mirum fuisset, si aliqua maculatus, repulsam passus fuisset, nam D

V. 4. Tu autem in sancto habitas, homine scilicet, vt supra Psal. 17. v. 26. & in eo tibi complaces, qui es laus Israel, quem Israelitæ, non carnales, sed spirituales laudant; seu qui es ipsis materia laudis, & glorificationis. Iam autem, quod auget adhuc angustias animæ Christi Domini afflicti, orantis, non exauditi est, quod; E

V. 5. In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos. Plurima exempla sunt liberatorum Iudæorum, vt benè Mathathias 1. Mach. 2. 52. & seq. dixerit, *& ita cogitate per generationem, & generationem, quia omnes, qui sperant in eum non infirmantur*. hìc S. Dauid in Christi persona Iudæos Patres Christi vocat, prout & S. Paulus Rom. 9. 5. *quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem*. & ipse Christus Ioan. 4. 22. ait, *quia salus ex Iudæis est*. F
Quod si Matt. 22. v. 44. & seq. argumento illo ex Psal. 109. desumpto Dominus ostendit se aliquid amplius esse, quàm filium Dauid, voluit siue (quod P. Lorinus notat) opinionem remouere, quod cæterorum hominum more propagaretur ex hominibus, siue (quod textui magis conuenit) suam inde Diuinitatem comprobare. Sic etiam Apostolus citato Rom. 9. subiunxit, vbi eius humanam naturam osten-

A ostendisset, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* Illos ergo Patres nostros liberasti,

V. 6. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.

Ex gratia postulata, & negata confusio oritur, quia inde vel de beneuolentia eius à quo postulatur, vel de dignitate, aut indignitate postulantis formatur iudicium.

B Quod autem (prosequitur Christus sermonem suum) nemine mihi auxilium adferente traditus fuerim in manus hominum peccatorum, licet ne traderer si rogassem Patrem, *exhibuisset mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* Matt. 26. 53. & vinctus, latronis instar, tractus, raptatusque fuerim ad Iudæorum, & Gentium tribunalia; quæ, obsecro, exinde concepta de me, opinio apud omnes fuit? Nihil tam abiectum in Mundo est, quo non abiectior ego habitus fuerim.

Verùm quidem est, ò Deus meus, *quoniam* iam inde à conceptionis meæ instanti *præuenisti me in benedictionibus dulcedinis*; *posuisti in capite meo coronam de lapide pretioso*; sed passioni expositus

C

V. 7. Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.

V. 8. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput.

D Hæc omnia ab Euangelistis in historia Passionis distinctè accidisse commemorantur, ne quid, vt Cassiodorus ait, excusabile perfidis, aut fidelibus relinqueretur ambiguum. Pergit,

V. 9. Sperauit in Domino, ex blasphemis despectibus Christo illatis, hic ipse fuit; eripiat eũ: saluũ faciat eum, quoniã vult eum.

Dominum Iesum Iudæi agnoscebant, seu agnoscere debebant ex tam multis signis, & prodigijs. Inde Nicodemus Ioan. 3. 2. *Scimus quia à Deo venisti Magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Et quam optimè cæcus illuminatus redarguens, & conuincens Pharisæos aiebat Ioan. 9. 30. *In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos.* Ipsorummet ergo hostium testimonio Christus innocens, iustus, & Deo charus, & acceptus haberi debuit, & est habitus; & licet ineptè, & impiè dicerent, vt *saluum*, à cruce liberando *eum faceret*, quem ipsi iniquissimè in eam sustulissent; nihilominus verum dicebant, *quoniam* Deus *vult eum*, quod scil. sibi Dominus in eo complaceret. Hoc ipsorum iudicium Dominus Christus approbando ait ad Patrem, verè ita esse,

E

F

V. 10. Quoniam tu es, qui extrahisti me de ventre, obseruat P. Lorinus ex S. Augustino, eximium quid, propriumque Christo hic denotari, quod à matris visceribus non manu hominis,

sed

sed obstetricante Dei virtute auulsus sit; quo significatur Matris Virginitas, Filij A
conceptus, & Natiuitas in vtero opera Sanctissimi Spiritus; proinde cum Patrem non habeat in terris, quidni singularissimè speret in Deũ? verè ipse ait Christus, est spes mea ab vberibus matris meæ. &

V. 11. In te protectus sũ, tuæ curæ commissus, etiam singularissimo modo, & non tantùm illo, quo omnem solicitudinem nostram, & nos ipsos iubemur proijcere in eum, quoniam ipsi cura est de nobis; ex vtero: de ventre matris meæ B
Deus meus es tu. Cum igitur, vt dixi, ipsis hostibus meis attestantibus, meritò mihi sit in te sperandum, ò Deus!

V. 12. Ne discesseris à me: quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est, qui C
adiuuet. Quæ verò illa, & quanta tribulatio?

V. 13. Circundererunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

V. 14. Aperuerunt super me os suum, sicut D
leo rapiens, & rugiens. Explicant hi versus ea, quæ Dominus in Passione sustinuit.

V. 15. Sicut aqua effusus sum: benè hic P. Emm. Sà ait, quod Christus significet sanguinem suum totum effusum, ideo enim dicit, *sicut aqua*. proh! quanti pretij! quãta profusio! & dispersa sunt omnia ossa mea.
S. Hieron. separata, seu loco mota, per atrocitate tormentorum Crucis. E

Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

V. 16. Aruit tanquam testa virtus mea, Chal. quidem hanc ariditatem refert ad consumptionem humoris, siue humidi radicalis; sed nihil vetat, ne vnà cum hac alludatur ad id, quod antea summæ glo- F
riæ erat Christo, quando *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me. Licet supra Psal. 15. Dominus sciret, se nõ visu-

A visurum corruptionem; nihilominus verè sustinuit mortem, quæ si nihil aliud obstet, deducit in puluerem. Hoc versu Patiens Dominus aptissimè comparatur ollæ igni appositæ; verè enim ipse vi acerbissimorum tormentorum consumptus. Et quomodo non consumptus fuissem? ait;

V. 17. Quoniam circundederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit
B me.

Foderunt manus meas, & pedes meos:

V. 18. Dinumerauerunt omnia ossa mea.

V. 19. Ipsi verò considerauerunt, & inspe-
C xerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Iā verò quia priori Psalm. de Domino Iesu dictum est v. 5. quod *Vitam petyt à te, & tribuisti ei*, &c. & v. 6. *Magna est gloria eius in salutari tuo*, &c. & v. 7. *Quoniam dabis eum in benedictionem*, &c. ipse propterea etiam ad hæc extrema in Cruce redactus, plenus spe atque fiducia, ait.

D V. 20. Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.

V. 21. Erue à framea Deus animam meã:
E & de manu canis vnicam meam.

V. 22. Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Et in his omnibus nihil prorsus dubitans sese exaudiendum, imò & certò sciens, pretiosissimum fructum Passionis, & mortis suæ futurum copiosissimam animarum conuersionem. (Id
F ipsum quod Isaias cap. 53. v. 10. dixerat; *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, &c.) etiam hic S. Dauid in Christi persona ait,

V. 23. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

V. 24.

V. 24. Qui timetis Dominum laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum. A

V. 25. Timeat eum omnem semen Israel: quoniam non spreuit, neque despexit deprecationem pauperis. B

Nec auertit faciem suam à me: & cum clamarem ad eum exaudiuit me. Quod hic, *non qui filij carnis, sed qui filij sunt promissionis æstimentur in semine*, Rom.9.8. explicat versus sequens: nam C

V. 26. Apud te laus mea in Ecclesia magna: Non in vna Iudæorum Synagoga, & Iudæa; sed in omnium Gentium multitudine, seu vt Chald. in congregatione multorum populorum. vota mea idest, vt S. Aug. Sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi, reddam in conspectu timentium eum. quam optimè, & verissimè hæc ipsa vocat vota sua Dominus Iesus; D
quia Eucharistia est ipsa summa gratiarum actio pro summis à Diuina Maiestate acceptis beneficijs, & quod illa intellexerit, explicat versus sequens; nam

V. 27. Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in sæculum sæculi. Hæc ipsa fuerũt potentissimum medium, calcar, & incitamentum ad conuersionem animarum. E

V. 28. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ:

Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium. Vnde Ecclesia Sancta ait, *Communione Calicis, quo Deus ipse sumitur, non vitulorum sanguine congregauit nos Dominus*. Et certè ab ipsis primordijs, vt Actus Apostolorum testantur, cap.2.42. & aliàs *Erant perseuerantes in Doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Hoc ergo modo collecti fideles; F

V.29.

A V. 29. Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur Gentium.

V. 30. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius ca-
B dent omnes qui descendunt in terram. Prius adoratur Eucharistia, quàm sumatur.

V. 31. Et anima mea illi viuet: pergit in Christi persona, & concludit hunc Psalmum (hìc ea ratione, & causa in Argumento assignata interpositum) Sanctus Dauid, & semen meum seruiet ipsi, posteri mei fideles, & in me cre-
C dentes; futurum enim est, quod

V. 32. Annunciabitur Domino generatio ventura: idest, vt benè P. Em. Sà, de Domino audiet sic dictum, pauperes euangelizantur, idest audiunt Euangelium; & annunciabunt cęli, intellige S. Apostolos, & Prædicatores Euangelij, vt sup. Psal. 18. & aliàs, iu-
D stitiam eius ipsum S. Euangeliũ, & legem Gratiæ; populo qui nascetur, & quem secundùm propositum electionis suæ iam, & ab æterno; fecit Dominus.


PSALMVS XXII.

Dominus regit me, &c.

E

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXII.

Psalmus Dauid.


X occasione, & causa supra sæpius notata, sic, vt vidimus, per Psalmum antecedentem inserta, & summatim, quoad summa capita, pertractata Passione, Crucifixione, & Morte Domini Iesu;
F quia ex ea consequebatur fructus ille maximus, quod scilicet ipse Dominus futurus esset Caput, & Pastor Ecclesiæ, quam sibi pretio sanguinis sui sacratissimi acquisierat; & quia eandem, vt sæpe à v. 26. meminit, ditaturus erat maximis bonis, & donis suis, inter quæ illud summum, maximumque est Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium, & Sacramentum: S. Dauid præsenti Psalmo 22. in persona Ecclesiæ, & cuiusque Christi fidelis, qui

in ea sub illo summo, atque amabilissimo Pastore degit, sibi ad debitam gratitudinem gratulatur de ijsdem ab eo acceptis donis, tanquam pretiosissimis fructibus Passionis à se descriptæ, à cuius luctu ad hæc læta transit, deinde mox continuaturus Predicationem Euangelij, quamuis eam, ne in antecedente quidem Psalmo plenè omiserit, sed de ipsa meminerit versu 23.28.29.30.31.32. Itaque Argumentum huius Psalmi est, *Psalmus Dauid*. A

PSALMVS XXII.

Dominus regit me: & nihil mihi deerit: B

V.2. In loco pascuæ ibi me collocauit.

Bonum se esse Pastorem asseruit Dominus Ioan.10. in Passione comprobauit; & post gloriosam suam Resurrectionem se se talem exhibuit; nam quod priori Psal. versu 23. promiserat, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, id nusquam tam amanter, quàm post Resurrectionem suam fecit, dum salutatis in via mulieribus, quæ ad monumentum venerant, ait; *ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Matt.28.10. Et si vnquam alias, tunc certè boni Pastoris functus est officio, dum Passionis suæ tempestate, & turbine dispersas suas oues tam solicitè requirit, & congregat, eas pascit, ijs frangit panem, & porrigit, & in fractione panis, Luc.24. ab ipsis agnoscitur, cum ijs sæpè conuescitur, ipsis de substituto Vicario, qui eas pasceret, prospicit; Ioan.19.15. Et ne quid illis se in cælum abeunte, vel deesse, vel obesse posset, spondet; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Matt.28.20. Respectu ergo ad hæc omnia, aliaq. similia ineffabilis dilectionis eius signa, & argumenta habito; totus planè Psalmus suapte sponte in explicationem venit. Nam ijs, quæ insinuata sunt perspectis, quidni Christi fidelium quilibet sibi congratulans lætabundus exclamet? *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ*, &c. Nam verè per illam, *si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*. Ioan.10.9. C D

Super aquā refectionis educauit me: illam aquā intelligit, de qua Ioan.4.13. *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Quod autem gratiæ diuinæ, seu fidei, quæ per charitatem operatur, donum hic intelligatur, sequentia explicant; nam ait, E

V.3. Animam meam conuertit. ab statu peccati, quod fundamentum est; eo autem posito

Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum. Sed quia conuersis ad Deum, & ambulantibus per semitas iustitiæ tentationes, & aduersa occurrunt, etiam ab his nihil planè trepidat Christi seruus, ait enim fidentissimè; F

V.4. Nam, & si ambulauero in medio

vm-

A vmbrę mortis, idest vt P.Sà, in maximis periculis, qualia esse solent in locis obscurissimis; non timebo mala: quoniam tu mecum es. quem non Omnipotentis præsentia erigat? omninò.

Virga tua, & baculus tuus: pastoralis tua cura, sollicitudo, & assistentia, ipsa me consolata sunt. præsertim quando insuper relinquēdo mihi vota tua (sup. Psal. 25. v. 26.) Sacramenta scil. Corporis, & Sanguinis tui, vt promiseras Patri, te ea redditurum;

B

V. 5. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me. idem; eadem opera non solùm prouidisti, vt mihi suppeteret, quo gratitudinem meam Diuinæ Maiestati ea offerendo testarer, sed etiam prospexisti, vt illa ipsa singularissimum essent tutamen *aduersus omnes, qui tribulant me*. In tua enim diuinissima Mensa, seu Altari, dum mens mea impletur gratia,

C

Impinguasti in oleo caput meum: tanquam bonus athleta pane roboratus, & oleo inunctus; & vino exhilaratus, Sanguine pretiosissimo Calicis Domini mei Iesu Christi; nam & calix meus inebrians quam pręclarus est! fio aptissimus, & dispositissimus ad pugnandum, & decertandum fio. Præter viginti inter Patres, & Expositores, qui hunc versum de Sanctissima Eucharistia ad literam interpretantur; eosque P. Lorinus recenset, quod omninò sic intelligi, & explicari debeat, facit connexio cum dictis priori Psalmo, v. 26. 27. & 30. vbi expresse agitur de eadem Sanctissima Eucharistia; hic verò ad ibi dicta, vt probatur per cohęrentem, & consequentem explicationem, S. Propheta respicit.

D

Iam verò pergendo in eadem explicatione, posteaquam S. Dauid ostendisset, vnumquemque Christifidelem militem, tantis munitum præsidijs, iure meritò confidere, & vt certam de certamine sperare posse victoriam, concludit Psalmum, & ostendit, illam omninò fore obtinendam, maximè, quia fideles seruos suos, quos tantis donis suis affecit, ac præuenit gratijs, eosdem nunquam deseret; quinimò

E

V. 6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

F Et vt inhabitem eademque misericordia efficiet, *vt inhabitem*; in domo Domini, in longitudinem dierum. Domus Domini est Ecclesia eius Sancta, extra quam nemo prædictorum bonorum Domini particeps.

A

PSALMVS XXIII.

Domini est terra,&c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXIII.

Prima Sabbati, Psalmus Dauid. B

§. I.

HIs, quæ duobus prioribus Psalmis illa, de qua dictum fuit, occasione interposita fuerant explicatis, S. Dauid continuaturus illam, quam inchoauerat Euangelij Prædicationem, & Domini Iesu exaltationem, hoc Psalmo 23. repetit, & inculcat, quod eiusdem Domini Christi *est terra, & plenitudo eius*, &c. quasi dicat, quod ipse Dominus post Resurrectionem suam, Matt.c.28.v.18. *data est illi omnis potestas in cælo, & in terra:* sic, & S.Dauid post explicatam fusiùs Domini passionem, & mortem, *Domini*, ait, *est terra*, &c. Et sicut Christus ibidem intulit; *Euntes ergo in Mundum vniuersum prædicate Euangelium*,&c. ita, & hìc v. 3. dicitur; *quia ipse super maria fundauit eum*,&c. C

Quod autem loquatur de Orbe Ecclesiæ Christi sub illo *Orbis terrarum super maria, & flumina fundati* symbolo, clarum est. Primò ex simili Scripturæ phrasi idipsum significante, Ecclesiastici Cap.43.v.25. Isaiæ cum aliàs sæpè, tum vel maximè cap.48. vt patebit in eorum capitum explicatione. D

Secundò. Si id non diceret, nulla esset connexio versus tertij, & quarti cum antecedentibus, *Quis ascendet in montem Domini*,&c. *Innocens manibus*,&c.& versus sexti, *Hæc est generatio*,&c. illa autem posita explicatione sua sponte consequuntur.

Hanc interpretationem confirmant similiter similes phrases idem significantes per *flumina*, Isaiæ cap. 11. & 18. vt ibi ostendetur, dictumque iam est Psalmo 17. v. 16. E

§. II.

Iam verò, vt hæc ita se habeant, vt sanè habent, provt dictum est; nihilominus quid dicetur de versu septimo, & nono, cum repetito illo, *Attollite portas Principes vestras*,&c. quomodo isti cum prioribus cohęrebunt?

Notę enim sunt Patrum quorundam, & complurium Interpretum, qui videri possunt apud P. Lorinum Expositiones, qui passim versus illos, vel de Christo ingrediente in Ierusalem, vel de eodem debellante Dæmones in descensu ad Inferos, vel de ipso in Cælum ascendente explicant. F

Fateor ipsemet cum his, aut eiusmodi explicationibus non subsistere propositum Psalmi Argumentum, neque cum ijs consistere posse connexionem, atque cohęrentiam rerum. Nam si de Ecclesia inter Gentes fundata est sermo, vt verè est; ipsa enim est *mons Domini, & locus sanctus eius*, vt dicitur v. 3. si deinde quæritur, *quis* in illum *ascendet?* &c. v. 4. si statuitur, quod *innocens manibus*, &c.

v. 5.

A v. 5. & v. 6. quod *hæc sit generatio quærentium eum*, &c. ex his inquam cum bona connexione, & cohærentia, non potest deinde repente, & ex abrupto fieri transitus ad illa verba, *Attollite portas Principes vestras*, &c. si sensu literali, & à S. Propheta intento intelligantur *portæ*, & *Principes*, vel Ierusalem, vel Inferorum, vel Cælorum.

§. III.

Itaque cum omni Patrum, & Interpretum, qui eos versus ita explicant, reuerentia non improbando, quod apta, bonaque accommodatione etiam rebus
B illis illi versus conueniant; & suppositis ijs, quæ dicta, responsaque fuerunt Obiectione prima §. 3. quod vbi defuerit robustæ alicuius, & receptæ auctoritatis pondus, necesse erit, vt Explicatio ipsa illa auctoritate carens sit ex se grauis, solida, atque robusta, & adeò apta, atque conueniens, vt sine alicuius auctoritatis adminiculo placeat, atque cohæreat; his inquam alijsque similibus ibi dictis suppositis,

Dicendum est; illos versus, *Attollite portas Principes vestras*, &c. sensu literali, & intento à S. Dauide, quique in omnem connexionem, & consequentiam rerum,
C quæ Psalmo dicuntur, venit, dictos, & pronunciatos cum illa emphasi fuisse de primis, summisque Idololatriæ, & Gentilitatis Capitibus, & Principibus viris, quales fuerunt Romani Ethnici, qui Prædicationis Euangelij tempore ita rerum, & Orbis Vniuersi dominabantur, vt etiam Gentium omnium seruirent & erroribus, & Idolis: apud quos Satanas impietatis, & Idololatriæ sibi sedem nullis humanis viribus conuellendam, *& portas*, veluti *æternales*, per quas Fidei, & Religioni Sanctæ nullus pateret aditus collocauerat, vt fusiùs dictum est in præuijs Notat. 5. paragraphis 10.

D §. IV.

Hos ergo S. Dauid in spiritu præuidens vel maximè obstituros Euangelij Prædicationi, quibus nihilominus non subactis in reliqua orbis terrarum regna, Euangelio nequaquam cursus, & successus celer, & fructuosus foret; hos inquam alloquitur; *Attollite portas Principes vestras*, &c.

Quam autem verè, & ad literam illis antiquis Romanis Principum nomen conueniat, iam supra Quæstione vnica in expositione vniuersalis Psalterij Argumenti dictum est, vbi illud Psal. 2. v. 2. *Principes conuenerunt in vnum*, de Gen-
E tium etiam Principibus intelligitur: infra autem Psal. 118. v. 23. & 161. *Principes persecuti sunt me gratis*, &c. ostendetur dictum esse de Romanis. Similiter Ecclesiasticus cap. 36. v. 12. eos nominat, dum ait; *Contere caput Principum inimicorum*, &c. Patebit Isaiam sæpè eos hoc titulo nuncupare, id suis locis.

Imò constabit, quod ipse capite 26. v. 2. dum ait, *Aperite portas, & ingrediatur gens iusta custodiens veritatem*, &c. constabit inquam in connexa, & pariter cohærente explicatione, quod ibi illis verbis intelligat ipsam iam deuictam, vel proximè vincendam Romam Ethnicam; vt proinde dubium esse non possit, Isaiam
F allusisse ad hunc ipsum S. Dauidis Psalmum, & vers. *Attollite portas Principes*, &c. & idipsum hìc, & ibi dici, iuxta Canonem intelligendæ, & explicandæ Diuinæ Scripturæ supra citatum.

Huic ipsi Explicationi, licet ex dictis satis per se firmę, magnum tamen robur addunt illæ Interpretationes horum versuum, *Attollite*, &c. quas aliqui apud P. Lorinum adferunt; quod scilicet illis versibus mandetur, amoueri impedimen-

ra Dæmonum, aliaque vndequaque obstantia, quominus verbum prædicationis (quod ostium apertum vocat Paulus 1. Cor. 16.9.) liberè in homines subeat, & sermo Dei currat, vt 2. Thess. c.3.1. A

Similem sensum tradit S. Augustinus, vt scil. quicunque Principatum in hominibus quærunt, auferant, ne impediant aditus, quos statuerunt cupiditatis, & timoris; & *eleuentur portæ æternales*; aditus æternæ vitæ, renunciationis sæculo, & conuersionis ad Deum.

§. V.

Sed quid? quod datam explicationem versuum illorum, etiam ipse Titulus Psalmi satis manifestè indicat. Ille est *Prima Sabbati*, &c. Hæc vox, vtique correlatiua est ad *Secundam Sabbati*; hanc autem, *Secundam Sabbati*, ponit pro Titulo Psalmi quadragesimi septimi, vbi, vt ostendetur, aget de quiete, & tranquillitate Ecclesiæ Christi obtenta post persecutiones: quia ergo antequam ad eam perueniretur, per Fidei Prædicationem pugnandum, & Roma Ethnica expugnanda erat; ideo Psalmum hunc S. Dauid, *Primam Sabbati* vocat, tanquam ordinatam ad secundam, in qua requiem, seu Iubilæum Vniuersale Ecclesia Christi erat consecutura. B C

Et certè, cum Diuina Maiestas statuisset Ecclesiæ, & Vicarij sui Sedem Romæ collocare, in qua vsque in finem Mundi regnaturus erat; ad nullos conuenientius, quam ad eosdem Romanos, fit illa imperio plena denunciatio; *Attollite portas Principes vestras*, &c. Sed hæc pro Argumento Psalmi, satis plura eiusdem Explicatio dabit.

PSALMVS XXIII. D

Domini est terra, & plenitudo eius: non quod S. Dauid hoc Psalmo intendat describere Generale Dominium Dei super omnem creaturam; quod putat Lyranus; vel velit commendare fauorem Dei omnium rerum Domini erga eos, qui benè ac innocenter viuunt; quod Treuetus asserit; vel explicet ingressum Christi in Ierusalem in ramis palmarum; quod Burgensis; sed neque primariò ad literam esse de Christi ad Inferos descensu, eiusdem Resurrectione, & ad Cælos Ascensione, non inquam hæc S. Dauid intendit; verùm id, quod ostensum est in Psalmi Argumento. Quod quidem Argumentum vnum, & solum totum penè Psalmum explicat; nam prima illa eius verba idem significare volunt, quod Dominus dixit Matt. 28.18. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* E

orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Dictum est in Argumento S. Dauidem loqui de orbe terrarum Ecclesiæ Christi Sponsæ; id omninò ita esse probabūt ea, quæ dicenda sunt Isa. c.40. v.12. Item, & vel maximè cap. 48. v.13. videndus interim sacer textus, simili phrasi vtens. Et iure equidem meritissimo ipsius *Domini est orbis* hic *terrarum*, Ecclesia referta hominum terræ incolis, quia non qualecunque hoc, sed planè admirabile omnipotentis eius dexteræ opus est, fundatam fuisse eius Ecclesiam in medio, & *super maria, & flumina* huius Mundi; non materialiter hæc, sed moraliter accipien- F

A piendo, & symbolicè. Et quis dubitet infinitis partibus plus esse, Ecclesiam stetisse inconcussam in media Gentilitate, vndique decurrentibus maximis fluminibus, quæ Idololatria deuoluebat, vndique eam impetentibus maximarum persecutionum ventis, fluctibus, procellis, atque turbinibus; quàm sit Dei iussu, semel eleuatum supra aquas Orbem, ab ijsdem non absorberi. Non hoc; sed illud est, quod cohærentissimè, & sublimissima metaphora deprædicat Sanctus Dauid,

B V. 2. Quia ipse super maria fundauit eũ: & super flumina præparauit eum. In eoque sensu, præpositio, *Super*, non pro iuxta, sed planè, & plenè in proprio significatu accipitur; sic enim Dei sapientia, & omnipotentia magis commendatur.

Notandum autem est illud admirabilitatis Ecclesiæ Christi semper conuenisse, & fuisse, atque esse illius proprium, eminere super *maria, & flumina*; non solum dum illa fundaretur durantibus Idololatria, & persecutionibus; sed etiam C ijs victis, obtenta iam tranquillitate, & pace. Nam dum optimi quique Christi fideles id mordicus obseruant, quod Ioan. 1. c. 1. 15. monet; vt *non diligant mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. Item dum faciunt, quod Apostolus 1. Cor, 7. 29. commendat, *vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi*. Qui, inquam, in hoc mundo sic sunt comparati, D an non dici meritò possunt, *super maria fundati*, & *præparati super flumina?* Hoc ergo excellentissimo, & sublimissimo gradu cum semper steterit, & stet Ecclesia; dumque ipsa omnibus sui spectatoribus, siue eam inter aduersa, siue inter prospera considerent; iucundissimum præbeat suæ & virtutis, & sublimitatis spectaculum, & ita intuentes pulchritudine alliciat, vt eminentia, & altitudine sua deterreat; propterea S. Dauid subiungit,

V. 3. Quis ascendet in montem Domini? E hoc eam nomine ipse Dominus, Matt. 5. 14. significauit; aut quis stabit in loco sancto eius? Vtique quasi dicturus quod postmodum dixit Apostolus, non omnium esse fidem, neque ad eam omnes venturos, sibi ipsi respondet, & respõdendo Christi fidelium conditiones proponit; quod scil. ad illam venient, qui

V. 4. Innocens manibus, & mundo corde, F qui non accepit in vano, idem non est abusus ad vanitates animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. omninò hic, qui eiusmodi est, & futurus est;

V. 5. Hic accipiet benedictionem à Domino:

no: & misericordiam à Deo salutari suo. Vt scil. in eius Ecclesiam recipiatur, ouibus eius aggregetur, in eaque perseuerans saluetur. Prorsus eorum, qui sic Deo suo in vitæ innocentia viuunt, A

V. 6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. Et quid, quæso, obstat, quid moratur, & retardat, quominus hæc omnia quantocyus fiant? vt *super maria fundetur*, & *super flumina præparetur Orbis* nouus, Christi Ecclesia, vt ad eam omnes Gentes currant? Scio equidem, iamque idipsum præuideo, nihil magis rei huic tantæ, tamque admirabili, & in salutem omnium Gentium ordinatæ obstiturum, quàm Romanorum Ethnicorum potentiam (iuxta dicta in Argumento) sed quia, vt dixi, *Domini est terra, & plenitudo eius*; quia ipse, cui data est omnis potestas mandat, & mittit in vniuersum Orbem *prædicare Euangelium*, vt eius prædicationi in vniuersum Orbem faciendæ aditus, & porta aperiatur; B

V. 7. Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, quas ita firmis vectibus sibi iniquissimus Satan Romæ per Idololatriam, & omnium vitiorum colluuionem obstruxerat, vt nulla vnquam vi viderentur posse confringi; & illis sic eleuatis vi maxima, vt petardæ, quod aiunt, impetu euulsis, & in altum proiectis, ipsoque tartareo tyranno inde, & toto Romano Imperio eiecto, introibit Rex gloriæ. Regni Ecclesiæ suæ sedem, & thronum in ea collocaturus Christus Iesus Rex gloriæ. Quod si quis ad rei huius, quam patrandam dico, insolentiam admirabundus interroget, vt meritò rei ipsius granditas hanc ipsam interrogationem mouet; C D

V. 8. Quis est iste Rex gloriæ? Cuius auspicijs, cuius imperio, cuius opera, & virtute hæc agenda, hæc obtinenda sunt, quæ ne in mentem quidem cuiusquam hominis venerat posse obtineri? Is est, quem dixi, Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Proinde nulla interiecta mora, E

V. 9. Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ. F

V. 10. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex glorię. Repetit hæc S. Dauid, quia rei granditas, & argumenti suauitas iucundissimam, & expectatissimam repetitionem postulabat.

Illa

A Illa autem, quæ his versibus continetur admiratio, & ex ea admiratione orta
interrogatio hominum esse, dicenda est, simillima (imò & in eadem prorsus ma-
teria, cum sit de Roma Ethnica superata) admirationi, & interrogationi illi, quæ
passim apud Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & D. Ioannem Apoc. c. 18. v. 18. fit
de Babylone occupata, & incensa. *Quæ similis ciuitati huic magnæ?* Et de Tyro
Isa. cap. 23. 8. *Quis cogitauit hoc super Tyrum quondam coronatam, cuius negotiato-
res Principes, institores eius inclyti terræ?* Similiter responsio, quæ ad hanc admi-
rationem, & interrogationem redditur, ad eosdem omninò homines dirigitur:
B quibus vtique omnibus res dignissima omni stupore visa est, Roma à Christi Fi-
de deuicta, atque subacta.

Sic, & de his, vt dictum est Versus hos explicando, concordatur cum reliquis
insinuatis Diuinæ Scripturæ locis in eadem, & pro eadem re, & seruatur verbo-
rum, & rerum concinnitas, atque proprietas.

E contra verò, non facilè apparet, quomodo illa omnia sensu primario à S. Da-
uide intento conuenire possint Angelis, quia illi vtique erant Mysterij Incarna-
tionis conscij, & illud minimè ignorantibant, de quo est; *cùm iterum introduceret*
C *primogenitum in orbem terræ*, audierant; *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Heb. 1. 6.

Quod autem ille locus Isa. c. 63. 1. *Quis est iste, qui venit de Edom, &c.* literaliter
non adstruat hanc interrogationem, & admirationem fuisse Angelorum, vt insi-
nuat P. Lorinus, constabit ex eius loci explicatione. Sed hæc satis in Psalmum
hunc.

PSALMVS XXIV.

D

Ad te, Domine, leuaui, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXIV.

In finem, Psalmus Dauid.

ANtequam ad opus hoc grande, & maximè arduum, Principum scili-
E cet Romanorum subiectionem, & victoriam perueniretur; quia pas-
sim multæ hominum futuræ erant conuersiones, ad quas supra Psal-
mo 14. & proximo etiam 23. v. 3. *Quis ascendet in montem Domi-
ni, &c.* inuitauerat; propterea in persona eorum per fidei prædica-
tionem reuertentium, seu venientium ad Deum est hic Psalmus. Non est autem
de ipso Dauide; *Quoniam* (vt benè ait Eusebius citatus à Patre Lorino in hunc
Psalmum) *non reperimus ipsum in iuuentute sua, neque in puerili ætate peccauisse,
nec quidquam per ignorantiam ab eo factum fuisse:* Deinde ipsi Dauidi neque con-
F uenit, neque de ipso verificari potest, quod v. 21. dicitur; *Innocentes, & recti adhæ-
serunt mihi*; cum tales non fuerint illi, qui ipsi profugo adhærerant, licet boni post-
modum effecti sub eius disciplina; nam de ipsis 1. Regum 25. 15. dicitur, *homines
isti boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quicquam aliquando perijt omni tem-
pore, quo fuimus conuersati cum eis in deserto, &c.*

Superest ergo id tenendum esse, quod positum est; nam id, & connexionem

habet,& ſecundùm illud conſequenter explicantur omnia,& propriè omnia con- A
ueniunt illis, qui ad auditum Euangelicæ tubæ, & prædicationis ſonum perſpe-
cta pulchritudine virtutis, fęditate vitiorum, vanitate Idololatriæ, veritate Fidei
paſſim vbique maximo numero ad Deum in Eccleſiam per pœnitentiam conflue-
bant: in quorum, & cuiusque ipſorum perſona S.Dauid ait;

PSALMVS XXIV.

B

Ad te, Domine, leuaui animam meam, & quia omnia, quæ hactenus ſectatus ſum, fuere vana;

V. 2. Deus meus in te confido, non erubeſcam, ſpe mea fruſtratus.

V. 3. Neque verò (quod paſſim ſolent homines, qui terrena tantùm & præſentia intuentur, & æſtimant) C
irrideant me inimici mei, ꝗ ſpretis terrenis omnibus te ſecutus ſim; etenim certus sũ,quia vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur, non,inquam,iſti; ſed potius

V. 4. Confundantur omnes iniqua agentes D
ſuperuacuè. Vtinam illi & agnoſcant, & erubeſcant infelicem ſuam ſortem, & conditionem. Sed quod ad me attinet;

Vias tuas, Domine, demonſtra mihi: quibus ad te itur; & ſemitas tuas anguſtas, & paucis notas (S. Auguſt.) edoce me.

V. 5. Dirige me in veritate tua, & doce me: E
quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

V. 6. Reminiſcere miſerationum tuarum,
Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à F
ſæculo ſunt.

V. 7. Delicta iuuentutis meæ, & ignoran-

tias

A tias meas ne memineris. Cum S.Dauid non pro seipso, vt supra insinuatum est, sed in persona cuiusque pœnitentis, & ad Deum se se conuertentis hæc dicat; ideo notanter horum meminit, & veniam petit, quia futurum erat, vt semper in Ecclesia hi vel maximè venia indigerent; nam vt S.Ambrosius ait, Iuuentus est inualida viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs. Et S.August. 21. de Ciuit. c. 16. paucissimos, ait, esse tantæ felicitatis, vt ab ipsa ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitijs, vel in
B facinoribus, vel in nefariæ cuiusquam impietatis errore, sed magna spiritus largitate opprimant quicquid eis posset carnali delectatione dominari: plurimos verò præcepto legis accepto, cum prius victi fuerint, præualentibus vitijs, & præuaricatores eius effecti, tunc ad gratiam confugere adiuuantem, qua fiant, & amarius pœnitendo, & vehementius pugnando, prius Deo subdita, atque ita carni præposita mente victores. Plura in hanc rem videri possunt apud P.Lorinum, aliosque. Quia ergo tam multi tam multa in hac ætate deliquunt obsecrat,

C Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine. Nam quia

V.8. Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. docens, scilicet,
D quomodo viuere debeant.

V.9. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas. Ex qua tam bona, & nunquam, aut nusquam, vel in minimo errante directione, & doctrina eius infallibili constat omninò, & quilibet proprio edocto experimento fatetur, quod

V.10. Vniuersæ viæ Domini misericordia
E in gratijs, & veritas in promissis; requirentibus testamentum eius, Hier. & Chald. pactum, scil. legem, de qua seruanda pactum cum hominibus factum à Deo. P. Sà. Licet autem hìc S. Dauid respiciat vel maximè ad Testamentum nouum, Legem Euangelicam, & gratiæ; tamen hæc etiam Decalogũ includit; & testimonia eius, præcepta, quibus testificatur suam voluntatem. Benè autem notat P.Lorinus, istud verbum complecti etiam alia in scripturis contenta; quibus pa-
F riter declaratur eadem voluntas diuina citra præceptum. Felicissimus ergo est eorum status, qui sic custodiunt vias Domini, vt illam eiusdem misericordiam, & veritatem semper in se ipsis experiantur, quamuis id non suo ipsorum merito; nam eorum quilibet fatetur, quod non ideò; sed

V.11. Propter nomen tuum, Domine, pro-

pitiaberis peccato meo : multum est enim. A
multiplex, copiosum, &c. Cum igitur tam optimum Dominum nos habeamus;

V.12. Quis est homo, qui timet Dominũ? gratuletur sibi, & exultet quicunque est ille; nam eo ipso, quod tam pium, atque beneficum Dominum filialiter timere iam planè ad ipsum conuersus inceperit; legem statuit ei in via, quam elegit. B Legem amoris habebit, eaque in via, quæ est secundùm eius beneplacitum, dirigetur; & insuper,

V.13. Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hereditabit terram. Tanta verò & perpetuò duratura bona inde sunt; & ideò Deum timentibus conceduntur, quia

V.14. Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius, vt manifestetur illis. C idest grandia illa, & summa bona, quæ in pactis suis promisit, & veluti Testamento se daturum obligauit, non alijs, quàm ipsis conferre constituit. Propterea nihil mihi magis cauendum, & formidandum est, quàm ne quando tentationum incursu impetitus à sancto eius timore recedam; ideò erunt D

V.15. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Et ita quæso, ò Deus;

V.16. Respice in me, & miserere mei: quia vnicus, & pauper sum ego. E

V.17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

V.18. Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea. F

V.19. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

V.20.

A V. 20. Custodi animam meam, & erue me: non erubescam, quoniam speraui in te. His versibus omnibus proportionatissimæ, & conuenientissimæ pœnitentibus, conuersis ad Deum, & proficientibus continentur aspirationes, & orationes plenæ affectu tenerrimo. Ex hac ergo vita innocente; & timente Deum, præter priuatum meum, & particulare bonum, id etiam, ò Domine, consecutus sum; quod

B V. 21. Innocentes, & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te. Ex bonis operibus considerantes me, ad te, tuamque Fidem, atque Ecclesiam sese aggregarunt; & ipsi super se suaue tuum iugum leuauerunt. O, vnà nobiscum etiam hos,

V. 22. Libera Deus Israel ex omnibus tri-

C bulationibus suis. Siquidem viam arctam, & vitam multis planè tribulationibus expositam ingressi, aggressique sunt.

Ex his omnibus, quæ huc vsque consequenter explicata sunt, constat Argumentum Psalmi huius fuisse illud ipsum, quod supra positum fuit, hocque Psalmo aptissimè descriptos fuisse pœnitentes reuertentes, & venientes ad Deum, & in Ecclesiam ingredientes, seseque Christi fidelibus aggregantes. Id non solùm contextus Psalmi totius, qui per omnia ijs quadrare ostensus est, demonstrat; verùm etiam Psalmus sequens confirmat; nam

D

PSALMVS XXV.

Iudica me Domine, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXV.

E *In finem, Psalmus Dauid.*



Est pro conuersis, seu reuersis ad Deum, quo confirmari, & stabiliri in bono, vitæque innocentia flagitant. Itaque S. Dauid in eiusmodi hominum persona Psalmum hunc composuit. Quod autem id ipsum dicere, & exprimere intenderit, patet ex compluribus eiusdem Psalmi Versibus, vt dum ait v. 4. *Non sedi cum concilio vanitatis*, &c. v. 6. *Lauabo inter innocentes manus meas*, &c. v. 8. *Domine dilexi decorem domus*

F *tuæ*, &c. & v. 11. & 12. omnia complectens, & concludens, sibique gratulans; *Ego autem*, ait, *in innocentia mea ingressus sum*; & *Pes meus stetit in directo, in Ecclesijs*, &c. Ex quo constat ex primaria S. Dauidis intentione non esse hunc Psalmum ab eo compositum, quando exulabat, Saulem fugiens, eumque apud illum aduersarij falsis criminibus insimulabant: sed neque id, quod Lyranus ponit, scil. Psalmum esse de statu Dauid, quando post mortem Saulis ex responso Domini intra-

intrauit in regnum, manens in Hebron cum sola Domo Iuda. Non, inquam, hoc A
esse, aut aliud aliquod contentum Psalmi huius, tum Titulus (qui cum nihil differat à prioris Psalmi Titulo, ostendit eandem, & similem priori tractari materiam) tum etiam, quia si aliquid eiusmodi, prout dictum est, in illis sententijs contineret Psalmus, illud ipsum omninò S. Dauid aliqua appositione ad Titulum, quod aliàs facit, fuisset insinuaturus. Sed, vt hæc non essent, ipsa cohærentia, & consequens, atque sponte sequens Explicatio, argumento optimo est, aliud non esse Argumentum. Nam

B

PSALMVS XXV.

V. 1. Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; ad Deum, vt supra dictum est, conuersus, & *in innocentia sua*, in simplicitate, vt S. Hier. explicat, per quam non virtus intelligitur, sed C
quædam priuatio, nuditas, seu destitutio, & spoliatio rerum omnium, quam animæ adferunt, dum conuertuntur, *ingressus*, postulat à Deo iudicari iudicio ipsi Deo solito, & familiari, quem exercet cum ijs, qui ad ipsum reuertuntur, vt scil. destruat in ijs peccata; gratiam suam det; passiones subijciat rationi; rationem sibi. Iudicium planè æquissimum, misericordissimum; quidni, qui in illa innocentia non solum nudus, sed etiam spoliatus, sed etiam vulneratus (vt viator ille descendens ab Ierusalem in Iericho) petat sic *iudicari à Domino?* planè necesse est, in hoc statu ad ipsum recurrere, dum recens est vulnerum curatio, & inchoata sanitas; qui id facit confidenter; subiungit, D
& in Domino sperans non infirmabor.

Iam verò quia optimè noui, quod tu, Domine Deus, in gratiam tuam receptos varijs tentationibus exponas, aduersis probes, (*Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Heb. 12. 6.) omninò me totum tibi ad omnia subeunda promptum, atque paratum exhibeo; E

V. 2. Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum. quicquid feceris, & quantumcunque probaueris, atque affligi permiseris, gratia tua adiutus lubens sustinebo omnia.

V. 3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: Cum te misericordissimum esse sciam, & nouerim misericordiam tuam etiam dum punis, minimè à te abesse, tantum abest, vt iustitiam tuam punientem timeam, vt etiam mihi in ipsa complaceam, & illi per omnia, & in omnibus acquiescam, & complacui in veritate tua. Et certè inde mihi per gratiam tuam, ò Domine, hæc tanta animi fiducia suboritur, quia F

V. 4.

A V. 4. Non sedi cum concilio vanitatis, iam ab illis illustrante me Fidei Sanctæ tuæ lumine abstractus; & cum iniqua gerentibus non introibo.

V. 5. Odiui Ecclesiam malignantium, &

B cum impijs non sedebo. non versabor amplius, aut conuersabor cum illis, sed potius deinceps semper

V. 6. Lauabo inter innocētes manus meas, idest cum iustis, quales fideles tui sunt, ad quos accessi, conuiuam, & conuersabor. Neque solùm ipsorum mihi conuictus, & conuersatio gratissima futura sunt; sed inde vel maximè gaudio incredibili afficiar, quod vnà cum illis non tam

C carnales, & temporales escas percepturus assiduè, quàm Diuinissimo Corpore, & Sanguine tuo reficiendus, & pascendus sim ad Sacrum Altare tuum; & circumdabo altare tuum Domine. quod quidem Altare tuum, quia mihi semper in primis, summisque amoribus erit, quia ab eo nunquam longiùs recedam, quia identidem ad illud reficiendus accedam, illud *circumdabo*, & omnibus complectar affectibus, & amplexibus. Inde etiam ad id factitandum assiduè, & absque intermissione impellar,

D V. 7. Vt ibi, audiam vocem laudis, & enarrem vniuersa mirabilia tua. Hìc S. Dauid videtur describere ipsissimam primitiuæ, atq; etiamnum perseuerantis Ecclesiæ Sanctæ consuetudinem frangendi Sacratissimum, Panem Eucharistiæ, & prædicandi Verbum Dei. Verè ita est, ac proinde in sua & cuiusque Christi fidelis persona exclamat;

E V. 8. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. ideoque ad illam etiam accessi, non solùm tibi Domino, ac Deo meo placendi desiderio, neque tantummodo, vt tantis bonis domus tuæ fruerer, sed etiam (cum Mundus totus in maligno positus sit)

V. 9. Ne perdas cum impijs Deus animam

F meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

V. 10. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Et illi quidem, quàm multi, quàm innumerabiles extra Ecclesiā in suis vitijs, & impietate perdēdi permanēt!

V. 11.

V.11. Ego autem agnoſco, ò Domine, vocationis tuæ maximum beneficium, prout initio dixi, quod A
in innocentia mea ingreſſus ſum: illa ipſa gratia tua, qua me præueniſti, comitare obſecro, & ſubſequere; redime me, & miſerere mei. Qui ſto, ne cadã, adiuua, & ſuſtenta, vt conſtanter ſtem, ſicut iam

V.12. Pes meus ſtetit in directo: in Eccleſijs benedicam te Domine, per quem ſtabo. B

PSALMVS XXVI.

Dominus illuminatio, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi XXVI. C

Pſalmus Dauid priuſquam liniretur.



QVia conuerſi ad Chriſtum per Fidem, & pœnitentiam multiplicibus tentationibus, ſeu perſecutionibus exponendi erant, Pſalmus hic ipſis conuenit. Inſcribitur autem, *Pſalmus Dauid priuſquam liniretur*; quia Chriſtus Dauid Noſter *priuſquam liniretur* (ideſt, vniuerſim à D
Gentibus agnoſceretur, & reciperetur in Regem, ac Dominum) ſicut Dauid fuerat ab vniuerſo Iſraele acceptatus, 2.Reg. cap. 5. (cuius etiam vnctio, & inauguratio erat figura futuræ Chriſti agnitionis, & per Fidem ſuſceptionis apud Gentes) priuſquam, inquam, illa Vnctio ſublatis perſecutionibus Romanorum Imperatorum fieret, perſecutiones ipſe in electis ſuis tolerabat; & propterea Pſalmus dicitur ipſius, & verba in ipſius Perſona proferuntur, vtpote, qui in fidelibus ſuis ipſe ſit, & patiatur.

Itaque benè percepto Pſalmi argumento, & ponderata ſignificatione *linitionis*, non primæ, qua adoleſcens; ſed ſecundæ, qua poſt multas perſecutiones, & E
bella, Dauid, Chriſti typus, inunctus fuit in Regem: quæ hoc Pſalmo dicuntur, exprimunt, quemlibet eiuſdem Chriſti Domini fidelem militem inter aduerſa, perſecutiones, & ipſas mortes poſitum benè in ijs animatum, fidentem, ſuſtinentem, & vincentem, non proprijs viribus, ſed Domini ſui auxilio; nimis enim, maximè in adeò arduis, certum eſt, ſine eo nihil eiuſmodi præſtari, & ſuſtineri poſſe; verùm ſi ipſe, & dum eſt ipſe

PSALMVS XXVI. F

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? ſi ipſe

Do-

A Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? non vtique trepidabo, etiam dum

V. 2. Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Exprimitur plusquam Vatinianum odium, quo Christianorum persecutores in primi-
B tiua Ecclesia ferebantur in ipsorum cædes: neque tamen valuerunt excindere; quinimò

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt: & ceciderunt. Et verè fortis, verè gloriosa fuit magnanimitas inuictorum, Christi Iesu pugillum, Sanctorum primitiuæ Ecclesiæ (ad quos hìc potissimùm respicitur) Martyrum: qua de materia multa præclarè præstantissimum illustrissimæ Prædicato-
C rum Religionis sydus P. Ludouicus Granatensis in introductione ad Symbolum Fidei. Ipsi ergo, & eorum quiuis spiritu Dei, & fortitudine plenus audebat, dicebatque,

V. 3. Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum.

D Si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo. Nimirum prius profundè illi penetrabant præstantiam vocationis suæ, qua de tenebris in admirabile lumen Fidei perducti fuerant; in qua videbant se *reportare finem Fidei suæ salutem animarum*. 1. Petr. 1. 9. propterea vnicum, maximumque cuiusque votum erat,

V. 4. Vnam petij à Domino, hanc requi-
E ram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Vt videam voluptatem Domini, seu pulchritudinem, aut dulcedinem, quæ nusquam maiores, quàm in eius Ecclesia; & visitem templum eius. Hic non tam Beatitudinis æternæ Templum inuisendi desiderio se accendi dicit;
F quàm videndi præsentem Ecclesiæ statum florentem, pacatum, atque tranquillum, in quo Dei cultus passim vbique vigeret, & animarum salus quàm maximo numero procuraretur. Eum, vt sæpè in Isaia dicetur, Ecclesiæ promissum, & prædictum expectabant, & desiderabant Christiani. Hoc autem potissimùm significari hoc loco ex eo probatur, quod in præcedentibus sermo fuerit de Ecclesia, quam cum se ardentissimè amare dixisset, vocassetque *Domum Domini*, *volu-*

pratemque eius; eandem mox *Templum* vocat, innuendo statum illum, quem sortitura erat, pacatum, florentem, atque felicem, simili planè modo, quo Templum Domino in Synagoga extruendum erat non nisi deuictis hostibus, & pacato toto regno, de quo etiam paulò post dicendum erit. Hoc ergo posito, quod huius præsentis temporis Templum Ecclesiæ Christi Sponsæ, Matris suæ Sanctæ Christi miles, athleta, & Martyr videre sic extructum desideret; interim, ait, dum id fiat, & sensim de persecutoribus, & persecutionibus victoria obtinetur; benedico, ait, & laudo Deum meum, ac Dominum, A

V. 5. Quoniam etiam nunc, dum tantis conflictatur, & premitur eius Ecclesia afflictionibus, se seque habet instar Tabernaculi, & Tentorij militaris, cui certus needum, aut vno loco permanens locus est; sed pro expeditionum, & pugnarum, atque certaminum, & hostium exigentia varius, & multiplex; etiam nunc, inquam, ipse Dominus meus abscondit me in hoc ipso tabernaculo suo: omninò, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. planè tanquam si fuissem in arce tutissima, vt esse solet, quę in sublimi aliqua petra sita est, B C

V. 6. In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos. Semper & planè admirabiliter Christiani de suis persecutoribus triumphabant. Sic ergo victor Domini mei auxilio effectus, ad tantæ, & tam inexpectatæ victoriæ gratitudinem D Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, eam offerendo cum iubilo, & canticis (hic Sanctissimæ Eucharistiæ, & Altaris Sacrificium Eucharisticum innuitur) & omninò, vt par, & debitum est, cantabo, & psalmum dicam Domino. Neque verò aliud quidpiam, quod orem, cantem, & psallam præstantius, atque conuenientius occurrit, E quàm si dicam Domino,

V. 7. Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miserere mei, & exaudi me. Exaudi, inquam, neque enim quocunque modo id à te flagito, vt scilicet labijs tantùm te honorem, & interim cor meum longè sit à te, quin potius

V. 8. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. F Sic Dominum Iesum Christiani primi ardentissimo affectu diligebant: quantus enim amor, qui tanta operabatur? vt in Sanctis gloriosissimis Martyribus Geruasio,

A sio, & Protasio (quorum die festo hæc etiam eorum honori scribo Anno 1652.) S. Petrus 1. suæ 1. v. 8. vniuersim de omnibus Christianis dicebat, eos inde vel maximè laudando, quod *quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili.* quam quidem eorum lætitiam cum illo amore coniunctam pulcherrimis verbis tanto ante Sanctus Dauid expressit. Pergit ergo fidelis Christi seruus, & instat apud Dominum,

V. 9. Ne auertas faciem tuam à me: ne de-
B clines in ira à seruo tuo.

Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. illamque allegat causam, cur exaudiri, & adiuuari mereatur.

V. 10. Quoniam pater meus, & mater mea
C dereliquerunt me. Verè passim in primitiua Ecclesia fiebant illæ hic, & ab ipsomet Domino prædictæ separationes à Patre, & Matre, à Fratribus, &c. Intelligi etiam & aptissimè potest plena abrenuntiatio Satanæ, & operibus eius, infidelitati, & impietati, quam Christiani è Gentilismo venientes faciebant. Sic ab illis derelictum, vel illum, qui eos sic dereliquit, Dominus autem assumpsit me. à te ergo peto,

D V. 11. Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

V. 12. Ne tradideris me in animas tribu-
E lantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Sic Domini mei adiutus auxilio, & defensus, protectus, atque deductus,

V. 13. Credo, confido, & spero videre bona Domini in
F terra viuentium. quod Dominus finem tandem imponendo persecutionibus reddet Ecclesiç suç tranquillum statum, de quo iam dixi. Interim mihi, & cuiuis hoc rerum statu viuēti hoc est faciendum,

V. 14. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

A

PSALMVS XXVII.

Ad te Domine clamabo, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXVII.

Psalmus ipsi Dauid. B



PSalmus iste sic inscribitur, quia cum etiam ipse sit de aduersitatibus, & persecutionibus, quas Christi fideles ad ipsum conuersi passim in Ecclesia patiebantur, vt eas ipsi alacriùs tolerarent, proponit easdem ipsi Domino Iesu, Dauidi nostro ab impijs illatas fuisse vsque ad eum interimendum, vt suo exemplo fideles suos animaret ad tolerantiam earumdem. Hæc summatim insinuata Psalmus hic continet: nequaquam autem habet pro Argumento, Dauidem Saulis persecutionem fugientem, cum ipsum Sauli prodere conarentur, qui videbantur amici. C
Neque liberationem eiusdem Dauidis à Siba iam post Absalonem extinctum; quod aliqui, apud P. Lorinum citati, volunt; nam hæc neque hoc loco cohærent, & de illis infra distinctè Titulo apposito se agere ostendet S. Dauid, quamuis etiam tunc Christiana sit respecturus.

Id autem, quod Sancti Augustinus, & Hieronymus asserunt, Psalmum hunc compositum in persona Christi, ac in eo contineri mentionem de Passione, Resurrectione, Glorificatione illius, ad eum ferè modum (sed breuiùs, & per compendium) quo fusiùs in Psalmo vigesimo primo; id verum est, cum ea tamen limitatione, quæ paulò ante perstricta fuit; quod scilicet ita de illatis Christo Domino persecutionibus agatur, vt simul cum illis includantur illæ persecutiones, & aduersa, quæ eius fideles in primitiua Ecclesia tolerabant; nam id expresfsè indicat v. 8. *Dominus fortitudo plebis suæ*, &c. & v. 9. *Saluum fac populum*, &c. ad eas ergo alacriter sustinendas, & superandas fideles ipsos suo exemplo proposito præmio resurrectionis, & præsenti Dei protectione, necnon & illa consideratione, quod eadem cum ipsis, tanquam eorum Caput sustineret, inuitat. D E

In ipsorum igitur persona, quasi cum ipsis in summis positus ærumnis, angustijs, & pressuris, atque persecutionibus (quales certè extitisse in primitiua Ecclesia omnis historia tam sacra, quàm profana testatur) sic loquitur;

PSALMVS XXVII.

V. 1. **Ad te Domine clamabo:** in tribulationibus positus ad te Domine clamabo, **Deus meus ne sileas à me:** sic vt mihi oranti, & opem tuam imploranti non respondeas, & signo aliquo tuum erga me fauorem, & gratiam non demonstres; nam verendum mihi valdè est, **ne quando** F

ta-

A taceas à me, ne ſi quando id mihi neges, vel ſi id mihi tu non concedas, in tam miſerum ſtatum aduerſa, & perſecutiones me cõijciant, vt nihil planè differre videar ab illis, qui propter ſua ſcelera damnantur ad mortem, vel à beſtijs deuorandi proijciuntur in lacum, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Non eſſe ſolum, & ſimpliciter ſermonem hoc loco de morte, ſed cum illo addito, explicat magis v.3. *Ne ſimul trahas*, &c. Et certè inter acerba, tam Martyrum, quàm Regis Glorioſi ipſorum

B Chriſti Ieſu illud fuit, quod cum ſceleratis, & iniquis, eorumque ſorte, & pœnis plecterentur; & qui innocentiſſimi erant, grauiora latronum cogerentur ſuſtinere ſupplicia, vt S. Ambroſius ait in Pſalmum 118. Atque hinc ſumitur motiuum maius ad poſtulandum è Cælo, Sede, & Templo Sancto Dei, auxilium.

V. 2. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro à te: dum extollo manus

C meas ad templum ſanctum tuum.

V. 3. Ne ſimul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me: Abſque oſtenſione, & manifeſtatione innocentiæ meæ, ne permittas me trahi, & raptari, ſiue ad Iudicum tribunalia, ſiue ad

D ipſam mortem cum *peccatoribus*, &c. & cum ijs

Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Tanquam ſi vnus ex ipſis eſſem viris ſanguinum, & doloſis, cum tu Deus fideles tuos ſeruos agnina, & columbina ſimplicitate, & innocentia præditos eſſe velis.

Abſit, & procul quæſo à me ſit eiuſmodi prauorum, & iniquorum hominum

E peruerſitas, quibus tu iuſtiſſime Iudex

V. 4. Da illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorũ. Non optat, ſed prædicit pœnam, ait S. Aug. ſcil. dabis;

Secundum opera manuum eorum tribue

F illis: redde retributionem eorum ipſis.

V. 5. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manum eius. cauſa cur illi vniuerſim omnes, tam Iudæi,

quàm

quàm Gentiles puniendi sint, est, quod non agnouerint, neque agnoscere, & animaduertere voluerint ad opera Domini, neque inspicere, & considerare *in opera manum eius*, non solum creationis, conseruationis, & gubernationis Mundi huius; sed vel maximè redemptionis Mundi per Passionem, & Mortem eiusdem Vnigeniti Domini Nostri; propterea destrues illos, & non ædificabis eos. sine spe restaurationis perdentur illi. Sed quod ad me, meosque attinet, loquitur Christus in omnium persona, A

V. 6. Benedictus Dominus: quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. B

V. 7. Dominus adiutor meus, & protector meus: in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum. C

Et refloruit caro mea; Super Psal. 15. iam vidimus hæc non esse ad literam de ipso Dauide, sed de Christo. hìc autem per carnem suam, quæ refloruit, non solum futuram gloriosam resurrectionem occisorum propter Fidem suam Martyrum, & Sanctorum suorum ostendit; sed simul etiam indicat, quod è persecutionum morte, & statu squalido, ipsi Fideles eius, seu Ecclesia in florentem esset euasura felicitatem; quod est; & ex voluntate mea, non solùm promptè, & alacriter, sed etiam nemine mihi amplius aduersante, & obices ponente, & obsistente in diuino cultu palàm, & publicè proponendo, confitebor ei. Sic omninò, vt prędictum fuerat factum, nos iam dudum continuatis sæculis gratulamur, & verè deprędicamus, quia D

V. 8. Dominus fortitudo plebis suæ; & protector saluationum (populorum, scil. diuersorum, passim ad Fidem Christi adductorum) Christi sui est; qui ad ipsum pertinent, & quos ipse tanquam saluationes suas, quos ipse saluauerit, & quorum Saluator misericordissimus sic amanter, & impensè diligit. O! sic quæso semper E

V. 9. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ; & rege eos, & extolle illos vsque in æternum. F

PSAL.


A

PSALMVS XXVIII.

Afferte Domino, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXVIII.

B *Psalmus Dauid, in consummatione tabernaculi.*



Anta est Psalmi huius; siue pulchritudo, siue sublimitas, vt P. Lorino teste, vix alius sit tam variè tractatus, & quem pluris nostri faciant. Ex sententiarum, siue opinionum numero, multiplicitate, & diuersitate, de materia, argumento, seu contento Psalmi facilè colligi potest multiplex, & varia eiusdem pertratactio, & commentatio.

C Eas duodecim omninò P. Lorinus recenset, suamque statuens, ad illam accedit, quæ vult literaliter hoc Psalmo agi de translatione Arcæ, de qua 1. Paral. 16. quando de Domo Obededon *attulerunt arcam Dei, & constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid, & obtulerunt holocausta, & pacifica coràm Deo.*

Quia verò Titulus Psalmi, qui est; *In consummatione tabernaculi*; vt illi res correspondeat; vult hunc Psalmum cantatum fuisse in discessu à tabernaculo, vel consummata celebritate translationis, ac dedicationis eiusdem Arcæ cum illo.

D Verùm huic explicationi ipsemet P. animaduertit obstare, quod cum hoc Psalmo repetita, & valdè vrgens, & ardens fiat prouocatio, & inuitatio ad offerenda Deo Domino munera, eaque specificando velit esse *filios arietum*; dicendo *afferte Domino filios arietum*; intempestiuum, & inconueniens est, iam facta, & completa oblatione, ad eam inuitare. Ad id autem, quod ait, eam inuitationem, ideò sic in finem factam, vt seruiret ad memoriam imposterum; vt scil. sæpius eodem pacto facerent. hoc, vt difficultatem solueret (nam certè eam adæquatè non tollit, neque illi mens, & humanus, maximè in tanto Rege agendi, E modus acquiescit) non tamen ostendit, quonam pacto deinde sint ad propositum, connexionem, & cohærentiam illa, quæ toto deinceps dicuntur Psalmo, *afferte*, &c. quia *Vox Domini super aquas, Vox Domini*, &c. maximè si rerum illarum propositione nihil aliud ostendatur, quam Dominum esse in nubibus, tonitru, coruscationibus, fulmine, &c. admirandum, & metuendum, vt dici necesse est in hac sententia.

Constat autem ad permouendum corda hominum ad sacrificia Deo afferenda, longè efficaciora esse alia Diuinæ ipsius munificentiæ, liberalitatis, beni-F gnitatis, clementiæ, &c. motiua; ijsque vsurum fuisse S. Dauidem, si id persuadere intendisset; aut si dura Iudæorum corda ijs, quæ in aere horrifica cernuntur, emollienda, & rumpenda erant, alijs magis horridis terræmotuum, & hiatu, igne, &c. qualia in deserto perpessi fuerant, percellere potuisset.

Præter hæc, aliud quidpiam indicio maximo est, nullo modo id argumenti continere Psalmum. Nam dum illo 1. Paral. cap. 16. agitur de complemento solen-

lennitatis translationis Arcæ in medium tabernaculi, quod illi Dauid tetenderat, additur v. 4. quod pientissimus Rex, *constituit coràm Arca Domini de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel*; inter laudes verò Domino ab ijs decantatas nominatim ponitur pars magna Psalmi 104. Quod si in tanta illa solennitate ipse Rex hoc Psalmo vigesimo octauo, qui breuissimus, & re fertissimus mysterijs est, hortatus fuisset, vt adstruitur, Principes, & Populum Israel, quis dubitet Sacrum Historicum solennem ea de re facturum fuisse mentionem? A

Multò minus hoc Psalmo agitur de fine festi Scenopegiæ, siue Tabernaculorum; aut de Sacerdotibus, & Leuitis, de Tabernaculo exeuntibus; aut de gratitudine Ezechiæ post victoriam de Assyrijs; aut de Dedicatione Tabernaculi sub Moyse in deserto; alijsque similibus, quia si hæc ponamus Psalmo argumenta, tunc nulla planè reperiri potest siue cum antecedentibus, siue cum consequentibus Psalmis connexio, & cohærentia consequens; neque facilè via vlla apparet, ea quæ toto Psalmo dicuntur (& disparata esse videntur) connexendi, & componendi, atque ad certum finem, & scopum dirigendi; quæ tamen omnia, Deo aspirante reperientur, si Psalmo eiusmodi statuatur Argumentum, quale titulus ipsi præfixus eidem inesse insinuat. Titulus ergo est, *In consummatione Tabernaculi*. Et significat, quod vt hactenus dictum est, quia Ecclesia Christi, verum Dei Tabernaculum, per Fidei Prædicationem fundanda, & propaganda erat in Gentibus; *In consummatione Tabernaculi* huius; idest pro eo tempore, quo illud eiusdem Euangelicæ Prædicationis opera perficiebatur (nam Tabernaculum, quod à Moyse fuerat constructum, iam pridem omni ex parte absolutum erat; ideòque de eo non loquitur) pro eo, inquam, tempore edidit Psalmum hunc S. Dauid. Præterea sicuti Tabernaculum illud antiquum in Templum commutandum erat, ita cupiebat, vt ipsa Christi Ecclesia, post persecutionum bella, pacem, & tranquillitatem obtineret, & in *Templo eius*, vt ait v. 9. idest in eadem, pacificum statum obtinente, *omnes dicerent gloriam*. B C D

Itaque Psalmus iste à S. Dauide, tanquam plena affectu adhortatio ad S. Apostolos, aliosque omnes Domini Discipulos, & Fidei eius Prædicatores, proponitur; quo ad insistendum operi Prædicationis Verbi Dei, & Gentium conuersioni, non obstantibus vllis persecutionum obstaculis, animantur illo potissimùm motiuo, quia *Vox Domini super aquas*, &c. idest Sanctissimi eius Spiritus charismata diffusa sunt super Gentes: de quibus, & de Roma, Romanoque Imperio repetita, eaque honorificentissima, vt in Explicatione Psalmi constabit, fit mentio. Itaque E

PSALMVS XXVIII.

1 Afferte Domino (vos, qui per Fidem, & officium Prædicationis Euangelij facti estis) Filij Dei: (& donati estis potestate alios ad Fidē conuertendi;) afferte Domino filios arietum. F

Quis hic putet Sanctum Dauidem in grammatico horum verborum sensū constitisse, & intendisse (admittendo tamen alias expli-

A plicationes, eisque non contradicendo) quàm vt agni Deo immolarentur, cuius
sciebat esse omnes feras syluarum, iumenta in montibus, & boues, atque igno-
rabat eiusmodi sacrificia abroganda esse?

Dubio procul non hæc, sed per eiusmodi verba figurata, metaphorica, &
symbolica (qualia certè omnia sunt, quæ in hoc Psalmo reperiuntur) longè alia
significare voluit; id autem quod ipse intendit, sensus est Psalmi literalis iuxta
veram à S. Thoma assignatam, & supra sæpius repetitam regulam; quod hic val-
de notandum est, ne putetur esse mysticus etiam aliorum omnium versuum sen-
B sus propter coniunctionem cum symbolicis verbis, qui verè (sed coniunctus cum
ijs ipsis symbolorum inuolucris) sensus literalissimus est, & vnicè à S. Dauide in-
tentus. Ergo hic per *Filios arietum* Domino afferendos, significare intendebat,
vt illi homines, seu animæ Domino offerentur, & eas offerre accelerarent, quos
Sancti Apostoli, Prædicatores, Pastores, & Sacerdotes, alijque Ministri Eccle-
siæ in Fide instruxissent. Quod autem per Arietes illi, qui in Ecclesia primatum
tenent, & ducatum præbent, & doctrinam Fidei cæteris impertiunt, intelligan-
tur, probatur ex pulcherrimo illo Prouerbiorum c. 30. v. 31. loco; vbi inter illa
C quæ bene gradiuntur, Aries ponitur, & subditur, nec *est Rex, qui resistat ei*. Vbi
non est dubium, quin Sanctissimus Spiritus id voluerit per illa verba intelligi,
quod S. Greg. l. 30. mor. c. 3. docet, scil. quod *intra Ecclesiam primo sit ordo Sacerdo-
tum, qui per exempla sua gradientem populum, quasi subsequentium ouium gregem,
trahunt. Quibus specialiter, rectèque viuentibus nullus Rex sufficit omninò resiste-
re, quia quilibet persecutor obuiet, intentionem eorum non valet præpedire. Sciunt enim
ad eum, quem desiderant, & anxiè currere, & moriendo peruenire*. Videri etiam po-
test libro 31. mor. c. 5. 6. & 7.

D Quia ergo hoc ipsorum primum munus, & officium est; illis maximè dicitur
afferte, & quia animarum conuersionem sequitur Domini gloria, & honor,
subditur,

V. 2. Afferte Domino gloriam, & hono- rem, afferte Domino gloriam nomini eius:

Illud autem quod additur; **adorate Domino in atrio sancto eius,**
E significat alijs verbis illud, quod supra dictum est, scilicet interim, dum per ple-
nam pacem, & tranquillitatem Ecclesiæ Christi in Templum pateat aditus, illa-
que ipsa Templum fiat, consistendum esse *in atrio*.

Quid igitur, & cur ita properandum est in adducendis animabus in Christi
Ecclesiam? Ratio redditur, quia

V. 3. Vox Domini super aquas.

His verbis S. Pro-
pheta magno ani-
F mi sui gaudio exprimit optatissimum illud tempus Prædicationis Euangelij,
quod inchoabatur ab ipso Domini Iesu è Nazareth egressu, Sanctissimo eius Ba-
ptismate, voce Patris super eum delapsa, S. Ioannis Baptistæ præcursione, & de
eo apud Iordanem facta testificatione. Item dicendum est hoc eodem loco, &
versibus etiam consequentibus, Sanctum Dauidem complecti etiam illud tem-
pus, quod paulò post consecutum est; quando post Sanctissimi Spiritus aduen-

tum missi, profectique in omnem terram Sancti Apostoli, & Discipuli Domini A
prædicauerunt vbique Domino cooperante,& sermonem confirmante sequentibus signis. Marc.16. Huius ergo, & potissimùm huius vniuersalis Prædicationis effectus stupendissimos, quos supra Psal.17.& 18. & aliàs subinde paucis perstrinxerat, valdè emphaticè hìc S. Dauid exprimit aptissimo symbolo tonantis è cælo Domini: ergo *Vox Domini super aquas*; aquæ multę, populi multi in Gentilitate; **Deus maiestatis intonuit:** & in Iordane, & in Monte Thabor; & quando, vt Act.2. *factus est repente de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis*, &c. quod hoc intenderit S.Dauid, B
apparet ex addito, *Deus maiestatis intonuit*, ipse iam adest, qui per Prophetas loquebatur, & qui mittet indutos vitute ex alto in vniuersum Mundum Discipulos; quod est **Dominus super aquas multas.** Et quod dicitur versu seq.

V.4. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia. Verè non aliàs magis patuit admirabilis Dei virtus, potestas, & magnificentia, quàm ex missis ad C
tanta Sanctis Apostolis, & patratis per eos rebus tam admirabilibus in Mundi totius Idololatria,& sceleribus contaminati conuersione. Fuit *Vox Domini in virtute*,&c. quæ id operata est. Id ipsum hoc ipso symbolo pulcherrimè exprimitur, Iob 37.5. *Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna, & inscrutabilia.*

Inter omnes verò, planè omnes admirabiles effectus Diuinæ vocis, ille maximè stupendus fuit, qui quia maximus, idcircò & primo loco, & magna verborum emphasi hoc Psalmo proponitur statim v.5 repetitis vocibus. D

V.5. Vox Domini confrigentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Paulò ante dictum est S. Dauidis intentum nullo modo fuisse (salua aliorum explicatione, si qua est) consistere in descriptione tremendorum quorumdam effectuum, quæ tonantibus subinde de cælo, fulgurantibus, atque fulminantibus nubibus fiunt; nam id non excederet Poetarum hac in re elegantissimas descriptiones, quod absit vel cogitare E
de diuinis eloquijs, quæ omnes alias rhetoricas artes, & elegantia,& facundia, & verborum ornatu, & proprietate, atque alijs eiusmodi infinitis partibus præcellunt. Deinde, quid quæso (si hic sistamus) quod notissimum non sit, dicitur? dum à fulmine dicuntur disijci, atque confringi arbores, & quò illæ eminentiori loco,& proceriores fuerint, eò faciliùs,atque frequentiùs? Id certè nemo,qui syluas, vel incolit, vel nouit, ignorat.

Aliud ergo aliquid, & quidem primaria intentione voluit S. Propheta, & Sacer Vates Dauid, quando dixit; *Vox Domini confringentis cedros*, & addidit *cedros* F
Libani. Et illud vtique non aliud fuit, quàm significare præcipuum, & maximè admirandum futurum Prædicationis Fidei Christi effectum; ipsos Romanos sibi subijcere, illos, inquam, qui in *Libano* monte tota Gentilitate, siue qui in toto Imperio Romano, cedrorum instar maximè conspicui, eminentes, & fortitudine, atque potentia perpetuum duraturi videbantur. Hoc ita esse probabitur ex Isa.

A c.2.13. *Dies Domini, &c. super omnes cedros Libani sublimes, & erectas*. & aliàs ex Zach. c.11.1. *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas*; qui de hac ipsa re est; neque hìc præter iam dicta alia probatione est opus; nam supposito, quod hæc, vt dictum, probatumque est, symbolicè accipienda sint, de tempore Prædicationis Euangelij, & effectibus per illud operatis, non occurrit vlla alia Gens, vel Regnum, nisi Romanorum, quibus illud; *Cedrorum in Libano*; symbolum aptari, & quadrare meliùs possit.

Maior in versu sequenti est difficultas, cui (meo quidem iudicio) cum explicatio nulla ex ijs, quas hactenus legi, satis adæquatè, & connexè satisfaceret, noua mihi inquirenda fuit; quam etiam cum me inuenisse arbitrer paucis subijciam: Versus ergo 6. continuans rem, & materiam prioris versus 5. sic habet,

B

V. 6. Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium.

C S. Dauid similitudine hac vtens, *confringendarum cedrorum, & comminuendarum* ad instar *vituli Libani*, qui scil. in Libano immolabatur, vel sacrificabatur, vel comburebatur; mihi certum est, quod non alludat ad impia, & infamia illa sacrificia fieri solita, vt ait Arnobius, in monte Libano, & offerri turpissimæ Veneri de Vitulo: quid enim tam pudico, & sacro carmine hæc tam profana, & absurda Gentilium fuisset congruum commemorare sacrificia?

Sed neque etiam hac similitudine intendebat, vnam, & solam ostendere facilitatem, qua *Vox Domini* tam nullo negotio contritura esset *Cedros* illas *Libani*, quam facilè tener, ac delicatus Vitulus in eodem monte natus, & pastus discerpi potest; quid enim vel elegantiæ, vel sublimitatis, atque etiam quid excellentis similitudinis in hac similitudine esset?

D

Plus aliquid, & aliquid aliud latere in hac similitudine indicat illa dictio, *comminuet*, quæ non significanter satis redditur per discerptionem, seu in frusta concisionem.

Deinde cum, vt dictum est, neque Gentilium sacrificia hìc inducat S. Dauid; neque vsquam Sacra Historia meminerit in monte Libano fuisse ab Israelitis Vitulos immolatos, cum mons ille Gentium, & vt ex 3. Reg. 5. patet, sub potestate Hiram Regis Tyri esset; restat ergo vt dicatur (quod cum omni cohærentia, connexione, atque etiam similitudinis, & sacrorum verborum dignitate, & proprietate, vt spero, dicetur)

E

Quod S. Dauid hac similitudine *comminuendarum Cedrorum Libani*, *tanquam vituli* montis eiusdem, alludat ad illam Sacram Historiam Vituli aurei conflati, & adorati ab Israelitis in deserto, & postmodum à Moyse confracti, combusti, & in puluerem comminuti, de qua Exodi 32.

F Quemadmodum ergo ille Vitulus aureus in deserto, posteaquam tanta in veneratione apud idololatras Israelitas fuisset, contritus tamen postea, comminutusque ad puluerem vsque fuit; ita futurum aiebat S. Dauid, vt etiam ipsa Roma, quæ in monte Libano, in media Gentilitate, seu Imperio Romano per *Libanum* significato, summa in veneratione erat, planè instar aurei Vituli, & non secus atque aureus ille Israelitarum Vitulus, conterenda, & comminuenda esset per Di-

uini ipsius verbi prædicationem; quod omninò factum est, & quicquid in ea Idolatricum fuit, vsque in puluerem redactum, vt nihil de eo superfuerit. A

Planè diuinorum verborum vis, *comminuet eas, vt Vitulum Libani*, singulari numero ponendo *Vitulum*, & esse *Libani Vitulum* indicando, contradistinguit illum, & componit, cum alio quopiam Vitulo in Diuina Scriptura nominato, qui alius ad propositum aptior iam dicto deserti Vitulo non reperitur.

Hoc verò (quod, & connexum est, & rem omnem cum plena verborum sacrorum proprietate explicat) posito, tum alia etiam pars versus priore longè difficilior pari connexione, cohærentia, atque proprietate consequitur; Quid B enim aliud significatur per illa verba (*Et dilectus, quemadmodum filius Vnicornium*) quàm quod sic, Vrbe illa, Roma scil. Ethnica, quæ totius Gentilitatis, & Idololatriæ caput, & princeps erat, atque ab omnibus Gentibus non secus atque olim ab Israelitis Vitulus aureus colebatur, illa inquam (quod ad impietatem, & idololatriam attinet) contrita, & Fidei Christi subdita, futurum erat, vt deinceps Christi Ecclesiæ Sede in ea collocata, ipse Dominus Iesus, *Dilecti* nomine expressus, euaderet, & fieret, *quemadmodum filius Vnicornium*; idest non solùm suam fortitudinem inuictam, quasi Vnicornis, siue Rhinoceros, ostenderet; sed etiam C ab alijs Gentium terris vbique passim reciperetur, Dæmone, atque Idolis proculcatis.

Hanc explicationem præter cohærentiam, & consecutionem, quæ eius veritatem arguit, duo vel maximè confirmant. Primum quidem, quod *Dilecti* nomen nulli magis, quàm Domino Iesu Christo conueniat, vt etiam Psal. 67.13. fueritque illi quodammodo impositum eo ipso tempore, quo Diuina Maiestas in eius Baptismo in Iordane præfigurauit futuram in omnes Gentes Prædicationem, Conuersionem, & animarum ablutionem, Matth. 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus*. Alterum, quod S. Dauid illa similitudine Vnicornis aptissimè id vtrumque, quod dixi, & exprimere intenderit, & expresserit: probatur ex cap. 33. Deuteronomij v. 17. vbi Ioseph, qui Domini Iesu typus fuit, pulchritudo dicitur, *quasi primogeniti Tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis* (qui, vt benè ait P. Lorinus, confunditur interdum cum Monocerote, siue Vnicorne) *in ipsis ventilabit Gentes, vsque ad terminos terræ*. Ad hunc locum allusisse, eamque magis explicuisse (licèt etiam sub symboli cortice) Sanctum Dauidem, dubium non potest esse; sicut etiam quod per illam *ventilationem Gentium vsque ad terminos terræ*, voluerit esse intelligendam earum Conuersionem, quæ per Fidei Prædicationem facienda erat in omnem terram, posteaquam Roma eam recepisset. Nam, vt supra Not. 5. §. 9. sæpius in Isaia dictum est ex S. Leone; *lux veritatis, quæ in omnium Gentium reuelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite ad totum mundi corpus diffudit: & dispositio diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confæderarentur imperio, vt citò peruios haberet populos Prædicatio vniuersalis, quos vnius teneret regimen Ciuitatis*. Quod ipsum in re, sed altissimo, & simul elegantissimo, atque significantissimo symbolo S. Dauid iam explicatis versibus duobus 5. & 6. F expressit. Postquam *Vox Domini confregerit Cedros Libani, & comminuerit eas tanquam Vitulum Libani*; tum erit, *& Dilectus quemadmodum filius Vnicornium*. Et quidem, præter dicta, ad literalem explicationem benè Dominus Iesus Vnicorni comparatur, quia vt S. Ambrosius explicat, filius Crucis fuit, & *cornua in manibus eius, vbi abscondit fortitudinem suam*, Hab. 3.4. Vel, vt Euthymius, ob vnicum,

A cum, & singularem modum, quo, vt Deus, genitus est absque Matre, vt homo, sine Patre. Adijcit, & benè P. Lorinus, quia attactu sui cornu aquas venenatas tribulationum, & mortis potabiles reddit. Sed his breuiter insertis, ad alios Fidei Prædicationis effectus ostendendos progreditur S. Dauid, qui certè omnes, ad illam, quam dixi, subsecutam Prædicationem Fidei vniuersalem post deuictam Romam pertinent; & non misticè, sed literaliter, vt paulò ante dictum, sub verborum, seu symbolorum inuolucris exprimuntur.

Itaque cum totus Orbis Idololatriæ miserè subiectus, ijs in malis, & horrendis sceleribus, quæ illa parit, & cum ea semper coniuncta fuerunt, versaretur, B essetque vel maximè in maligno igne carnalium obscænitatum positus, dubio procul ad illum ad Christianæ vitæ puritatem adducendum magna, præsentique Dei gratia opus erat, quæ ardores illos, & flammas Cyprias, & tartareas extinguerct. Et certè copiosissima adfuit. Nam

V. 7 Vox Domini intercidentis flammam ignis:

C Non hìc literaliter de fulmine è nubibus excusso loquitur, quia non est explicabile, quomodo illius *flāma intercidatur*, si excuti supponitur, & vnà cum ignito fulmine omnia disijciente, & comburente demitti; sed quod dictum est, vult S. Dauid, & intendit dicere, id quod Richardus apud P. Lorinum explicauit, scil. hæc referri ad stimulum carnis, & ignem libidinis, cuius flamma interciditur in Christi Fidelibus, & ad ipsum conuersis, quia quosdam titillat in carne tantùm; alios non inquinat delectatione in mente; nonnullorum sibi non subdit rationem per consensum; destruit in pœnitente actum turpitudinis; in conuerso consensum voluptatis; in proficiente contagium fœdæ delecta- D tionis; in perfecto, saltem aliquo, motum titillationis.

Sic ergo præuia, & præcedente illa singulari Dei gratia *intercidente flammam ignis*, illius felicissimè progrediebatur.

V. 8. Vox Domini concutientis desertum,

totius Gentilitatis Idololatricæ; quæ quidem Gentilitas per desertum sæpè in Isaia proponitur, & etiam à S. Dauide infra pulcherrima descriptione Psal. 106. à versu 33. vt patebit: omninò *Vox Domini*, in Prædicatione illa vniuersali, & E *concutiet desertum*, dum hominum conscientias peccatorum fœditate proposita pulsabit, conturbabit, & vulneratas sanabit; & commouebit Dominus desertum Cades. Magis id ipsum explicat, scilicet, se intelligere motum illum, qui futurus erat in ipsa tota Gentilitate, quam per desertum Cades, quod latissimè patens erat, horrendum, densum, & incultum, exprimit. Hæc verò omnia certò, atque etiam celeriter fient; nam illa ipsa *Vox Domini* auditur, & intonat, quæ Sanctos Apostolos, aliosque Diuini Verbi Præ- F dicatores plenè instructos, & de omnibus edoctos ad prædicandum in Mundum vniuersum expedit; sic explicandus, & intelligendus

V. 9. Vox Domini præparantis ceruos,

sic inquam, & non de voce, seu tonitru faciente parturire, seu ad partum præparante ceruas; cum quicquid sit de varia alia lectione, vt Chaldaica, quæ *ceruas*

ha-

habet, nostra vulgata non *ceruas*, sed *ceruos*, legit. Deinde id, quod de partu ceruarum dicitur, licet non inconueniens sit, & quam optimè accommodetur, sitque auctor ipse S. Iob. c. 39. eorum; quæ de difficultate partus ceruarum à varijs Scriptoribus referuntur; nihilominus id hoc loco minus connexum, & consequens est; dum S. Dauidis intentum, & totus Psalmi contextus est de Conuersione totius Gentilitatis per Prædicationem Fidei vniuersalem agere; maximè quando supra Psal. 17. de eadem loquens, simili phrasi, & symbolo ceruorum vsus fuerat v. 34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me.* A B

Deinde sicuti supra v. 6. dixi, Sanctum Dauidem illa similitudine; *filij Vnicornium*; allusisse ad id quod Deuteronomij c. 33. 17. prædictum fuerat; fore, vt Ioseph, siue figuratus per eum Messias, *in cornibus Rhinocerotis ventilaret Gentes vsque ad terminos terræ*; ita hìc dicendum est, ipsum alludere ad illam antiquissimam, & celeberrimam Prophetiam Patriarchæ Iacob, Gen. 49. v. 21. *Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis*; hæc autem prophetia omninò est de Sanctis Apostolis magna ex parte vocatis ex illa tribu; nam ipsomet S. Dauide attestante Psal. 67. *Principes Iuda Duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephthali*. Quod eos autem, scil. SS. Apostolos exprimere voluerit S. Patriarcha Iacob, satis illo addito declarauit, quando, & *emissos ceruos*, dixit; scil. in Vniuersum Mundum, quem summa, & conferenda, imo & præferenda ceruis celeritate peragarunt; & dederunt eloquia pulchritudinis, pacem, & salutem sempiternam, Regnumque Cælorum hominibus annuntiantes; vt ibi dicetur, & patebit amplius de illis esse sermonem. Addi etiam debet; ideò SS. Apostolos ceruis comparari, quia cum serpentibus, alijsque, quæ in Mundo erant omnia venenata, ceruorum instar pugnaturi erant innoxiè, præmuniti cælesti antidoto; Marci 16. 18. *Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* C D

Verùm, vt hæ concordantissimæ scripturæ propositæ explicationi non suppeterent; certè eam legitimam, & veram esse declarat etiam id, quod illo versu consequitur; nam ita ait, *Vocem Domini præparare ceruos*, vt ijs emissis, ipsa eadem vox *reuelet quæ sunt condensa.* & reuelabit condensa: quod, sic cohærenter, & connexè explicari debet. Quicquid in Mundo, dum ad prædicandum Euangelium Apostoli mittebantur erat, horridi, squalentis, inculti, aridi, plenique serpentibus, & feris deserti faciem referebat; id verò, quod vel maximè in eo conspicuum reperiebatur (eratque ipsa Gentium omnium Domina Roma) tùm illa etiam syluæ omninò frementium bestiarum plena (vt S. Leo eam vocat) vel saltus erat ita densis, consertis inter sese, annosis, & proceris arboribus consitus, vt nulla in illum via, aditus nullus Fidei Sanctæ humano iudicio rem ponderando pateret; sed *Vox Domini*, quæ, vt dictum est, *præparauerat ceruos*, eosque eò immiserat, etiam illa ipsa effectura erat, vt vi sua disiectis, deiectisque atque solo æquatis obstaculis omnibus, illa condensa aperirentur, atque paterent; *& reuelabit condensa:* quibus tandem apertis, & reuelatis consecuturum erat, vt deinde exciso illo, & perpurgato saltu, *Templum Domino* in eo conderetur, Ecclesia Christi Sedē in illa ipsa Vrbe Roma collocaret, essetque omnium aliorum Mater, atque sic pace obtenta E F

& in templo eius omnes dicent gloriam, Domino maiestatis,

A tis, qui tam mira, & omnem humanam æstimationem excedentia opera operaturus est; vt scil. inibi sedem Religionis, Pietatis, Fidei, Salutisque constituat, vbi Superstitionis, Impietatis, Perfidiæ, & Perditionis olim locata fuerat. Nimirum licet opus hoc, tantum, & tam magnum sit, vt hominum vires, captum, & intellectum excedat; tamen Omnipotentiæ, & Sapientiæ Domini factu facilè erit; quia ipse planè

V. 10. Dominus diluuium inhabitare facit:

B tam admirabilis, & potens est, vt ibi faciat habitare, vbi diluuium est; in illa scil. Vrbe constituat habitationis suæ, & Domus suæ sedem, quæ quoddam erat Vitiorum, Superstitionum, Idololatriæ, & omnium Idolorum, & scelerum diluuium; planè diluuium, vbi (prout ex S. Leone sup. Not. 5. §. 6. dictum) *erant conculcandæ Philosophiæ opiniones; dissoluendæ terrenæ sapientiæ vanitates; confutandi Dæmonum cultus; vbi omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum*. Atque hic ibidem

C & sedebit Dominus Rex in æternum.

Stabilis, firma, perpetuò duratura Domini Regis Nostri Christi Iesu Sedes futura est Romæ. Hic ibidem

V. 11. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

Hæc omnia, vt prædicta fuere, licet sub altissimarum, & simul pulcherrimarum,
D & aptissimarum rerum symbolis (sensim, vt initio obseruatum est, Sancto Propheta ad clariora, & manifestiora descendente in suo Psalterio) vt inquam prædicta, ita omninò facta fuere. Fuisse autem prædictionem de rebus, vt explicatum est, ipsa consequens, & ne in minimo quidem violenta, & detorta explicatio persuadet. Sed nunc ad sequentem Psalmum.

PSALMVS XXIX.

E

Exaltabo te Domine, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXIX.

Psalmus Cantici, in dedicatione domus Dauid.

F PRiorem Psalmum cum maxima cohærentia, atque consequentia consequitur hic Psalmus 29. cum apposita ipsi Inscriptione, quæ vt intelligatur,

§. I.

Obseruandum est, Ecclesiæ Christi Typum fuisse, tam Tabernaculum à Moyse, quàm Templum à Salomone sumptibus, atque impensis Patris exstructum; & illud quidem scil. Tabernaculum, vt paulò ante insinuatum fuit, expressisse Ecclesiam diuturno tempore in deserto Gentilitatis laborantem, & multis persecu-

secutionum aduersitatibus conflictatam, antequam ad pacificum, atque tranquillum Diuini Cultus publicè exercendi statum perueniret. Templum autem Salomonis pacato rerum statu, & sublatis, terminatisque bellis ædificatum figurasse eum ipsum post deuictas Romanorum persecutiones pacificum Ecclesiæ Christi statum. A

§. II.

Antequam tamen is status obtineretur, requirebatur, vt præcederet interior animarum, quæ Christi Fidem ex Gentilitate suscipiebant, Dedicatio, siue Sanctificatio, ad eum planè modum, quem ipse Saluator, Ioan. cap. 14. v. 23. *Si quis diligit me*, &c. & S. Ioan. Apoc. c. 7. v. 3. *quoad vsque signemus seruos Dei nostri*, &c. expresserunt. B

Vtriusque huius Dedicationis S. Dauid ita hic meminit, vt hæc posterior sit prior, & magis præcipua, & antecedens aliam, & ad eam reducuntur omnes Psalmi sequentes, vsque ad quadragesimum quartum exclusiuè, vt patebit; nam Psalmus 44. item Psal. 45. 46. & maximè 47. pertinent ad Dedicationem illam iam obtenta pace Ecclesiæ. His ita positis.

Postea quam S Dauid priori Psalmo ad *consummationem Tabernaculi* fuit hortatus, & tam multiplices, atque admirandos in Gentilium Conuersione Sanctissimi Spiritus opera patrandos effectus prænunciauit; hoc Psalmo futuram, & subsecuturam etiam aliquando *Domus Dauid*, Christi Regis Nostri *Dedicationem* exoptat, prædicit, ac præcinit, eamque cum iucunditate cantari vult, dum vocat *Psalmum Cantici*, quod scil. Psalmum hunc præcedere deberet sonus instrumenti. C

Hæc expositio, & Argumenti huius positio concordat cum illa eorum Patrum, quos citat P. Lorinus, scil. Diui Basilij, Augustini, Hieronymi, & ferè Latinorum cæterorum, quatenus volunt hanc *Dedicationem* mysticè sumi debere, de Christo, & Corpore eius, quod est Ecclesia, eò quod non legatur, Dauid fabricauisse, vel dedicauisse aliquam domum Domino. D

§. III.

Cæterùm in eo, quod additur; quod sicut in priore Psalmo actum est de Ecclesia sub ratione Tabernaculi, hoc est secundùm præsentem statum, quando in ea militatur, & obitur peregrinatio; sic in isto Psalmo agi de eadem secundum futurum, quando in ea quiescetur, sicut in domo: hoc, inquam, quod additur, sensu quidem anagogico dici non repugnat; verùm literali cohærere cum antecedentibus non potest; neque eos SS. PP. id voluisse asserere, certò nobis persuadere possumus, quandoquidem si S. Dauid, vt suo loco constabit, Psalmum 133. quo ad *benedicendum Dominum* inuitat *omnes seruos Domini, qui stant in domo Domini*, ad literam intellexit de militante Christi Ecclesia; multò magis hoc Psalmo non Dedicationem Resurrectionis futuræ in Cælo; sed primò quidem illam primam per Fidei, Gratiæ, & Crucis Christi susceptionem; deinde illam aliam, quæ in publico tranquillo Ecclesiæ statu, & cultu Diuino consisteret, vt dictum est, expressit. E F

§. IV.

Et certè S. Dauid id semper in suis Psalmis spectat, vt ijsdem rebus, quas connexissimas semper, & præuidebat, & præcinendo prophetabat insistendo, easdem non dissimili ordine, & connexione vnitas proponat, & ab obscurioribus, &

A & magis vniuersalibus ad semper clariora, & magis particularia progrediatur, quod & admirabili prorsus sapientia, & ordine præstat.

Deinde, cum omnia, quæ hoc Psalmo dicuntur, maxima verborum proprietate Ecclesiæ Militanti sic explicatæ conueniant, non est cur ad Triumphantem, nisi anagogicè, transferantur, vel ea Sanctum Prophetam ex sua primaria intentione transferre voluisse dicamus.

Quod verò P. Emmanuel Sà notat in Titulo, ly *Dauid* non cum *Domus*, sed cum *Cantici* iungendum; id licet velit firmari lectione Chaldaica, quia tamen non est B iuxta vulgatam, admittendum non est, sed standum cum Titulo, quem illa proponit, præsertim cum mysterijs, vt vidimus, fœcundus sit, & tam multa hoc Psalmo recondita esse indicet.

His præmissis, & obseruatis, erat certè perquàm consentaneum, vt Ecclesia Christi ex Gentibus collecta, & ad illum sensim proficiens statum, in eiusmodi voces prorumperet, *Exaltabo te Domine*, &c.

C PSALMVS XXIX.

V. 2. Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: benè ait, se susceptam, quatenus ex Gentibus collecta fuit; cuius susceptionis intuitu ex eo misero statu intelligenda sunt etiam reliqua, scil. nec delectasti inimicos meos super me.

D Item & v. 3. & 4.

V. 3. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.

V. 4. Domine eduxisti ab inferno animam E meam; intelligenda non solùm mors, & sepulchrum, sed etiam ipse infernus; nam iam lata sententia est ab ipso Iudice viuorum, & mortuorum Christo Dei Filio. Ioan. 3. v. 18. *qui non credit iam iudicatus est*. & Marci vltimo v. 16. *qui non crediderit, condemnabitur*. tantum ergo bonum agnoscit, & deprędicat; saluasti me à descendentibus in lacum. Ob id ipsum bonum, & beneficium ad gratitudinem inuitat, eos qui è statu, & è tenebris peccatorum extracti in admirabile Fidei lumen perducti sunt;

F V. 5. Psallite Domino Sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius. grati estote, & ipsum laudate, quod dignatus fuerit vos sanctificare. *Sanctitas* ergo *eius* hìc intelligitur, non qua ipse Dominus Sanctus est; sed qua fideles suos, quos vocauit, Sanctos fecit. hoc tam ex prioribus patet, quia fideles ad gratitudinem ob sanctitatem perceptam

inuitat, quàm sequenti versu, dum causam reddens propter quam laudandus, & A
benedicendus Dominus, ait,

V. 6. Quoniam ira in indignatione eius:

idest peccata, quæ sunt causa iræ, vindictæ, pœnæ, & gehennæ, odit Dominus; *odio* enim *sunt Deo impius, & impietas eius*. Prouerb. c. 14. v. 9. **& vita in voluntate eius.** idest non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Propterea tristitia quidem aliqua intercedit, dum quæ prius placebant mala relinquentes, con- B
uertimur ad pœnitentiam; sed bona hæc, & ***secundùm Deum tristitia est, quæ pænitentiam in salutem stabilem operatur***, 2. Cor. 7. 10. & sic

Ad vesperum intelligi potest tempus, quo, qui prius sectati fuerant idola, ad Deum tandem conuersi cum serò iam esset, **demorabitur fletus: & ad matutinū lætitia.** Quam quidem lætitiam, licet serò conuersis ad se, & pœnitentibus, tantam, &
tam magnam infundere solet, vt cuiusque eorum nomine dicat Ecclesia; C

V. 7. Ego autem dixi in abundantia mea:

Non mouebor in æternum. benè mihi; iam viuo, iam sto, iam cor meū plenè conquiescit, iam

V. 8. Domine in voluntate tua; tam bona, tam munifica, & tam benigna erga me; **præstitisti decori meo,** animæ meæ iam per fidem, & pœnitentiam à peccatorum sordibus D
elutæ; **virtutem;** robur, & fortitudinem, vt nihil paueat, nihil formidet. Verùm hæc tunc tantùm in me sentio, dum benignitas tua, Domine, me erigit, & consolatur; nam mox, vt

Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Hoc loco S. Dauid in persona Ecclesiæ ostendere incipit id, quod Psalmo etiam sequenti prosecuturus est; scilicet, ita Dominum sese benignum, atque fauentem exhibuisse primis illis fideli- E
bus suis, qui passim vbique ad Fidem conuertebantur, & in Ecclesiam intrabant; vt nihilominus eos ipsos exponeret acerbissimis persecutionibus, quæ varia vicissitudine, modicissimis aliquibus prosperitatis spatijs interiectis, subinde, & sępius suscitabantur in Ecclesiam, vt ex Ecclesiasticis Historijs manifestum est. Id quod D. Petrus constitutus à Domino Ecclesiæ Summus Pastor, iam inde ab eius exordijs euenturum præmonebat, 1. suæ Ep. c. 4. 17. ***quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à Domo Dei.***

De his ipsis ergo S. Dauid intelligendus est; ***auertisti***, &c. verum licet ***factus sim*** F
conturbatus; tanta enim erat persecutionum immanitas, tam exquisita in tormentis crudelitas, tam insatiabilis Christiani sanguinis effundendi sitis erat in persecutoribus, tortoribus, carnificibus, & tyrannis, vt vi sua fragili naturæ humanæ conturbationem aliquam non posset non inferre; verùm, vt dixi, in illa positus non deficiam;

V. 9. Ad

A V. 9. Ad te Domine clamabo: & ad Deũ meum deprecabor. Huius soliciti ad ipsum recursus, & præsentissimę eius opis, & auxilij summa mihi necessitas est; nam aliàs præualerent omninò persecutores, & vincerent. Sed ò Deus (verba sunt affectuosissima Ecclesiæ pro suis membris)

V. 10. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum

B descendo in corruptionem? nisi adiuuares, vel nisi opem tuleris. Si autem ego in corruptionem descendero, & in nihilum, vel in puluerem redactus fuero,

Numquid confitebitur tibi puluis; id est ille, qui fuerit planè victus, & prostratus ab hostibus suis, & in puluerem ab ijs redactus, prout ipsi facere cogitant, & moliuntur; numquid, inquam, si ipse in hunc statum redactus fuero, vt sim, vt puluis, & vt puluis

C conculcer, *confitebitur tibi puluis*, aut annunciabit veritatem tuam? id est poteritne prædicare, vel efferre laudibus fidem tuam, quam in promissis semper habes, & te habere hactenus semper demonstrasti? Potens hoc est, atque efficax ad impetrandum argumentum, Ecclesiæ nomine pro fidelibus suis prolatum; & hoc primariò S. Prophetam hìc intendisse dicere possumus; non autem deplorat, saltem primaria intentione, quod præualente peccato ipse fuerit à Deo derelictus; quia hoc connexio, & cohærentia non infert. Pergit ergo in eadem eiusdem Christi Ecclesiæ persona, & ait, se eius argumenti propo-

D sitione exauditum;

V. 11. Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.

V. 12. Conuertisti planctum meum in

E gaudium mihi: conscidisti saccum meum, ipsum luctum, pressuras, calamitates, & statum lugubrem, qui sacco, & sacci, seu cilicij indumento demonstratur, à me abstulisti; & circumdedisti me lætitia.

V. 13. Vt cantet tibi gloria mea, status ille felix, & pacatus, quem te adiuuante acquiram; & non compungar; non amplius tam vehementer affligar; Domi-

F ne Deus meus in æternum confitebor tibi. Id planè per omnia contigit Ecclesiæ Christi, quod hoc loco obiter insinuatur; id ipsum fusiùs infra ostendetur, maximè in Psalmis tertiæ Quinquagenæ. Nunc in proposita sibi materia pergens S. Dauid, quia ad hìc insinuatum lætitiæ statum peruenire Ecclesia Christi non poterat, nisi per maximas ærumnas, & persecutio-

nes, ficuti de his ipsis hactenus hoc Psalmo cæpit dicere, ita multò magis eandem A
materiam Psalmo sequente prosequitur, provt in ipso Psalmi eiusdem Argumento apparet.

PSALMVS XXX.

In te Domine speraui, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXX.

In finem, Psalmus Dauid, pro extasi. B



Via ad illum tranquillum Ecclesiæ Christi statum, & Dedicationem, de qua Psalmo priori est dictum, per maximas tribulationes, & angustias perueniendum erat; non solùm de ijs pressuris, ibi à versu 8. vsque ad 12. S. Dauid meminit, sed etiam totum hunc Psalmum de ijsdem sub illa inscriptione, *pro extasi*, proponit. C

Et quidem eas ærumnas, & calamitates enumerans, & describens S. Dauid, seu Christus nomine, & in persona Ecclesiæ suæ ait, eas fuisse tantas, & eò vsque excreuisse, vt penè (quod fieri tamen nequit) Ecclesiam suam Dominus quasi deseruisse videri posset; & hoc illud est, quod ait v. 23. *Ego autem dixi in excessu mentis mea, proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Verùm longè meliora dilectæ Christi Sponsæ Ecclesiæ fuisse speranda, & quidem ibi, vbi sæuissima quæque tolerabat, idest Romæ; iam tunc eius nomine, & voce canebat S. Dauid v. 22. *Benedictus Dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in Ciuitate munita*; quo Ciuitatis munitæ nomine sæpiùs vsurpando, non alia venit, quàm Roma. Sed antequam id fiat, v. 25. *Viriliter agite, &c.* diù, multùmque sudandum. D

Interea dum promissum illum mihi statum felicitatis, quo luctus mei *saccus conscindatur*, expecto, & necesse est aduersa pati,

PSALMVS XXX. E

V. 2. In te Domine speraui non confundar in æternum: spe frustratus; in iustitia tua qua promissa fidelissimè præstas, libera me.

V. 3. Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me. F

Esto mihi in Deum protectorem: & in domum

A mum refugij, vt saluum me facias.

V. 4. Quoniam fortitudo mea, & refugiũ meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, planè singularis Domini fuit presentia in Ecclesia sua deducenda inconcusso gressu inter tot aduersa; & enu-
B tries me.

V. 5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

C V. 6. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. Inter ipsas tribulationes, quas sustineo magna mihi consolatio est, quia cum sciam, quod

V. 7. Odisti obseruantes vanitates, colentes idola, & vana
D Mundi huius, superuacuè. absque vllo fructu, & spe remunerationis vllius.

Ego autem in Domino speraui; verè gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ; ob quam gloriamur etiam in tribulationibus, Deo enim innixus;

V. 8. exultabo, & lætabor in misericor-
E dia tua. multæ huius lætitiæ sunt causæ;

Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.

V. 9. Nec conclusisti me in manibus ini-
F mici; sæpè ita malis vndique cincta fuit Ecclesia, vt euadendi nulla esset humana spes: verùm Deo adiuuante, ita erepta, vt etiam dicere posset; statuisti in loco spatioso pedes meos. id quidẽ facies, dum quę in cryptis delitescere cogebar, in lucem per te educar, & campum per omnia mundi regna exspatiandi dabis; sed nunc quidem

V. 10.

V. 10. Miserere mei Domine, quoniam tribulor; à tam multis, qui me, meosque persequuntur, & certè tanta est eorum persequentium ira, furor, & odium, vt omninò conturbatus est in ira (etiam P. Emm. Sà hic *iram* persequentium intelligit) oculus meus, anima mea, & venter meus. idest illa persequentium ira omnes omninò Ecclesiæ partes peruadit, omnia eius membra contorquet; eos, qui in illa sunt Doctores, Magistri, Prædicatores tanquam *oculus*; eius Pastores, Rectores tanquam *anima*; & qui in ea infirmiores, & teneriores sunt virtute, ætate, & sexu tanquam *venter*.

Planè mihi certum, & indubitatum, est Sanctum Dauidem hoc Psalmo, atque etiam alijs infra explicandis hæc de Sanctis Ecclesiæ Martyribus dixisse, & veluti primum omnium ipsorum acerbissimas pœnas, & tormenta, mortes, & triumphos celebrare voluisse; quæ omnia postmodum omnis passim omnium ætatum, & sæculorum Historia Ecclesiastica, atque etiam profana fusiùs, & ad omnium sæculorum stuporem propter plurima in ijs, quæ prorsus admiranda contigerunt, enarrauit. pergit ergo de hac ipsa re;

V. 11. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Ad ipsa tria sæcula, & amplius (nam post Constantinum Magnum, quanta intulére mala Ariani!) protractæ, productæque fuerunt Persecutiones in Ecclesiam, & idcircò etiam

Infirmata est in paupertate (idest in tali, & tam diuturna, & cõtinuata calamitate) virtus mea, & ossa mea, etiam id quod robustissimum in me erat; & qui aliorum Pastores erant, Magistri, Patres, Sacerdotes etiam conturbata sunt. imò in eos maximè desæuiebant persecutionum impetus, & procellæ, & ipsi erant, qui primi è medio tollebantur.

V. 12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde: & timor notis meis. Erat planè inuisum vbique, & infaustum Christianorum nomen, & vt D. Paulus 1. ad Cor. 15. v. 19. spectatis ijs tantùm, quæ in hac vita sunt, & patiebantur Christiani, *miserabiliores erant omnibus hominibus*. sic etiam intelligendi v. seqq.

Qui videbant me foras fugerunt à me:

V. 13. obliuioni datus sum, tamquã mortuus à corde.

A Factus sum tanquam vas perditum:

V. 14. quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. Concordat per omnia S. Paulus, 1. Cor. 4. 9. & 13. *tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus, omnium peripsema*; id est, pannus sordes tergens; & quidam reiectamentum vertunt, ait B P. Emm. Sà. *multorum* ergo, & omnium commorantium in circuitu Principum, & Regum pro Idolis suis decertantium *vituperationem* de me, & contra me *audiui*, qui toti in eo erant, & quorum consilia, conatus, & studia eò ferebantur; vt me penitus è Mundo excinderent, & abolerent; ne per me Idololatrica eorum superstitio, & impietas excinderetur, & aboleretur; hinc omninò, & hac vna de causa ipsi

In eo dum conuenirent simul aduersum C me, accipere animam meam consiliati sunt. Sic illi quidem,

V. 15. Ego autem in te speraui Domine: dixi, Deus meus es tu,

D V. 16. in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. institi postulando,

V. 17. Illustra faciem tuam super seruum E tuum, saluum me fac in misericordia tua.

V. 18. Domine non confundar, mihi certa est spes, quoniam inuocaui te. Idem non ego, sed potius

Erubescant impij, & deducantur in inferF num: ipsi erubescent, & deducentur in infernum; in nihilum, in mortem, & etiam in ipsum ignem inferni, si in impietate permanserint. ipsorum

V. 19. muta fiant labia dolosa. Victa omnis ipsorũ sapientia, & prudẽtia carnis obmutescet,

Quæ, modo, loquuntur aduersus iustum ini-

qui-

V. 10. Miserere mei Domine, quoniam A
tribulor; à tam multis, qui me, meosque persequuntur, & certè tanta est eorum persequentium ira, furor, & odium, vt omninò
conturbatus est in ira (etiam P. Emm. Sà hic *iram* persequentium intelligit) oculus
meus, anima mea, & venter meus. idest illa persequentium ira omnes omninò Ecclesiæ partes peruadit, omnia eius membra contorquet; eos, B
qui in illa sunt Doctores, Magistri, Prædicatores tanquam *oculus*; eius Pastores, Rectores tanquam *anima*; & qui in ea infirmiores, & teneriores sunt virtute, ætate, & sexu tanquam *venter*.

Planè mihi certum, & indubitatum, est Sanctum Dauidem hoc Psalmo, atque etiam alijs infra explicandis hæc de Sanctis Ecclesiæ Martyribus dixisse, & veluti primum omnium ipsorum acerbissimas pœnas, & tormenta, mortes, & triumphos celebrare voluisse; quæ omnia postmodum omnis passim omnium ætatum, & sæculorum Historia Ecclesiastica, atque etiam profana fusiùs, & ad omnium C
sæculorum stuporem propter plurima in ijs, quæ prorsus admiranda contigerunt, enarrauit. pergit ergo de hac ipsa re;

V. 11. Quoniam defecit in dolore vita
mea, & anni mei in gemitibus. Ad ipsa tria sæcula, & amplius (nam post Constantinum Magnum, quanta intulére mala Ariani!) protractæ, productæque fuerunt Persecutiones in Ecclesiam, & idcircò etiam D

Infirmata est in paupertate (idest in tali, & tam diuturna, & cõtinuata calamitate)
virtus mea, & ossa mea, etiam id quod robustissimum in me erat; & qui aliorum Pastores erant, Magistri, Patres, Sacerdotes etiam conturbata sunt. imò in eos maximè desæuiebant persecutionum impetus, & procellæ, & ipsi erant, qui primi è medio tollebantur.

V. 12. Super omnes inimicos meos factus E
sum opprobrium, & vicinis meis valde: &
timor notis meis. Erat planè inuisum vbique, & infaustum Christianorum nomen, & vt D. Paulus 1. ad Cor. 15. v. 19. spectatis ijs tantùm, quæ in hac vita sunt, & patiebantur Christiani, *miserabiliores erant omnibus hominibus*. sic etiam intelligendi v. seqq.

Qui videbant me foras fugerunt à me: F

V. 13. obliuioni datus sum, tamquã mortuus à corde.

V. 14.

A Factus sum tanquam vas perditum:

V. 14. quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. Concordat per omnia S. Paulus, 1. Cor. 4. 9. & 13. *tanquam purgamenta huius Mundi facti sumus, omnium peripsema*; id est, pannus sordes tergens; & quidam reiectamentum vertunt, ait
B P. Emm. Sà. ***multorum*** ergo, & omnium commorantium in circuitu Principum, & Regum pro Idolis suis decertantium ***vituperationem*** de me, & contra me ***audiui***, qui toti in eo erant, & quorum consilia, conatus, & studia eò ferebantur; vt me penitus è Mundo excinderent, & abolerent; ne per me Idololatrica eorum superstitio, & impietas excinderetur, & aboleretur; hinc omninò, & hac vna de causa ipsi

In eo dum conuenirent simul aduersum
C me, accipere animam meam consiliati sunt. Sic illi quidem,

V. 15. Ego autem in te speraui Domine: dixi, Deus meus es tu,

D V. 16. in manibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. institi postulando,

V. 17. Illustra faciem tuam super seruum
E tuum, saluum me fac in misericordia tua.

V. 18. Domine non confundar, mihi certa est spes, quoniam inuocaui te. Idem non ego, sed potius

Erubescant impij, & deducantur in infer-
F num: ipsi erubescent, & deducentur in infernum; in nihilum, in mortem, & etiam in ipsum ignem inferni, si in impietate permanserint. ipsorum

V. 19. muta fiant labia dolosa. Victa omnis ipsorū sapientia, & prudētia carnis obmutescet,

Quæ, modo, loquuntur aduersus iustum ini-

qui-

quitatem: in superbia, & in abusione; idest contemptu; cum quo contemptu superbi loqui solent. Sic quidem tu Domine mirabiliter operari cum seruis tuis soles: & certè (experientia ipsa loquor) A

V. 20. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti, reposuisti, seu repositam, conseruas, & præbes, timentibus te! B

Perfecisti, exhibuisti, & exhibere eam soles eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum, dum vndique cincti angustijs, & aduersis, destituti omni auxilio humano, animum tamen non despondent, aut fiduciam in te non deponunt, aut perdunt. Tu, quia benignus es, ò Deus, eos, qui eiusmodi sunt,

V. 21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. C

Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Sic planè (affectuosissima est Ecclesiæ ita potenter à Deo adiutæ, & è tantis persecutionibus erutæ exclamatio) D

V. 22. Benedictus Dominus: quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitatē munita. In ipsa Vrbe Roma, vbi tanta passa fuit, & adeò depressa, & conculcata Ecclesia, postea tam sublimiter exaltata, illum suum abiectionis, & conculcationis statum recolit, quando

V. 23. Ego autem dixi in excessu mentis meę: P. Emm. Sà benè ait, ly *in excessu* significare stuporem mentis perculsæ tot malis, & velut extra se positæ. In illis ergo meis tam asperis, acerbis, & terrificis calamitatibus, quæ me, meosque omnes ita conturbauerant, vt penè possent mihi persuadere, tibi, ò Domine, nullam amplius de me curam esse, & solicitudinem, meq; ad ingemiscendum, & exclamandum valerent compellere, E

Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Atque ideo, quia tui amore ad hæc tanta mala deueneram; F

Ideò exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. quid ergo ex his omnibus sequitur? pulcherrima prorsus conclusio, quæ & eos, qui patiuntur persecutio-

A cutiones, & tribulationes consoletur; & quæ eas inferentes terreat.

V. 24. Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

B V. 25. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino.

PSALMVS XXXI.

C

Beati quorum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXI.

Ipsi Dauid intellectus.



Icuti supra Psalmo 29. §.2. dictum est, Psalmos interiectos ab illo 29. vsque ad 44. exclusiuè pertinere ad interiorem Ecclesiæ Christi Dedicationem, siue sanctificationem, ita hic Psalmus,
D vel maximè, dicti veritatem ostendit. Nam quia ad auditam Fidei prædicationem in Christi Ecclesiam recipiebant se se, qui ab Idolis, & peccatis conuertebantur ad benignissimum Creatorem, & Redemptorem animarum, cum *omnes peccassent, & egerent gloria Dei*, Rom.c.3.v.23. hoc Psalmo S. Dauid omnibus in mentem reuocat eximij huius beneficij agnitionem, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.*

Deinde, quia seipsum in numero peccatorum recenset, etiam ipsum Psalmum inscribit, *Ipsi Dauid intellectus:* quia scilicet vult intelligi, eum Psalmum sicut
E peccatoribus omnibus quadrat; ita de se quoque dictum esse, sibique etiam ipsi eum conuenire.

Hunc esse huius Psalmi sensum, & hoc eius Argumentum, fusè, & ferè toto ad Rom.cap.4. Apostolus docet.

Beneficium ingens veniæ obtentæ, & gratiæ declaratur v.1. & 2.

Modus expeditus, & facilis eam obtinendi; item & conscientiæ malæ vermis, & aculeus, ostenditur v.3.4.5.6.

Studium mortificationis, quo gratiam conseruare oportet, commendatur
F vers.8. & 9.

Gaudium, quod hæc omnia consequitur v.11.

Hæc omnia tanta bona continet hic Psalmus: quomodo autem, & quos errores ex illo malè intellecto colligant Hæretici, multa passim Theologi, & Controuertistæ.

Itaque expeditis ijs, quæ ad Dedicationem Domus Domini, præuiam illi solen-

ni, & publicæ, pertinebant, vt erant conuersio ad pœnitentiam, & tribulationum, A
seu persecutionum tolerantia; de quibus prioribus duobus Psalmis egit S. Dauid: nunc hoc Psalmo totus in eo est, vt (sicut dictum est) ijs, qui perseuerant, & egentes gratia, seu gloria Dei, illam obtinuerant, proponat eximium beneficium remissionis peccatorum. Igitur ait;

PSALMVS XXXI.

V. 1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. B

V. 2. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. C

His duobus Versibus S. Dauid ostendit beneficium ingens veniæ à Deo obtentæ, gratiæ, & iustificationis. Neque verò provt malè hæretici interpretantur, ita tecta peccata sunt, vt maneant; sed, vt emplastro apposito sanata sint, & abolita, vt neque cicatrix appareat, neque næuus supersit. quod ergo plenè Dominus aboleuit per gratiam, ***non imputauit*** homini, vt puniret.

Multa passim apud Interpretes hic dicuntur ad confutandos hæreticos; verùm satis eos redarguit, & manifestè nihil eos ex his Psalmi versibus pro suis erroribus D posse eruere conuincit S. Paulus ad Rom. c.4. illa verba allegans, dum ostendit, Abrahamum non ex operibus legis, sed per fidem (quæ tamen per charitatem operabatur) iustificatum fuisse. nam dicit Scriptura, Gen. 15.b.6. ***Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam***; ideſt per illam fidem iustificatus est: deinde subiungit, ***credenti in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundùm propositum gratiæ Dei.*** ideſt secundùm quod Deus proposuit dare gratiam iustificationis credenti. Deinde hæc ipsa confirmat per ea, quæ S. Dauid hìc dicit, & ait, ***Sicut & Dauid dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati quorum &c.*** quæ D. Pauli verba sic explicantur, & optimè à P. Emm. Sà, quod scil. ***Beatum*** hominem S. Dauid illum vocet, cui Deus accepto fert iustitiam, ideſt, quem pro iusto habet, scilicet iustificans prius, nec enim pro iusto, Deus habet eum, qui iustus non est. Ex quo etiam explicatur id, quod versu secundo dicitur; ***Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum***; non imputauit, quia remisit iustificando eum. Hæc pauca ad explicationem textus sint satis: plura de controuersis, & Scholasticis apud alios. Hoc solùm notandum est, quod valdè significanter dicat S. Dauid; ***nec est in spiritu eius dolus***. Deinde in fine addat; ***gloriamini omnes recti corde***; & rursus Psal. sequenti, ***rectos decet collaudatio***; quibus, & similibus verbis expressit illam Christianorum simplicitatem, qua tanquam modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo inter se, & cum alijs agebant, simplices filij Dei.

Præmisso, quod beneficium ingens esset hæc per gratiam obtenta iustificatio, ad

A ad modum, & medium facile, & expeditum, quo illa acquisita fuit declarandum, descendit.

V. 3. Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: sensus est (& pœnitentis cuiusque viam, seu progressum ad iustificationem commonstrat) Dum in tenebris errorum, infidelitatis, seu peccatorum meorum sederem, illa non confitens, neque detestans, atterebantur, & consumebantur vires meæ, quod est, *inueterauerunt ossa mea*: dum, inquam, silerem sic, & in malis meis quiescerem, cum tamen quies nulla mihi esset; verùm è contrario potius corrodente conscientiam meam verme, & perturbantibus, atque affligentibus, & flagellantibus animā meam ipsis peccatis, & sceleribus meis, dum clamarem tota die. Et verè ob illa ipsa dolens, & gemens clamabam, & quidni clamarē?

V. 4. Quoniam die, ac nocte grauata est super me manus tua; illuminando animam meam per gratiam tuam, & ostendendo illius graues abominationes; *grauata fuit manus Domini die, ac nocte*, non concedendo requiem; planè misericors ira Dei; manus eius percutiens, & sanans, quæ statum suum peccatori ostendit, vt ab eo illum extrahat: sic omninò conuersus sum ad te in ærumna mea, de statu illo misero, ærumnoso, & infelici, dum configitur spina, aculeus conscientiæ, seu peccatum mentem crucians. Atque ita his salutaribus adactis stimulis; licet tibi Deo meo cordium scrutatori nihil esset, vel esse in me posset occultum; tamen iam pœnitendo, & detestando,

V. 5. Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi. Et vbi primum forti, & generosa animi resolutione statui; &

E Dixi: Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: tam ipse benignus, & misericors es; & tu remisisti impietatem peccati mei. grande donum tuum hæc est remissio peccati! vt de inimicis fieremus per gratiam tuam Filij, & hæredes: meritò ergo pro hac tanta gratia, & dono

F V. 6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. orabit quando, vt nunc est tempus acceptabile, quando sunt dies salutis, vt erant in prædicatione Euangelij, & nunc sunt. Qui sic fecerit, certè ipse te protegente liberabitur à maximis calamitatibus, & pœnis, quæ impendent peccatoribus, & à quibus impœnitentes, tanquam à vehementibus quibusdam diluuij

aquis absorbendi, & perdendi sunt; & hoc est, quod dicitur, A

Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Dixeram, quod te Domine protegente, ad me, & ad quemuis sanctum tuum sic sibi per pœnitentiam prospicientem illæ aquarum inundationes non approximabunt; quia verè

V. 7. Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circundedit me: B planè miser est, imbecillis, infirmus, multis tentationibus expositus, viæ, & vitæ spiritualis inexpertus, circundatus infirmitate, multis passionibus, & inordinatis affectibus subiectus, qui recenter ad Deum se se conuertit; necesse planè illi est, *Dominum habere refugium suum*, & ad ipsum absque cessatione clamare; exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Neque verò deest eiusmodi homini pœnitenti, & conuerso promptissimum Dei C auxilium; nam promittit Dominus, siue S. Propheta Dauid in persona Domini Iesu, vel eius Ecclesiæ, provt etiam priori Psalmo locutus fuerat,

V. 8. Intellectum tibi dabo, lumine, & discretione opus est; & instruam te in via hac, qua gradieris: si Domini desit instructio, nulla humana prudentia sufficit ad vitandá pericula: planè tanquam super paruulos, ne labamur, & lædamur; ait, firmabo super te oculos meos. Hoc; quod D in me est, ipse vobis præstabo, ait Dominus; quod verò cooperationem vestram cum gratia mea concernit, Passionum mortificatio, diligens, accurata, & feruens vobis necessaria est; propterea,

V. 9. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. E

In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te: hic ly *qui non*, vt benè P. Em. Sà notat, accipitur pro *ne*: & etiam Chal. habet, *ne accedant ad te*. Sensus ergo est; quod brutis illis, lasciuis, & petulcis animalibus facimus, quorum maxillas camo, & fræno constringimus, vt nobis parcant, & ne nos lędant; id ipsum faciendum est cum nostris passionibus inordinatis. F

Neque verò propter hanc continuam luctam, & assiduum bellum, quod secum ipsi serui mei gerunt, insuauem, & iniucundam esse eorum vitam arbitreris; & è contra optabilem, & amplectendam hominum peccatorum, qui post suos appetitus, & carnis desideria abeunt, illaque effrenatè sectantur; nam & præsentia, & futura planè sunt

V. 10.

A V. 10. Multa flagella peccatoris, qui dum non sapit, neque corrigitur præsentibus pœnis, & aduersitatibus ipsi ad vitæ emendationem immissis, tandem in iustitiæ Dei viuentis manus, quod horrendum est, incidit: sperantem autem in Domino, Dei seruum, licet hic varijs sæpè afflictum; misericordia circumdabit; vt nulla via, nulla ex parte cadat, & pereat.

B Quod ergo initio dixeram, *Beatos esse quorum remissa sunt iniquitates*, &c. id omninò repeto,

V. 11. Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Verùm cum longè maior S. Prophetæ esset seges exultandi, & gratulandi Iustis, qui in Ecclesiam maximo numero confluxerant: extremis huius Psalmi verbis initium facit benè longo,
C & pleno exultatione Psalmo 32.

PSALMVS XXXII.

Exultate iusti, &c.

D Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXII.

Psalmus David.



AD sic, vt dictum est Psalmo priori, per Euangelij Prædicationem vocatos ad Fidem, & Diuina gratia emundatos Christi fideles est hic totus gratulatorius *Psalmus David*, & inuitatorius ad lætitiam, & gaudium, cum quo præcedens Psalmus terminatus fuerat. Sed in hoc Psalmo causas etiam efficacissimas exultationis illius, & gaudij
E enumerat; quod Dominus fidelissimus stet promissis v. 4. & 5. quod Apostolos suos, & Fidei suæ Prædicatores tanta gratia munierit v. 6. quod tam abundantem, & vberem dederit animarum conuersionem v. 7. 8. & 9. Quod consilijs suis per omnia stabilitis *dissipauerit consilia Gentium*, &c. v. 10.

Ex quibus meritò in illas exclamationes erumpit v. 12. *Beata gens*, &c. & reliquas vsque ad finem. Itaque

F # PSALMVS XXXII.

Exultate iusti, de his enim priori Psalmo, imò, & alijs scil. 29. & 30. egerat; & æquum erat, vt posteaquam exposuisset, quænam, & quanta ijs sustinenda essent, siue à Persecutoribus, & externis inferenda, siue in propriarum passionum mortificatione, & Christianæ vitæ di-

disciplina toleranda forent, eos iam ad lætitiam hortaretur, & simul ijs explicaret, longè maius esse gaudiorum, quàm tribulationum pondus, etiam pro hac ipsa vita; *exultate* ergo *iusti* in Domino: rectos decet collaudatio. A

Dominus sicut in simplicitate cordis vult quæri, Sap. 1. ita à rectis, & simplicibus laudari amat, vt supra notatum Psalmo priori ad finem versus secundi, & sanè iusti, & recti, qui estis

V. 2. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi. B

V. 3. Cantate ei canticum nouum: hoc loco S. Dauid inuitat ad canticum nouum Deo decantandum, illud scilicet solennissimum, quod obtenta publica pace, postmodum Ecclesia erat institutura publico, & palàm proposito vbique Dei cultu: de quo postea fusiùs, & expressiùs, imo, & frequentiùs aget in tertio Psalmorum quinquagenario. hìc interim satis habet, illud insinuare, & desiderium, quod de illo habebat; atque sic ad lætitiam hortari eos ipsos Christianos, qui temporibus illis non vsq; adeò, & per omnia lætis, & prosperis in Ecclesia viuebant. Itaque nihil obstantibus persecutionum turbinibus, quos tanta serenitas, & tranquillitas est exceptura, *Cantate ei*, &c. C

benè psallite ei in vociferatione. plena animi, & vocis alacritate. Iam ad causas gaudij progreditur, quarum prima est, quod fideles sit, seque fidelissimum exhibuerit Dominus in omnibus verbis, & promissis suis. D

V. 4. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. idest in veritate, seu fidelitate, recta, & fidelia. Nam ipse misericordissimus cum sit, & consequenter ad benefaciendum pronissimus, & paratissimus; etiam quod iustum est, & in quo se ipsum promittendo obligauit, exequitur penitissimè.

V. 5. Diligite misericordiam, & iudicium: E

Vnde sicut salutem se daturum omnibus gentibus promisit; sic modo misericordia Domini plena est terra. Vt autem hac eius misericordia repleretur terra, ipse effecit, dum Sanctos Apostolos suos in Mundum vniuersum, indutos virtute ex alto, misit. nam

V. 6. Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. F

Ex primaria S. Dauidis intentione, vt ex consequente connexione constat, est hic sermó de S. Apostolis, quos supra etiam Psal. 18. cælorum nomine appellauit phrasi in Isaia, vt videbimus, vsitata. Iam sicut illos pulcherrimo cælorum symbolo expressit; ita statim sequenti ver-

A versu illam Populorum, & Gentium, quam per Fidei Prædicationem fecerunt collectionem non minus apta congregatarum in vtrem aquarum maris, & repositarum abyssorum in angustia receptacula similitudine expressit;

V. 7. Congregans sicut in vtre aquas maris; ponens in thesauris abyssos. Certè qui accuratè perpenderit, primis Ecclesiæ temporibus tam multas, numerosas, varias nationes, & populos fuisse eius gre-
B mio exceptos, & ab ea nondum fruente pace auxilio, & protectione Imperatorum, Principum, & Primatum Mundi huius, sed è contrario potius ab ijs ferro, igne, sanguine, tormentis, & cædibus innumeris vexatam; & his nihil obstantibus, qui viderit (quod Ecclesiæ Historiæ sub oculos ponunt) ab eadem Christi Ecclesia eosdem populos fuisse in fide instructos, protectos, quinimò, & propagatos, dum sanguis Martyrum semen esset Christianorum, fatebitur omninò elegantissima id totum similitudine, ***aquarum maris tanquam in vtrem*** (quo tenuitas, paupertas, infirmitas Ecclesiæ primitiuæ ostenditur) vnum ***congregatarum fuisse***
C expressum. Quod ipsum etiam, ***abyssi, posita*** in receptacula angusta, & non ita spatiosa, & vasta, indicant. Planè res hæc est Dei opus tantum, tamque admirabile, vt meritò S. Dauid exclamet,

V. 8. Timeat Dominum omnis terra; ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes
D orbem. quod & factum est, ab eo ipso id totum perfectum; non enim hæc Mundi conuersio, hæc tantarum aquarum, & abyssorum, populorum maximorum congregatio ab alia vlla, præterquam à Diuina eius virtute perfici poterat. Sed hæc facta,

V. 9. Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Constat ex antecedentibus id ad literam hunc versum dicere; atque eo ipso versu significari, illud ipsum Opus Conuersionis Mundi ad
E Fidem prorsus in nullo inferius fuisse opere Creationis Mundi huius materialis. Quando ergo perfecit illud, & veluti creauit omnipotens manus Domini, victis, prostratis, & è medio sublatis maximis obstaculis, quæ ei exequendo interponebantur, contradicentibus vbique, & aduersantibus Mundi Regibus, & Principibus, & infandorum Deorum suorum cultum propugnantibus, iure, & cum eximio animorum nostrorum gaudio dicatur;

V. 10. Dominus dissipat consilia gentium:
F reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. cum ijs, quę sequuntur.

V. 11. Consilium autem Domini in æter-

num manet: cogitationes cordis eius in generatione, & generationem. vide dicta supra Psal. 19. v. 5. quæ confirmant, hic esse sermonem iam ibi expositum; & viciſſim hinc illa confirmantur. A

Qui ergo pro Deo habet tantum Dominum, qui sic potenter attingit à fine vſque in finem ita operando ea, quæ ſtatuerit, vt nullus ei obex in executione iniijci poſſit;

V. 12. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius: populus, quem elegit in hereditatem ſibi. Beatus planè, qui tantum Dominum poſſidet, & qui à tanto Domino poſſidetur. B

In hac tam gratuita Dei in vocandis ad fidem, & iuſtificandis, ſibique in populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum emundandis Gentibus, planè immenſa elucet eiuſdem benignitas, & miſericordia; & hoc ipſum eſt illud optatiſſimum tempus, quo benigniſſimo planè oculo C

V. 13. De cælo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum. in quos exerceret miſericordiam ſuam, prout etiam Beatiſſima Virgo, Dei, ac Domini Noſtri Mater, in cuius Viſitatione, hæc noto, prophetabat aduenisse *miſericordiam eius à progenie in progenies*, ipſumq. Dominũ *ſuſcepiſſe Iſrael* (Iſraelem, qui erat ſecundùm repromiſſionem colligendus maxime è Gentibus) *puerum ſuum, recordatum miſericordiæ ſuæ*. Luc. 2. planè is ipſe miſericors Deus D

V. 14. De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram. *Super omnes*; quia, quæ olim Iudæis conferebatur, & ſeruabatur gratia, in omnes nationes diffuſa eſt, miſſis in Mundum vniuerſum Apoſtolis. Hoc ipſe fecit, qui nouit figmentum ſuum Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, E

V. 15. Qui finxit ſigillatim corda eorum; qui intelligi omnia opera eorum. & ſcit, quia ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia.

Statuit ergo abſque perſonarum diſcretione auxilium omnibus præbere, & offerre ſalutem.

Ita quidem ipſe miſericordiſſimus omnium Pater conſtituit omnibus prodeſſe, & omnes ſaluare: cæterum ſi nos reflectamus ad eos, qui actu; & de præſenti in Eccleſiam eius conuenerunt, non multos nobiles, non multos potentes, non multos Mundi ſapientes conueniſſe reperimus; ſed quæ infirma ſunt Mundi, collecta, electaque animaduertemus. Planè obſtupeſcendum hoc ſalutis, & prædeſtinationis negotium, atque myſterium. Verè F

V. 16.

A V. 16. Non saluatur rex per multam virtutem: & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.

V. 17. Fallax equus ad salutem: in abun-
B dantia autem virtutis suæ non saluabitur. In sensu explicato intelligendos esse hos duos versus, comprobat sequens


V. 18. Ecce oculi Domini super metuentes eum (quod ipsum etiam gloriosissima Prophetissa nostra dicebat, *misericordiam eius* paratam *timentibus eum*) & in eis, qui
C sperant super misericordia eius.

V. 19. Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.

V. 20. Anima ergo nostra (congregatio illa iustorũ, seu S. Dauid in Ecclesiæ persona loquitur)
D sustinet Dominum: quoniam adiutor, & protector noster est.

V. 21. Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto eius sperauimus. Ita omninò;

V. 22. Fiat misericordia tua Domine su-
E per nos: quemadmodum sperauimus in te. quia tu solus spes nostra. Hinc progreditur ad Psalmum 33.



F

 A

PSALMVS XXXIII.

Benedicam Dominum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXIII. B

Dauidi, cum immutauit vultum suum coràm Achimelech, & dimisit eum, & abijt. 1.Reg.c.21.



D conciliandas inter se Patrum, & Expositorum sententias, horum pro Achimelech, illorum pro Abimelech nomine in Titulo posito decertantium, multa P.Lorinus in hunc Psalmum adducit. Proposito nostro connexionis, & breuitatis hoc sit satis; quod quidquid C de parte pro Abimelech stantium sit; quando S. Mater Ecclesia nobis proponit Achimelech, & indicat alludi ad 1.Reg. cap.21. standum vtique pro eo nomine, & illa Historia, quæ ibi narratur.

Quidnam autem sibi velit hic Titulus, & insinuatio illius Historiæ Dauidis fugientis, & profugi apud Achimelech Sacerdotem, obstupescentem illum eius statum veluti solitarium, & præter morem, & Tribuniciæ dignitatis gradum; *quare tu solus, & nullus est tecum?* Mihi, quod connexum, & consequens est (saluo meliori iudicio) videtur hic Titulus non aliud indicare, quàm quod supra D dictum est in Argumento Psalmi 29. quod scilicet, cùm Christi Ecclesia varias persecutionum, & felicium successuum vicissitudines passura esset, vsque dum ad tranquillum, atque imperturbatum statum perueniret, vt nihil esse ob id mirum, ea alternarum rerum vicissitudo præfigurata dudum fuisse ostenderetur, Psalmo huic de eadem tractanti Titulus fuit appositus, *Dauidi cum immutauit vultum suum coràm Achimelech*, &c.

Illud autem *immutasse vultum*, non tam consistebat in simulatione sermonis, quod scilicet, *sermo Regis vrgebat*, &c. quàm quod passiuè potius, quàm actiuè *immutauerit vultum*, idest fuerit immutatus, dum à summis fauoribus in summa odia E Regis Saul incurrit. Eius itaque, & maximè Sponsi sui exemplo Ecclesia, & quiuis in ea Christi fidelis se ipsum animat ad *benedicendum Domino in omni tempore*, &c. Et certè tam hactenus dicta de varietate, & successione rerum prosperarum cum aduersis, quibus Dominus voluit primitiuam suam Ecclesiam exercere, quàm reliqua omnia, quæ toto Psalmo dicuntur, hunc ipsum sensum Tituli faciunt, & Psalmi Argumentum.

Itaque ex tam paterna prouidentia, & protectione, quam Dominus semper F fidelibus suis exhibuit; dum eos & prosperis erexit, & aduersis exercuit lucro maximo ipsorum, & totius Ecclesiæ, ipsa ex his, quæ hactenus in se fuit experta, se ipsam confirmat in Domini sui obsequijs, & promptissima seruitute continuanda omni tempore; ad quod ipsum cunctos etiam fideles inuitat.

PSAL-

A

PSALMVS XXXIII.

V. 2. Benedicam Dominum in omni tempore; post iam visas rerum alternationes nihil consequentius dici poterat; semper laus eius in
B ore meo.

V. 3. In Domino laudabitur, gloriabitur, anima mea: audiant mansueti, & lætentur.

V. 4. Magnificate Dominum mecum; &
C exaltemus nomen eius in idipsum. Omnia hæc mirè concordant cum Beatissimæ Virginis Mariæ filiæ Dauid Cantico laudis, & magnificationis diuinæ, Luc. 2 *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Sic est magnificandus, & exaltandus, quia

V. 5. Exquisiui Dominum, & exaudiuit
D me; & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

V. 6. Accedite ergo, ad eum, non solùm credendo, seu per fidem, verùm etiam quacunque instante tribulatione accedite per orationem, & fiduciam, & illuminamini: statim aderit lumine diuinæ suæ consola-
E tionis, & auxilij; & facies vestræ non confundentur. Id verum esse, experimento nostro proprio constat; nam

V. 7. Iste pauper Cætus, scilicet, Christianorum, qui, vt dictum est, miserabiliores habebantur omnibus hominibus; & quoad externas calamitates, persecutiones, & ærumnas tales omninò erant; clamauit, & Dominus exaudiuit eum:
F & de omnibus tribulationibus eius saluauit eũ. Neque verò tantùm præteritam Domini Nostri, quam experti hactenus sumus, benignitatem, & protectionem agnoscere, & depredicare debemus; verùm etiam de futuro etiam deinceps paratissimo eius auxilio confidere; nam

V. 8. Immittet Angelus Domini, Grecè, castrametabitur, in

in circuitu timentium eum; & eripiet eos. siue castrorum metationem; siue circundationem; siue immissionem terroris, & gladij in hostes intelligamus; fortissima per omnia est defensio, & protectio. A
Licet ergo ex his omnibus deprehendere, & verò etiam
V. 9. Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus; sic etiam D. Petrus 1. c. 2. iubet fideles, *rationabile, sine dolo lac concupiscere, vt in eo*, ait, *crescatis in salutem: si tamen gustastis, quia dulcis est Dominus*, pergit; beatus vir, qui sperat in eo. B
V. 10. Timete Dominum omnes sancti sic Christiani, & ad Fidē conuersi vocabantur, eius; timorem filialem, & reuerentialem commendat: quoniam non est inopia timentibus eum. C
V. 11. Diuites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
V. 12. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. verba plena affectu, & quæ, vt dictum est, sunt maximè proportionata Ecclesiæ, sicut etiam reliqua omnia D
V. 13. Quis est homo, qui vult vitam; diligit dies videre bonos?
V. 14. Prohibe linguam tuam à malo; & labia tua ne loquantur dolum. sine coercitione linguæ omnis religio vana. E
V. 15. Diuerte à malo, & fac bonum; inquire pacem, & persequere eam.
V. 16. Oculi Domini super iustos; & aures eius in preces eorum. Prouidentia, & fauor. F
V. 17. Vultus autem Domini super facien-
tes

A tes mala; vt perdat de terra memoriam eorum. è contra, pœna, & punitio.

V. 18. Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus B eorum liberauit eos. Pergit in antitheſi iuſtorum, & peccatorum.

V. 19. Iuxta eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit. & equidem licet ſint

V. 20. Multæ tribulationes iuſtorum: tamẽ; & C de omnibus his liberabit eos Dominus.

V. 21. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur. Quando conſtat cõfracta fuiſſe tot Sanctorum, & confrigi adhuc oſſa; S. Dauid intelligit per oſſa, vel animi robur, & conſtantiam mentis eorum, vt P. Lorinus; vel viros Eccleſiaſticos, aliosque D Eccleſiæ Paſtores, Prædicatores, & Operarios, qui tanquam oſſa portant alia Eccleſiæ membra; pleni ſunt medulla charitatis; in carne ſunt ſine carne; albi propter caſtitatis profeſſionem; quę eſt explicatio Hugonis Cardinalis. Planè conſentiens cum dictis Iſaiæ c. 38. v. 13. hæc eſt explicatio. Similiter explicans S. Greg. Homilia 18. in Ezechielem; ait; *Per oſſa potentes ſæculi, per carnes verò populi deſignantur; quia ſicut carnes portantur oſſibus, ita per potentes ſæculi infirmitas regitur populorum.*

Quod igitur verſ. hic intelligi debeat de iuſtorum robore, mentis vigore, & E fortitudine in aduerſis minimè ſuperanda, maximè illorum, qui in Eccleſia Paſtorum, Doctorum, & Magiſtrorum officio funguntur, etiam verſus ſequens, quo fit oppoſitio prius dictis demonſtrat. Nam eſt quaſi diceret, illi quidem, nullis promiſſis, blanditijs nullis, cruciatibus nullis cedentes ſtabunt, & vitam, ſi opus fuerit, profundent pro Domino; at verò

V. 22. Mors peccatorum peſſima: & qui F oderunt iuſtum delinquent. Chal. habet condemnabuntur; hic dixerim *delinquent*, ſignificare *deficient*, ſeu *peribunt*, prout optimè P. Emm. Sà ex S. Hier. in Habac. c. 1. obſeruat; id autem aio propter antitheſim, quæ ſtatim ſubnectitur à S. Dauide v. ſeq. dum ait,

V. 23. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuo-

suorum,& non delinquent; etiam hic intelligitur *(non peribunt)* non autem,*non peccabunt*; A
nam supponuntur esse serui Domini,ipsum amantes, sicuti prius,dum ait, *qui oderunt iustum delinquent*;illo,*delinquent*,non intelligit peccabunt, quia iam dixerat, & vocauerat eos peccatores; *Mors peccatorum pessima*; sed quod dictum est, deficient,seu peribunt;non, inquam, delinquent omnes, qui sperant in eo.

PSALMVS XXXIV. B

Iudica Domine, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXIV.

Ipsi Dauid.



E ipsam, & suos sic, vt vidimus, consolata est Christi Ecclesia, & hortata ad sustinenda etiam deinceps aduersa; quorum sustinendorum occasionem, quia pro paternæ suæ correctionis more, diu non patiebatur Dominus occasionem desiderari, in hoc ipso Psalmo Ecclesia, seu Christus, vt Caput,Ecclesiæ nomine,inter ipsa aduersa constitutæ, & patientis similia illis, quæ in suo Capite Christo præcesserant, auxilium à Domino implorat. C

Non itaque hic ad literam agitur de ipso Dauide querimoniam, vel preces effundente, cum fugeret persequentem Saulem, & quando Doeg, Ziphæi, & alij perdiderunt ipsum. Ratio est, quia in hoc Psalmo multa sunt, quæ non ipsi, sed solùm Christo conueniunt. Neque tamen primariò, & directè hic Psalmus agit de Christi Passione (quod velle videntur Hugo Cardinalis, cum Cassiodoro, dum hunc Psalmum secundum esse aiunt, ex ijs, qui de Christi Passione fusiùs tractant) sic enim non seruaretur connexio, & cohærentia, atque ordo consequens. D

Deinde illa omnia, quæ hoc Psalmo dicuntur similia illis, quæ Dominus Iesus in Passione sua sustinuit; exempli causa, *falsos testes* v.11. *flagella* v.15. etiam ipsius Ecclesiæ, siue fidelibus, tam dum agerent apud Iudæos, quàm dum iam ad Gentes profecti fuerunt, conueniunt; quamuis negandum non sit magis præcipuè agi de ijs persecutionibus, quas Iudæi, Christo, eiusque fidelibus intulerunt, siue adhuc apud eos commorantibus, siue iam ad Gentes profectis; nam ij ipsi Iudæi prima, & maxima causa fuere, cur Christiani apud Gentes dirissimè exagitarentur, vt sæpè dictum in Isaia, & ex Actis Apostolorum, & Ecclesiastica Historia constat. E F

Hæc omnia, quæ dicta sunt Psalmo hoc contineri, ipse Dominus Iesus expressit, & docuit; dum Ioannis c.15.v.24. insinuans odium,quod Iudæi contra se habebant, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Deinde his dictis citat versum 19.huius Psalmi.*Sed vt adimpleatur sermo,qui in lege eorum scriptus est,*

quia

A *quia odio habuerunt me gratis*. Quod autem S. Dauid hoc Psalmo sat longo complectatur non solùm hoc particulare, quod ipse Dominus dignatus est explicare; sed etiam alia omnia vniuersim, quæ siue ipsi Iudæi soli in Iudæa, siue vniti Gentibus apud illas inferebant Ecclesiæ, ipsa cohærentia cum antecedentibus, & consequentibus ostendit; & res ipsa exigebat, vt cum de persecutionibus hìc ageretur, nullæ, vndecunque illatæ essent, excluderentur. Itaque Christus, vt Caput Ecclesiæ, & eius nomine, ac voce ait

B

PSALMVS XXXIV.

Iudica ad correptionem primò, & correctionẽ; deinde si ea non sequatur, ad pœnam; Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Vniuersim de omnibus, vt paulò ante dictum est, loquitur non optando pœnam, sed denunciando.

C V. 2. Apprehende arma, & scutũ; & exurge in adiutorium mihi.

V. 3. Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me: dic animæ
D meæ: Salus tua ego sum.

V. 4. Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam.

Auertantur retrorsum, & confundantur
E cogitantes mihi mala.

V. 5. Fiant, vt aliàs etiam sæpè dictum est, non optat, sed prædicit quidnam futurum sit hostibus, & persecutoribus Ecclesiæ; dum enim illa à Deo protegenda, & eripienda erat, perire illos, & perdi necesse erat; & quidem tamquam puluis ante faciem venti: &
F Angelus Domini coarctans eos. Dominus fideles suos, & Ecclesiam per Sanctos Angelos suos custodit, & protegit. *Hi enim* (vt Sanctus Augustinus Soliloq. c. 27. *sunt custodes super muros Ciuitatis tuæ nouæ Hierusalem, & montes in circuitu eius*.

V. 6. Fiat via illorum tenebræ, & lubricum;

& an-

& angelus Domini persequens eos. duo hæc ingentia mala omnium A
peccatorum his pœnis, & etiam pœna talionis castigantur. Nam
V.7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacuè exprobauerunt animam meam. B
V.8. Veniat (veniet) illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.
V.9. Anima autem mea liberata, & erepta, exultabit in C
Domino: & delectabitur super salutari suo.
V.10. Omnia ossa mea, membra, dicent: Domine, quis similis tibi? per ossa intelligit fideles, & maximè primos Ecclesiæ, ad quos spectat nosse, & æstimare Dei opera: inter quæ valdè admirandum id, quod sequitur;
Eripiens inopem de manu fortiorum eius: D
egenum, & pauperem à diripientibus eum. quod confirmat Iob c.40. *Et si habes brachium sicut Deus*, &c. *Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo*. v.7.
V.11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Interrogando obijciebant; id non E
solùm Dominus Iesus expertus est, sed etiam S. Stephanus, Apostoli, imò & passim Christiani, qui Romæ, & vbique multorum criminum insimulabantur, & tanquam incendiarij, obsceni, &c. plectebantur.
V.12. Retribuebant mihi mala pro bonis. Christiani semper in omnes benefici, & in ipsos suos aduersarios iuxta Domini
præceptum, *Diligite inimicos vestros*, &c. benefaciebant etiam ijs, qui quærebant F
sterilitatem animæ meæ. Chal. est, quærentes orbare animam meam: quod benè Christus ait de se, & Ecclesia sua; vel ipsa Ecclesia de suis membris; eius etiã nomine dicitur seq. vers.
V.13. Ego autem cum mihi molesti essent,
in-

A induebar cilicio. per cilicium, quo induta diù fuit Ecclesia, & ipse asper, & rigidus pœnitentiæ habitus, & persecutionum, & aduersitatum status intelligitur; tunc etiam

Humiliabam in ieiunio animam meam: postquã ablatus fuerat ab ea sponsus; & oratio mea in sinu meo conuertetur. Antiquissimus fuit, & est mos Ecclesiæ, persecutionum tempore vacare orationi. Sic Act. 6. 5. dum Petrus seruabatur in carcere, *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*.

B

V. 14. Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, idest studebam ei placere; intelligendus autem est populus persequens, & aduersans tam Iudaicus, quàm Gentilis: quasi lugens, & contristatus sic humiliabar. Seruabat nimirum Ecclesia, vt qui primi erant in ea, id, quod Apostolus 2. ad Tim. 3. 24. *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*. Sic quidem faciebant Christiani; nihilominus tamen eorum aduersarij

C

D V. 15. Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella, & ignoraui; nulla à me causa data, vel culpa commissa, per quam sic tractarer.

V. 16. Dissipati sunt; in omnem viam abierunt, omnem lapidem mouerunt, quærentes quomodo me perderent; nec compuncti; scil. corde sunt, vt eos pœniteret malefactorum; tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. Magnus omninò furor, immanitas, & crudelitas fuit persecutorum Ecclesiæ, quam etiam seq. vers. exprimit.

E

V. 17. Domine, quando respicies? restitue, libera, animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

F

V. 18. Confitebor tibi in Ecclesia magna;

S fa-

factum omninò est, vt fidelium cętus, siue primitiua Ecclesia liberata à persecutoribus *confiteretur Domino in Ecclesia magna*; nam post persecutiones dilatata fuit in omnem terram; & vbique palàm proposuit Diuina sanctæ suæ Religionis Mysteria; quod fuit, in populo graui laudabo te; in multo,& forti populo, qui primò omnium fuit ipse Romanus populus ad fidem conuersus; deinde alij etiam aliarum Nationum populi, qui alios Idololatras populos, Gentiles suos superarunt; & hanc ipsam de illis victoriam postulabat Ecclesia vers.seq. A

V.19.Non supergaudeant mihi,qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis, & annuunt oculis; elati,arrogantes,simulatores, vt Prou. 6. v. 13. *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat*, &c. toti ex fraude compositi. B

V. 20. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ, qua terreni homines solent, loquentes, dolos cogitabant. C

V.21. Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt: Euge,euge viderunt oculi nostri. D

V.22. Vidisti Domine, ne sileas: Domine, ne discedas à me. Pergit deinde alijs etiam versibus vsque ad finem Psalmi implorare diuinum auxilium inter aduersa.

V.23. Exurge,& intende iudicio meo:Deus meus, & Dominus meus in causam meam. E

V.24.Iudica me secundum iustitiam tuam Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

V.25. Non dicant in cordibus suis: Euge, euge, animæ nostræ: nec dicant: Deuorauimus eum. F

V.26.

A V. 26. Erubescant, & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confusione, & reuerentia, qui magna loquuntur super me.

B V. 27. Exultent, & lætentur, qui volunt iustitiam meam: & dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem serui eius.

Ab eisdem aduersis liberata promittit, quod ad debitam gratitudinem,

C V. 28. Et lingua mea meditabitur, loquetur, predicabit, iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

PSALMVS XXXV.

D Dixit iniustus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXV.

In finem, seruo Domini ipsi Dauid.



Anctus Dauid sibi in ordine, & consecutione Psalmorum semper constans, cum Psalmum priorem conclusisset, quod Ecclesia superatis diuino auxilio hostibus suis esset vna cum suis fide-
E libus Domino laudem dictura; desiderio æstuans, vt etiam illi, qui eam exercebant, conuerterentur; & vna exercerentur potius ad salutem, quàm ad suam ipsorum perniciem pergerent exercere: cumque magno numero eos in obstinata peruicacia, & perfidia permansuros aduerteret; primo quidem eorum vices dolet, & malitiam describit; deinde verò piorum felicitatem commemorat, quam cum meritis Christi Capitis sui essent adepturi, etiam Psalmum ipsi inscribit, *In finem, seruo Domini ipsi Dauid*; Christus enim quoad humanitatem dicitur *Seruus Domini*. Igitur, quod per-
F tinaciter nocere pergerent persecutores;

PSALMVS XXXV.

V. 2. Dixit, statuit obfirmata mente, iniustus, vt delinquat in

semetipso: apud se, seu in corde suo id statuit; quia scil. non est timor Dei ante oculos eius. A

V. 3. Quoniam dolosè egit in conspectu eius: Dei scil. qui videt omnia, machinando dolos alteri, & fingendo se cultorem Dei; id quod ita Deo displicet, vt propterea inueniatur iniquitas eius ad odium. palàm cognoscatur odio digna, & execrabilis; nam simulata æquitas, vt vsurpare solet D. Aug. duplex est iniquitas. Sic ferè explicant P. Sà, & P. Lorinus. Neque hìc sistit iniusti iniquitas, sed à corde ad verba progreditur, & opera; B

V. 4. Verba oris eius iniquitas, & dolus: noluit intelligere, idest resipiscere, vel in mentem, & animũ suũ inducere, vel sibi persuaderi permittere, vt bene ageret. C

V. 5. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit. Quod Deus tantam eiusmodi hominum iniquorum multitudinem tam patienter sustineat, & toleret; res certè magna admiratione digna, & meritò exclamare debemus, D

V. 6. Domine in cælo misericordia tua, idest, vt optimè P. Sà, in cælũ vsque, vel instar cæli altissima, & omnia complectens; & veritas tua vsque ad nubes. Similiter Fides Dei in promissis, quę fecit seruis suis, altissima, & ipsa est. Hic incipit bonorũ, & malorum sortem, & felicitatem cõponere.

V. 7. Iustitia tua non solum qua malè facta punit; sed etiam ipsa fidelitas, qua præmia benefactis redditur (& de hac potissimùm hic sermo; nam sequetur deinde oppositio) sicut montes Dei; altissimi, firmissimi, iudicia tua, in hominum electione, & reprobatione, abyssus multa. De his S. Paulus Rom. 11. 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* &c. Planè S. Dauid hoc loco altissimum illud mysterium, seu incomprehensibilem altitudinem, seu abyssum multam iudiciorum Dei in hominum prædestinatione, & reprobatione attingit. Id autem quod immediatè subiungit; E F

Homines, & iumenta saluabis Domine.

V. 8. quemadmodum multiplicasti miseri-

cor-

A cordiam tuam, Deus; vt intelligamus quidnam in sensu literali significet; & quonam pacto hoc loco cohærenter, & consequenter hæc ponantur, lumen nobis petendum est non tam ex ijs, quæ fusè Interpretes ad hunc versum,& textum dicunt, quàm ex ijs,quæ breuissimè S.Paulus circa illam profundissimam materiam ad Rom. cap. 9.& 11. perstrinxit.

Itaque S. Dauid posteaquam illa verba dixisset, *Iudicia Dei abyssus multa*, significando id,quod in suo discursu consequens erat, iustorum electionem,& malorum reprobationem esse abyssum multam, subiungit, quod etiam in hac ipsa
B malorum reprobatione multam misericordiam suam Deus erga eos ostendit, eò quod licet sint hostes eius, ab illo auersi, ipsi contrarij, & illis malis qualitatibus initio Psalmi expositis, infecti, & iumentis, quàm hominibus similiores; nihilominus tamen eos cum multa patientia, & longanimitate sustineat,illis ipsis non secus atque ijs bonis, qui digni hominum sunt nomine, de rebus omnibus ad victum, cultumque necessarijs prospiciat non ad necessitatem solùm, sed voluptatem etiam & delicias, provt Sancti Paulus, & Barnabas Act. 14.16. Lystrensibus aie-
C bant,quod scil. Dominus *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra*. Hoc ergo est; *Homines, & iumenta saluabis*. Et in hoc ipso,quod Dominus benefaciat de cælo, det pluuias, & tempora fructifera, &c. pluat super bonos, & malos, vt ait Saluator, magnam omninò Dominus ostendit misericordiam suam, quam proinde admirabundus deprædicat S.Dauid vers.8. *Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus!*

Hanc explicationem S. Paulus, vt dixi, ad Rom. c.9. 22.docet, dum etiam de
D Prædestinatione,& Reprobatione loquor, admiratur, & deprædicat, quod, Reprobos, quos *Vasa iræ apta in interitum* appellat, Dominus *sustinuerit in multa patientia*; illi ipsi ergo peccatores obstinati, qui hic ab Apostolo *vasa iræ* vocantur, à S.Dauide *iumenta nominantur*; & dum ait,quod Dominus eiusmodi *iumenta, & simul homines saluabit*, intelligit salute corporali, victu, alimento, & indumento saluandos,seu seruandos in vita,alendos,& nutriendos,vt supra dictum est, phrasi solita diuinæ scripturæ, vt 4.Reg.6.16. *Salua me Domine mi Rex*, &c. *non te saluat Dominus; vnde te possum saluare?*

E Quod ita sit, & ad literam per *iumenta* intellexerit homines illos malos, reprobos, & vasa iræ apta in interitu; primò quidem probatur, quia hic simpliciter de *iumentis* agere, disparatum, & inconnexum foret,& id astrueretur, de quo nemo ambigit;secundò,se de illis ratione præditis,sed malè ea vtentibus *iumentis* hominibus agere, statim sequentibus verbis explicat ex oppositione, quam bonorum hominum facit cum illis iniquis, & meliori sorte,quam hi præ illis possident; nam licet vtrique (quod ad temporalia pertinet) non videantur felicitate, & bonis differre; sed esse eadem vtrisque communia; nihilominus in internis,& spirituali-
F bus bonis mirum in modum inter se dissident. Propterea solùm de probis,iustisque hominibus loquendo, ait,

Filij autem hominum, in tegmine alarum tuarum sperabunt. Hic versus cum seqq.à vers.9. vsque ad finem, ita clari sunt, vt explicatione non egeant.

V.9.

V. 9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. A

V. 10. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

V. 11. Pretende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiã tuam his, qui recto sunt corde. B

V. 12. Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me.

V. 13. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare. C

PSALMVS XXXVI.

Noli æmulari, &c. D

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXVI.

Psalmus ipsi Dauid.



Vpponatur quod dictum est in Argumento Psalmi 29. §. 2. quod Psalmi, qui ab illo vsque ad 44. intercedunt, pertineant ad interiorem Dedicationem, seu sanctificationem Ecclesiæ, seu Christi fidelium. E Deinde supposito etiam, quod priori Psalmo multa dicta sint, tam de externis bonis, quæ hominibus pijs æque, atque impijs sunt communia; quam de internis, quæ propria sunt tantummodò pijs: propterea cum bonorum horum internorum, & spiritualium, quæ bonis communicantur notitia difficilior sit, & rarior, ne quis in illis dijudicandis, quærendis, & amplectendis error committatur, hunc bene longum Psalmum priori subiungit S. Dauid, qui cum, vt prior inscriptus sit, *Ipsi Dauid*, non dissimilem illi habet materiam; & totus in eo versatur, vt Christus, vel Ecclesia fideles suos probe instituat, vt malorum hominum prosperitate, & bonis, quæ videntur, contemptis, melioribus, & veris, spiritualibus scilicet, toti inhæreant. F Atque hinc patet Psalmum hunc, cum in moralibus tantummodò documentis versetur, nullam habere difficultatem, cui immorandum sit, & esse quàm paucissimis percurrendum; sic ergo incipit;

Noli

A Noli ęmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Mali,& iniqui homines, quãtavis prosperitate, & quibuscunque tandem bonis gaudeant,neque imitandi sunt, neque ipsis inuidendum est;

V. 2. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum citò decident. Proinde si tibi consultum vis, tu

B

V. 3. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, permane constanter in arrepto vitæ Christianæ, ac Sanctæ proposito, & pasceris in diuitijs eius. Plura de his infra Psal. 64. Item 84. & alijs multis, vt patebit.

C

V. 4. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

V. 5. Reuela Domino viam tuam, Chal. habet; manifesta coràm Domino. P. Lorino hoc loco placet complectens omnia Rickelius, vt cor fiducialiter effundamus coràm Deo, indigentias exponamus, de imperfectionibus conqueramur, totam vitam coràm Deo, sicut coràm fidelissimo amico recolamus, & pertractemus, &c. Hic ibidem ratio conscientiæ aperiendæ commendatur, ex qua maximæ vtilitates promanant. & spera in eo: & ipse faciet. idest, vt benè P.Em.Sà, committe ei statum rerum tuarum, & ipse curabit.

D

V. 6. Et educet quasi lumen iustitiam tuã: & iudicium tuum tamquam meridiem.

E

V. 7. subditus esto Domino, & ora eum.

Noli ęmulari in eo, qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias. Cum, vt insinuatũ est, in his, & omnibus consequentibus Versibus plana, vt moralia, & doctrinalia omnia sint, sola accurata eorundem lectione, & obseruatione est opus.

F

V. 8. Desine ab ira, & derelinque furorem: noli ęmulari, vt maligneris.

V. 9.

V. 9. Quoniam qui malignantur, exter- A
minabuntur: ſuſtinentes autem Dominum,
ipſi hereditabunt terram.

V. 10. Et adhuc puſillum, & non erit pec-
cator: & quæres locum eius, & non inuenies. B

V. 11. Manſueti autem hereditabunt ter-
ram, & delectabuntur in multitudine pacis.

V. 12. Obſeruabit peccator iuſtum: & ſtri-
debit ſuper eum dentibus ſuis. C

V. 13. Dominus autem irridebit eum: quo-
niam proſpicit, quod veniet dies eius.

V. 14. Gladium euaginauerunt peccatores:
intenderunt arcum ſuum. D

Vt deijciant pauperem, & inopem, vt tru-
cident rectos corde.

V. 15. Gladius eorum intret in corde ipſo-
rum: & arcus eorum confringatur. E

V. 16. Melius eſt modicum iuſto, ſuper di-
uitias peccatorum multas.

V. 17. Quoniam brachia peccatorum con-
terentur: confirmat autem iuſtos Dominus. F

V. 18. Nouit Dominus dies immaculato-
rum, & hereditas eorum in æternum erit.

A V.19. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur:

V.20. quia peccatores peribunt.

Inimici verò Domini mox vt honorificati
B fuerint, & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient.

V.21. Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & tribuet.

C V.22. Quia benedicentes ei hereditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt.

V.23. Apud Dominum greſſus hominis dirigentur: & viam eius volet.

D V.24. Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.

V.25. Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtũ derelictũ, nec ſemen eius quęrens panem.

E V.26. Tota die miſeretur, & commodat. & ſemen illius in benedictione erit.

V.27. Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in ſæculum ſæculi.

F V.28. Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur.

Iniusti punientur:& semen impiorũ peribit. A
V. 29. Iusti autem hereditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.
V. 30. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. B
V. 31. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius.
V.32. Considerat peccator iustum: & quęrit mortificare eum. C
V. 33. Dominus autem non derelinquet eũ in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.
V.34. Expecta Dominum,& custodi viam D eius: & exaltabit te, vt hereditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.
V.35. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. E
V.36. Et transiui,& ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.
V.37. Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. F
V. 38. Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum interibunt.

A V. 39. Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

V. 40. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.

B

PSALMVS XXXVII.

Domine ne in furore, &c.

C Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXVII.

Psalmus Dauid in rememorationem de Sabbato.



CVm in duobus, & alijs etiam aliquot prioribus Psalmis frequenter facta sit comparatio bonorum, & iustorum cum impijs, & peccatoribus, prout eam materia Dedicationis interioris exigebat: post hæc S. Dauid præuidens Populum suum Iudaicum futurum ex malorum,
D & impiorum numero, & quod ex efficacissimis medijs ad salutem, quæ per Euangelij prædicationem toti Mundo erant conferenda penè nihil profecturus esset, sed demum foret proijciendus, sequentem Psalmum composuit, qui, sicut dictum est, inscribitur, *Psalmus Dauid in rememorationem de Sabbato.*

Cuius Tituli (omissis compluribus sententijs, & interpretationibus; quas P. Lorinus, alijque multi apud ipsum multas adferunt) sensus, qui consequens, & cum antecedentibus, atque consecuturis Psalmis sit cohærens, iste est, qui subijcitur: scilicet, quod

E Sanctus Propheta Dauid *in rememorationem*, idest ad notitiam, siue propter cognitionem illam, quam habebat *de Sabbato*, idest de vniuersali illo Anno Iubilæi ad Messiæ aduentum, & Euangelij prædicationem conferendo toti Orbi; quo vera quies, & pax impertienda erat hominibus, & bona cælestia malè perdita restituenda erant ijs, qui ad vitam gratiæ suscitati, & ad Christi fidem conuersi fuissent: ad hanc, inquam, huius maximæ expectationis, & beneficij memoriam, cum videret tantorum bonorum minimè futurum participem populum suum Iudaicum, Psalmo hoc suo Dominum deprecatur, ne se (idem Populum illum suum,
F cuius ipse, vt Rex, personam gerebat) dum in *furore*, & *ira* sua per Filij sui aduentum, & Fidei in eum prædicationem conuertet Gentes, impietatem eorum, & scelera *in furore, & ira sua* destruendo; ne, inquam, tunc *arguat, & corripiat*, castigando, & propter peccata, & obstinationem deserendo populum suum Iudaicum, instantissimè, & dolentissimè deprecatur, iuxta dicta in præuijs Not. 6. & in argumento Psalmi sexti, qui similiter incipit, & dicenda Isaiæ cap. 26. v. 14.

Item cap. 60. v. 24. de resurrectione prima ad vitam gratiæ. Item de ira mystica, A
& *die vltionis Deo nostro*, Isaiæ cap. 61. v. 2.

Iuxta hoc Argumentum omnia, quæ toto Psalmo continentur, facilè, & consequenter explicantur, vt patebit; quod & veritatis indicium est, & diuersa ab hoc argumenta, vt ea examinanti constabit, habere nequaquam possunt.

Neque verò propterea hic Psalmus, vt etiam dictum fuit de sexto, desinit esse è numero Psalmorum Pœnitentialium, sed potius à fortiori, tantò veriùs, & efficaciùs ex illis, quantò grauiorem pro peccatis pœnam iusto Dei iudicio tandem infligendam continet. Sic ergo incipit; B

PSALMVS XXXVII.

V. 2. Dñe ne in furore tuo arguas me; vt dictum est in Argumento, S. Dauid Dominum deprecatur, ne se, idest populum suum, cuius personam gerebat, dum in furore, & ira sua per Filij sui aduentum, & fidei prædicationem conuertet Gentes, impietatem eorum, & scelera destruendo, *arguat, & corripiat* deserendo, provt supra Psal. 6. dictum est: quia verò res hæc grauissima, atque acerbissima est, sepius repetitur, neque in ira tua corripias me; provt dictum, & videnda sunt illa, quæ ad confirmationem huius explicationis notata sunt Not. 6. C

V. 3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam. D Per sagittas has intelligit varias tribulationes, & aduersa immissa à Deo Iudæis, quibus nihilominus ipsi non corrigebantur, sed obdurati in suis sceleribus persistebant; ea scelera populi sui, tanquam de seipso, siue, vt caput populi eius, loquens deinceps enumerat;

V. 4. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ; idest, ira tua, siue flagella tua, quæ nos corripiunt, (& vtinam tanquam filios hereditati seruandos, & non potius, vt obstinatos seruos domo eijciendos corriperent!) nullum sanum inueniunt; de hoc ipso conqueritur Isa. c. 1. 6. Neque verò infirmitas hæc, & ægritudo mortalis peruasit solùm plebeios, sed etiam primates; & hoc est, quod subiungit, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. sic, & aptè illi per ossa exprimuntur, vt supra Isaias cit. cap. 1. istos expressiùs nominans ait, *omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* E F

V. 5. Quoniam iniquitates meę supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauaua-

A uatæ sunt super me. Hoc accidit, quando ad summum malitiæ populus ille, Christum ipsum Domini occidendo, eiusque Ecclesiam persequendo, peruenit, plenè impleta mensura Patrum suorum. Planè has iniquitates deplorat S.Dauid ex primaria sua intentione, iuxta nostram sententiam; nam ipsi non conuenit versus seq.

V. 6. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Ipse enim curatus

B semel per pœnitentiam à peccati homicidij, & adulterij vulnere plenè curatus est; neque per recidiuum cicatrix malè prius obducta postea peius computruit; sed id Populo Iudaico per omnia conuenit, cuius vulnera, & peccata non receperunt curationem, quod ipsum S.Isaias deflet c.1.v.6. *plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo*; subintellige, quamuis hæc omnia adhibita fuerint. Atque sic ex hac non recepta curatione, sed semper in deteriora prolapsione insignis apparuit insipientia illius Populi. Propter ipsum, siue eius ipsius Populi

C commiseratione, ego, qui hæc ipsius mala penitissimè agnoscebam.

V. 7. Miser factus sum, cum intimo, & continuo cordis affectu me eius misereret, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar. Huius tantæ suę contristationis causam maximam, atque vrgentissimam subnectit,

D V. 8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Hæc verba explicata, & intellecta, vt prima facie, & verborum sono significant, videntur ostendere, quod S. Dauid conqueratur, se motibus carnalibus fuisse subiectum. Verùm cum hæc explicatio, neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus connexionem seruet, & cohærentiam, planè aliquid aliud per illa nobis intendit significare, quod connexum planè, & consequens est. Illud

E porrò est, quod sicut supra Psal. 15. v. 7. dixerat; *insuper, & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*; iuxta datam ibi explicationem, intelligendo per renes suosmet ipsos contribules Iudæos, & consanguineos; ita hìc dum deplorat, *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*; per lumbos intelligit eosdem suos de carne sua descendentes, qui eò vsque deceptionum, & illusionum, siue hallucinationum, eas, & agendo, & patiendo propter vitæ peruersitatem deducendi essent, vt ipsum Dominum Christum suum non agnoscerent, neque reciperent, sed impiè occiderent; & hoc ipsum deflet, quod *sui* hoc essent effecturi, qui de

F sua tribu, & sanguine essent; *& non est sanitas*, ait, *in carne mea*. Propter hanc solam, vnamque causam, nullamque aliam principaliorem (nam si ageretur de stimulo carnis, vtique etiam ipsi viro sanctissimo diceretur, quod Sancto Paulo, *sufficit tibi gratia mea*. 2.Cor.12.v.9.) ita iure meritòque ait, quod propterea

V. 9. Afflictus sum, & humiliatus sum

ni-

nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Et quidni id facerem, cum ardentissimè ipsorum omnium, quos sic miserè perituros præuidebam, salutem desiderarem; & certè, ò A

V. 10. Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Tu Domine, qui cordium es scrutator nosti, quod propter hanc futuram, mihique iam reuelatam Populi mei desolationem B

V. 11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum, idest etiam ipsū lumen non est mecum, idest, vt P. Sà; præ fletu penè oculos amisi. C

Et sanè digna est hoc ipso fletu hæc extrema calamitas; nam qui verè fuissent, & esse debuerant, atque quod in ipsis fuit, etiam veri erant

V. 12. Amici mei, & proximi mei; intelligit per eos omnes Christi Apostolos, Discipulos, totāque eius Ecclesiam; aduersum me, cum mei Iudæi Christum, eiusq; Fidē non reciperent; appropinquauerunt, & steterunt. Primò quidem multis signis, & prodigijs conati sunt euincere, & emolire duritiem, & perfidiam Populi mei; quod cum nequicquam obtinerent, tum verò conuersi sunt ad gentes; & sic, D

Et qui iuxta me erant de longè steterunt: ad quam eorum verè amicorum, & proximorum optimorum luctuosam Populo meo migrationem faciendam coegerunt illi, qui Synagogam tunc malè administrantes se ipsos, & Populum vnà secum perdebant; hoc est;

V. 13. & vim faciebant, qui quærebant animam meam. animam suam, pientissimus Rex Dauid vocat ipsum Populum suum: atque sic in eodem planè sensu pessimos illos Synagogæ Pastores, seu mercenarios appellat; tanquam qui sibi, idest Populo suo mala inquirerent, seu mala inferrent. E

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: planè meræ erant *vanitates* illa omnia, quæ illi de Christo Domino, eiusque Discipulis in Status sui, & Gentis perditionem suspicabantur, & propter quæ tam in ipsum Dominum, quàm eius Fideles, & dolos tota die meditabantur. Et proh dolor! cum tam crassè ipsi errarent, nemo tamen erat ex omni Populo, qui se ipsis posset, vel vellet oppo- F

A opponere; & sic eiusdem populi sui omni ope destituti voce dolet S. Rex;

V. 14. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

V. 15. Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.

B Vsque ad hunc Versum inclusiuè, deplorata Iudæorum desolatione futura, exinde seipsum solatur, quod partem, atque communionem sortiturus esset cum ijs Sanctis, & electis, quos Dominus sibi in seruos tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus assumpturus erat. Sic ergo sermonem suum continuando, ait,

V. 16. Quoniam in te Domine speraui; quoniam, non est causalis, sed continuatiua, & sumitur pro Verùm; quasi dicat; in luctu tanto aliqua mihi, & magna consolatio, *quoniam in te speraui:* tu verò exaudies me Domine Deus meus.

C

V. 17. Quia dixi: & mihi, vt exaudiar, magna omninò necessitas, valdè enim timebam, Ne quando, ne forte, supergaudeant mihi, insultēt mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei. Hier. vacillauerint; intelligit autem multiplices persecutiones, quas Ecclesia primitiua patiebatur, in quibus verendum erat, ne si destituerentur auxilio diuino, super me magna locuti sunt, superbè fidelibus tamquam victis loquerentur, & insultarent. Et sanè verum omninò est (loquitur in persona Ecclesiæ, & vt membrum eius)

D

E V. 18. Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper. Accepto autem hæc ipsa flagella tanquam à pientissimo Patre ad correptionem immissa, & ipse agnosco me ea promeritum;

V. 19. Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo. Sic ego quidem agam, & patiar.

F

V. 20. Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt

qui

qui oderunt me iniquè. quamuis illis benè sit, &c. & videantur superiores, & insuper, A

V. 21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam sequebar bonitatẽ.

Neque verò propter eorum obtrectationes, & detractiones ab inceptis desistam, tantummodo tu

V. 22. Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me. B

V. 23. Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ, auctor.

C

PSALMVS XXXVIII.

Dixi custodiam, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXVIII.

In finem, ipsi Idithun, Canticum Dauid. D



QVid iam in Psalmo hoc cohærentiæ cum prioribus? Inuestiganda est ex Titulo, cui totius Psalmi contextus correspondent. Titulus est: *In finem*; eò quod futuram illam calamitatem, de qua priori Psalmo actum est respiceret; *ipsi Idithun, Canticum Dauid*. Idithun fuisse Præfectum Cantorum habemus ex 1. Paral. c. 6. & 26.

Cur verò illi hoc potius Canticum datum inscribatur, quàm aliquod aliud, dubio procul mysterio non vacat; illud cum Diuo Augustino ex vocabuli interpretatione est colligendum. Iam autem supra in Præuijs Obiectione 2. §. 4. ex eodem S. Patre statuimus, Titulos ita mysticè esse intelligendos, vt tamen rem ipsam, & sensum à S. Propheta intentum declarent. E

Interpretatio igitur vocabuli *Idithun* cum significet, *transiliens eos*, videlicet ima cogitantes in rebus transeuntibus spem ponentes; dicendum est, hoc pacto significari Psalmum hunc, iuxta mentem, & intentum S. Dauidis, ad eos potissimùm de suo Popolo spectare, eisque illum, lectum, & decantatum profuturum esse, qui *transilientes* essent, neque spem suam in terrenis collocarent. F

Ad hanc autem animi à terrenis erectionem, & eleuationem eos de Populo illo suo Iudaico secum incitari debere ostendit ex ijs calamitatibus, & maximè propter extremam illam desolationem, quæ ipsi ob peccata superuentura erat; de qua licet priori Psalmo multa, multum ingemiscendo, dixisset; nihilominus etiam hoc ipso Psalmo multa ingerit, quæ eò referuntur, & calamitati illi

A illi vnicè conueniunt. Et propterea etiam ex eo, quod eiusmodi plena luctu, & gemitibus essent; licet Idithun præesset non simpliciter canentibus, sed instrumenta quoque musica pulsantibus; attribuitur tamen illi, ijsque, quos suo nomine significat hic Psalmus, vt Canticum, quod absolutè positum, vt hìc est in Titulo, non includit Instrumenti vllius musici pulsationem.

Effectum igitur, quem in se rerum tantarum reuelatio, & notitia habuerit, & habere deberet etiam in alijs, qui eandem perciperent, exprimens S. Dauid, ait, fuisse plenam quandam, & absolutam resolutionem vitæ omninò sanctæ conse-
B ctandæ.

PSALMVS XXXVIII.

V. 2. Dixi, resolutissima animi sententia constitui, custodiam vias meas,
C omnes quidem actiones meas custodire, sed vel maximè statuo, vt non delinquam in lingua mea. Provt autem deliberaueram, ita feci:

Posui ori meo custodiam, non solùm ne vlli verbo vllo iniuriam inferrem, sed etiam ne lacessitus eandem referrem; etiam tunc, inquam, *posui ori meo custodiam* cum consisteret peccator aduersum me.

D Et quidem ad hæc præstanda me permouebant, quod præuiderem, linguas aliquando sceleratas populi mei aduersum ipsum Christum Domini insurrecturas, ipsumque ad Crucis supplicium flagitaturas. Ad quam inauditam indignitatem, & omnium maximè impium facinus, quod illam extremam nobis perniciem erat allaturum, stupore attonitus;

V. 3. Obmutui, & humiliatus sum, & doloris vehementia intercludente mi-
E hi cor, & vocem, & silui à bonis, propter bona, quæ à nobis auferenda erant, regnum scilicet Dei, & omnia. Atque sic nullam habens, seu locutionem, seu respirationem; & dolor meus renouatus est; ipsa taciturnitate recruduit; P. Em. Sà.

V. 4. Hæc ipsa dum intra me continerem; Concaluit cor meum intra me; & quia illa ipsa assiduè animo meo versabam, & illa mihi vnica, & maxima erat cogitatio, continuò succẽdens commiserationis, & doloris ignẽ;
F & in hac meditatione mea planè semper exardescet ignis. Propter hæc, & dum tacitus ea perpendo, discrucior; & si loqui libeat, nullus mihi alia de re sermo occurrit: & omninò

V. 5. Locutus sum in lingua mea; quid porrò dixissem, aut in

quæ verba primò prorupissem? vtique in ea, quæ me premebant vel maximè. Si derelinquendi, si desolandi, si finiendi aliquando sumus, dixi; Notum fac mihi Domine finem meum. A

Et numerum dierum meorum, quis est, vt sciam, quid desit mihi. S. Dauid, vt notatum est, illum omninò vniuersalem imminentem toti Iudaico Populo finem, quo desolandi erant, animo, & sermone hoc loco versat; nam quid alias posceret, & Propheta, & Sanctus vir, vitæ suæ finem scire, cuius notitiam sciebat sibi Dominum reseruare voluisse? Sic etiam non de se, verùm de illo statuto desolationis Synagogæ termino exclamat; B

V. 6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te. C

Quandoquidem breues (vt quod *mensurabile* est) sunt omnium hominum dies; neque homini sancto (præsertim qui tam ardenter pro Absalone filio suo optabat mori) adeò dulcis esset præsens vita (quam tot amaritudinibus conspersam sentiebat) vt non longè gratior, & suauior ipsi beata mors accideret; nullo modo putandum est, ipsum de se, & vitæ suæ temporalis spatijs angustis loqui; sed illa, vt dictum est, intelligendo, maximam vim, & emphasim hæc verba habent; est enim sensus; *Ecce*, &c. cum illi pauci dies, quibus adhuc Populum, & Gentem nostram toleraturus es, finiti fuerint; *ecce* deinceps *substantia mea*, illi ipsi Iudæi, *tanquam nihilum ante te*: vt qui perituri erant. D

Verumtamen, idest, vt P. Sà, & certè, qui deinde ex populo, & gente nostra vixerit; vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Nulla inter eos, & quosvis alios homines mortales salutis, & beatitudinis æternæ non habentes reconditam spem, futura est differentia. Hoc autem quàm non plenum est omni inanitate!

V. 7. Verumtamen, certè enim constat, & luce meridiana clarius est, quod in imagine pertransit homo, idest, vt P. Em. Sà, in apparentia quadam, seu vmbra vitæ potius, quàm vera, & solida vita. Deinde præcisa spe thesaurorum cælestium, quidquid moliatur, & agat terrenus homo, quidquid semetipsum in comparandis diuitijs defatiget, & euisceret, etiã ob id; sed & frustra conturbatur. E

Thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea. F

Miseri proinde, & supra modum lugendi tunc futuri sunt mei Iudæi, quia sine Deo suo erunt: nam

V. 8. Et nunc, quæ est expectatio mea?

quid

A quid aliud quæro? quid aliud desiderium meum? nonne Dominus? Ipse omninò solus est, qui cordis nostri capacitatem replet; & substantia mea apud te est. Omnes meæ diuitiæ, & thesauri. Sic quidem benè, beatèque agitur nobiscum, dum tu, ò Domine, nobiscum fueris; & vt sis semper

V. 9. Ab omnibus iniquitatibus meis, pro populo, vt
B eius caput orat; erue me. Verùm si exigentibus eius, vt supra dictum est, sceleribus; opprobrium insipienti dedisti me; idest populum meum permisisti fieri opprobrium *insipienti*, idest, quid abiectius, & vilius omni re vili, & abiecta. Propter quod

V. 10. Obmutui, & non aperui os meum; ad tantam populi mei depressionem, & vilitatem; ad tam miseri, & deplorandi
C eius status considerationem præ stupore, & dolore *obmutui*, & sciens te iustissimum omnium esse iudicem, *& non aperui os meum:* quoniam tu fecisti. Si quid tamen ab animi mei consternationem resumpto spiritu loqui præsumpsero, tum verò aliud non dicam tibi, ò Deus, nisi

V. 11. amoue à me plagas tuas; quibus punitus (loquitur pro populo suo Iudaico) in hunc statum prolapsus sum.

D V. 12. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: exemplo mei populi discant omnes, horrendum planè esse incidere in manus Dei viuentis. His dictis S. Dauid perseuerando in sermone inchoato, & approbando iustam Dei seueritatem, & inflictam pœnam, ait, iustè omninò, ò Domine, propter iniquitatem cor-
E ripuisti hominem; idest ipsum populum tuum Iudaicum, quem etiam infra Psal. 48. *hominis*, scil. terreni, nomine nuncupaturus est.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: Iudæi omnes modò in rerum terrenarum cupiditate, & iniustis mercimoniorum, & fœnorum lucris se ipsos, vt araneæ, euiscerant. verumtamen, & certè vanè, inaniter, absque fructu, & frustra, conturba-
F tur, vexatur, & affligitur in prædictis omnis homo; eius à Deo reprobatæ nationis.

His hactenus cum ea, quam vidimus, connexione, & consecutione dictis; Sanctus Dauid reliquis duobus Psalmi Versibus ardentissima, & affectu, atque charitate erga populum illum suum plenissima oratione à Deo postulat, saltem tunc, pro eo tempore, quo tolerandi adhuc erant, multos ex illis saluos fieri.

V. 13. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. digna causa, quæ peroraretur lacrymis; lacrymarum autem magnus clamor. A

Ne sileas: quoniam aduena (motiuum insinuat, quod Domino nouit esse gratissimum) ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Quid tandem petit? quod dictum est; B

V. 14. Remitte mihi, & hic pro populo tanquam pro se obsecrat, vt refrigerer prius quam abeam, vt bonis Synagogæ perfruar, remissionem peccatorum, & gratiam, atque etiam gloriam in meis, siue populo meo consequar; *prius quam abeam*, & amplius non ero; quando scil. à bonis domus tuæ, quę est Ecclesia, excludendus sum. C

Hęc omnia, vt patet, iuxta propositum Argumentum Psalmi bona semper totius textus cohęrentia, atque consecutione explicata sunt; quod ipsum indicio infallibili est, verum, legitimum, atque à S. Propheta intentum illud Argumentum fuisse. E contra verò in Argumentis, quę ab alijs statuuntur esse huius Psalmi, siue id dicatur esse captiuitas Babylonica, de qua cupiuisset Psalmista liberari populum, siue maledicta, quę Semei in Dauidem effutierat, siue liberationem ex diutino aliquo morbo, siue humanę naturę miserabilem conditionem, certum est, hęc non facilè repertura prędictam cohęrentiam, & consecutionem, siue cum precedentibus Psalmis, siue cum toto eius contextu. D

Prędictę autem Psalmi huius expositioni magnum pondus addit sensus, quem de hoc ipso Psalmo habuit S. Chrysostomus Epist. 7. ad Olympiam lib. 3. vbi referente illum P. Lorino docet; *Dauidem vel ex persona propria, vel ex aliorum quorumcumque plangentium Psalmum hunc scripsisse*. Ex quo constat Sanctissimum Patrem per omnia approbaturum fuisse, vniuersam hanc explicationem totam in luctu, & maxima, atque vrgentissima eius causa versantem. E

PSALMVS XXXIX.

Expectans expectaui, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XXXIX. F

In finem; Psalmus ipsi Dauid.

PRæmissis iam sat multis de Euangelij prædicatione, de Gentium conuersione, de varijs Ecclesiæ Christi illatis aduersitatibus, & persecutionibus, bonorum pro-

A probationibus, atque etiam insertis non paucis de malorum multitudine, qui in impietate erant, & obstinatione permansuri, & à Deo deserendi; subijcitur hic Psalmus, qui totus & ex Titulo, & ex contextu, & ex Diui Pauli Heb. 10. v. 5. 6. 7. interpretatione, & expositione est de Christo Domino ad literam.

Probationes iam dictæ sufficiunt. Addi tamen adhuc illis hæc vna potest, quia quædam, quæ hoc Psalmo dicuntur, Dauidi nullo modo conueniunt; vt v. 3. 6. 7. 8. 9. 10. &c. Christo autem Domino omnia (& hac fortè de causa Lyranus sententiam illam, quæ ait, ad literam Psalmum hunc intelligi de Dauide, mysticè
B de Christo, appellat Iudaici erroris confirmationem) omnia, inquam, Christo conueniunt; cum hac tamen animaduersione, quod quædam ipse pro, & de membris suis dicat, vt illud v. 3. *Eduxit me de lacu miseria*, &c. Item illud v. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, &c.*

Itaque hoc toto Psalmo loquitur ipse Dominus, tanquam Caput Ecclesiæ, ea, quæ dicta fuerunt Psalmis prioribus, veluti in vnum colligens, & comprehendens, hoc modo;

Primò quidem etiam se sustinuisse aduersa, & liberatum ex ijs ostendit.

C Deinde, acceptatum fuisse Passionis suæ, & mortis sacrificium.

Tertiò, constitisse ex eo Ecclesiæ suæ in Gentibus fundationem, & propagationem.

Quartò, adfuturam eidem Ecclesiæ suæ inter aduersa Diuinam protectionem.

Dominus ergo Iesus Christus ipse est, qui toto Psalmo loquitur, ipse, qui etiam Psalmum terminat v. 18. illis verbis; *Ego autem mendicus sum, & pauper, &c.* Et cum hoc ipso suo Titulo *Pauperis*, qui, vt in Isaiæ cap. 45. videbimus, est Titulus eius Regni distinctiuus, inchoat Psalmum 40. Sed prius insistendo Psalmi
D huius trigesimi noni Argumento;

Sciendum est, alios Interpretes non paruam difficultatem sustinere in assignando Psalmo huic Argumento tali, quod per omnia contextui Psalmi conueniat. Nam vt de reliquis (quod longum nimium foret) sileam; certè P. Lorinus posteaquam statuisset Psalmum hunc lætam gratulationem continere de impetrato diuino auxilio, & quod simul adhuc idem Dei auxilium inuocet; aduertens hæc non sufficere, subiungit; *Quia verò Paulus citat hunc Psalmum de Christo, credi potest, Dauidem in eo ad illum respexisse*; sed de hoc, vt vidimus, nullum dubium est,
E cum totus planè Psalmus de Christo sit, & à Christo dicatur, cum limitatione tamen, & obseruatione supra apposita; secundùm quam omnia facilè in hunc modum explicantur.

PSALMVS XXXIX.

F **V. 2. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi.** Cum Christus Dominus hic loqui incipiat, vt Caput erat Ecclesiæ, & assumpta persona mystici sui corporis; hæc verba non refert ad liberationem suam à morte, & ab inferno, sed prout insinuatum est, quodam compendio comprehendens, quę prioribus etiam Psalmis fusiùs dicta, deductaq. fuerant; illis verbis cōstantem, longanimem, & perseuerantem

tem patientiam ostendit sui corporis, quod est Ecclesia, in persecutionibus, quas diuturnis, & continuatis temporibus sustinebat. Diuturnam ergo illam sufferentiam optimè exprimit ly *expectans expectaui*, quod demùm adiutus, *& intendit mihi*; Hier. inclinatus est mihi; opē scil. afferendo, & liberando, vt seq. ver. explicat. A

V. 3. Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miseriæ, idest calamitoso; aptissima similitudine exprimit, quantis fuerint expositi miserijs sui fideles, quod veluti in lacum proiecti, ex quo nullus pateret exitus: & de luto fæcis. idest de sordibus. hac autem breui similitudine, & insinuatione notatur status ille vitiorum, & carnalium obscœnitatum, è quo fideles ad Christum è Gentilitate conuersi extracti fuerant, & in quo, qui non crediderant, adhuc volutabantur. Sic D. Pet. 1. c. 4. 3. *Sufficit præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, commessationibus, potationibus, & illicitis Idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem.* B

Hæc omnia, & his similia pulcherrimè constringit illis duobus verbis, *& de luto fæcis*. Supra autem sat multis, maximè Psal. 31. actum fuit, de ijs, qui pœnitentiam agebant de peccatis præteritis, sicuti & Psalmo 32. de felicitate, & bonis maximis eorum, qui ad statum gratiæ, & iustificationis peruenerant, fundati iam benè supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Sibi ergo in suis fidelibus illam ipsam felicitatem etiam hìc gratulatur Dominus Iesus, dum ait; Et statuit super petram, loco tuto, & munito, qualis est ipsa eius Ecclesia, pedes meos, hìc vniuersim intelligit omnes suos fideles, & direxit gressus meos. Stetit semper Ecclesia inter omnes persecutionum procellas veritati innixa, & ab ea nunquam exerrauit. C D

V. 4. Et immisit in os meum canticum nouum, hoc Dominus dicit Ecclesiæ suæ Sponsæ nomine, cui Dominus parabat canticum nouum, plenam exultationem, quam habitura erat superatis persecutionibus in publico Dei, & Religionis suæ sanctæ cultu, quem palàm propositura erat, vt supra sæpiùs est insinuatum; propterea cum sensim semper magis optatissimum illud tempus appropinquaret, hìc ait, *immissum*, &c. carmen Deo nostro. idest canticum illud, futurum laudem, gloriam, & benedictionem Deo nostro. E

Hoc ipsum, & hanc miram status Ecclesiæ in melius mutationem.

Videbunt multi, & timebunt, obstupescent, atque etiam propterea ipsum Dominum ad Fidem venientes timebunt, & sperabunt in Domino. & verè F

V. 5. Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, nihil melius, aut præstantius potest contingere; *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum,* Ioan.

A Ioan. 17.3. & non respexit in vanitates, & inanias falsas, quibus Mundus plenus est. Et in hoc ipso conuersionis miserarum, & pereuntium animarum opere

V. 6. Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est,

B quis similis sit tibi. admirabile omninò opus, & alia omnia, quæ sub sensum, & in materiam externam cadunt, excedens est animarum conuersio; maximè quæ tanto, & tam immenso numero ad Euangelij prædicationem facta fuit in toto Mundo. Nam ego, ait Dominus, per meos Apostolos, & Discipulos

Annũciaui, & locutus sũ, & qui ad Fidem sunt conuersi; multipli-

C cati sunt super numerũ. Hæc tanta, tam vniuersalis, & totius Mundi conuersio, vtique fuit Passionis meæ, ac mortis fructus vnicè optatus, & qui ad illum effectum obtinendum summè necessarius erat; nam cum nihil ad perfectum adduceret lex, qui in ea, & sub ea viuebant, tantum abest, vt multum intenti essent conuertendis ijs Gentibus, quæ vel in vicinia, vel eorum circuitu reperiebantur, vt plurimum etiam haberent negotij, si se se ipsos in suscepta Lege conseruarent eidem obsequentes, essentque à Gentilitijs superstitionibus immunes, & ipsis Gentibus non deteriores.

Data ergo illis Lege, cærimonijs, & sacrificijs in Diuino cultu, qui perficien-

D dus per me erat; nam legalium differentiam hostiarum vnius summi Sacrificij perfectione sanciam, atque ideo etiam

V. 7. Sacrificium, & oblationem Legis illius Veteris, noluisti; præcipuè, & per se, siue in ijs sistendo: aures autẽ perfecisti mihi.

Chal. *aures ad auscultanda præcepta tua*. S. Paulus ad Heb. 10. habet, *corpus autem aptasti mihi*. quæ in idem recidunt; nam hoc, & duobus sequentibus versibus

E ostenditur, quanta fuerit necessitas Passionis, & mortis Domini Iesu: & quidem ipse Christus introducitur hæc ipsa loquens ad Patrem suum æternum, tanquam sibi congratulans, quod id demum per eamdem suam Passionem, & Mortem consecutus fuisset, quod sibi promissum iam supra Psalmo 15. 17. & 21. (vt notatum fuit) sciebat; illud porrò erat, *Hereditas mea præclara est mihi*; in Gentibus scil. Ps. 15. 6. *Confitebor tibi in nationibus*. Psal. 17. 50. *Salua me ex ore leonis*, &c. *in medio Ecclesiæ laudabo te*, Psal. 21.

Præter hoc, horum versuum trium interpositione intendebatur ostendere,

F quod paulò ante dixi; nimirum Christi Iesu Dei Vnigeniti sacrificio omnia vetera terminata fuisse, atque completa; & statutum nouum Testamentum æternum: propterea subiungitur;

Holocaustũ, & pro peccato non postulasti:

eadem qua supra intellectione;

V. 8.

V. 8. tunc dixi : Ecce venio. A

In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam : Summa Scripturarum, Christus Dei Filius, Passione, & Morte sua Mundum liberaturus. Deus meus volui; sic concordat Isaias c. 53. 7. *Oblatus est quia ipse voluit*. & legem tuam in medio cordis mei. Hinc apertè colligitur Christum Dominum habuisse præceptum B
à Patre moriendi pro genere humano : Cum hoc autem etiam stat, quod liberè sit mortuus, quia ab illo pręcepto poterat petere dispensationem ; plura de his Scholastici.

Iam verò id quod dixi, his Versibus, vnà cum intentione ostendendi Conuersionem illam abundantissimam animarum fuisse fructum Passionis, & Mortis Christi, etiam Vetus Testamentum terminatum, & Nouum statutum fuisse; id clarè S. Paulus citato cap. 10. Epistolę ad Heb. habet, dum vim, & significantiam pe- C
culiarem animaduertit contentam in illis verbis, *Ecce venio* ; sic deducit. *Superius dicens, quia hostias, & oblationes, & holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi : Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum*, vtique Testamentum, nam de eo loquebatur, *vt sequens statuat*, scil. Nouum ; nam statim subiungit. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*.

His expeditis, & insinuato, quod intercurrerat, vndenam illa tam ampla, & latè patens animarum conuersio originem suam habuisset, tum Dominus sermonem D
suum, & animi sui, quam de tot ouium suarum salute percipiebat lętitiam continuat, & ad Patrem ait ;

V. 10. Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna, mira in Psalterio Sacri Textus consensio, & connexio, quod supra Psalmo 17. & 21. futurum, vel se facturum dicebat ; id iam (nam multa planè consequentibus interiectis Psalmis dicta sunt de facta apud Gentes, & in ipsa Gentium Domina, & Metropoli Roma Euangelij E
Prędicatione) factum esse declarat, *Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna*, iam scil. apud Gentes fundata, & mirum in modum propagata.

Sed, quid sibi vult, quod iustitiam potius dicat se annunciasse, quàm aliud aliquod Dei attributum, quod non minoris efficacię, & ponderis fuisset ad permouendum corda fidelium, & audientium illud in Ecclesia magna?

Hoc loco, per *Iustitiam*, non punientem mala, Dei perfectionem, sed potius exactissimam ipsius in promissis seruandis, & exequendis fidelitatem intelligit.

Hac ipsa autem Dei Domini fidelitate nihil aptius, & efficacius est, vel ad ce- F
lebrandam eiusdem Diuinæ Bonitatis gratuitam erga nos liberalitatem, vel ad permouenda humana corda ad accedendum per Fidem ad ipsum Dominum, siquidem, vt Heb. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. Nihil, inquam, hac re efficacius ad permouenda humana corda, maximè quando cum ea ipsa proponuntur, vt Rom. 2. 4. *Diuitiæ bonitatis*

eius,

A *eius, & patientiæ, & longanimitatis, & quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Atque hinc est, quod passim in gratiarum actionis Canticis, quæ in Diuina Scriptura frequentissima sunt, ab hac fidelitate in promissis exequendis Dominus vel maximè celebretur. Sic, vt notissima tantùm attingam, ipsa Domini Iesu Beatissima Mater Virgo Canticum suum summis, maximisque Dei laudibus, & Mysterijs plenum concludit, quod illa tanta, sibi, & toti humano generi per Vnigeniti eius Incarnationem collata dona, eo prorsus modo, eaque fidelitate data, & exhibita fuerint, *Sicut* ipse Dominus *locutus est ad Abraham, & semini eius*

B *in sæcula.* Sic etiam S. Zacharias, *Benedicit Dominum, quia visitauit, sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.*

Hanc ergo Domini amabilissimam iustitiam, ita dicit Christus, se per suos Apostolos, Discipulos, aliosque Ministros in Ecclesia magna annunciasse, vt hoc ipsum pulcherrimum thema diuinarum laudum deinceps etiam semper vsurpare velit; ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti. tu nosti, hæc me fecisse, & hæc præstiturum.

C Insuper, quod cum hac ipsa re coniunctissimum, imò & vnum, idemque est

V. 11. Iustitiam tuam, quia & tu iustus es, & alios non solùm iustificas, sed etiam iustos esse, & perseuerare cupis, non abscondi in corde meo, sed palã bonorũ operũ exercitio ad tuam glorificationem in alijs excitandam ostendi. veritatem tuam, & salutare tuũ

D dixi. ita te misericordem, & ad salutem dandam pronum, paratumque esse prædicaui, vt simul iustum esse, & malefactorum osorem, & castigatorem inculcarem. Omninò hæc duo

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. Hac media via semper Ecclesia Sancta Catholica progressa est felicissimè, vitatis vtrinque scopulis, & syrtibus, in quas hæretici

E incidentes naufragauerunt.

Verùm hæc, quæ ad Ecclesiæ felicitatem, quam suam Dominus Iesus reputat, spectant; consistere, & diù permanere absque peculiari Dei ope, & protectione cum non possent, idcircò pro Ecclesia ipsa tanquam pro se solicitus Dominus orat;

V. 12. Tu autem Domine, ne longè facias miserationes tuas à me; alioquin etiam non subsisterem, verè enim misericor-

F dia tua, & veritas tua (quando mei misertus, opem quam promiseras attulisti) semper susceperunt me. semper, inquam, quando auxilio indigui. quando autem eo non egui?

V. 13. Quoniam circumdederunt me ma-

la, quorum non est numerus: multiplices persecutiones intelligit, de quibus supra; comprehenderunt me iniquitates meæ, Christus Ecclesiæ suæ, vt felicitatẽ,& bona, sua facit; ita eiusdem persecutiones,& peccata, seu pœnas pro peccatis in se transfert, & sibi adscribit; mala ergo illa, seu persecutiones, & calamitates, quas in pœnam, & satisfactionem peccatorum patiebatur Ecclesia, vocat iniquitates suas, à quibus comprehensus fuisset, & quæ essent plures, quàm vt videri, seu singillatim enumerari possent: & non potui, vt viderem. quod etiam magis explicat. A B

Multiplicatę sunt super capillos capitis mei, illa mala externa, quæ & ad probationem, & profectum, & in peccatorum vltionem, & pœnam patiebatur Ecclesia intelligit; & ait tam innumera fuisse, & tam acerba, & grauia, vt & cor meum dereliquit me. Certè testimonio D. Pauli fideles grauabantur supra modum, supra virtutem, vt tęderet etiam illos viuere. Dilectissimus Dominus dilectos suos cor suum vocat; & in ipsis se pati vel ex ipso cęlo exclamauit. Atque etiam hic rogat; C

V. 14. Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine, ad adiuuandum me respice.

V. 15. Confundantur, & reuereantur simul qui quærunt animam meam, vt auferant eam. D

Conuertantur retrorsum, & reuereantur, qui volunt mihi mala.

V. 16. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge. sic illi; at è contra; E

V. 17. Exultent, & lætentur super tę omnes quærentes te: & dicant semper: scil. illi, qui quærunt te, & *salutare tuum*, quod paulò post addit, & cum quo prędicta combinari debent; dicant, inquam, Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum; idest illi, qui salutem, quam illis misisti consecuti sunt, te semper laudent, & glorificent; sic Ioan, c. 17. Christus Patrem clarificabat, & hoc ipsum suum studium Patrem glorificandi hoc loco ipse exprimit; & quod ipsum Patrem F

A trem per suam exaninationem glorificauerit insinuat Versu sequenti 18.

V. 18. Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus est mei.

Adiutor meus, & protector meus es tu: B Deus meus ne tardaueris. Omninò Dominus Iesus sua paupertate, humilitate, exaninatione Patrem suum cælestem glorificauit; & in eo ipse Filius gloriatur, quod mendicus sit, & pauper, & quod hic ipse titulus Paupertatis sit Regni sui distinctiuus. Cæterùm quia cum esset diues propter nos egenus factus est; multa propter hunc suum pauperem statum est passus à superbis Iudæis, idcircò ait, ***Dominus solicitus est mei.*** & ***Adiutor***, &c. dum ab illis despectus planè, & reiectus fuit, nolentes illum Regem mansuetum, humilem, & pauperem ad se venientem recipere. Verùm quàm crasso errore in hoc impegerint; quantumque detrimentum sibi C per hanc reiectionem accersiuerint, sequenti Psalmo declaratur.

PSALMVS XL.

Beatus, qui intelligit, &c.

D Titulus, seu Argumentum Psalmi XL.

In finem, Psalmus ipsi Dauid.

HIc pariter Psalmus est de Christo Domino, vt & ex Titulo, & ex contextu colligitur. In eo ipse Dominus (qui se ***mendicum, & pauperem*** vocauerat, & re ipsa talis erat) cum propterea videret E se à populo suo Iudaico contemni, & reijci, eo quod ignoraret paupertatis suæ diuitias, quod nesciret humilitatis suæ sublimitatem, & gloriam; ***Beatum*** pronunciat eum, ***qui intelligeret super*** se ***egenum, & pauperem***, seque per fidem reciperet; futurum vtique quàm certissimè, vt innumeris ditaretur bonis, quæ versib. 2. 3. & 4. enumerat. Pauci tamen ij fuere. Atque ita à suo populo derelictus, & ad Passionem pertractus ait v. 5. ***Ego dixi: Domine miserere mei***, &c. quatenus in eo ***posita fuerant iniquitates omnium nostrum***. Isa. c. 54. Reliqua eodem sensu se se inserunt. Ita ergo certa res est, F Psalmo huic non aliud esse Argumentum, vt P. Lorinus ex sententia Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum pronunciet, audacia, & temeritate rem plenam esse, aliud Argumentum huic Psalmo, quàm Christum effingere. Ipse ergo, vt dictum est, ait;

A

PSALMVS XL.

V. 2. Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem, se ipsum intelligens, qui talis est, & vt fusè videbimus Isa.c. 45. per excellentiam nominis talis vocatur; qui ergo, ait Dominus, se ita pauperem, & egenum propter nos factum receperit, B *Beatus*: hac voce sæpè vsus est Dominus apud Euangelistas ad ostendendam suorum, qui in se credidissent felicitatem, & ingentia, atque ineffabilia ipsis parata bona. hic etiam quædam grandia omninò, & singularia, quæ se recipientes, & in se credentes essent consecuturi, enumerat. in die mala liberabit eum Dominus. Per hanc diem malam non diem mortis intelligit (nam v.4. de ea subiunget) sed ipsum tempus tentationis huius vitæ, de qua Apostolus Eph. 6. 13. *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*. C

V. 3. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius. Hier. & Chal. hæc verba per futurum vertunt. Omninò id ipsum significant, quod *conseruabit, viuificabit, beatum faciet, non tradet*, &c. nam cum his verbis, etiam vt iacent acceptis, contineatur bona apprecatio, quam Christus ad Patrem facit pro suis fidelibus; quis dubitet benedicere ipsius Domini esse benefacere? sic pariter quod sequitur; D

V. 4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius; vbi ægrotus decumbet: tam verò certum auxilium illi, & subsidium, atque consolatio etiam tunc adfutura est, vt E vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. P. Sà habet, quasi dicat, ita compones, vt possit quiescere: hac quidem similitudine mira Dei benignitas exprimitur erga fideles suos.

Et quidem huc vsque apta omninò, & consequens connexio est cum præcedentibus etiam Psalmi prioris verbis; verùm quæ consequuntur non tam facilè pâtet, quomodo cohæreant; quid enim habet,

F

V. 5. Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi. Omissis aliorum explicationibus, quæ connexionem, & cohærentiam quæsitam non faciunt. Dicendum est, quod in Argumento fuit insinuatum; quod Dominus Christus facta hac præmiorum, & bo-

A & bonorum propositione in eos, qui in ipsum crederent; cum illi valdè pauci, & vix vlli de populo illo Iudaico futuri essent, hoc ipsum sequenti Versu, & etiam alijs consequentibus proponat, non tam vt de sua Passione agat (quandoquidem Psalmo 21. ex professo in Psalterio actum fuit) quàm vt insinuet causas, cur Iudei, qui ipsum pauperem, & humilem Regem recipere noluerunt, iustè ab eo sint & ipsi reiecti, & derelicti; nam mox Psalmo sequenti, item & 42. lugenda veniet ipsorum reiectio, & proiectio.

Itaque hoc versu 5. ipse Dominus Christus, nam ipse, qui cæpit, siue in eius B persona, qua cęptus est Psalmus pergit loqui, & causam assignat, cur Iudæi illum ita pauperem, & humiliatum non receperint; causa autem illa, seu potius occasio, quam ipsi, vt cæci erant, & toti carnales, vani, & mundani habuerunt ipsum Dominum respuendi, fuit illa, quam Sanctus Isaias deplorat cap. 53. quod scilicet Dominus Christus *ascenderet sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti, & non esset species ei, neque decor*; & quod *posuisset Dominus in eo iniquitates omnium nostrum*. Hoc ipsum ergo Dominus hìc insinuat, & ait; Sic à populo eo derelictus *Ego dixi:* idcircò me isti despectum, & nouissimum virorum despiciunt, quod C venissem languores ipsorum, & totius mundi ferre dolores, & peccata portare; & omninò tanquam is, in quo tu Domine posuisti iniquitates omnium, clamo ad te, *Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccaui tibi*. Nostra omnia, vt iam sæpè dictum est, sua facit Dominus Iesus, qui ea ad satisfaciendum pro ijs suscepit. Hinc & ex hac occasione vnde me amare debuerant

V. 6. Inimici mei dixerunt mala mihi,

multis me calumnijs semper insectati sunt; quinimò non desierunt persequi, vsque D dum tandem & occiderent; eò enim tendebant eorum in me odia, vt semper ardentissimè peterent, & inter se agitarent, **Quando morietur, & peribit nomen eius?** Illa, quæ extremis Christi Iesu Domini nostri vitæ temporibus acciderunt hìc insinuantur, & nominatim illa Iudæorum cum Iuda proditore compactatio facta de eo tradendo; nam ipse Dominus Iesus, Ioannis cap. 13. v. 18. citat huius Psalmi Versum decimum Cœna facta ad pedum lotionem inquiens, *Ego scio, quos elegerim; sed vt adimpleatur Scriptura: qui man-* E *ducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum*. Quod si Versus decimus ad illam, quam Dominus insinuauit materiam spectabat, dubitari non potest, etiam alios versus, qui sunt in hoc Psalmo eandem respicere, atque ita Versum sextum, vt dictum est, intelligendum ad literam esse de resolutione tam Iudæ tradendi, quàm Iudæorum vtendi illa opportunitate, & occidendi Christum. Id verò quod statim sequitur versu 7.

V. 7. Et si ingrediebatur, vt videret, vana F loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur in idip-

sum.

ſum. Hoc,inquam, totum de ipſo traditore Iuda,eiusque cum Iudæis proditorijs conſilijs, & conſultationibus, ſeu machinationibus intelligendum eſt. Et certè ſi reflectamus nos ad ea, quæ ipſe hac in ſua proditione geſſit, quæ recenſet D. Ioannes citato cap.13.dum ſcil. pacta iam, promiſſaque ſibi à Iudæis ob proditionem pecunia, intereſt cęnæ, & pedum lotioni; dum *turbatus ſpiritu* ad facinoris enormitatem pientiſſimus Dominus, *& proteſtatus fuit. Quia vnus ex vobis tradet me*; ipſe nihil commouetur: dum inſuper accepta buccella non manſuetus, ſed efferatior introeunte in eum Satana euadit: dum tandem audit ab ipſo Domino ſibi ſoli ſcelus ſuum exprobrari, & dici; *Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas,quod dixiſſet ei Ieſus. Eme ea,quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum; aut egenis, vt aliquid daret. Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò.* Si, inquam, ad hæc nos reflectamus, fateri omninò cogimur, non potuiſſe vaferrimi, & ingratiſſimi hominis ingenium, & ſcelerata eius acta pulchriùs à S.Dauide deſcribi, quàm iiſdem verbis v. 7. iam citati. *Et ſi ingrediebatur*, &c. in Cęnaculum, *egrediebatur* ad hoſtes,&c. Illo autem ad hoſtes Iudæos congregatos ad capiendum, conſecutum eſt omninò, quod Verſu 8. deſcribitur. A B C

V.8. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi.

& applaudentes de oblata ſibi opportunitate id exequendi, quod tamdiù agitauerant, ſcilicet, inferenda nece Saluatori.

V. 9. Verbum iniquum, ipſam ſententiam mortis,ſeu capere ad occidendum, conſtituerunt aduerſum me: conſtituerant, inquam,capere ad occidendum, non quocunque modo,ſed eo, qui poſtea patuit infami morte Crucis: & hoc totum S.Dauid in perſona Saluatoris vocat, *Verbum iniquum*; planè rem per omnia iniquam, & horrendam auditu. Verùm Saluator ſicut apud Euangeliſtas de hac ipſa re iniqua agens illud inculcabat, eoque ſe ſe erigebat, & ſuos, quod *Filius quidem hominis vadit, væ autem homini illi, per quem tradetur*, &c. Matth.26. ita & hoc Pſalmo quid ſimile interijcitur; ſcilicet, Numquid, qui dormit non adijciet, vt reſurgat? & eſt quaſi dicat Dominus: illi quidem illud, quod dixi, verbum malignum conſtituerunt aduerſum me, vt caperent,& morte Crucis è medio tollerent; id quidem fiet, non tamen propterea obtinebunt, quod intendunt, quia mors mea ſomnus mihi erit. *Nunquid* verò *qui dormit, non adijciet, vt reſurgat?* ſubintellige; omninò, & idem mecum fiet; nam vt ſup. Pſalm.3. *Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi.* D E

His,vt dixi, interiectis quadam parentheſi,verſu ſequeuti proponit,atq; oſtendit, quiſnam ille fuerit, vel futurus ſit prædictorum illorum malorum auctor. F

Hoſtes, ait, illi mei *Verbum* illud *iniquum conſtituerunt aduerſum me*. Et quid mirum!

V.10. Etenim homo pacis meæ,in quo ſperaui:

A raui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Sic quidem mihi, me permittente, fiet; moriar.

V. 11. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: post tres dies resurgam; & retribuam eis. recipient illi condignam

B pœnam sceleribus suis. Ego enim tanquam Filius tibi dilectus

V. 12. In hoc cognoui, quoniam voluisti me: quod ames me; quoniam non gaudebit inimicus meus super me; vt me victum, prostratum, ad nihilum, vt cupiebat, redactum videat: quin potius ille confusus permanebit.

C V. 13. Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

V. 14. Benedictus Dominus Deus Isael à

D sęculo, & vsque in sæculum: fiat, fiat.

PSALMVS XLI.

Quemadmodum desiderat, &c.

E Titulus, seu Argumentum Psalmi XLI.

In finem. Intellectus filijs Core.


IAm verò, quid sibi vult lætitia, & mœrore plenus, nec minus gaudijs, quàm gemitibus abundans Psalmus hic quadragesimus primus? Certè qui Psalmum hunc decantat, effundit in se animam suam, & nihilominus ad se ipsum anima eius turbatur. Hinc est, quod hu us Psalmi

F Expositores in varias abierint sententias circa verum, ac proprium eius Argumentum, alijs, quæ hoc Psalmo dicuntur, assignantibus pio alicui homini; alijs toti Iudaico Populo Babylone in captiuitate detento; alijs Religioso cuipiam fatigato huius vitæ malis; alijs demum de ipso Christo Domino interpretantibus, prout fusiùs videre est apud P. Lorinum. Verùm hæc nec Titulus, nec Psalmi contextus indicat, neque ea cum antecedentibus connexio, & sermonis consequentia

tia patitur. Pulsandum ad eius fores, si Dominus aperire dignetur. Ex Titulo, A
& cohærentia cum prioribus inuestigandum est, quis eius sensus sit, & quodnam Argumentum. Titulus est, qui supra. Quod ad primam vocem attinet, idem hic *In finem*, quod ferè aliàs dictum est significat; vt non tam præterita, vel præsentia, quando canebatur Psalmus indicet significari tempora, quàm futura respicere. Quod autem ait, *Intellectus filijs Core*, significat; Psalmum intuitu, atque respectu habito ad *filios Core* esse conscriptum, atque compositum. Igitur eò nos Titulus mittit, quò alludit, scilicet ad Numerorum cap. 16. v. 49. vbi Diuina Scriptura recenset Auctores seditionis contra Moysen, & Aaron excitatę, inter B
quos fuit Core; notanter autem ibidem commemorat, *factum* fuisse *grande miraculum*, vt eo pereunte filij eius non perirent. quod quidem & singulare Dei beneficium fuit, & insignis bonorum illorum filiorum ab impietate Patris recedentium laus.

Hac ergo bonorum horum filiorum de obstinato, & seditioso Patre descendentium figura præ foribus Psalmi proposita, declaratur id, quod ad continuandum Psalmorum cursum, & immediatum hoc ipso loco ordinem connectendum faciebat, vel maximè. hoc pacto S. Dauid cum paulò ante deplorasset Populum C
suum, eò quod reprobandus, & proijciendus esset; & cum proximè, *Beatum*, pronunciasset eum, qui Messiam pauperem agnosceret, atque reciperet; cumque pauculos de suo Populo eum recepturos præuideret; ad eosdem Psalmum hunc dirigit, quos, & aptissimè filios Core appellat, qui scilicet sint parentum obstinatorum, & seditiosorum filij; & ad instar grandis miraculi fuerit, vel eos paucos probos, & obsequentes filios reperisse, qui cum parentibus suis non perirent. Simili ferè phrasi vsus est S. Isaias cap. 1. v. 9. vt videbimus.

Iam hi filij Core, quicunque ex Iudæis ad Christum conuersi aptissimè Psal- D
mum hunc cum omnibus in eo contentis pronunciāt; & maximè affectus illi, gaudij, & tristitiæ; exultationis, & lacrymarum; rerum faustarum, & infelicium compositiones; in eiusmodi hominum proborum ex Iudæis conuersorum corda conueniunt, & in vnum coniunguntur. Ad illum planè modum, quo de se D. Ioannes Apoc. cap. 10. v. 10. ait, librum illum, quem de manu Angeli acceperat, & deuorauerat, fuisse in ore suo, *tanquam mel dulce*; & nihilominus *cum deuorasset eum*, amaricatus est venter eius. In hunc, inquam, modum (qui concordat cum ijs, quę P. Ludouicus Alcazar, in illum Apocalypseos locum, doctissimè disserit) quia E
illi, qui de Iudæis ad Christum conuertebantur, ea ex parte, qua ipsis cum Messia expectatissimo, eximia illa bona, quæ credentibus in se adferebat, conferebantur; ijsque ipsis grandia illa Mysteria Redemptionis humani generis, vocationis Gentium ad eius Fidem, & similia reuelabātur, & innotescebant; hac, inquam, ex parte non poterant illi quidem non mirificè recreari, & gaudere; aliunde verò cum ardentissimo etiam in suos Contribules, & secundùm carnem cognatos Iudæos ferrentur amore, ex illa ipsa Diuini Consilij cognitione, qua tandem eos propter scelera, & obstinationem deserendos, & à facie Domini proijciendos F
cognoscebant, non poterant, non intimo, & acerbissimo doloris, & commiserationis sensu tangi: atque sic in vnum affectus illi gaudij, & tristitiæ, aliaque inter se diuersa, & contraria respectu diuersorum non solùm non ægrè, sed etiam placidissimè conueniebant.

Quanta autem vehementia in vnum, hi diuersi affectus conuenirent, si vllus alius

A alius certè valdè patheticè hic ipse Psalmus ostendit. Exempli, & veritatis caussa, summa tantùm Psalmi aliquot capita percurramus. Quicunque vel præsentis in carne, vel per Fidei Prædicationem annunciati Messiæ notitiam receperit; quando ipse est, quem multi Reges, & Prophetæ videre, & audire votis maximis expetebant, necesse est eum pleno affectu exclamare; quod

PSALMVS XLI.

B V. 2. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Cerui sitientis aptissima, & valdè nota similitudine ardentissimum credentium in Christum desiderium declaratur. Cum verò apud ipsum Dominum sit fons vitæ,

C V. 3. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: His verbis Christi Domini Humanitas, & Diuinitas declarantur. & simili planè modo loquitur Isaias ca.39.v.11. quidni ergo vnusquisque ardentissimè cupiat, & dicat; quando veniam, & apparebo ante faciē Dei? id inquam dicat, & cupiat; non quidem sua ex parte, & persona, siquidem per Fidem accessisse iam supponitur; sed alio-
D rum, qui nondum per eam accesserunt, & venerunt.

Et sanè, quia futurum erat, vt non omnes imò paucissimi è Iudæis venirent, ac proinde demùm deserendi essent; id dolet, & amarissimè deflet; & testatur, quod

V. 4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi
E est Deus tuus? Attamen in hoc ob desolationem futuram Populi mei luctu mihi existenti illa successit magna consolatio, quod in eis, & inter eos *filios Core* futuros præuiderem; conuertendos scilicet ad Christi Fidem paucos ex Iudæis, per quos deinde (& hi fuere S. Apostoli) Gentes innumerabiles ad eandem Fidem adducendæ, & Ecclesia in Gentibus esset fundanda: atque ita

V. 5. Hæc recordatus sum, & tanto ipsorum bono congaudens, & con-
F gratulans effudi in me animam meam: quoniam in ijs paucis eius Discipulis, à Iudæis ad Gentes migraturis, & Ecclesiam Christi Dñi mei fūdaturis, transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad Domum Dei, quæ est, eritque eius Ecclesia, sic inter Gentes fundanda, vt

prius sit *Tabernaculum*, deinde *Domus*, iuxta dicta supra in Argumento Psalmi 28. A
& in Argumento Psal. 29.

Et quidem migratio hæc, siue transitus Ecclesiæ à Iudæis ad Gentes (de quo peculiariter agetur Psal. 109.) fiet;

In voce exultationis, & confessionis; persolutis cũ gaudio Diuinæ Maiestati laudibus à migrantibus ad meliora, quæ quidem vox exultationis, & confessionis erit, tanquam si sit sonus epulantis. Hùc alludit S. Isaias cap. 30. v. 32. de eadem prorsus re, vt B
patebit, loquens; *Et erit transitus virga fundatus, quam requiescere facit Dominus super eum in tympanis, & citharis*, &c. *Exultatio* autem hæc, & *sonus* hic *epulantis* fiet propter multitudinis Gentium in Ecclesiam intrantium bonum.

Et hæc quidem læta sunt valde; neque tamen mihi dolorem omnem, & tristitiam propter pereuntes extra Ecclesiam Iudæos abstergunt (sic D. Paulo Rom. c. 9. v. 2. propter eosdem *tristitia* illi *magna erat, & continuus dolor cordi* eius) ideoque ne animo deficiam, necesse mihi est identidem me excitare.

V. 6. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? C
In hoc meo luctu recordatione illa, quod reliquiæ Gentis meæ, ipsæ tandem saluæ fient, erigor, & sustentor; ideoque affligentem me animam mea, benè sperare iubeo;

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; etsi modò desijt Dei Laus; vel aliquando, & diù cessatura est in Populo meo; *adhuc* tamen *confitebor* illi in eis, qui de meo illo Populo ipsum ad fi- D
nem Mundi recipient Dominum Iesum Christum Dei Vnigenitum, qui est salutare vultus mei,

V. 7. & Deus meus. & sic etiam illi agnoscent eum Mundi Saluatorem, & per omnia integrè atque perfectè toto corde, & ore eius Humanitatem, & Diuinitatem confitebuntur.

Ad me ipsum anima mea conturbata est; E
eo quod in tam diuturna desolatione adeò multi in sua cæcitate, & obstinatione perituri sũt; propterea ad subleuandam hanc animæ meæ conturbationem, nam, *tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo*, Rom. 9. 2. memor ero tui, recolam mente, & cogitatione mea semper ea, quæ tu nobiscum in terris cõuersans, & salutem nostram operans, *incipiens à Galilæa, vsque huc*, Luc. 23. 5. mirabilia, & fecisti, & docuisti; quæ nemo alius aut facere, aut loqui potuisset; horũ, inquam, *memor ero*, F

de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico. Districtum illum nominat, quem Dominus Iesus signis suis, & Diuini sui Verbi Prædicatione magis nobilitauit: nam Adricomius notat, Hermonem montem maiorem quatuor ferè leucarum esse contra mare Galileæ,

vbi

A vbi Iordanis egrediatur ex mari Galileæ; & Hermonem minorem in cuius latere Aquilonari sit Ciuitas Naim.

Horum ergo in eiusmodi regionibus à Domino patratorum, ait, se velle ad consolationem, & aliquod doloris leuamen meminisse, quæ, proh dolor! licet tam grandia, & stupenda fuerint, & vniuersum in circuitu Populum in sui admirationem raperent, & per ipsas solitudines Dominum ea facientem sequi compellerent; nihilominus ijs nihil permoti ipsi Iudæi in sua obstinatione permanserunt.

B Atque hinc est quod modo (de tempore desolationis Iudæorum loquitur)

V. 8. Abyssus abyssum inuocat, i. ait P. Sà succedit calamitas calamitati, in voce cataractarum tuarum, te demittente tribulationum imbrem.

Omnia excelsa tua, q.d. voragines afflictionum, & fluctus tui

C super me transierunt. Iudaico Populo nullus miserabilior; significantissimis hisce similitudinibus exprimuntur eorum omnes miseriæ, tam corporales, & temporales; quam, & maximè spirituales, & æternæ. Super se autem ait S. Dauid eas transisse, quia ex affectu sua facit, quæ sunt Populi sui.

V. 9. Hunc tamen luctum meum temperare debeo misericordiæ, & orationis exercitijs,

D In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: fiducia etiam mihi magna concipienda est de eius bonitate;

V. 10. dicam Deo: Susceptor meus es.

E Et tunc maximè ad ipsum hac fiducia fretus clamabo,

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus? quod est ipsum tempus extremæ calamitatis meæ;

V. 11. Dum confringuntur ossa mea, vires, robur,

F totius Regni, & Synagogæ Iudæorum (vide dicta supra Psal. 6. v. 3. & Psal. 33. v. 21. Sic Isaiæ c. 38. 13. quasi *leo, sic cōtriuit omnia ossa mea*: idipsum deflet Ezechias) exprobauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei. Verè id ipsum obijcitur hodie Iudæis, quod Rege, Regno, Lege, &c. careant: & quod grauissimum est, etiam Deo. quis ferat?

Y 2 Dum

Dum dicunt mihi per singulos dies: Vbi A
est Deus tuus? Quid faciam, aut quid dicam? illa qua prius vsus sum, opus mihi est erectione, & consolatione;

V. 12. quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor B
illi, salutare vultus mei, & Deus meus. id quod dixerat v. 6. hic repetit, quia non aliunde maiorem consolationem hauriebat. sic etiam repetit Psalmo 58.v.7. & 15. *conuertentur ad vesperam*; vt ibi dicetur, de eadem Iudæorum conuersione ad finem Mundi: sed, & Psalmus sequens ea ipsa clausula terminatur.

C


PSALMVS XLII.

Iudica me Deus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLII.

D

Psalmus Dauid.



HIc Psalmus est continuatio prioris iam explicati Psalmi, in eo tantùm ab illo differens, quod hunc per modum continuatæ cuiusdam precationis, & deprecationis ad Dominum pro Populo suo conuertendo S. Dauid proponat. Non quod precetur liberari ab iniquo viro, siue Saule, siue Absalone, atque confœderatis eorum; aut vt ab exilio rediens laudes Dei festiuè valeat in Tem- E
plo, vel Tabernaculo concelebrare; neque est de Populo Iudaico Babylone constituto, aut re quapiam simili; quia hæc, & eiusmodi neque Titulus indicat, neque contextus consequens explicatio ea esse patitur. Verùm illud omninò est Psalmo Argumentum, quod positum est, Ardens scilicet postulatio S. Dauidis pro Populo suo conuertendo; vt quod supra inchoauerat Psalmo priori, multi ex illis essent filij Core, qui cum suis parentibus obstinatis, & impijs non perirent, sed ab illis per Fidem in Christum separati, & segregati saluarentur. Hanc ergo affectuosam suam, quæ ex antecedenter dictis consequebatur deprecationem, F
ita orditur.

Magno quidem mihi est solatio, ò Deus, quod Gentem meam, vel ad finem Mundi conuertendam intelligam; veruntamen non sine ingenti dolore fero, quod tam multi de Populo meo, tam diuturno tempore à te separati, & derelicti sint permansuri; obsecro proinde

PSAL-

A

PSALMVS XLII.

Iudica me Deus, me pro populo deprecantem iudica iudicio, non reiectionis (quo deprecantes, & ad te contrito corde accedentes non soles iudicare, seu condemnare) sed approbationis, benignitatis, & veniæ, atque amplissimæ gratiæ ad Vnigeniti tui Aduentum,
B & Euangelij eius Prædicationem præparatæ iudicio; *iudica me Deus*, & discerne causam meam, separa me, & fac, ne sim de sorte, & numero, & de gente illa non sancta; qui à te recedent, qui obstinati in sua perfidia, & tui contemptu manebunt, ab eiusmodi, & ne talis sim, ab homine iniquo, & doloso erue me. Per hominem iniquum, & dolosum, vt supra Psal. 7. & aliàs, intelligitur ipse Populus Iudaicus, & quicquid
C est eiusmodi obstinatæ, & perfidæ fęcis hominum. *Erue*, inquam, *me*, ne cum tam multis sim, qui abituri sunt in consilio impiorum, qui stabunt in via peccatorum: Et planè fuisse inde ex illo tam magno, & tam profundo impiorum cætu, & iniquitatis, & malitiæ cæno erutum, diuini erat auxilij tui.

V. 2. Quia tu es Deus fortitudo mea: Sic S. Dauid orat, & obtestatur: obuersante autem sibi magno illo numero Iudæorum, qui, exceptis collectis ex ijs pauculis, planè reijciendi erant, solito cōpassionis, & cōmiserationis
D affectu non tam conqueritur, & expostulat cum Deo, quàm coràm eo ingemiscit, luget, & simpliciter illam ipsam calamitatem proponit; quare me repulisti? hoc repulsionis, seu repulsæ, & repellendi termino S. Dauid significat illam Iudæorum desolationem, derelictionem, seu reprobationem, prout mox Psalmo sequenti v. 10. eandem eo verbo proponet. Ait ergo, heu Domine! vt quid, & quid factum est, quod repulsę ris; & quod hanc ipsam repulsionem consequitur, quid factum, quod tot annorum, imò sæculorum longa serie ego in populo meo Iudaico,
E quare tristis incedo, afflictus, desolatus, derelictus; dum affligit me inimicus. Dum in me bonis omnibus, & auxilijs spiritualibus spoliatum tyrannidem suam nemine prohibente exercet hostis infernalis? vt Iudæis non desint multi inimici: (nam quia ipsi omnibus hominibus aduersantur, vt Apostolus loquitur, omnes homines hostes habent) de illis tamen nominatis præcipuè S. Dauid loquebatur, & animarum potius, quàm corporum damna, & strages deplorabat. hoc ergo totum significat; *quare tristis incedo, dum*
F *affligit me inimicus?* Ne tanta mala in tàm multis meis patiar, obsecro Domine,

V. 3. Emitte lucem tuam, gratia tua cæcitatem illorum illustra; & veritatem tuam; exhibe illis ea, quæ seruis tuis, Patribus nostris, Abrahamo, & semini eius in sæcula promisisti: planè hæc duo; *Lux* illa; qua te manifestare nobis dignatus es; & promissiones illæ grandes,

des, quas fecisti nobis, idest, *Veritas tua*: ipsa me, populum meum, siue nos Iudæos, deduxerunt, A
& adduxerunt; iam inde ab initio Abraham, Isaac, & Iacob, Moysen, Iosue, aliosque omnes Patres nostros peregrinantes *deduxerunt*, dum nobis faueres, & tanta signa dilectionis ostenderes, nos comitando, viam ostendendo, & protegendo; gratiam, inquam, tua, fauor, & protectio *deduxerũt, & adduxerunt*, in montem sanctum tuum, vsque dum veniremus in *montem sanctum tuum* ad accipiendam legem datam in monte Sinai, qua accepta, & pacto fędere facti fuimus tibi populus peculiaris de omnibus nationibus, B
quæ sub cęlo sunt, & sic misericorditer adducti fuimus in tabernacula tua. Magna quidem hæc, & grandia sunt; nihilominus multum omninò, & quod summum, maximumque est, peragendum superest; vt scil. in ipsum Domini Templum, & vsque ad Altare Dei admittamur. Per *Altare Dei* S. Dauid solita Scripturæ phrasi, qua, *Dei*, illud dicitur, quod summum, maximum, excellentissimum, & perfectissimum est, intelligit Nouum Testamentum, eiusdemque Noui Testamenti Sanctissimum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, omnium antiquorum Sacrificiorum completiuum, & terminatiuum; præterea per illud ipsum *Altare* intelligit quicquid illi annexum est, vt sunt sacrosancta Sacramenta, Lex gratiæ, &c. *Emitti* ergo *lucem* illam, *& veritatem*, continuari, & ad perfectum postulat perduci; & sic ait ea adiutus; C

V. 4. Et, idest, etiam quod restat, quod maximum est etiam introibo ad Altare
Dei: ad illum, inquam ingrediar, illum toto affectu complectar, illi ab eo nunquam diuellendus inhærebo; ad Deum, D
qui lætificat iuuentutem meam. Per hæc verba exprimitur accessus ad Deũ, ac Dominum nostrum Iesum Christum, agnitum Messiam, ac Dei Vnigenitum, Mundi Saluatorem. Hoc colligitur ex illo addito, *qui lætificat iuuentutem meam*; quod tamen, vt intelligatur, aduertendum est; Sanctum Dauidem, vt cæperat Psalmum, illum ipsum continuare non tam pro se, & in sua, quàm pro, & in Populi sui persona; proinde etiam hæc ipsa verba in Populi sui Iudaici persona pronunciasse; introibo *ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam*. nàm si de se loqueretur, cum hæc ætate maturiori, & fortè prouecta diceret, congruentiùs dixisset, Deum lætificare senectutem suam, quàm tantorum mysteriorum notitia illustraret, quæ animi lætitiam nullis humanis voluptatibus comparandam, coniunctam habet. E

Dicere autem, quod per lætificatam iuuentutem intelligat hoc loco mentis internæ renouationem, id, licet dici possit tamen, non est ita connexum, neque ad literam, & præcipuum eius intentum; nam certum est, vt hactenus vidimus, eum hoc Psalmo orare, & obsecrare pro Populo suo. F

Verùm supposito etiam, quod pro Populo hic loquatur, eadem planè difficultas recurrit; cur enim Dominus dicitur lætificare iuuentutem potius Populi Iudaici, quàm virilem eius ætatem, ipsamque senectam? Magna planè ratio, & congruentia est, propter quam dicatur, illam potius lætificare, vel lætificasse, quàm aliam quamcumque ætatem Iudaici illius Populi. Nam eo ipso, quod eum Populum

A pulum per aduentum suum in carne visitasset; & paucis Discipulis ex illo tam magno eorum numero collectis ad Gentes discessisset, cum ijsdem Gentibus vsque ad finem Mundi mansurus (ad quem finem, & vltimam Mundi ætatem tandem, & Iudæi colligendi sunt) eo ipso, inquam, *iuuentutem* tantummodò illius Populi *lætificare*, vel *lætificasse* dicitur, cum sine hac Messiæ, & Saluatoris lætitia omnis eorum interiecta ætas desolata, & derelicta permaneat. *Introire* ergo *ad Altare Dei* postulat; instatque admitti quamplurimos *ad Deum, qui lætificat iuuentutem suam*. Si hanc gratiam consequatur, promittit,

B Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: omni promptissimo, & pleno propriæ abnegationis obsequio, orationis, & mortificationis, omnique Religionis cultu te colam.

Nihil mirum si Sanctissimus Propheta Dauid hæc omnia tanto affectu dicat, tam instanter postulet, & tot lacrymis, sæpè etiam deinceps iterandis, ingens malum, quod hac re non obtenta impendebat, auertere, & amoliri conetur. Insuper nihil mirum si sancta Mater Ecclesia Christi Sponsa hunc ipsum Psalmum ad C Missæ Sanctissimi Sacrificij Introitum Sacerdoti, & Ministris, totique populo recitandum proponat; nam constat manifestè, quod S. Aug. Tractatu 27. in Ioannem ait. *Nihil sic debet formidare Christianus, quam separari à Corpore Christi. Si enim separatur à Corpore Christi, non est membrum eius: si non est membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. Quisquis autem, inquit Apostolus, Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Propterea cum se non exauditum pro omnibus aduerteret S. Dauid, pressus dolore, vt supra replicat;

D V. 5. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, licet interponenda sit illa longa desolationis mora, adhuc tamen *confitebor illi*, agnoscam salutare vultus

E mei, Dei Vnigenitum humana carne indutum, qui homo verus cum sit, est & Deus meus.

Sic ipse S. Dauid solatur se pro populo suo de futura in Messiam confessione. Hanc Populus Christianus de præsenti se tenere, & Deo exhibere quotidie palàm cum Sacerdote in summo, & maximo Missæ Sacrificio profitetur; & se solicitum esse protestatur, vt eam semper teneat, & exhibeat; fiat, fiat.

Quod autem attinet ad Sancti Dauidis ploratum, eum ille non hic terminat, sed vel maximè prosequitur, & continuat toto Psalmo sequenti.



PSAL-

 A

PSALMVS XLIII.

Deus auribus nostris, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLIII.

In finem, Filijs Core ad intellectum. B



Ei tantæ, quanta fuit Iudæorum Populi olim Deo dilecti reprobatio, & desolatio, grauitas, & acerbitas in mitissimo Dauidis Regis pectore, non leues tantùm, qui citò finirentur, sed potentissimos motus ciebat, qui mirum quantum producerentur, & crescerent: ideò subiungit etiam hunc Psalmum *In finem* illum eisdem, sicut supra Psalmo 41. est explicatum, *Filijs Core ad intellectum*, quem scilicet possent, & frequenter deberent vsurpare boni Iudæi ad placandam, C si quomodo valerent, reliquis impijs Diuinam Maiestatem.

Ad hoc ipsum aptissimis vtitur argumentis desumptis à multiplicibus beneficijs, quæ Diuina eius Maiestas ipsorum Patribus contulerat, quod facit vsque ad v.5. exclusiuè. A v.5. vsque ad 10. recentia quædam beneficia recolit. A v.10. vsque ad 18. enumerat grauissimas calamitates, quas ipse eius Populus patiebatur, quæ licet referri possint ad tempora captiuitatis Babylonicæ, & persecutiones Antiochi; nihilominus propriè vltimam ipsis per Romanos illatam calamitatem, & vastitatem respiciunt, & illi soli omnes quadrant. Sic ergo incipit. D

PSALMVS XLIII.

V.2. Deus auribus nostris audiuimus. Vt dictum est, ad placandam Diuinam Maiestatem aptissimis vtitur Argumentis desumptis à multiplicibus beneficijs, quæ Diuina eius Maiestas ipsorum Patribus contulerat. Simili modò deprecationis vsus fuit Isaias cap. 63. à v.11. & cap. 64. à v.7. E vt videbimus. Patres nostri annunciauerunt nobis; per scripta, & posteros, aut etiam per se: ait P, Sà.

Opus, quod operatus es in diebus eorum: & in diebus antiquis. prius illa attingit; deindè etiam recentia, quæ futura erant, commemorabit à v.5. F Antiqua autem fuerunt;

V.3. Manus tua gentes disperdidit, Chananæos scilic. & Palæstinos, &c. & plantasti eos, nimirum Patres nostros; è contra afflixisti populos,

A los, & expulisti eos. tu ipse *expulisti* eos, vt nos introduceres. Vis est in verbo *expulisti*, propter antithesim secuturam v.10. Ipse, inquam tu Deus pro eis pugnando expulisti;

V.4. Nec enim in gladio tuo possederunt terram; & brachium eorum non saluabit eos: Pleni ipsi trepidatione semper erant, siue instantibus super eos Ægyptijs, siue
B cum ingredi terram promissionis deberent;

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, idest fauor, qui, vt benè notat P.Em. Sà, solet exhiberi vultu hilari; quoniam complacuisti in eis. Sibi omninò in eis, & eorum Patribus Dominus olim cõplacuit; quantò autem maior præcedens fauor fuit, & beneficentia Principis, tantò maior luctus, dum ea perduntur. His antiquis gratiæ diuinæ erga Iudæos signis
C insinuatis, quædam alia, quæ recentiora, & maiora erant commemorat.

V.5. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus: qui mandas salutes Iacob. Benè, inquã, dixi, beneuolentiã, beneficentiã, fauorem, & gratiam tuam Deus, mirè olim eluxisse erga Patres nostros; & quod tibi in eis cõplacuisti. quidni id dicam, quandoquidem *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus*: eò vsque proces-
D sit amor tuus erga nos, vt qui es Deus meus, fieri etiam velles Rex meus, assumpta humanitate: (Iudæorum enim sunt *Patres, & ex illis* est *Christus secundùm carnem, qui est Deus benedictus in sæcula*, Roman. c. 9. v. 5.) Hoc summum, & maximum est donum, & gloria plebis tuæ Israel, quod *Tu ipse Rex meus, & Deus meus*: tu, *qui mandas salutes Iacob*. Etiam his pauculis verbis aliud recens beneficium continetur; & illud est, quod Dominus Christus ita carnem ex Patribus Iudæis assumpserit, vt ex ijsdem etiam Discipulos, & Apostolos, & Primitiuam suam Ecclesiam collegerit, per quos erat missurus *salutes*, saluationem *Iacob*; ijs,
E qui secundum promissionem erant Iacobitæ filij Dei, Israelitæ dispersi per Mundum: planè hoc velle S. Dauidem, primò connexio consequens ostendit; secundo vis in verbo *mandas*, quod vt etiam in Isaia notabitur, est verbum militare, significas expeditionem, ad quam (Mundi scil. totius Conuersionem) missi fuere Apostoli. Et planè de eadem Sanctorum Apostolorum expeditione, tanquam singulari beneficio præstito ijs, qui de suo Populo, & gente erant, loquitur etiam versibus sequentibus vsque ad 10. S. Dauid; dum ait,

F V.6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. quasi dicat, sicut te Domine potentissimum ostendisti in vincendis hostibus nostris Chananæis, &c. vt supra dixi, ita planè omnipotentem ostendes in illis paruis copijs, quas ex Populo nostro ad debellandum Mundum instrues, quibus nemo poterit resistere. *ventilabimus cornu*; & in nomine tuo sperne-

mus insurgentes in nobis. Est phrasis Scripturæ, vt *cornu* accipiatur pro robore; & *ventilatio* pro debellatione. Sic Deuter. c. 33. de hac ipsa re, idest de Christo in Ioseph figurato, est illud; *cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes vsque ad terminos terræ*. A

V. 7. Non enim in arcu meo sperabo: sicut etiam illi primi Patres nostri, *non in gladio suo possederunt terram*; & gladius meus non saluabit me. B

V. 8. Saluasti enim nos de affligentibus nos, futurum ponit pro præterito, & sic, & odientes nos confudisti.

V. 9. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum. Sensus est, quod nō solùm ipsi sic à Deo electi ex Iudæis in Apostolos, & Principes, ac Pastores Populorum essent Dominum glorificaturi, &c. sed etiam quod illi ipsi in eodem Domino, qui tantopere illos honorificauit, essent laudandi, & glorificandi; & certè vt antithesis vim suam habeat, hoc secūdum præcipuè significare intendit S. Dauid, quod scil. olim quidem suus Populus, & sua Gens tam eximiam beneuolentiam Dei experta; & nunc etiam recenter ad Messiæ Aduentum per eos, quos ex illo Populo collegit ad Mundi Conuersionem, supra modum exaltata fuerit: C D

V. 10. Nunc autem, tempus indicat obdurationis, & desolationis eorum, quod impletum est, recedentibus ab illis ad Gentes Apostolis cum Ecclesia; *nunc* inquam, repulisti (qui pro nobis olim *expulisti* Chananęus) & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris. Cum per *virtutes* hoc loco intelligantur Exercitus, sensus est (quod supra v. 5. dicta, *qui mandas salutes Iacob*, confirmat) ita nos repulisti, & deseruisti, & confudisti, vt missis ad Gentes Apostolis non amplius tibi sis ex nostro Populo electurus homines, quos indutos virtute ex alto ad Gentium aliarum conuersionem mittas, sed tibi suscitabis ex ipsis Gentibus eiusmodi milites, & Prædicatores Diuini tui Verbi; quod omninò factum, & sic dolet S. Dauid; *quod non egredieris Deus in virtutibus nostris*. E

Vbi autem à Iudæis recessissent Apostoli; ipsi planè imbelles facti Romanis eos in pœnam patratæ in Christum Domini cædis circumuallantibus, & vastantibus succubuerunt. F

V. 11. Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderūt nos, diripiebant sibi.

V. 12.

A V. 12. Dediſti nos tamquam oues eſcarũ: deſtinatas ad macellũ, & ad deuorandum; & in gentibus diſperſiſti nos. Hęc diſperſio illorum in Gentibus, ideſt vniuerſim ad omnes, & in omnes Gentes, & Nationes; non contigit niſi in vltima per Romanos illata vaſtatione; ideoque de hac, vt dictum eſt in Argumento, ad literam eſt ſermo Sancto Prophetæ. Hæc autem, quæ hìc, & ſequentibus verſibus de illa vaſtatione prædicuntur, tam

B propriè etiam verè illi conueniunt, vt id totum Ioſephus de Bello Iudaico, alijque illius extremè calamitatis Hiſtorici factum eſſe recenſeant. Tunc, & non aliàs

V. 13. Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non fuit multitudo in commutationi-

C bus eorum. Minimi cum venirent, & in licitatione eorum non augeretur pretium, non tamen facilè inueniebantur, qui eos emerent.

V. 14. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris: ſubſannationem, & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro.

D V. 15. Poſuiſti nos in ſimilitudinem Gentibus: vt ſcil. dicatur de miſero aliquo. Eſt infelicior Iudæo. P. Sà. commotionem capitis in populis. Hæc manifeſta ſunt his ipſis temporibus noſtris: adeò viles, & abiecti facti ſunt.

V. 16. Tota die verecundia mea, Populi illius mei adeò vbi-

E que, & apud omnes proiecti; contra me eſt, ante oculos mihi verſatur, & confuſio faciei meæ cooperuit me. In alijs, quas paſſi ſunt preſſuris, & captiuitatibus nunquam ſic deſpecti.

V. 17. A voce exprobrantis, & obloquen-

F tis; à facie inimici, & perſequentis. facinus illud horrẽdum Chriſti Dei Regis ſui tam impiè occiſi.

V. 18. Hæc omnia venerunt ſuper nos; nec obliti ſumus te: & iniquè non egimus in

testamento tuo. Propter hunc versum, ait P. Lorinus, contendit Caietanus nullo modo esse Psalmum istum de Hebræis, quia nunquam leguntur tanta passi absque culpa sua, sicut hic describitur; sed benè respondet Iansenius Caietano, loqui non Populum totum Hebræum, sed qui ex eo Populo adhuc synceri, & iusti perstiterant. A

Ad huius non mediocris difficultatis, quæ huius versus 18. & sequentis 19. occasione emergit; siquidem immunes videntur reddi à culpa Iudæi, quod, *nec obliti sumus te*, &c. & insuper versu 19.

V. 19. Et non recessit retrò cor nostrum: & declinasti semitas nostras; est repetitio negationis prioris more Hebræo, & non declinasti *semitas nostras* à via tua. Ad huius, inquam, difficultatis explanationem, licet bona sit Iansenij explicatio, quam etiam sequitur P. Lorinus: nihilominus desiderari aliquid in ea videtur; eò quod S. Dauid hoc Psalmo vniuersim, siue per totum contextum in persona Populi sui loquatur; deinde sicut eos in his duobus versibus ab aliquo, vel aliquibus excusat; ita mox vers. 21. & 22. in aliquo, & aliquibus accusat; *Si obliti sumus nomen Dei nostri*, &c. *Nonne Deus requiret ista?* Quæ omnia vniuersim de omnibus Iudæis, vel potius de Populo, vt sic sumpto vult intelligi; nam vtique aliqui probi iusti, & in Christum credentes, vt sæpè diximus, fuere ex eo Populo. B C

Quid igitur sibi hæc excusatio, & accusatio? Dicendum est, Sanctum Dauidem in suo Populo Iudaico duo genera malorum, seu peccatorum distinguere; vnum quidem spretæ, contemptæ, & planè derelictæ Legis, Fœderis, & Testamenti, & accessus ad Idololatriam. Alterum verò non recepti, sed contempti, reiecti, & occisi Messiæ Christi Domini, Dei Vnigeniti. D

Dum ergo post illam tam longam, & lugubrem Iliadem malorum, & miseriarum versib. 10.11.12.13.14.15.16.17. comprehensam, subiungit v. 18. *Hæc omnia venerunt super nos*, &c. Sanctus Dauid hæc dicendò, nihil aliud vult, quàm obseruari, & animaduerti ad causam, propter quam illa adeò horrenda patiantur Iudæi; ipsam porrò, ait, fuisse, non quod planè fuissent obliti Dei; non quod *iniquè egissent in Testamento* ipsius, illudque deserendo, à Deo ad Idola recessisset retrò cor eorum, & *declinata* fuisset *semita* eorum à *via Dei*; neque enim Idololatriæ dediti erunt Iudæi, cum ad eos Dominus Christus venit: & Legem (licet pauci plenè, & sine traditionum additamento) seruabant tamen. Non ergo, ipse ait, propter eiusmodi *hæc omnia venerant super nos*: Iusta nihilominus causa aliqua esse debet, propter quam *hæc omnia venerint super nos*. Causa ergo, E

V. 20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. causa, inquam, tantorum, atque extremorum malorum nostrorum illa vna, & maxima, atque prima est; F

V. 21. Si obliti sumus (hoc loco *Si* non est conditionalis particula, sed rationalis, idem valens, quod *quandoquidem*, sicut Ioannis 7. v. 4. *Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo*; quandoqui-

A quidem hæc facis) quandoquidem *obliti sumus* nomen Dei nostri; notum est per *nomē Dei*, item per *Deum nostrum*, in Scriptura intelligi Dominum Nostrum Iesum Christum Dei Filium; & si expandimus manus nostras ad Deum alienum. &, *siquidem expandimus manus*, &c. vt dictum est, Iudæi non colebant Idola tempore Messiæ, dicuntur tamen *expandisse manus ad Deum alienum*; quatenus ipsum Dominum Iesum Christum Deum reie-
B cerunt, priuati sui boni, & loci, ac Gentis suæ, nec non, vt prętendebant, Cæsaris Romanorum amicitiæ conseruandæ cupiditate, atque desiderio. Heu! quàm grandia! quàm dictu, & auditu horrifica sunt hæc scelera!

V. 22. Nonne Deus requiret ista? ad puniendū planè requiret, quibuscunque religionis prætextibus fuerint palliata: ipse enim nouit abscondita
C cordis. Hæc ergo causa est, hoc alterum peccatorum Populi mei genus;

Quoniam propter te, Christum Dominum ac Deum Nostrum reiectum, & occisum tanquam ouem; mortificamur tota die: & iustè id factum, atque de facto fit nobis: vt, æstimati sumus sicut oues occisionis. idest, P. Sà, perinde nos tractant hostes, ac si oues essemus, nec pluris faciunt, quàm pecus, in pœnam illius Deicidij.
D Notandum; quod hunc versum S. Paulus Rom. 8. 36. citet solùm ad notandam magnitudinem ærumnarum, & tormentorum, quæ pro Christi amore, & patiebatur, & paratus erat pati, etiam amplius, & supra quàm posset vir quispiam alius ærumnosissimus. quod ipsum dicta confirmat. Sed ad Psalmum redeundo;

V. 23. Exurge, quare obdormis Domine? diuturnitatem exprimit, qua futuri erant Iudæi in illa sua extremâ calamitate;
E exurge, & ne repellas in finem. in sempiternum.

V. 24. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris, dum non succurris, inopiæ nostrę, & tribulationis nostræ?

F

V. 25. Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: terrenis, & carnalibus immersos deplorat Iudæos suos; conglutinatus est in terra venter noster.

V. 26.

V. 26. Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. Plena commiseratione, & desiderijs auxilij pro illo Populo est hæc oratio, & Psalmi clausula. Sed nunc ad lætiora. A


PSALMVS XLIV.

B

Eructauit cor, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLIV.

In finem, pro his, qui commutabuntur filijs Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto. C



His omnibus, quæ iam inde à Psalmo 29. huc vsque eo, quem breuiter in argumentorum positionibus vidimus modo pertinebant, vel reducebantur, ad interiorem Domus Christi, Ecclesiæ, & Fidelium eius Dedicationem, seu sanctificationem absolutis; acceditur iam tandem hoc Psalmo ad illam patentem, & exteriorem: propterea, tria potissimum in ipso Titulo significata proponuntur, supposito quod solita particula, *In finem*, indicet Psalmum respicere, & D spectare ad futura Ecclesiæ Christi tempora.

Primum igitur est; Psalmum notanter dici esse, *pro ijs, qui commutabuntur*; quo significatur, remanentibus Iudæis in sua obstinatione, de alio sibi Populo Dominum prospexisse; & de ijs hoc Psalmo mentionem fieri, qui futuri sunt ex Gentibus, & qui felicissimè sortem suam vnà cum statu infidelitatis commutaturi sunt; & hoc est, *pro ijs qui commutabuntur*. De Gentilibus autem in Ecclesiam ingressuris fieri hoc Psalmo frequentem, & claram mentionem, patet ex Versib. 6. 9. 13. 17. 19. &c. E

Secundum, quod hoc Psalmo contineri, indicat Titulus, est, *Filijs Core ad intellectum*; quo, vt aliàs paulò ante dictum est, notatur, etiam hoc Psalmo instrui eos, qui ex Iudæis conuersi erant (& omninò ipsi Sancti Apostoli, & Discipuli Domini, prima Ecclesiæ Sanctæ lumina, & columina, ex ijs fuere) instrui, inquam, eos de ijs, quæ circa Gentium conuersionem, & Ecclesiæ apud eos fundationem Diuina Maiestas decreuerat facere. Propterea de Ecclesia est, *Astitit Regina*, &c. cum reliquis. De ipsis Apostolis est v. 17. *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij*.

Tertium, quod ex his consurgit, & Titulus indicat Psalmum hunc continere F est, *Canticum pro Dilecto*, qui alius non est nisi ipse Dominus Iesus Christus, Ecclesiæ Sanctæ Sponsus. Esse autem de Christo, S. Paulus ad Hebr. c. 1. v. 8. testatur. Neque enim hæc Ecclesiæ eius apud Gentes fundatio sine ipso, qui Sponsus est, fieri, & celebrari poterat; propterea, & ab eo Psalmus, & magna cordis lætitia sic incipit.

PSAL.

A

PSALMVS XLIV.

V. 2. Eructauit cor meum verbum bonum:

Eximijs planè delicijs de Domini mensa pastus S. Dauid (quæ fuerunt tantorum Mysteriorum hactenus propositorum, & quæ propositurus erat cognitio) verè
B omninò, & significantissimè ait, *eructasse cor suum verbum bonum*, neque mirum, ait, me eructasse verbum bonum; siquidem quæcunque hoc meo Psalterio **dico ego omnia opera mea** (quæ sunt ipsi Psalmi mei) **Regi** illi per omnem excellentiam Magno, Regi sæculorum illa dico, pango, decanto, & dedico. Neque etiam mirum videri debet, quod in tam dulci Argumento de Verbo Dei per Incarnationem Rege hominum facto;

C **Lingua mea** *sit* **calamus scribæ, velociter scribentis.** siquidem Verbum illud, & de Verbo illo eloquitur. Imò non eloquitur *Lingua mea*; sed facta solùm est tanquam *calamus scribæ* (quia eius Spiritus est Dictator meus) scribæ *velociter scribentis*. Tibi, ò Dei Verbum seruatur, Tibi debetur elocutio. Et verò etiam Tu, qui es

V. 3. Speciosus forma præ filijs hominum,

D **diffusa est gratia in labijs tuis;** gratia loquendi tibi data est; *mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore tuo*. Luc. 4. 22. *Nunquam sic locutus est homo*. Ioan. 7. 47. Et planè ad hoc tuum nobis loquendi, & prædicandi munus; **propterea benedixit te Deus in æternum.** Quocirca cum etiam omnes omninò homines præceptum de cælo habeant te audiendi, Luc. 9. 35.

V. 4. Accingere gladio tuo;

fungere hoc ipso nobis loquendi, & prædicandi offi-
E cio; verbum enim, & sermo tuus *penetrabilior est omni gladio ancipiti*; *& pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus*. Heb. 4. 12. accingere, inquam, illo gladio **super femur tuum, potentissime;** non secùs, quàm fortis pugnator ad pugnam iturus accingi soleat: hoc ipsum optat, vt currat Dei sermo, & conuertantur homines ad Fidem eius, & salutem consequantur, quod etiam seq.

V. 5. Specie tua;

cum Dilecto specioso loquitur, vt in hominum corda speciei suæ, splendoris, decoris, &
F pulchritudinis suæ speciem, & radios immittat, tamquam machinas militares, quibus certissimè eos expugnaturus est; planè nullis alijs armis est illi ad vincendum opus; sic, sic hac *Specie tua* **& pulchritudine tua intende,** quocunque, & in quemcunque intenderis, certò reportanda victoria: Sic igitur vbique sparsis per Fidei prædicationem pulchritudinis tuæ splendoribus **prosperè**

pro-

procede, & regna. Notandum, quod supra insinuatum fuit, etiam hæc esse verba de futuro, & fælicem apprecationem pro accincto, & progrediente ad Regnum obtinendum; sic etiam in sequentibus versibus huius Psalmi. Psalmo tandem nonagesimo secundo expeditis, & superatis, vt deinceps exponet, impedimentis,& obstaculis omnibus dicet; *Dominus regnauit*: nunc solùm ait, *prosperè procede* armis illis ad expugnandum aptissimis; *& regna*; Regnum tuum in media Gentilitate, quando illud tibi Iudæa infelix negauit, obtine. Et omninò regnabis apud Gentes A

Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam; quæ tria hominibus omnibus summè acceptabilia illis Fidei tuæ sanctæ Prædicatio impertiet; vt primò quidem, discussis infidelitatis, & vitiorum erroribus, veritatis lucem aspiciant; deinde verò, excussa Satanæ tyrannide, te Regem mansuetissimum suscipiant; & tandem viam rectam Legis tuæ sanctæ ingressi, illi eidem in omni præceptorum diuinorum obseruatione insistant. Sic,inquam, regnabis, & deducet te semper ad vlteriora, semper feliciter in quacunque rerum,& temporum aduersitate,& diuersitate *deducet te* mirabiliter dextera tua; tua ipsa virtus, & potentia, tuu ipsum brachium, & robur. Vsque ad vltima, & in abdita quæque Regna penetrabis, quia B C

V.6. Sagittæ tuæ acutæ; Prædicatio Fidei instar sagittarum acutarum, emissarum, & in omnem partem etiam longinquam discurrentium, & pertingentium erit; quibus confixi populi sub te cadent, figentur, seu cadet, in corda inimicorum regis, idest tuorum: ponitur antecedens pro relatiuo. Quid verò mirum videri debet, quod dicam Regis huius Domini mei regnum tam felices habiturum progressiones,tanto robore,& fortitudine stabiliendum? quandoquidem, vt iam supra Psal.2. v.8.& 9. notaueram, Pater eius cælestis ait ipsi, D

V.7. Sedes tua Deus in sæculum sæculi: E

Sic S.Paulus Heb. 2. v. 8. explicat, quod ad Filium vtique Pater dicat; *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi*; ait deinde Psalmus virga directionis, idest, recta, vel æquitatis, vt Apostolus; virga regni tui. Feliciſſimos, vt dixi, habebit successus, propagationem,dilatationem,augmenta,& incrementa maxima, incarnate Deus

V. 8. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus (est in vocandi casu, scilicet, Te, de quo loquor, ò Deus, qui factus es homo, qui es Christus Iesus,vnxit,inquam,Te, Deus tuus Pater, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. F

Ad

A Ad hunc versum P. Lorinus, alijque plura, & fusiùs proponunt de distinctione Personarum Trinitatis; de Incarnatione, & meritò Christi; de gratia habituali; de impeccabilitate eiusdem. Qui fusiùs tractata videre volet, penes eos, aliosque Scholastcos reperiet, mihi connexionem cohærentem, & consequentem sectanti satis est, hic insinuare; quidnam illud sit quod potissimùm S. Dauid consequenter intendebat significare, dicendo; & vt res erat, magnificè laudando Christum Domini, eò quod *Dilexisset iustitiam, & odisset iniquitatem.* An quæso laudare eum ab impeccabilitate voluit? Verùm, vt hęc summa maximaque

B fuerit in Domino Iesu excellentia, quam etiam ipse aduersarijs suis, vt scutum, opponebat; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioan. 8. *v.* 46. Nihilominus tamen hæc debitissima Christo Iesu, de Spiritu Sancto concepto, de Virgine sine peccato concepta, Nato Dei Filio dignitas minùs aptè venit in rerum dictarum, & dicandarum hoc Psalmo consequentiam.

Nam si vt ex Titulo, & hactenus explicato contextu Psalmi mens est S. Prophetæ Dilecto Domino Epithalamium, siue Carmen, seu Psalmum Nuptialem canere, ob desponsatas eidem innumeras Gentium Nationes, & Ecclesiam

C vbique dilatatam; minùs, vt dicebam, aptè, & connexè in explicationem venit, quod impeccabilis fuerit; quod bono, & honesto semper inhæserit; id enim, vt dixi, vel maximè erat debitum, & ad hypostaticam vnionem consequentissimum, id ad nouam, & inauditam Natiuitatem inferebatur, vt quia in Sacratissimam Virginem eius Matrem Spiritus Sanctus superuenturus erat, & virtus Altissimi ei obumbratura; ideòque, & quod nasciturum erat ex ea Sanctum esset; imò Sanctus Sanctorum, vt Dan. c. 9. v. 25.

Deinde præmium etiam, seu effectus dilectionis iustitiæ, & odij iniquitatis:

D *propterea vnxit te Deus; Deus tuus oleo lętitię*, &c. hoc loco aliquid aliud indicat, quàm gratiam vnionis hypostaticæ; nam aliàs, non apparet, quomodo non inferatur ex hoc, quod sub Christi meritum ceciderit ipsamet vnctio hypostaticæ vnionis, clarè enim dicitur; *propterea vnxit te Deus*, &c. præcedit autem, *Dilexisti iustitiam*, &c. Propter hæc, saluo meliori iudicio,

Dicendum esse existimo, his verbis versus 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem*; proponi nobis à Sancto Dauide illum sublimissimum, atque excellentissimum Christi actum, quo in suæ Incarnationis instanti, cum liberum ipsi esset

E eligere vitam, vel facilem, & gaudijs, atque honoribus, & vitæ commodis abundantem, vel duram, & laboribus, atque cruciatibus obnoxiam, hanc, præ illa elegerit; idque intuitu Diuinæ Iustitiæ plenè pro peccatis satisfaciendi, & copiosam hominibus Redemptionem adferendi.

Hoc ipsum illud est, quod tantopere in Christo Domino celebrat, & deprædicat D. Apostolus ad Philip. c. 2. quod *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*. Heb. c. 12. quod; *proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem*, &c. exinanitio autem illa, & Crucis præ gaudio electio in eo vel maximè constitit, quod dixi; non

F ipse solus; sed alij etiam, qui sunt expositores eiusmodi Textuum Diui Pauli idem sentiunt, vt S. Chrysostomus, dum ait, quod Christo licebat nihil pati si voluisset; non enim peccatum fuit, nec dolus inuentus in ore illius; erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad Crucem, &c.

Rupertus ait, in primo Incarnationis instanti ab Æterno Patre Christo optionem factam, vt si vellet, posset gaudens, delicians, & triumphans salutem

afferre Mundo. Similiter Ribera, & Salmeron aiunt, cum posset non mori, & in- A
columitate, & immortalitate corporis frui, aliaque ratione humanæ saluti pro-
spicere, maluit subire seruilem, & seruorum sortem, & se se subijcere commu-
nibus aliorum hominum laboribus, miserijs, crucibus, morti. In hoc ergo Chri-
stus Dominus *dilexisse iustitiam, & odisse iniquitatem*, magna, & summa cum
laude, cum pleno Dei Angelorum, atque hominum applausu, dicitur.

Hinc verò hunc tantum, & tam sublimem actum, hanc tantam erga Cæle-
stem Patrem reuerentiam, Diuini honoris zelum, erga homines charitatem,
pietatem, misericordiam, liberalitatem, consecutum est præmium omninò com- B
petentissimum, vt scil. *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ:* hìc, vt dixi,
licet aliàs per oleum, & vnctionem intelligatur vnio hypostatica, nihilominus
connexio consequens cogit, vt non illam, sed quod phrasi etiam Scripturæ per
oleum significatur, maximam Sanctissimi Nominis Iesu Christi Domini Nostri
Exaltationem intelligamus; hæc est enim consequens ad dicta; nam quia Domi-
nus Iesus, vt dictum est, *humiliauit semetipsum*, &c. *Dilexit iustitiam, & odit iniqui-
tatem. Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super
omne nomen.* C

Quod autem dixi, hanc explicationem esse iuxta phrasim Scripturæ, id clarum
ex Canticorum c. 1. dum *Oleum effusum* dicitur Sponsi Christi *nomen*. Imò ipse
Christus, Luc. 4. post Ieiunium veniens Nazareth dixit impletam in se Scriptu-
ram Isaiæ: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me.* Et Actorum c. 10.
*Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa post Ba-
ptismum, quod prædicauit Ioannes: Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spi-
ritu Sancto, & virtute, qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Dia-
bolo*, &c. Sancti, præterea, Chrysostomus, Hilarius, Ambrosius adferuntur, & ci- D
tantur à P. Lorino, quod sentiant, tempus vnctionis Christi fuisse tempus illud
Baptismi: quod si illud fuit, quia tunc manifestari, & publicari eius Diuinitas,
& Gloria cepit; consequens est, quando illa per totum Terrarum Orbem ad Fi-
dei eius Predicationem manifestabatur, maximè proprium vnctionis tempus fuis-
se, & tunc vnctum Christum Dominum fuisse *oleo lætitiæ*, eo quod vbique à
Gentibus Dei Filius, Mundi Saluator agnosceretur; & quia illæ ipsæ Gentes per
Fidem in ipsum Iesum, quæ per charitatem in ipsis operabatur, saluabantur, vt
nunc saluantur; ideò dicitur vnctus oleo lætitiæ. quæ enim Saluatori maior læ- E
titia, quam salus animarum, quas pretioso sanguine redemit? vt ipse testatus est,
dum sibi congratulari voluit, quod ouem, quæ perierat, inuenisset.

Quod autem in versu hoc additur Christum oleo lætitiæ vnctum *præ consorti-
bus tuis*. Id aliud non est (quod attinet, ad consequentem explicationem) quàm
quod paulò ante dixi ex Philip. c. 2. *Propterea quod dilexisset iustitiam*, &c. Propter
quod datum illi *nomen, quod est supra omne nomen*. & quod non sit aliud nomen
sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.

Cum hac explicatione, quam sufficientem ad propositam explicationem exi- F
stimo, non solùm antecedenter dicta, sed etiam quæ sequuntur planè, exactè co-
hærent. quod enim S. Dauid prædictis versus 8. verbis voluerit declarare cele-
britatem Sanctissimi Nominis Domini Nostri futuram toto Mundo maximam
per Fidei Prædicationem, & Ecclesiæ dilatationem in omnes Gentes, id versu
seq. & deinceps magis explicat, dum ait;

V. 9.

A V. 9. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis. Per vestimenta Domini Iesu, vt dicetur Isaiæ c. 63. intellige ipsam Ecclesiam, seu Congregationes Fidelium particulares sub vno Capite, & Pastore: *à vestimentis* ergo *tuis*, ò Domine, stillat *myrrha, & gutta*. Hier. & 70. *stacte*; est autem stacte liquor myrrhæ; *& casia* vulgo, vt P. Sà ait, dicitur cannella; per hæc pretiosa aromata distillantia à vestimentis Sponsi, quæ sunt eius Ecclesia, intelligitur Doctrina Crucis, & vitæ sanctitas, quæ est,
B & fuit semper in Ecclesia; licet inter Gentes (quæ alia omnia sectabantur) esset posita; quod quidem in summam laudem, & gloriam Domini redundabat; quod mox ipse S. Dauid insinuat; nam ait, Bonus planè Christi odor eius Fideles erant inter Gentes, non secùs atque si myrrha, gutta, & casia, aliaque eiusmodi pretiosa aromata stillarent ex vestimentis eius, quæ sunt eius Ecclesia, & Fidelium eius Congregationes, & cœtus, dispersi inter Gentes; qui quidem cætus eorum inter eas se habent, tanquam quædam *Domus eburneæ*, & robore, atque fortitudine, & mira pulchritudine prędıtæ; à domibus eburneis: ex quibus,
C qui in eis degebant tui fideles, non amplius iam vana peccatis seruientes, sed gratia tua præditi, pietatem, & sanctitatem, & bona opera sectantes, delectauerunt

V. 10. te, *à domibus*, inquam, illis *eburneis delectauerunt te*, illi Fideles tui particularium Ecclesiarum, quæ sunt tanquam filiæ regum, à tuis sanctis Apostolis, & Discipulis per Orbem terrarum ad prædicandum Euangelium tuum dispersis erectæ, fun-
D datæ, & constitutę in honore tuo, vt te Dominum suum laudent, & glorificent. Inter has verò tam multas Regum, & Principum terræ Apostolorum Sanctorum filias, Ecclesias particulares toto orbe varijs in Prouincijs, & Regnis fundatas,

Astitit regina à dextris tuis, maximè conspicua est, & inter illas omnes primas, tanquam Regina omnium habet Ecclesia S. Romana, reliquarum omnium Mater.

Hoc loco explosis absurditatibus, & carnalitatibus, quas Rabbini commini-
E scuntur. Et supposito, quod communi planè phrasi Scripturæ coniunctio, quæ est Christi Capitis cum corpore eius, quod est Ecclesia, eiusque fideles per desponsationem, & nuptias explicetur; de quo passim plena est omnis sacra pagina; dicendum planè, quod his verbis S. Dauid omninò intenderit significare Ecclesiam, quæ cæterarum futura erat Regina, & Mater; quam constat semper fuisse, esse, atque futuram Ecclesiam Romanam. De quo multi multa, & plura in Isaia varijs locis, & occasionibus. Hic satis sit ostendere, nihil aptius, & consequentius venire in explicationem connexam Psalmi huius; & consequenter optimè
F inferri, id ipsum intentum fuisse à S. Dauide. Reliqua etiam nulli melius, quàm eidem Ecclesiæ Romanæ quadrant; ipsa verè est coràm Christo Sponso suo in vestitu deaurato: circundata varietate. facilis, & obuia cuique occurret interpretatio horum verborum: multas adfert P. Lorinus, & alij.

Iam verò etiam id, quod sequitur v.11. quod scil.cum hac sola Regina ineatur veluti pactum de perpetuando cum ea coniunctionis fœdere; etiam id verè, ac propriè soli Romanæ Ecclesiæ conuenit, de cuius perpetua in Christi Fide perduratione multa dicenda sunt in Isaia, maximè c. 23. Igitur illi dicitur, A

V. 11. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Populum,& domum patris sui habuit idololatriam; ad hanc nunquam reditura Roma, & Romana Ecclesia; imò nec hæresibus inficienda: vt in nullo *deficiat fides tua*. Lucæ c.22.v.32. Idcircò B

V. 12. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus; singularis hæc promissio per omnia correspondens, & concordans cum iam citata, Luc.22. & adorabunt eum, qui est Dominus Deus tuus. Ab Ecclesia Romana omnes aliæ per orbem terrarum Ecclesiæ Diuini cultus normam, & doctrinam deposcebant. Insignia pro hac re sunt testimonia, quæ S.Augustinus passim, & maximè in Epistola ad Ianuarium tradit. C

V. 13. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: Etiam hæc singularis fuit Ecclesiæ Romanæ prerogatiua,quod filiæ Tyri,idest omnes aliæ Ciuitates subiectæ, & confœderatæ Romano Imperio, seu Romæ,quę per Tyrum designatur, vt fusiùs Isa. c.23. omnes, inquam, aliæ Ciuitates & Prouinciæ, & Regna, imò etiam omnes diuites plebis; ditissimi quique, & potentissimi Reges, & Principes sese submiserint Romanæ Ecclesiæ, illamque,vt Matrem,omnes reueriti fuerint. Neque id mirum quandoquidem D

V. 14. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus; idest, vt Vatablus,Clarius, &c. apud P.Lorinum, Priuilegium eius hoc est, summumque decus, vt in interiore Regia assideat semper Regi proxima, & *intus* in secretiore cubiculo, quod ornatiùs instrui solet; id quod alijs non licet. Hæc explicatio maximè apta est, & concordat cum supra dictis. Manere ergo *intus* in interiori thalamo ornato in fimbrijs aureis, in Regis Camera E

V. 15. circumamicta varietatibus. hæc est, vt dixi, *omnis*, præcipua, & summa *gloria filiæ Regis*. Itaque cum Ecclesia Romana manet Christus vsque ad consummationem sæculi. Habet Sanctissimi Spiritus assistentiam, qui docet eam omnem veritatem. quid dignius, quid excellentius hac ipsa dignitate, & excellentia? Per hanc siue Duce, & Magistra hac ipsa Sancta Romana Ecclesia Christi Sponsa; F

Ad-

A Adducentur regi Christo desponsandæ in Fide, & charitate perpetua, Virgines post eam; ipsa vt Matre, & Regina, semper dignitate, & gratia pręcedente. proximę eius, quæ fuerint illi proximæ, ideſt per Fidem, & charitatem coniunctæ; non autem, quæ per Hæresin, aut Schisma ab ea diuulsæ; afferentur tibi. Tibi pariter, & illæ, sic tibi per illam Reginam tibi chariſſimam, oblatæ, & præsentatę, sunt placituræ. Et omninò in continua sæcu-
B lorum successione, dum Diuini Verbi, & Fidei nostræ sanctæ Prædicatio perduratura eſt;

V. 16. Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum regis. Illa autem, quam dixi (ad hanc animarum ad Christum adductionem) Fidei Prędicationem esse necessariam, omninò vsque ad finem Mundi perseuerabit. Fœcunda enim eſt Christo viro de-
C sponsata Virgo, & Mater Ecclesia, atque idcircò illos, qui

V. 17. Pro patribus tuis (qui fuerunt Sancti Apostoli, & Discipuli Domini) nati sunt tibi filij (successerunt in eorum locum legitimè vocati, & introducti alij Episcopi, Pastores, & Rectores animarũ) illos, constitues eos principes super omnem terram.

Tu, ò Ecclesia, tua poteſtate, & auctoritate *constitues super omnem terram*, nulla
D Orbis Terræ pars erit ab hac poteſtate, & spirituali Dominio tuo exempta. Quod dum fiet

V. 18. Memores erunt nominis tui; In Ecclesia celebrabitur Christus Deus, & Homo; in omni generatione, & generationem.

E Propterea populi confitebuntur tibi in ęternum: & in sæculum sæculi. Sic Epithalamium hoc magno animi solatio terminat S. Dauid. In tota autem eius explicatione, si, vt spero, nihil sit, ob quod eius connexio, & cohærentia arguatur, non neminis fortè iudicio erit aliquid, quod reprehendatur; ex eo, quod nulla in eo directa, & expressa mentio fiat Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Dei, ac Domini Nostri Iesu Christi Matris; cum tamen tam multi Pa-
F tres, Doctores, atque Interpretes, imò & ipsa Sancta Mater Ecclesia plurima huius Psalmi ad illam accommodent. Id omninò verùm eſt, plurima, & quam opptimè Sanctiſſimæ, & omni laude digniſſimæ Virgini Dei Matrique Mariæ, quæ dicuntur hoc Psalmo, conuenire; sed iuxta sensum nostrum, non aduersando dicere etiam possumus (eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ, ac Patribus totis viribus inhærendo, ac Psalmorum cohærentiam prosequendo.) Summam omnium

Vir-

Virgini Mariæ laudum hanc esse, quod ipsa Beatissima à Filij sui laudibus sit A
inseparabilis, neque vllæ vnquam Generationes Filium eius vel prædicauerint, aut prædicaturæ sint Beatum, quin ipsam etiam dixerint, & dicturæ sint Beatam omnes generationes. Cæterum ipsi conueniunt, & pro animi sui profundissima demissione quilibet aptare ei potest illa Ioannis Baptistæ verba vel maximè ad hunc Psalmum spectantia: *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem* (& quidni Mater?) *Sponsi qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi: Hoc ergo gaudium meum impletum est.*

Sed ad ea, quæ tam multa de eo diuinissimo animarum, & totius Ecclesiæ B
Sponso Domino Iesu restant reuertendum est.

PSALMVS XLV.

Deus noster, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLV. C

In finem, Filijs Core pro arcanis, Psalmus.



T Ecclesia apud Gentes fundaretur, necesse erat idololatricas superstitiones è Mundo tollere, & ipsum Dæmonem è munitissimo, quem toto Orbe habebat loco, eijcere; is autem Roma omninò Ethnica Imperatorum Sedes erat, per *cor maris* v.3. notata. D
Quò id perficeretur, per incredibiles persecutiones transeundum erat, maximè primis Euangelij Præconibus, qui fuerunt Sancti Apostoli, eorumque Principes Diui Petrus, & Paulus. Hæc omnia Titulus indicat. Nam vt dictum est; per *Filios Core* veniunt Sancti Apostoli, qui ex Iudæis: *pro arcanis* intelligendæ Persecutiones, iuxta dicta supra Psal.9. Nam in persecutionibus altissima Dei consilia contineri est certum. Psalmus hæc *arcana* manifestat à versu 9. & circa eundem Psalmi finem significatur post persecutiones obtinenda pax, & tranquillitas Ecclesiæ, itavt tunc licitum futurum sit E
vacare, & videre, &c. Hinc Domini exaltatio in Gentibus, cum qua & plenis gaudio vocibus sequentem deinde Psalmum 46. inchoat: sed priùs modò

PSALMVS XLV.

V. 2. Deus noster refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, per eas transeundum fuit Fidelibus, & omninò, quæ inuenerunt nos nimis. supra sæpiùs insinuatum quantæ illæ fuerint. De Sancta Praxede Virgine, ait S. Mater Ecclesia die ipsius festo 21. Iulij. quod cum tantam Christianorum stragem iam F

fer-

A ferre non posset, Deum precata est, vt si mori expediret, se è tantis malis eriperet. Sed quia *Deus noster refugium*, &c.

V.3. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Non de physico terræ motu, & materiali montium in cor maris translatione S. Dauid loquitur; sed de duplicibus persecutionibus, quas Ecclesia
B passa est apud Iudæos Ierosolymis, & apud Gentiles Romæ: illi per terram notantur: hæc per cor maris. Et verè fuit Roma Ethnica, vt S. Leo ait, perturbatissimæ profunditatis Oceanus. Sic hunc Versum, pulcherrimi symboli constantem verbis ex mente S. Dauidis, quod ex connexione, & contextu constat, explicat S. Gregorius Magnus, lib. 9. Mor. cap. 2. dum ait; *Montes veritas transtulit, cum Prædicatores sanctos à Iudea obduratione subtraxit*. Item (vt hìc dicitur) transferuntur montes in cor maris. *Cum prędicantes Apostoli à Iudaę perfidia repulsi, ad intellectum gentium venerunt*. Hi ergo montes, S. Apostoli translati *in cor maris*, Ro-
C mam Ethnicam, perturbatissimæ illius profunditatis Oceanum cum Apostolorum Principe Petro, constantiùs, quàm cum supra mare graderetur, sunt ingressi.

V.4. Sonuerunt (tuba Euangelij pacis), & turbatæ sunt aquæ eorum; (populi Gentiū;) conturbati sunt montes; (ipsaque Vrbs Romana in septem montibus sita, & septem-collis vocata;) in fortitudine eius;

D (qui scilicet per Apostolos suos sonabat; nam ipse, vt promiserat, cooperabatur, & sermonem confirmabat sequentibus signis; & inter reliqua ét illud fuit deiectus è nubibus Simon Magus. Sed antequam ad signorum, & miram Diuinæ gratiæ abundantiam communicatam fidelibus Romæ degentibus, quæ statim notantur versu sequenti, pergamus; inserenda hìc sunt pulcherrima D. Gregorij verba, quæ mirificè hunc versum explanant, lib. 9. mor. c. 5. ad illud Iob. cap. 9. 8. *Graditur super fluctus maris. Qui tumorem humanæ vesaniæ mitigat, quasi erectas in cumulo vndas calcat*, &c. *Nam cum morem suum Genti-*
E *litas destrui nouæ conuersationis prædicatione conspiceret; cum mundi huius diuites elationi suæ contraire viderent facta pauperum; cum sapientes sæculi aduersari sibi imperitorum verba pensarent, in persecutionis protinus tempestatem tumuerunt*

Ad hoc propositum de conturbatis montibus Romæ Ethnicæ, vbi primùm sonuerunt Diui Apostoli tubæ Euangelij, facit id, quod Eminentissimus Cardinalis Spondanus obseruauit; quod scilicet illo ipso Anno, quo Romana Ecclesia à Petro est erecta, qui fuit Christi quadragesimus quintus, abrogata fuerint, vt Dio testatur, à Claudio Imperatore complura sacrificia, & festa in venerationem Deo-
F rum celebrari solita. Quod quidem licet ille alia ex causa fecisse noscatur; videns tamen non nisi nutu diuino quodam modo accidisse præsagium, vt cum primùm Christiana Fides Romæ plantata coalescere cæpit, Idololatria decrescere, atque minui inciperet. Sic ille ad rem hanc, & explicationem huius versus; imò & sequentium etiam. Nam inchoata iam, & erecta ipso Anno Christi quadragesimo quinto Romana Ecclesia, iam verum erat, quod

V.5.

V. 5. Fluminis impetus, Sanctissimi Spiritus charismata, quæ maxima abundantia communicabantur Ecclesiæ, illam ipsam lætificat Ciuitatem Dei: omninò sanctificauit tabernaculum suum (erat illa ipsa Ecclesia militans in tantis persecutionibus) Altissimus. Ideò etiam in ijs ipsis fortis, & inconcussa stetit, quia A

V. 6. Deus in medio eius, non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo. tempestiuè, citò B

V. 7. Conturbatę sunt gentes, ad Euangelij prędicationem, & inclinata sunt regna; Hier. concussa: idest se se submiserunt, & veritati Fidei manus dederunt: nimirum Deus dedit vocem suam Prædicationis Euangelij; mota est terra, habitatores totius Orbis. Verè tunc, quod Dominus promiserat; *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Matt. 28. 20. palam in tanta rerum mutatione certum esse constitit; proinde Christi Fideles sibi ipsis congratulantes aiunt; C

V. 8. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob. qui scil. sunt de semine eius per repromissionem. Appropinquante autem optatissimo illo, & expectatissimo tempore, quo publica pax, & tranquillitas à persecutionum tempestatibus danda erat Ecclesiæ, similiter lætantes, & admirantes aiunt; D

V. 9. Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Ecclesiam Christi, cui ab initio vbique contradicebatur, & quæ productis trecentorum annorum spatio sæuissimis persecutionibus exagitabatur, potuisse venire ad illam, quæ per Constantinum Magnum, & deinceps illi venit tranquillitatem; fuit omninò multorum prodigiorum ad instar. quod autem S. Dauid id intelligat per illa *prodigia*, se ipsum explicat E

V. 10. auferens bella vsque ad finem terræ. F

Arcum cōteret, & confringet arma: & scuta comburet igni. Per hæc sublata, vel tollenda ostenduntur illa impedimenta publici Diuini cultus, quæ durantibus persecutionibus obstabant; ita vt alta iam in pace, nemine iam ampliùs mul-

A multum interturbante, & diù (nam tam Eugenius Tyrannus, quàm Iulianus
Apostata, & Hæresiarchæ sat multum quidem, sed neque diù, neque adeò præ-
ualuerunt) Dominus Fideles suos, ad fruendum illa pace, & tranquillitate, se-
que ipsos totos diuinis eius obsequijs impendendos inuitaret;

V. 11. Vacate, & videte, quoniam ego sum
Deus: clarum Diuinitatis Domini Iesu signum ex his operibus colligitur: exaltabor in genti-
B bus, & exaltabor in terra. Notandũ hìc est, quod licet S. Da-
uid tam hoc Psalmo, quàm sequen-
ti, atque etiam 47. exhibeat quasi præsentem Exaltationem Domini Nostri,
quam per Fidei Prædicationem, & Ecclesiæ in Gentibus fundationem est conse-
cutus: nihilominus hoc versu vtitur verbis futuri temporis, *exaltabor*; quia, vt aliàs
sæpè dictum est, ita hæc omnia his Psalmis complectitur, vt illa fusiùs, & planiùs,
in 2. & 3. Psalmorum Quinquagenario sit explicaturus; vbi omnes Psalmi vel iam
adeptum à Domino Regnum, & exaltationem, vel præsentem eius Ecclesię felici-
C tatem celebrabunt, & concinent, pulcherrimo semper seruato in omnibus ordi-
ne; & Mysteriorum Diuinorum exuberante vbertate per duplicati adhuc Quin-
quaginta Psalmorum ordinis, veluti per tot multiplicatos canales sensim se se
effundente, cui toti excipiendæ impar est prima hæc eorum Quinquagena.]

Psalmum concludit aptissima, lætissimaque repetitione versus octaui; hæc, quæ
dixi, facta magna prorsus opera, & prodigia; hæc, quę nobis euenit tanta pax, &
tranquillitas, non aliunde illa nobis, nisi quia, vt dixi, & ad lętitiam, atque confi-
dentiam repetendum est, & altè cordi inscribendum;

D V. 12. Dominus virtutum nobiscum: susce-
ptor noster Deus Iacob.

PSALMVS XLVI.

E
Omnes Gentes, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLVI.

In finem, pro filijs Core. Psalmus.

PRout paulò ante dictum fuerat, in voces gaudij, & exultationis
prorumpit hic Psalmus, ob adeò potenter, & feliciter victas, quæ
F in *corde maris* toleratæ fuerant persecutiones, & Dominum Iesum
per Fidei Prædicationem, receptam à Gentibus, in ipsis, & apud
ipsas exaltatum.

Nihil igitur congruentius, quàm vt illi ipsi, qui post Dominum,
& eo cooperante tanta effecerunt (qui vtique fuere Sancti Apostoli, quibus pro-
pterea inscribitur Psalmus *In finem pro filijs Core. Psalmus*) nihil, inquam, con-

gruentius, quàm vt illi ipsi Domino, sibi, & Gentibus aggratulentur, atque ob tantam salutem obtentam gaudium hoc pacto, & plausu annuntient. A

PSALMVS XLVI.

V. 2. Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Plausus hic, atque iubilatio Gentes dubio procul concernebat, & in eas redundabat: non autem apparet quomodo ob triumphum Ascensionis Domini Nostri (si de eò ad literam, & primariò esset Psalmus) Gentes potius, quàm Angeli ad plaudendum inuitarentur. B

Propterea valde clarè S. Dauid ostendit, quidnam significare voluerit hoc Psalmo, ex causa, quam illius plausus, & iubilationis ait esse, quia nimirum

V. 3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram. quando quæso talis non fuit Dominus, ac Rex noster? Vtique semper quoad se talis fuit; non autem quoad Gentes Idololatras, quæ nondum eum agnoscebant, nisi post factam Euangelij Prædicationem; tunc *Rex magnus super omnem terram*: Verè hoc est quod intendo dicere, ait S. Dauid in persona Apostolorum; C

V. 4. Subiecit populos nobis; & gentes sub pedibus nostris. Id quod ipso cooperante, & sermonem nostrum confirmante sequentibus signis, est factum ex infinita eius pietate, & commiseratione; propter quam D

V. 5. Elegit nobis hereditatem suam, (subintellige, dare, vt benè P. Em. Sà) Sancti Apostoli coniuncti cum Gentibus conuersis ad Fidem gratulantur, gratiasque referunt sibi Dominum contulisse hereditatem, siue omnia bona, & pulchra Ecclesiæ suæ, quæ simul sumpta, vocat speciem Iacob, quam dilexit, idest gloriam, qua redditur gratus, & amabilis Iacob, qui est per repromissionem, qui est ipse Populus Fidelis. Hæc autem ideò præstita sunt, quia, E

V. 6. Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Quod per hæc verba consequenter, & ad S. Dauidis intentum loquendo, intelligatur Exaltatio Domini Iesu facta per Fidei Prædicationem, & Euangelij toto Orbe promulgationem, eiusdemque acceptationem, & Populorum Conuersionem, certùm omninò est, ex dictis tam hic, quàm supra Psal. 7. v. 8. *Synagoga Populorum circumdabit te. Et propter hanc in altum regredere*. Et infra Psalmo 112. v. 4. *Excelsus super omnes Gentes Dominus*, &c. patebit idem dici, quod hoc loco asseritur. F

Per

A Per hoc tamen minimè reprehenduntur ij, qui hæc, & eiusmodi verba Psalmi huius ad victoriam, & triumphum Christi Domini Nostri in Cælum ascendentis transferunt; id enim accommodatione optima fit; valdè tamen consentaneum est argumentum nostrum susceptum à nobis explanandum; quod constat omninò ex antecedentium connexione, cohærentia, & consecutione.

Nam cum priorem Psalmum terminasset lætissima illa inuitatione ad vacandum, & videndum, quod *exaltabor* in Gentibus; quid magis connexum, & consequens erat, quàm vt statim hoc sequenti Psalmo plenam omnium Gentium subie-

B ctionem Christo per Euangelij Prædicationem factam, & consequenter obtentam eiusdem Domini exaltationem in Gentibus subijceret? *Ascendit Deus in iubilatione*:

Hinc verò consequebantur hæc miræ exultationis, & ad lætitiam inuitatoria verba, quibus ne eorum obtundatur sapor, nihil aliud addendum est;

V. 7. Psallite Deo nostro, psallite: psallite

C Regi nostro, psallite.

V. 8. Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.


V. 9. Regnabit Deus super Gentes, Deus

D sedet super sedem sanctam suam. Constituta Sede Ecclesiæ apud Gentes nunquam amplius mutanda.

Et hæc quidem omnia ita ad Christi Regis, Dei, ac Domini Nostri gloriam spectant, vt ex ijsdem sublimissima etiam excellentia Sanctorum Apostolorum, & Discipulorum Christi, qui in Gentium Conuersione laborarunt colligatur; nam de ijs est, quod

V. 10. Principes populorum congregati

E sunt cum Deo Abraham: quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.



 A

PSALMVS XLVII.

Magnus Dominus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLVII.

Psalmus Cantici filijs Core secunda Sabbati. B



OB tam admirabilia patrata à Deo opera, & tam eximia eius dona decebat omninò, vt Psalmus aliquis ederetur, qui eadem æternæ memoriæ, & gratitudini consignaret. Id S.Dauid (Sanctissimo Spiritu eum, vt ad mœstitiam cum opus erat, ita ad gaudium, vt nunc abundantissima eius causa suppetebat, impellente) facit hoc pulcherrimo, & gaudij plenissimo Psalmo: ob quod etiam illum inscribit; *Psalmus Cantici*; & quia potissimùm in Sanctos Apostolos, & Discipulos Domini illud gaudium redundaturum erat, Psal. vult eisdem dedicatum filijs Core. C

Quid autem, & cur additur, *Secunda Sabbati?* Omissis compluribus aliorum rationibus, & causis, quas fusè P. Lorinus noster recenset; illa vel maximè in rerum dictarum cohærentiam, & consequentiam subintrat, quæ est P. Barradij, & quam sequitur Azo. quod scil. per *secundam Sabbati* intelligatur Sabbatum primum Hebræorum, siue illud Sabbatum, quod de septem hebdomadis numerari solitis à secundo die Paschæ, vsque ad Pentecosten, siue diem quinquagesimum erat Sabbatum secundum Iubilæi, & requietionis. D

Hac ergo insinuatione huius *secundæ Sabbati* (non feriæ, quæ sequitur Sabbatum; sed Sabbati, quæ est *secunda Sabbati*, seu quietis, quæ sequitur quinquagesimo die post primam Sabbatum, seu resurrectionem) hac, inquam, insinuatione S.Dauid voluit ostendere, se Psalmo hoc paucis attingere, & prædicere, illam magnam Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem, quam conuersis passim vbique terrarum Gentibus ad Christi Fidem, deuictisque sæuissimis Romanorum Imperatorum persecutionibus erat consecutura.

Proinde, posteaquam Dominus proponitur *exaltatus* in Gentibus, regnare super illas; & Principes Populorum cum eò congregari dicuntur; an non dicendus est v. 1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis?* Hoc Argumento, veluti iacto fundamento, omnia reliqua cum plena rerum, quæ proponuntur veritate, pulcherrimis, & significantissimis rerum symbolis declarata, iuxta S. Dauidis intentum, sua spontè consequuntur. E

Quantas autem, qui aliud ad literam ponunt, voluntque esse Psalmo Argumentum (siue de Ierusalem post captiuitatem Babylonicam ædificanda; siue de Templo, prout prædixerat Aggæus, maiore gloria rursum extruendo) patiantur difficultates, facilè ex ipso Psalmi contextu statim apparet. F

Nam, neque in Ciuitate illa, neque in Templo fuit *magnus Dominus, & laudabilis nimis*; neque illa aut eius Templum fuit *fundatum exultatione vniuersæ terræ*; neque illa Ciuitas Regis magnis; neque qui in ea rexit *Rex magnus*, per excellentiam nominis, &c. Maneat ergo quod dictum est, & dicatur

PSAL-

A

PSALMVS XLVII.

V. 2. Magnus Dominus, omni, & excellentissimo, sublimissimoque modo, & sine modo, & mensura magnus Dominus; **& laudabilis nimis** Dominus Deus; hic accipit Dominus, prout B est Trinus, & Vnus: eo planè modo, quo S. Mater Ecclesia Canticum suum Laudis, & Gratiarum actionis orditur; *Te Deum Laudamus*.

Sic *magnus Dominus, & laudabilis nimis*, vt ipse est in se, licet non adæquatè tantùm, quantùm ille in se magnus, & laudabilis est; sed si vsquam est, & cognoscitur esse *magnus Dominus, & laudabilis nimis*, id maximè, & solùm, & nusquam est, & esse noscitur, nisi **in Ciuitate Dei Nostri** in Christi eius Vnigeniti Dei, ac Domini Nostri Ecclesia. Indicat omninò S. Dauid, & exprimit per hæc verba, tam secundam C in Trinitate personam Dominum Nostrum, quam eius Ecclesiam; & statim hanc se intelligere, clariùs deinceps explicat; dum ait **in monte sancto eius.** idest in Ciuitate, quæ est simul, & Ciuitas, & mons sanctus eius; siue ipsa Ciuitas est posita, & sita in monte sancto eius; quæ scil. omnibus rebus huius Mundi sublimibus supereminet; conspicua est; neque, vt ipse Dominus, Matt. 5. 15. ait, *potest abscondi*, vt quæ est, *supra montem posita*.

Insuper Sanctus idem Propheta, dum tam clarè *Magnum Dominum, & laudabilem nimium*, D &c. determinat esse in *Ciuitate*, &c. omnia alia Hæreticorum conuenticula, & Ecclesias malignantium ab hac prærogatiua excludit: imò se ipsas illæ suapte sponte exclusas declarant, quæ à veritate Catholica recedentes, Deum sibi pro suo libitu, qualem ipsi volunt, non qualis ipse est, fingunt, & formant; nunc sine Filio; nunc sine Sancto Spiritu; nunc peccati auctorem; nunc non sat prouidum; nunc & iniustum, &c. sed de his alij.

Quod de Christi Ecclesia, vt dixi, non de alia vlla Ciuitate, vt de Ierusalem à Dauide, seu Salomone reparata, & Templo extructo, sit sermo; S. Dauid, vt E in Argumento Psalmi indicatum fuit, se ipsum statim sequenti vers. explicat, dum ait;

V. 3. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion; non ille materialis, qui ab Orbe condito iam fundatus fuerat; sed ille spiritualis, qui erat ipsa Christi Ecclesia, quæ cum inter Gentes fundaretur, & collocaretur, & ad illam perfectionem, atque altitudinem peruenisset, vt superatis, & sublatis persecutionibus Imperatorum F Romanorum publica iam pace gauderet, & publicè Diuinum cultum proponeret; id fiebat *exultatione vniuersæ terræ*, vt verè factum fuisse, omnis illorum temporum de Constantino Magno historia testatur; Christianis, qui persecutionum procellis agitati, vel dispersi erant, vel delitescere cogebantur, vbique se se colligentibus, erigentibus, & respirantibus; & sic quod Sioni materiali, & Templo Hierosolymitano minimè; Nouæ Sioni, & pacifici Salomonis Nostri Chri-

Christi Templo, Ecclesiæ eius in plena vocum significatione conuenit; quod, A
fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion; ille,inquam, tunc fundabatur, tam firmiter, & tanta fundamentorum soliditate, & immobilitate; vt vnde illi periculum commotionis, casus, & ruinæ imminere videbatur,ex parte scilicet Aquilonis (per quem de ordinaria scripturæ phrasi Satanæ impetus intelligendi; imò etiam Hæreses, & hostes Aquilonares, qui Ecclesiæ Christi infensissimi semper, & perniciosissimi extiterunt) inde, inquam, illi abundè prospectum est; nam habet mons hic Sion latera Aquilonis; siue in eius fundatione posita sunt, vt par erat, *latera* eius magnitudinis, & B
fortitudinis, quæ omnem *Aquilonis* impetum exciperent, & sustinerent.

Planè quod Dominus, Matt. 16. 18. promiserat, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersum eam*.

Quod autem dixi, Dominum Ecclesiæ suæ prospexisse etiam aduersus Hæreses, & hostes Aquilonares: id maximè verum esse constitit nostris temporibus, quando Hæresibus in Aquilone, seu Septentrione exortis, & Ecclesiam diuexantibus opposuit Sanctum Patriarcham nostrum Ignatium, de quo 5. Lectio eiusdem diei Diuino Officio proposita hæc habet inter alia; quod, *Hæresi bellum* C
indixit, eo successu continuatum, vt constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios alijs temporibus sanctos viros, ita Luthero, eiusdemque temporis hæreticis Ignatium, & institutam ab eo Societatem obiecisse.

Neque verò mirum videri debet, tam benè Ecclesiæ prospici, vt illi vis nulla præualeat; siquidem ipsa est Ciuitas Regis magni: qui est Iesus Christus Dei Filius, ac Dominus Noster. O verè pulchram, fortiter munitam, sanctamque Ciuitatem! Quod prius dixi in ea solummodò Dominum magnum esse, & laudabilem nimium, D
cognosci; ita nunc repeto, quod etiam

V. 4. Deus in domibus eius, Ciuitatis Regis nostri magni, cognoscetur, semper quidem, sed vel maximè, cum suscipiet eam, quando scilicet, eam ita proteget, vt faciat de hostibus suis victricem, & triumphatricem; & omninò sic, sic prorsus *suscipiet eam*.

V. 5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: idest illi quidem contra eam pro Idolorum cultu, & impietate, Satana instigante, congregati sunt, & conuenerunt in vnum; in eundem finem, eandem planè excindendi. Verùm illi E

V. 6. Ipsi videntes sic, tot persecutionibus, tot cædibus, non cessisse loco; non tantùm non excisam, sed potius multiplicatam, auctam, corroboratam; admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: F

V. 7. tremor apprehendit eos.

Ibi

A Ibi dolores, vt parturientis. Hæc omnia explicantur ad illum omninò modum, quo Isaiæ c. 19. & c. 23. & alij sæpè dicuntur de indignatione, & scandescentia Gentilium ad victorias, quas Christi Fides de Idololatria, Mundi sapientia, carnis prudentia, fastu, & eminentia extollente se aduersus Deum, vbique obtinebat. Nimirum, ò Deus! hæc omnia

V. 8. in spiritu vehementi, vi Diuini tui verbi, cui non poterunt resistere
B Mundi sapientes, illas eorum vento vanitatis, & superbiæ tumidas munitiones, & eorum consilia destrues, & conteres naues Tharsis. illa ipsa vocat, naues Tharsis, maris scil. huius Mundi; pulcherrima similitudine vsus; quod sicut facilè naues à vento vehementi conteruntur; ita & illa, quæ Euangelij Prædicationi, eiusdemque susceptioni obstabant, fuerint disiecta, & confracta. *Nam*, vt Apostolus 2. Cor. 10. 4. *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam*
C *Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Atque sic effectum est, vt

V. 9. Sicut audiuimus, scil. in promissionibus, S. Aug. multa, & maxima quæque dona, & bona Ecclesiæ præparata; sic vidimus in exhibitionibus illi præstita in Ciuitate Domini (nam ipsa est Ecclesia Ciuitas Domini) virtutũ, in Ciuitate Dei nostri,
D Domini Iesu Christi; ipsum enim, vt etiam supra, exprimit.

Neque verò timendum est, ne quando illa bonorum ipsi datorum abundantia minuatur, & deficiat, siquidem Deus fundauit eam in æternum. Et hic locus confirmat ea, quæ de perpetuitate Ecclesiæ Romanæ dicenda sunt Isaiæ c. 23. c. 30. c. 31. c. 60. &c. & vicissim ab illis confirmatur.

Illa verò bona tam multa, & magna sunt, vt nos Fideles, qui ea percepimus, fateri cogamur;

E V. 10. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio Templi tui. quod autem hic versus indicet bonorum acceptorum multitudinem, & magnitudinem, non solùm connexio ostendit, sed etiam similis explicatio, quam S. Aug. adfert in Psalmi 58. versum 18. *Deus meus misericordia mea*; Non inuenit, ait, impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam, &c.

F Quod autem, ait, *in medio Templi tui*; ostendit, hæc bona ita magna, publica, & patentia esse, vt in omnium oculos incurrant, agnoscentibus etiam ipsis Infidelibus, & extra Ecclesiam positis Christi Fidelium felicitatem; qui Christi bonus odor sunt; qui vt luminaria lucent in medio nationis prauæ; quod quidem redundat in laudem, & gloriam Diuinæ Maiestatis; ita vt vbi Ecclesiæ Pax reddita fuit, verum pariter extiterit, quod

V. 11.

Christi Templo, Ecclesiæ eius in plena vocum significatione conuenit; quod, *fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion*; ille, inquam, tunc fundabatur, tam firmiter, & tanta fundamentorum soliditate, & immobilitate; vt vnde illi periculum commotionis, casus, & ruinæ imminere videbatur, ex parte scilicet Aquilonis (per quem de ordinaria scripturæ phrasi Satanæ impetus intelligendi; imò etiam Hæreses, & hostes Aquilonares, qui Ecclesiæ Christi infensissimi semper, & perniciosissimi extiterunt) inde, inquam, illi abundè prospectum est; nam habet mons hic Sion latera Aquilonis; siue in eius fundatione posita sunt, vt par erat, *latera* eius magnitudinis, & fortitudinis, quæ omnem *Aquilonis* impetum exciperent, & sustinerent. A B

Planè quod Dominus, Matt. 16. 18. promiserat, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersum eam*.

Quod autem dixi, Dominum Ecclesiæ suæ prospexisse etiam aduersus Hæreses, & hostes Aquilonares: id maximè verum esse constitit nostris temporibus, quando Hæresibus in Aquilone, seu Septentrione exortis, & Ecclesiam diuexantibus opposuit Sanctum Patriarcham nostrum Ignatium, de quo 5. Lectio eiusdem diei Diuino Officio proposita hæc habet inter alia; quod, *Hæresi bellum indixit, eo successu continuatum, vt constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios alijs temporibus sanctos viros, ita Luthero, eiusdemque temporis hæreticis Ignatium, & institutam ab eo Societatem obiecisse*. C

Neque verò mirum videri debet, tam benè Ecclesiæ prospici, vt illi vis nulla præualeat; siquidem ipsa est Ciuitas Regis magni: qui est Iesus Christus Dei Filius, ac Dominus Noster. O verè pulchram, fortiter munitam, sanctamque Ciuitatem! Quod prius dixi in ea solummodò Dominum magnum esse, & laudabilem nimium, cognosci; ita nunc repeto, quod etiam D

V. 4. Deus in domibus eius, Ciuitatis Regis nostri magni, cognoscetur, semper quidem, sed vel maximè, cum suscipiet eam, quando scilicet, eam ita proteget, vt faciat de hostibus suis victricem, & triumphatricem; & omninò sic, sic prorsus *suscipiet eam*.

V. 5. Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: idest illi quidem contra eam pro Idolorum cultu, & impietate, Satana instigante, congregati sunt, & conuenerunt in vnum; in eundem finem, eandem planè excindendi. Verùm illi E

V. 6. Ipsi videntes sic, tot persecutionibus, tot cædibus, non cessisse loco; non tantùm non excisam, sed potius multiplicatam, auctam, corroboratam; admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: F

V. 7. tremor apprehendit eos.

Ibi

A Ibi dolores, vt parturientis. Hæc omnia explicantur ad illum omninò modum, quo Isaiæ c. 19. & c. 23. & alij sæpè dicuntur de indignatione, & scandescentia Gentilium ad victorias, quas Christi Fides de Idololatria, Mundi sapientia, carnis prudentia, fastu, & eminentia extollente se aduersus Deum, vbique obtinebat. Nimirum, ò Deus! hæc omnia

V. 8. in spiritu vehementi, vi Diuini tui verbi, cui non poterunt resistere
B Mundi sapientes, illas eorum vento vanitatis, & superbiæ tumidas munitiones, & eorum consilia destrues, & conteres naues Tharsis. illa ipsa vocat, naues Tharsis, maris scil. huius Mundi; pulcherrima similitudine vsus; quod sicut facilè naues à vento vehementi conteruntur; ita & illa, quæ Euangelij Prædicationi, eiusdemque susceptioni obstabant, fuerint disiecta, & confracta. *Nam*, vt Apostolus 2. Cor. 10. 4. *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam*
C *Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Atque sic effectum est, vt

V. 9. Sicut audiuimus, scil. in promissionibus, S. Aug. multa, & maxima quæque dona, & bona Ecclesiæ præparata; sic vidimus in exhibitionibus illi præstita in Ciuitate Domini (nam ipsa est Ecclesia Ciuitas Domini) virtutũ, in Ciuitate Dei nostri,
D Domini Iesu Christi; ipsum enim, vt etiam supra, exprimit.

Neque verò timendum est, ne quando illa bonorum ipsi datorum abundantia minuatur, & deficiat, siquidem Deus fundauit eam in æternum. Et hic locus confirmat ea, quæ de perpetuitate Ecclesiæ Romanæ dicenda sunt Isaiæ c. 23. c. 30. c. 31. c. 60. &c. & vicissim ab illis confirmatur.

Illa verò bona tam multa, & magna sunt, vt nos Fideles, qui ea percepimus, fateri cogamur;

E V. 10. Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio Templi tui. quod autem hic versus indicet bonorum acceptorum multitudinem, & magnitudinem, non solùm connexio ostendit, sed etiam similis explicatio, quam S. Aug. adfert in Psalmi 58. versum 18. *Deus meus misericordia mea*; Non inuenit, ait, impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam, &c.

F Quod autem, ait, *in medio Templi tui*; ostendit, hæc bona ita magna, publica, & patentia esse, vt in omnium oculos incurrant, agnoscentibus etiam ipsis Infidelibus, & extra Ecclesiam positis Christi Fidelium felicitatem; qui Christi bonus odor sunt; qui vt luminaria lucent in medio nationis prauæ; quod quidem redundat in laudem, & gloriam Diuinæ Maiestatis; ita vt vbi Ecclesiæ Pax reddita fuit, verum pariter extiterit, quod

V. 11.

V. 11. Secundùm nomen tuum Deus, sic A
& laus tua in fines terræ: nimirũ vbiq; patuit, quia iustitia; qua, non tam peccata hominum punis; quàm promissa expectantibus, & sustinentibus te præmia, largiris; plena est dextera tua. Proinde

V. 12. Lætetur mons Sion, gaudeat, & gratuletur sibi ipsa Ecclesia, de B
tam bono, misericorde, & liberali Domino, & exultent filij Iudæ, omnes Fideles, qui in eiusdem Ecclesiæ confessione, & veritate viuunt, & ipsi pariter exultent, propter iudicia tua Domine, quæ in ipsis, & erga ipsos exercuisti, eorum peccata delendo, & persecutionibus purgando. Omninò vos, Filiæ Iudæ, Christi Fideles, qui tam multa vobis à me hoc Psalmo dici auditis de S. Ecclesia Matre vestra,

V. 13. Circumdate Sion, non tam obambulando passibus corporis; quàm lustrando; C
& inspiciendo mentis oculis, quantum illa vobis sit bonum; & eã agnoscentes complectimini eam toto cordis affectu, ne perdatis, & ab ea excidatis, vel naufragantes à Fide, vel eius communione indignos vos reddentes. narrate in turribus eius. Quæ in ea bona esse deprehenderitis consideratione vestra, & experientia; illa ipsa alijs, siue filijs eius rudioribus, siue Infidelibus, & Hæreticis *narrate in turribus eius*. Vos qui estis eius Pa- D
stores, Custodes, Vigiles, Prædicatores; qui statis loco alto, munito, forti, in specula, vos qui estis ipsi securi in turribus eius degentes.

V. 14. Ponite corda vestra in virtute eius:
Vobis est diligenti consideratione opus, vt agnoscatis, quanta sit eius excellentia; & distribuite Domos eius. Ipsa, vt dixi, Ciuitas Regis magni est, in qua omnia ordinatissima sunt. attendenda igitur illa graduum, officiorum, & dignitatum varietas, quæ E
in illa est. nam ipse Dominus, vt Eph. 4. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores*, &c. Est præterea in ea Religiosorum ordinum varietas, multitudo, & distinctio, quæ omnia tanquam Domos in vna Ciuitate apto inter se ordine constitutas *distribuite*, & ita distributas esse aduertite, vt cũ hac distinctione, vnam nihilominus faciant Ciuitatẽ ordinatissimã. Id quod deprehendetis esse planè excellens Dei opus, & dignum, vt enarretis in progenie altera. omni subsecutura hominum F
progenie. Atque ea, quę hactenus dixi, tanta, & tam multa, ideò nobis donata sunt;

V. 15. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: apud nos, ideſt in hac Ciuitate, in hoc mõ-

te

A te Sion, in hac eius Ecclesia, de qua locutus sum, reperitur, & *est Deus*, provt se nobiscum vsque ad consummationem sæculi futurum promisit ipse *Deus noster in æternũ,&c.* ipse pariter reget nos in sæcula. vsque ad consummationem, vt dixi, sæculi nobiscum futurus, nos protecturus, & gubernaturus.

Sed iam ab his tantis bonis, ob quæ lætandum est, quonam pacto S. Dauid transeat ad ingentia mala, propter quæ summè lugendum est, sequens Psalmus ostendit.


B

PSALMVS XLVIII.

Audite hæc omnes,&c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLVIII.

C *In finem filijs Core, Psalmus.*



Roximè explicatum Psalmum gaudio, & exultatione refertum, sequitur hic rebus potius mœstis, & auditu terrificis Psalmus maximè lugubris. Inscribitur & ipse *filijs Core*; quia illi potissimùm *filij Core*; idest Fideles Christi, ex Iudæis ad ipsum conuersi, huius Psalmi contentum, vim, & energiam, imò & minas, atque flagella, in obstinatos suos contribules directa, erant vel maximè intel-
D lecturi. Contentum igitur Psalmi est hoc. Quod toti Orbi manifestetur id, quod ad totius Orbis notitiam, cum ingenti omnium stupore erat deuenturum; quemadmodum scil. Iudæi, Populus olim vsque ad admirationem omnium Populorum à Deo dilectus, propter enormem eius ingratitudinem, notatam *v. 6.* & terrenum cor, signatum *v. 7.* & *11.* aliaque scelera, & tandem propter horrendam in ipsum Dei Filium patratam cædem, quam exprimit *v. 16.* esset à Deo proijciendus, atque præsentis, & futuræ vitæ calamitatibus, ærumnis, & pœnis maximis inuoluendus, & obruendus: quæ quidem omnia eò acerbiora futura erant,
E quò, ***cum in honore esset, non intellexit***; id quod propterea dolentissimè repetit v. 13. & 21.

Quod autem ad literam propriè, & immediatè sermo fit de Populo Iudaico, probatur ex v. 8. qui cum proprietate de solis Iudæis explicatur, quos Christus cognatos, & fratres secundùm carnem habuit, vt ait Apostolus Rom. *9*.

Et similiter etiam hic Psalmus, hoc Argumento posito, cum omnibus versibus planè, expeditè, atque consequenter explicatur: non autem, si quæ alij volunt, statuantur eidem Argumenta; vt Diuitiarum contemptus; Iudicium extre-
F mum; humanæ naturæ generalis corruptio; Redemptio; aliaque similia, vel simul, vel singillatim sumpta; quia ea nec sunt cum antecedentibus connexa, neque veniunt in consequentem totius Psalmi contextus explicationem. Id autem quod positum est vel maximè, provt sequentia ostendunt: ait ergo.

A

PSALMVS XLVIII.

V. 2. Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes: qui habitatis orbem:

V. 3. Quique terrigenæ, & filij hominum: B
simul in vnum diues, & pauper. De re supra modum graui, & quæ magnitudine sua meritò in stuporem, & admirationem rapiat omnes, qui eam intellexerint locuturus, hoc vtitur exordio S. Dauid. Res porrò illa omnium prudentum iudicio est illa Populi illius olim tam dilecti proiectio, & exclusio ab Ecclesia Christi: verè hæc in admirationem, & stuporem rapit omnes. Propterea eam ipsam S.Dauid vocat Sapientiam, &c. C

V.4. Os meum loquetur sapientiam: (& vt innueret, rē esse mysterijs plenissimam, & quod Apostolus ad Rom. c. 11. v.3. ait, continere *altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*; etiam ipse addit, quod talem sapientiam loquetur, quæ ab ipso sit, & fuerit ponderata cum meditatione cordis; profunda scilicet, & accurata prudentia; & meditatio cordis mei prudentiam. Item D

V.5. Inclinabo in parabolam, rem obscuram, non obuiam, neque passim notā; aurem meam, prius eam ipse, quam proloquar, à Domino edocendus: deinde aperiam in psalterio propositionem meam; quæ quidem mea lugubris *propositio in psalterio* meo, mihi non tam cantanda, quàm ploranda, hæc erit; E

V.6. Cur timebo in die mala? Per diem malam, passim in Diuina Scriptura intelligitur dies aduersitatis, & calamitatis; hoc autem loco S. Dauid id ipsum quidem intelligit; sed simul etiam indicat, se loqui de grauissima quadam, & omnium aliarum maxima calamitate, quæ Iudæis erat superuentura. Hæc porrò non alia erat, quàm quæ tantò ante illis à Sancto Moyse, Deuter. c. 32. valdè fusè, & similis planè exordij (quo hìc vsus est S.Dauid) apparatu prædicta fuit.

Et quæ tandem illa? Certè totus cardo longissimi illius sermonis, & protestationis S.Moysis, vt attentè consideranti patebit, in eo vertitur, quod Iudæi propter sua scelera deserendi, & in eorum locum Gentes assumendæ essent. Ad huius rei, & propositionis probationem sufficerit pro breuitate versus 2. illius cap.32. Deuter. vbi sic à Deo fertur in eos pro Gentibus sententia. *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus* (intelligendum est non tantùm idololatriæ peccatum, sed F

etiam

A etiam præpositus Christo Cesar, & status Reipublicæ) *& irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*. P.Emmanuel Sà optimè hæc explicat, dum ait, hoc esse, quasi dicat, *Faciam, vt Gentium felicitate conspecta inuideant, vel indignentur*. Legitimam autem, & à S. Moyse intentam hanc esse explicationem confirmat S. Paulus Rom. c. 10. 19. dum ait, *Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam*: ea scilicet de causa, vt pariter explicat P. Emm. Sà, quod salus Gentibus proponatur, fiantque de
B populo Dei.

Dies ergo *mala*, & omnium maximè, & extremè calamitosa illa erat, qua ad executionem huius horribilis sententiæ veniendum erat, qua vastati, & excisi à Romanis, ab illis ad Gentes Regnum Cælorum transferendum erat: ergo *Cur timebo in die mala?* Quid causæ est, quod in tantas miserias deuoluar? pro populo, & in eius persona loquitur populi sui amantissimus Rex Dauid: sibi ipsi respondens causas timendi, & quæ extremam ruinam allaturæ sunt, paucis assignat; Prima omnium maxima, &
C cæteras complectens hæc est, iniquitas calcanei mei circumdabit me. Ingens, insignis, & maximè detestanda ingratitudo, quàm vltimis temporibus ad Messiæ aduentum contra ipsum Seniores, Principes, & ipse populus Iudaicus exercebunt, illos perdet.

Valdè multis multorum explicationibus adductis hunc Versum explicat P.Lorinus, quæ videri apud ipsum possunt. Hæc cum phrasis Scripturæ, & ipsorum Psalmorum sit vsitata, qua per calcaneum eleuatum ingratitudo notatur; cumque eadem sit maximè consequens, reijci non potest.

D Ab hac primaria luctus, & lacrymarum causa ad alias transit, & illos, ait S. Dauid, se vocasse *iniquitatem calcanei*; qui tam iniqui essent, vt ipsa iniquitas dici possent;

V. 7. Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

Hic maximè proprius fuit Iudæorum morbus, quo eos laborare, & ægrotaturos
E vel ipse Moyses citato Deuter.c.32.15. notauerat; *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*, &c. quo videtur allusisse S. Dauid, cum & ipse vocet iniquitatem calcanei sui, scil. Populi sui, eos qui confidunt, &c.

Quam pleni ipsi essent fastu, hypocrisi, auaritia, immunditia, terrenis toti immersi, impinguati, incrassati, maximè tempore Christi, Sacræ Euangelij, & Actuum Apostolorum Historiæ testantur. Verùm, proh dolor! quid illis profuit superbia, & diuitiarum iactantia, quid contulit eis?

Ecce quod dicere, & lugere cæperam, quia illi se tam impiè in ipsum Chri-
F stum Domini gerent; ipse eos, qui pro redemptione eorum venturus est, & secundùm carnem futurus eorum frater, ipse inquam, eos

V. 8. Frater non redimit. illis Christus, qui ad eos redimendos venit, ab illis non receptus, ad salutem, & redemptionem non prodest; eos in peccatis suis mortuos sub eorum, & Satanæ, & mortis tyrannide derelinquit. eheu! sanguineis lacry-

nis deplorandum malum! iam actum, iam conclamatum est de alio quocunque A
remedio. si ipse expectatissimus, & potentissimus eorum *Frater non redimit*,
redimet homo; idest phrasi hebræa, qua repetenda est prior negatio, vtique non, *redimet homo*, quisnam alius.
non dabit Deo placationem suam. vt scil. ipsi Deum propitium reddat
munere aliquo, vel oblatione vllus alius. Sed neque inuenietur vllus, qui
det,

V. 9. Et pretium redemptionis animæ B
suæ: cum non sit aliud, quam quod daturus est ipse amabilissimus eorum, ac
noster Frater, & Dominus, qui in animarum redemptionem, ac pretium
sanguinem suum effusurus est. Seruitus verò, à qua ipse pretio sanguinis sui pretiosissimi
non liberauerit animam, tanta est, & tam misera, vt nulla in Mundo
sub quocunque crudelissimo tyranno à miserrimis mancipijs toleretur miserabilior.
cui namque ipse non dederit *pretium redemptionis animæ suæ* (ò rem auditu
terribile!) & laborabit in æternum: scil.in supplicijs; ait P.Sà. C

V. 10. & viuet adhuc in finem. S.Hier. ait,in sempiternum. P. Sà
addit, idem esse quasi dicat, etiamsi mori optet non poterit. Ita omninò quod
dixi, & optabit miserandus ille, quem non redemerit Christus, &

V. 11. Non videbit interitum; & hoc quidem magnum omninò, &
maximè miserandum malum est; illi tamen miserando homini, qui spreto Mundi D
Redemptore Christo in illud incurret, mirum videri non debebit, cum viderit sapiētes morientes;
idest;vt Paraphrasis Chaldæa habet;quoniam videbit sapientes improbos,
qui moriuntur morte secunda, & adiudicantur gehennæ.
Cum,inquam, viderit illos sapientes sic morientes ita plecti, inexcusabilis erit,
qui sibi Redemptorem non demerebitur. Sed quid dixi sapientes, qui sic mortui
sunt? veriùs insipientes erant; sed quicunque illi sine Domino Redemptore
fuerint; simul insipiens, & stultus peribunt. E

Et relinquent alienis diuitias suas:

V. 12. & sepulchra eorum domus illorum
in æternum. vsque ad diem Iudicij. Concordat Christi Domini Parabola,Luc.12.20.
*Stulte hac nocte animam tuam repetent à te:
quæ autem parasti,cuius erunt?* F

Pro Domibus ergo, in quibus ædificandis, ornandis; & opibus, atque diuitijs
eas implendis tot curas, & labores impenderunt, illis seruiunt sepulchra; & illa
ipsa sunt

Tabernacula eorum in progenie, & progenie;

A nie; eorum, inquam, hominum diuitum, & simul superborum, qui vocauerunt nomina sua in terris suis, qui, vt S.Hier. vocauerunt nominibus suis terras suas; angusti sepulchri angustijs manent inclusi.

In has, quas dixi, animæ, & corporis miserias redacti sunt, non quicunque huius Mundi homines, sed quod obstupescendum est, illi, qui sunt de Populo meo, in quos tanta cæcitas, & insipientia cadere nunquam debuisset. Si enim viles, abiecti, & Deum ignorantes in hac tanta mala incidissent, leuiùs ferendum erat; sed
B proh dolor!

V.13. Et homo cum in honore esset, non intellexit. Etiam is, populus scil. meus, Dei notitia præditus, gratia ipsius dignatus, ab ipso dilectus, protectus, exaltatus; etiam ille, *cum in honore* præ reliquis omnibus hominibus, & Mundi populis *esset, non intellexit*.

Contextus sacri connexa consequentia facit, vt hæc licet vniuersim ad totum genus humanum accommodari possint; nihilominus dicta sint primaria intentione
C de populo Iudaico.

Simili modo S.Moyses in sua solenni paulò ante citata declamatione, *Audite cæli*, &c. Deut. 32. ad quam hìc alludit S.Dauid; etiam ipse multis exaggerat illam sublimem dignitatem, ad quam Populus ille euectus à Deo fuerat. V.9. *Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius*. V.10. *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis*, &c. Item v.11.12.13.&c. Ipse ergo, qui maximè debuisset, *non intellexit*. Quod verò sequi ex hac tanta obscuratione, & cæcitate intellectus, & conuersione, atque applicatione, & inhæsione vo-
D luntatis, & affectus ad res terrenas necesse erat; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et qualis est iumentorum viuendi modus.

V.14. Hæc via illorum, eundem illi obseruant, & talis est vita eorum; quæ licet sit scandalum ipsis, idest in ruinam illis, & certam perditionem cedens, seu eos ducens; nihilominus illam decurrentes, etiã
E & postea in ore suo complacebunt, gloriantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis; dum, vt iumenta, putrescunt in stercore suo. Sed qui hìc, vt iumenta vixerunt;

V.15. Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos. Longè verò diuersa erit Iustorum conditio, qui honorem suum intelligentes à praua peruersorum vita recesse-
F rint. Hi namque, & in illa iam dicta tanta mala non incident.

Et dominabuntur eorum malorum, & impiorum, iusti facti illis superiores, in matutino: non solùm in luce futuri sæculi, vt ait P.Sà: sed etiam in hac, postquam toleratis persecutionibus, celeriter, tempestiuè, & opportunè (hoc mane, & in matutino significat) fuerint à Domino visi-

visitati. Hoc loco S. Dauid insinuat, quonam pacto Christi fideles apud Iudæos, & ex Iudæis collecti protecti fuerint, & effecti de ipsis victores: quod ipsum prædicit reliqua parte Versus, & auxilium eorum; idest id totum, in quo Iudæi spem suam ad conseruandum locum suum, & gentem collocauerant, veterascet, decidet, peribit, & interibit (prout necesse est id corrumpi, quod veterascit) in inferno, (illis breui in mortem, & sepulchrum destinatis, & abeuntibus) à gloria eorum, quam sibi præfixerant, & imaginati fuerant; veterascet, & interibit, vt dixi.

Illi quidem (loquitur S. Dauid in persona Christi) meam potius omnem gloriam perdere conabuntur, infami me Crucis supplicio è medio tollentes;

V. 16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, (quo Christi anima descenderat. Sic Sanctus Basilius.) cum acceperit me; scil. ad se per mortem ipsam, quam mihi illi inferent. Cum igitur mortem quidem meam, non autem ipsorum subsecutura sit, gloriosa Resurrectio ab inferis; qui mecum es, mihique tanto Domino seruis;

V. 17. Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, ille terrenus meus Populus Iudaicus, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. quia omnia ad modicum erunt, & ad momentum in fumum mox abitura;

V. 18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia; quidquam ex ijs, vt pote quod omnia, quæ congregauerat, terrena essent, neque thesaurizasset sibi thesauros, qui non veterascunt; neque fuisset in Deum diues; neque descendet cum eo gloria eius. Quia ergo tantùm temporalia spectauit, ad illa solùm attendit, pro illis tantùm fuit solicitus, & hoc est,

V. 19. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur; quia tantùm laudauit eos, qui sibi in rebus temporalibus benefaciebant; & hoc significat; confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Ipse, qui eiusmodi, & tantum temporalis fuit, & temporalia spectauit, contemptis æternis bonis, quæ illi offerebantur, ipse quidem

V. 20. Introibit vsque in progenies patrum suorum; sequetur vitam, viuendi morem, & fortè ad ætatem pertinget patrum suorum. Sed quid hoc felicitatis, & beatitudinis est? cum deinde subsecuturus sit illa fatalis, & horrifica sententia; & vsque in æternum non vi-

debit

A debit lumen. plena sunt hæc dolore, & gemitu, quæ tamen cum non apprehendantur, vt par est, ingeminare, & repetere cogunt,

V. 21. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

B Hunc Psalmum penè interminatum relinquere coactus fuit S. Dauid; neque enim illi tam emphatico exordio, & propositioni, *Audite hæc omnes Gentes*, &c. vlla adhuc competens conclusio, & determinatio subnexa fuit, sed totum Psalmum in recensendis populi sui vitijs, & consequentibus ea pęnis huius, & sequentis vitæ insumpsit, multùm, & iteratò ingemiscendo; quod *Homo cum in honore esset*, &c.

Id ergo, quod videbatur desiderari in hoc Psalmo, abundè suppleuit in se-
C quenti 49. qui omninò est quædam pars, & veluti conclusio prioris Psalmi, & quædam peroratio inchoatæ in eo tam grandis, & vniuersalis orationis, seu declamationis. Ad hunc ergo Psalmum 49. benè intelligendum;

PSALMVS XLIX.

D Deus Deorum Dominus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XLIX.

Psalmus Asaph.



CVm Asaph vnus fuerit de Cantoribus Psalmorum, & ex suo etymo Congregationem significet, voluit hoc pacto S. Dauid significare, se ideò hunc Psalmum prioribus subnectere, quia in eo Diuina Maie-
E stas palàm facit iustam suam, quam de suo olim dilecto populo repromissionem fecit: propterea eos ipsos vult congregari, & conuenire in vnum ad audiendam illam horrificam reprobationis sententiam. Id, quod si attentè obseruetur, toto hoc Psalmo tam patheticè fit, vt sacro quodam horrore mens ea legentis concutiatur. Et verò etiam voluit nos Diuina Maiestas ex his ipsis proficere; nam v. 22. ad omnes ait, *Intelligite hæc*, &c.

Notetur pręterea, quod scilicet multa passim, quæ de extremo die Iudicij à Diuina Scriptura dici videntur, re ipsa, & ad litera sint de Domini Nostri Aduentu,
F per Fidei, seu Euangelij prædicationem; id quod etiam ex hìc dicendis confirmabitur amplius. Videantur dicta initio Notato 6. §. 4.

Secundò; Supponendum est, quod, vt in Argumento est dictum, Psalmus hic sit ad vniuersam Congregationem in Deum credentium; idest agi in eo tam de illis, qui in Christum crediderunt ex Iudæis, quàm de alijs, qui in obstinatione, & perfidia sua remanserunt. Prima quidem Psalmi parte, illos assumptos à Deo in po-

populum: Secunda, istos reiectos fuisse S. Dauid ostendet. Hæc partitio clarè innotescit in Psalmi contextu, maximè v. 16. dum primis contradistinguens secundos ait, *Peccatori autem dixit Deus, quare, &c.* A

His ita suppositis; Dominus laturus in Iudæos reprobationis sententiam, eamque palàm publicaturus, & manifestaturus Mundo, dicitur à Sancto Dauide;

PSALMVS XLIX.

Deus Deorum Dominus locutus est. His verbis notatur Dominus Noster Iesus Christus Dei Filius, cui omne iudicium dedit Pater. Hoc autem probatur ex simili modo loquendi Psalmo 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum*, &c. vbi manifestè sermo est de eodem Domino nostro, ipsomet Domino Interprete apud D. Ioannem c. 10. 34. dum ait; *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, &c. Ex quo cum habeamus, eos, ad quos sermo Dei factus est, fuisse Iudæos, & maximè eorum Principes, Capita, & Seniores; etiam hic eosdem significari per Deos, quorum esset, atque omni iure esse debuisset Dominus, qui erat eorum simul & Deus. Hic ergo *Deus Deorum Dominus locutus est*: & vocauit terram, illos ipsos Iudeos, qui cum Dij esse potuissent, terrenis addicti terra esse maluerunt, *vocauit* ad iudicium, & Decretoriam sententiam audiendam. Ipse, inquam, Dominus vocauit, cuius est, B C

V. 2. A Solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius. idest, qui dimissis ex Sion Apostolis suis, & Discipulis in omnem terram, per Fidei, & Euangelij sui prædicationem, *à Solis ortu vsque ad occasum* inclaruit, & Dei Filius, Deus, ac Dominus totius Mundi esse, agnitus est. Sic omninò, quod tanquam factum propono, sic, inquam, ipse D

V. 3. Deus manifestè veniet: de Christo, & Messia loquor, veniet Deus noster, & non silebit. Hic autem eius aduentus, de quo mihi sermo est, erit per Fidei, & Euangelij eius prædicationem, quando *non silebit* amplius; sed linguis igneis instructos, & Sanctissimi sui Spiritus igne inflammatos Apostolos dimittet in omnem terram, & sic E

Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida. per quæ mira vis, & efficacia Diuini eius Verbi, cui non poterunt resistere omnes aduersarij, exprimitur. Sic Isaiæ c. 66. 16. *quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius.* F

Quod autem hæc ad literam de Christi Domini aduentu, non ad iudicium extremum, sed, vt dictum est, per Fidei prædicationem, & acceptationem dicantur, constat ex citatis in Isaiam capitibus, & ibidem dicendis: quibus omnibus accedit id, quod P. Lorinus in hunc versum dicit; nam vbi citasset Isaiæ illum versum

16.

A 16. c.66. item Ioelis c.2. v.3. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma*. Daniel c. 7. 9. item Amos c. 7. 4. subiungit; quod Cyrillus, & Eusebius hæc testimonia referant ad lumen doctrinæ, Fideique in primo aduentu; quomodo dicitur, quod *erit in die illa lux magna*; & comparatur cum fulgore, quod, vt Dominus, Matth. c. 24. 27. *exit ab Oriente, & parit vsque in Occidentem:* quibus verbis, & maximè his postremis P. Lorinus se in hanc sententiam venire ostendit; & in eam venire vnumquemque poterit, qui ea Christi Domini verba accuratè perpenderit; quandoquidem illis distinctè addidit, *sic erit aduentus filij hominis*.

B Ad hæc omnia confirmanda vim maximam habent illa alia Christi Domini verba, Matth. c. 26. 64. *amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. quæ posse intelligi de illo per Fidei prædicationem aduentu, & eiusdem toto orbe manifestatione ex S. Augustino, & ipso contextu probabitur citatis in Isaiam capitibus (loquendo tamen iuxta nostrum argumentum, sententijs aliorum Doctorum, & Patrum non aduersando.) Illis planè locis, & maximè huic vltimo S. Matthæi correspondet Psalmus hic: nam verè ipso confutantur impij Iudæorum Principes, & Domini Iesu Christi, quem ipsi

C agnoscere noluerunt, Maiestas Diuina proponitur, & Iudiciaria potestas. Ipse ergo, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra

V. 4. Aduocabit cælum de sursum: & terram; facict Angelis, & hominibus omnibus innotescere, siue ad publicum, & horrificum illud iudicium, quod sic exigente impietate, & infidelitate Iudæorum in eos exercebitur, Angeli, hominesque conuenient, cum voluerit

D discernere populum suum; dijudicare, & bonos à malis secernere, & separare. Sic omninò procedetur, & sic ipse Dominus iubet, & mandat omnium primò;

V. 5. Congregate illi sanctos eius: inter Populum Iudaicum tandem aliquando diuisio, & discretio facienda est, vt boni à malis separentur, sat diù permixtos inter se esse, eos sum passus, vt omnes boni fierent; nunc quando in impietate permanent, in vnum *congregate illi*, Domino scil. *sanctos eius*, quos ipse elegit, qui in eum crediderunt ex Iudæis, qui sunt Sancti eius Apostoli, Discipuli,

E & Fideles Primitiuæ Ecclesiæ Ierosolymis congregatæ, qui sunt illi, qui ordinant testamentum eius, Nouum scilicet, & æternum Testamentum, quod ipse posuit in Veteris locum susceperunt, & quibus ipse illud prædicandum in Mundum Vniuersum tradidit. quod quidem testamentũ est super sacrificia, idest omnia Sacrificia Veteris Testamenti, eiusque cæremonias longè excedens. Illos omnium primò segregatos ab aliorum obstinatorum Iudæorum numero, *illi congregate*, quos ipse in suos electos assumpsit, qui

F V. 6. Et annunciabunt cæli, tanquam Cæli, quos faciet tanquam cælos ambire, & illuminare Doctrina Euãgelij terram; annunciando iustitiam eius, veritatem, fidelitatem, misericordiam, &c. & vbique Gẽtiũ prędicando; quoniam Deus iudex est, constitutus à Deo, & ipse Deus, iudex viuorum,

ac mortuorum. Hoc certè fuit præcipuum, ac maximum thema prædicationis A
Sanctorum Apostolorum, vt D. Petrus Act. 10. 42. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Sic congregatis Sanctis suis, quàm dulciter, quàm amanter loquitur Dominus! Sic omninò;

V. 7. Audi populus meus, & loquar Israel; meus Israel nouus, non iam carnalis, sed per repromissionem; & testificabor tibi; tecum fœdus, & pactum, & B
testamentum feriam: tibi legem, & præcepta mea dabo; Deus, Deus tuus ego sum. O plena iucunditate verba! sed ijs tantùm, quibus ea loquitur: reliquis, qui cum illis non sunt congregati, terrore, & tormento plenissima. Sed pergit, & sermonem suum cum illis continuat;

V. 8. Non in sacrificijs tuis arguam te: P. Lorinus
hic ait, Catholicorum cõmunis expositio est (paucis exceptis de recentioribus, vt C
Iãsenio, Titelmano) agi de abrogatione veterum Sacrificiorum Legis antiquę, &c. Verùm iuxta iacta fundamenta (aliorum expositiones non improbando) id ad literam connexio textus non videtur sustinere, cum omninò, vt dictum est, hoc versu, & sequentibus vsque ad v. 16. exclusiuè fit sermo ad electum populum Domini, qui ex Iudæis in Christum crediderunt, nouamque eius Ecclesiam fundârunt. Ad eos ergo loquitur verba illa, *non in sacrificijs tuis*, &c. idque in omni proprietate sermonis, & cum plena antithesi ad oppositum illi Iudaicum populum in incredulitate sua permanentem, quorum antiqua sacrificia (benè quidem D
instituta, cùm ad vitandam idololatriam, tum quia in se erant bona, sed ab ipsis malè peragebantur, contentis solo opere exteriori) sępè redarguebat Dominus, Isa. c. 1. v. 11. *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum?* &c. Ieremiæ c. 6. 20. Amos 6. 6.

Nouo ergo Fideli Populo suo Christiano ad maximam consolationem Dominus ait; *Non in sacrificijs tuis arguam te.* per quæ intelliguntur non solùm Sanctissimum, & incruentum Missæ Sacrificium, & Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini Nostri, sed etiam alia ab ipso Domino instituta Sacramenta, & E
quæcunque figuris, & elementis antiquæ legis successerunt Ecclesiæ veritates, soliditates, & perfectiones. Sic etiam omnia illa, quæ Sancta Mater Ecclesia practicat circa exactissimum Dei cultum; quæcunque circa filiorum suorum salutem, & sanctitatem procurandam exercet in virtutum, & bonorum operum, ieiuniorum, eleemosynę, & misericordię exercitio vocat *holocausta* sibi gratissima; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Hæc omnia futura in maxima abundantia in Christi Ecclesia, etiã F
sequenti Psalmo repetet, dum ædificatis muris nouæ Ierusalem Ecclesiæ, vt mox patebit, promittit, acceptandum *sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta*, &c.

Hæc autem omnia non provt, & qualia antiquitus in Synagoga fiebant, sed qualia, & provt in noua Christi Ecclesia futura erant, sibi esse, & futura acceptissima

A ma sequentibus versibus aliquot ostendit. Insuper illis ipsis versibus, dum à suo electo Populo fideli illa sacrificia, qualia prius offerebat Synagoga, excipit, & secludit; ex consequenti illa ipsa abrogat; & ijs finem imponens, alia, vt dictum est, hoc versu, & infra v.14. & 15. dicendum, in eorum locum, semper duratura, nunquam non placitura, nunquam abroganda, substituit. Atque hoc pacto constat, hanc Explicationem cum communi expositione conuenire, dum à parte rei, paucis, quæ connexio consequens exigit, superadditis, idem cum illa dicit. His positis

B Sermonem suum Dominus cum Sanctis suis congregatis continuando, ait.

V.9. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Illaque sibi accepta futura essent, vbi statuisset, hæc consequenter vetera, imperfecta, vmbratica à noua, perfecta, & sanctificante Christi lege excludit, & eo ipso abrogat; quia vt D. Paulus Heb. 9.9. dum nondum esset *propalata Sanctorum via priore tabernaculo habente statum, munera, & ho-*

C *stiæ* offerebantur, *quæ non poterant iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tempus correctionis impositis*. Quam autem parui Diuina Maiestas illa eiusmodi penderet, & quam vilia, in se ipsis spectata, illa essent, quamque parùm ad placandam, & propitiandam eandem Diuinam suam Maiestatem conferrent, vel contulissent, planè amicè dilecto suo fideli Populo, vt sua magis æstimare nosset, exponit sequentibus 4. versibus

D V. 10. Quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus, & boues.

V. 11. Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est.

E V. 12. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.

V. 13. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

Illis reiectis, & abrogatis, constituit;

F V. 14. Immola Deo sacrificium laudis:

Placet hìc, quam P. Lorinus ex Valentia adfert explicationem apponere; vertit hìc, *sacrifica Deo confessionem*, & interpretatur de Confessione Fidei, laudis, & peccatorum, vt prima iustificetur homo (si adsint alia;) secunda, satisfiat beneficijs Dei; tertia, purificemur. addit P. Lorinus; *De confessione quoque vocali pec-*

catorum per Messiam instituenda, Rabbinos locum istum accepisse, testatur Galatinus lib. 10. c. 3. A

Planè ita sentiendum, & dicendum est; cum re ipsa peccatorum Confessio, siue Sacramentum Pœnitentiæ à Domino Christo in Ecclesia constitutum sit, & contineat sacrificium summæ Dei Laudis, quæ ex peccatorum agnitione, detestatione, Diuinæ Misericordiæ imploratione, nouæ, & Deo placitæ vitæ institutione, alijsque tam multis eam consequentibus bonis operibus consurgit. Decebat etiam Sanctum Dauidem, dum pacta, quæ Dominus cum suis Fidelibus, & Ecclesia sua hic exponebat, istius Sacramenti adeò in ea frequentandi meminisse. B

Præter hoc assiduè immolandum, & ab omnibus offerendum *Sacrificium Laudis*, Confessionem Sacramentalem peccatorum, sequitur aliud, Dignitate quidem primum, summum, & maximum, sed oblationis tantùm ordine secundum, Sanctissimũ scilicet Missæ Sacrificium, **& redde Altissimo vota tua.** Illud omninò per hæc verba exprimitur: ad quod probandum satis est id, quod supra Psalmo 21. v. 26. dictum est ad illa verba, *Vota mea reddam*, ex Sancti Augustini, & ipsius sacri textus sententia (cum immediatè sequatur, *edent pauperes*, &c.) per illa intelligi Sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi. C

Hic ergo ipse liberalissimus Dominus, qui ea Ecclesiæ suæ tradidit offerenda, offerri ab ea, tanquam sua iubet; *redde Altissimo vota tua*, assiduè, indesinenter, perpetuò: quod & fit in Ecclesia Sancta Catholica, & vsque in finem fiet, donec Dominus veniat.

Ad hanc rem, quæ per se clara est, licet non sit opus vlteriore probatione, multum tamen ponderis habet id, quod ex Talmudicis obseruat P. Lorinus in Argumento Psalmi nonagesimi noni. Illi igitur docent, Messiæ tempore cessaturas alias oblationes, & orationes, sed non eam, quæ est *thodah*; per *thodah* autem significatur genus quoddam sacrificij, ad quod panes adhibebantur, & cum laude, confessione, gratiarum actione offerebatur. Hanc veritatem illi ex hoc Psalmo, & versu facilè prædicere potuerunt. Sed pergit S. Dauid. Vltimum, quod à populo suo fideli requirit Dominus, est; D

V. 15. Et inuoca me in die tribulationis; tota vita Christiani hominis continua cum sit tribulatio, continuam orationem, & inuocationem Diuini auxilij exigit; quod quia Dominus confert, sequitur gratiarũ actio, quod est; **eruam te, & honorificabis me.** E

Hactenus cum suis, quos sibi Dominus congregari, & segregari mandauerat ex magno malorum cætu (illis ipsis videntibus, & audientibus, qui reijciebantur) locutus est; nimirum seruis, seu populo suo. Iacto cum ijs fœdere, & Testamento nouo cum ipsis disposito, nec non vetere abrogato, quid aliud restabat, nisi, vt conuerso ad eos, quos reijciebat, & reprobabat, sermone, in eosdem reprobationis sententiam ferret? Id omninò ita facit; nam F

V. 16. Peccatori autem, id est reliquæ, & maximæ parti Iudæorum populi, qui nomine peccatoris intelligitur, vt etiam supra Psal. 5. 8. *Viri sanguinum, & dolosi* nomine in-

A indicatur; illi, inquam, peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Dura in eos increpatio, qua semper eguerunt, eò quod in lege gloriarentur, cum ea, quæ legis erant, non facerent. Notandum, quod Dominus hanc vanam, & superficialem eorum gloriationem indicet illis verbis, *assumis testamentum meum per os tuum*; neque enim ex corde, vel ad
B cor transit. S.Paulus ad Rom. c. 2. v. 22. simili planè modo Iudæos redarguit, *qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris Idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras*. Et hoc sonat,

V. 17. Tu verò odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum:

C V. 18. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. In communi contemptæ Diuinæ legis arguuntur Iudæi, & in particulari de auaritia, & peccatis contra 6. Præceptum. Item de hypocrisi, & dolositate v. seq.

V. 19. Os tuum abundauit malitia: &
D lingua tua cōcinnabat dolos. Summum, & maximum peccatum eorum fuit,

V. 20. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Nullum dubium, hoc dulci *Fratris* nomine intelligi ipsum Dominum Iesum Christum. Sic Moyses
E hoc nomine eum prophetat, Deuter. c. 18. 15. *Prophetam de Gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, &c. Item versu 18. ait, Dominus, *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum*, &c. sic & ipse Dominus supra Psal. 34. v. 14. quasi cum fratribus se cum eis egisse, ostendit. Insuper eundem etiam filium matris eorum, scil. Synagogæ, nominat. Et verè Dominus tanquam filius obsequentissimus fuit Synagogæ, & exactissimus in omnium legis, legalium, & cæremoniarum eius obseruatione, vt constat.

Ea ergo aduersus illum fecisse, & fuisse eum vsque ad Crucem persecutos (quæ
F illis fuit, & est scandalum, & illud scandalum, scil. mortem Crucis, ipsi dicuntur Domino posuisse, quia intendebant, sic ipsum omnibus facere *scandalum*, idest detestandum) quantum hoc malum!

V. 21. hæc fecisti, & tacui. Etiam post illatam Christo meo Crucis mortem, te multis annis patenter sustinui, & ad Fidem, & pœnitentiam expectaui, Ierosolo-

solymis Fideles meos detinendo tui conuertendi gratia; sed frustra; nam eos omnes perdere, & delere conatus es, vt tu dominareris, & meus adhuc Populus esse videreris, *quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa*; Rom. 9.4. Verùm fefellit te superbia, & impietas tua; A

Existimasti inique quòd ero tui similis;

quod vt tu facis, qui iniquus es, tua mala approbaturus essem: absit hoc à me; quin-imò arguam te, te sceleratum, & impium esse conuincam; ipsamque tuam iniquitatem, & impietatem etiam ponam contra te, quæ te impugnet; quod est; & statuam contra faciem tuam; vt tibi illa, & omnibus Mundi hominibus ante oculos continuò obuersetur, & agnoscatur ex pœna acerbissima Desolationis extremæ, quæ tibi propter illam infligetur. Verè sic factum: & quia hæc illorum castigatio, & maxima est, & notissima toti Mundo; propterea, vt inde erudiantur omnes, exclamat Dominus, B


V. 22. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deũ: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. C

Deinde modum, & viam ostendit, qua se in via salutis sint conseruaturi, qui conuertentur;

V. 23. Sacrificium laudis honorificabit me:

provt dictum est v. 14. nulla via præstantior Pœnitentia, & confessione peccatorum promittit Dominus, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei; D meam salutem, quam dare soleo, non alia via concedo. Plura hac de re Scholastici: ad hoc propositum, & confirmationem datæ explicationis sit satis, quod Concil. Trid. Sess. 7. in Procemio de Sacramentis ait; quod *per ea omnis vera iustitia vel incipit, vel capta augetur, vel amissa reparatur*.

Verùm, videndum modò est, quosnam, quantosque motus hæc Decretoria in Populum Iudaicum sententia in corde S. Dauidis concitauerit. Eos ipse perquàm patethicè exprimit Psalmo sequenti, qui est ille Quinquagesimus. E



PSAL-

A

PSALMVS L.

Miserere mei Deus, secundùm, &c.

B

Titulus, seu Argumentum Psalmi L.

In finem, Psalmus Dauid,
Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethsabee.
(2.*Regum* 12.)



C Vod luctum, lacrymas, & amarissimam pœnitentiam Psalmus hic contineat, clarum est tam ex toto eius contextu, quàm ex decantatissimis plurimorum Interpretum in eum expositionibus. Verùm quænam sit eiusdem luctus, & lacrymarum vera, & potissima causa, non ita in aperto est.

Titulus quidem videtur significare, eam non aliam fuisse, quàm adulterium, & homicidium à Dauide Rege perpetratum; quandoquidem ait, ***In finem, Psalmus Dauid, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethsabee.*** *(2.Reg.12.)*

D Sed, quod valdè obseruandum est, ita eam causam fuisse Titulus hic indicat, vt simul ostendat, non solam, & vnicam eam fuisse causam, siue luctus ipsius Regis, siue Psalmi eiusdem luctuosi, & pęnitentialis hoc loco ponendi tali ordine, cum tali ab alijs dependentia, & cum tali cum ipsis connexione. Nam cum in Psalterio hoc omnia, vt patet, ordinatissima, atque consonantissima sint, si præter peccatum suum S. Dauid hoc loco nihil aliud, & quidem intentione magis principali lugeret, vt quid eum in hunc locum reseruasset, & non potius inter primos Psalmos, & quidem tertio statim loco statuisset? eius scilicet loco, quem inscripsit
E de persecutione sibi ab Absalone filio illata, quæ fuit pœna, & effectus malæ causæ, & peccati, quod hic flere dicitur.

Quod autem dixi, ipsum Psalmi Titulum indicare, aliam adhuc aliquam causam esse eius luctus, quem hoc Psalmo facit S. Dauid, id ita esse ex Hist. & Actis 2. Reg. c. 12. quò nos Titulus, & vulgata mittunt, clarè intelligimus. Quando enim ad Dauidem venit Nathan Propheta, non solùm Regem de peccato nota illa, efficacissimaque parabola de Oue vnica sublata pauperculo redarguit; sed etiam cum ipsum compuncto, contritoque corde confitentem audiuisset; ***peccaui***
F ***Domino***; apertè ei denunciauit, v. 13. ***Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris***. Hoc posito, cum iam certus esset de venia à Deo obtenta, multa sunt, quæ hoc Psalmo dicit, quæ cum illa veniæ iam obtentæ certitudine ægrè, & vix, & in sermonis veritate non possunt consistere; vt v. 4. ***Amplius laua***, &c. v. 9. ***lauabis me***, &c. v. 13. ***Ne proijcias me***, &c. v. 16. ***Libera me de sanguinibus***, &c.

Deinde eo ipso tempore, quo venit ad eum Nathan Propheta, Regia Vrbs Ieru-

rusalem, munitissima muris, & turribus, Arce Sion, alijsque munitionibus, & propugnaculis instructissima erat; nihilominus tamen hoc ipso Psalmo v. 20. postulat; *vt ædificentur muri Ierusalem*. A

Ex his, alijsque eiusmodi aliam omninò, eamque maiorem, & vrgentiorem causam sui luctus, & Psalmi huius lamentabilis habuisse pientissimum Regem Dauidem, est manifestum.

Illa verò, quæ cum rerum ordine, & consequentia sermonis optimè, & connexissimè stet, hæc omninò est ex nostro Argumento.

S. Dauid, vt compluribus Psalmis, & maximè postremis duobus iam expositis vidimus, notam, & compertam habuit futuram Populi sui Iudaici desolationem, illam, vt occasio ferebat, sæpius deplorabat, lamantabatur, &, quoad poterat, deprecabatur. Hoc autem loco, quia iam supra tam multa dixerat de Euangelij prædicatione, de Fidei Christi propagatione, de superatis persecutionibus, de Ecclesiæ inter Gentes fundatione, opibus, magnificentia, gloria Christi eiusdem Sponsi, alijsque eiusmodi ipse etiam ordo, connexio, & crescens oratio exigebant, vt longè quàm antea vnquam fecisset, hoc Psalmo, quod omninò præstat, abundantiore fletu, lacrymis, & motiuis ad impetrandam veniam, & auertendum extremum illud malum vteretur. B C

Quod autem simul significet, se sua peccata adulterij, & homicidij deplorare, & re ipsa ea defleat, id etiam pulcherrimo ordine, & consequentissima connexione hoc potius loco, quàm alio quouis facit; quia in se tanquam capite, & in peccatis suis expressa, & figurata videbat peccata populi sui Iudaici suis simillima; & tantò, atque infinitis etiam partibus acerbiora, & detestabiliora suis, quantò ipsi in Deum sceleratiores futuri erant, non solùm ab eo per Idololatriam, & ingentia eam comitantia scelera recedendo, & veluti adulterando; verùm etiam impijssima cæde in ipsum (quod cohorrescit animus) Dominum Maiestatis Dei Vnigenitum sæuiendo: quorum propterea criminum enormitate, atque immanitate perculsus Rex Dauid, ita pro obtinenda eorumdem venia ad Deum supplex accedit, vt non ignoret magna valdè ad ea obliteranda opus esse Dei misericordia. D

PSALMVS L. E

V. 3. Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Eandem significationem, & insinuationem enormitatis scelerum habet alia pars eiusdem Versus;

Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. F Suam autem facit pientissimus Rex causam populi sui; *miserere mei, &c.*

Sed propter eorumdem scelerum granditatem non facilè ausus esset ipse Dauid suam apud Deum interponere deprecationem, nisi ipse Dominus prius sua be-

A benignitate veluti aditum ad se præbuisset: illum ipse dedit, & S. Dauid obseruauit ex ipsis sententiæ in reos Iudæos priori Capite fulminatæ verbis: cum enim postremò dixisset; *Sacrificium laudis honorificabit me*; peccatorum, vt diximus, confessionem commendando; eidem consentiens monito, obsequitur, dolet, confitetur iniquitatem, implorat misericordiam.

Atque hic ipse fuit supplicum mos, viam sibi ad obtinendam gratiam sternere, ex ipsis eorum, quos deprecabantur verbis, vt sapiens illa Thecuitis cum ipso Dauide fecit 2. Reg. c. 14. Chananæa cum Domino Iesu, Matth. c. 15.

B Neque verò ex postremis solùm sententiæ priori Psalmo promulgatæ verbis S. Dauid suam hanc deprecationem contexuit, sed etiam gradatim progrediendo penè omnia attingit, & veluti blandè retorquendo ad propositum deprecationis suæ intentum deriuat, & accommodat admirabili, ac planè diuina arte Oratoria, ex qua mirificè elucet illa, quam in Psalterio astruimus, connexissima, atque consequentissima concordantia.

Cum igitur in illa sententia horrificum illud, & primum fuisset verbum, v. 16. *Peccatori autem dixit Deus*, quo prædicta scelerum populi Iudaici enormitas ex-

C primebatur, S. Dauid non contentus, quod ad eorum veniam *magnam Dei misericordiam, & multitudinem miserationum* eius implorasset, vlteriùs postulat;

V. 4. Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

quasi dicat; nullis emundari baptismatibus Legis nostræ, nullis victimis, & hostijs expiari potest iniquitas hæc nostra, & peccatum; tu tamen alio sacrificio, plusquam hæc nostra possint, & valeant, *Amplius laua*.

D Planè Domine, quod Maiestas tua dicebat v. 20. *arguam te, & statuam contra faciem tuam*; id mihi accidit; & id ego etiam lubens facio, vt agnoscam me, & me ipsum exhorrescam.

V. 5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est

E semper. Et quidni, cum tam enormis iniquitas mea, & peccatum tam horrendum sit, non continuò ante faciem meam obuersetur? quidni illud non veluti fronti, & faciei meæ inscriptum ita circumferam, vt detestabilis, & abominabilis omnibus Mundi hominibus reddar? nam quod dicebas, Domine; quod *sedens aduersus fratrem meum loquebar, & aduersus filium matris meæ ponebam scandalum*, v. 20. id (proh dolor!) verum omninò est, me (in persona populi sui Iudaici loquitur) fecisse; & eheu! dum id tam impiè feci,

V. 6. Tibi soli peccaui, & malum coràm te

F feci: Tu enim, qui es amantissimus Frater, & Filius Matris meæ, in quem sceleratas manus inieci; idem omninò Deus meus es; & sic *Tibi soli peccaui*, &c. excedit omnia alia Mundi scelera, quod hanc in te Dominum, ac Deum meum cædem patrauerim. Verùm etiam hoc ipsum peccatum meum grande in gloriam tuam redundabit, ò Domine, & factum agnoscetur; **vt iustificeris in sermonibus**

Ee tuis,

tuis, & vincas cum iudicaris. Sic Sanctus Paulus Rom. c. 3. 4. explicat. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Quod dixi, peccatum illud redundasse in gloriam Dei, id S. Paulus illo ipso loco ait; *iniquitas nostra iustitiam Dei commendat*; dum scilicet, vt optimè P. Emm. Sà explicat, ille verax est, & fidelis in promissis; etiamsi nos iniquè agamus; *& sic iustificatur in sermonibus suis*, quando, prout promisit, pœnitentibus, & petentibus veniam parcit; *& vincit cum iudicatur*: cum ab impijs, vel non misereri, vel non esse verax æstimatur. A B

Perstans in hac sui, & populi sui accusatione S. Dauid, quod scil. Deus iustus, & bonus; ipsi, peccatores, & mali essent; non ad excusandum; sed accusandum, & exaggerandum peccata ait; tales omninò sumus;

V. 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea. Peccatum originale, & profluentem de massa illa damnata, vt ait S. Augustinus, corruptionem proponit; & quod, vt dixi, non ad excusandum id adferret; subiungit etiam aliam circumstantiam aggrauantem illorum scelera; quod scil. ipsi non solùm originali peccato tam multa, & tam horrenda actualia, & personalia superaddidissent; verùm etiam, quod post acceptam à Deo Legem, Testamentum, Cæremonias, postque traditam ipsis Diuini cultus disciplinam per Moysen, & Prophetas, tanta perpetrassent; idcircò S. Dauid optimè memor Dominum paulò ante priori Psalmo versu 16. hæc ipsa exprobrasse (*Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*) & ipse hac etiam in re accusator sui, & populi sui, pro quo hæc deplorabat, exclamat, C D

V. 8. Ecce enim veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Fateor mihi, quod erat arcanum, & ignotum omnibus alijs Mundi nationibus, reuelatum; mihi traditam fuisse Legem vitæ, & disciplinæ; ad me missos fuisse Prophetas, &c. & his tantis ad salutem medijs non proficientibus, & non obstantibus tanta peccaui. E

Sed etiam sic, vt cæpi, misericordiam tuam magnam imploro, Domine: Tibi facilè est, etiam hæc ingentia mea peccata remittere;

V. 9. Asperges me hyssopo, & mundabor.

Sanctus Dauid hìc alludit ad Exodi 24. 8. quod & Sanctus Paulus Heb. 9. 19. recenset; scilicet, quod; *lecto omni mandato Legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit*, &c. Cum verò idem S. Propheta Dauid optimè sciret, quod S. Paulus sequenti cap. 10. subiungit, *Impossibile esse sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*: dubio procul illa quidem tangebat, sed Christi sanguinem significabat, quod norat tam potentem ad veniam, vt posset ipsum peccatum, per quod effusus fuit, delere. Quia ergo *sine sanguinis effusione* F

A *sione non fit remissio*. Heb.9. v.22. & per eius sanguinis effusionem omnis,& cuiuscunque peccati fit remissio; ideo fac, Domine, quod precor; me, & Populum meum *Asperges*,&c.eodem lauabis me,& super niuem dealbabor: omnes quicunque mundi sunt, & stolis albis induti, *lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni*. Apoc.7.14. Sic dealbatus si fuero per peccatorum meorum remissionem,

B V. 10. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

Itaque cum sic ego ipse mea peccata mihi ante me proponam, illaque defleam, tu ò Domine;

V. 11. Auerte faciem tuam à peccatis meis:

C & omnes iniquitates meas dele. ea condonando eorum obliuiscaris,& post tergum tuum proijcias in profundum maris,&c.

Vt verò in gratiam tuam à te susceptus, in eadem constans, & fidelis permaneam; fac vt sim vnus de eorum numero, quibus cor nouum, non lapideum, sed carneum daturus es;

V. 12. Cor mundum crea in me Deus: &

D spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Illud verò,quod dixisti *Peccatori*,òDeus,*Quare tu enarras*,&c.per temetipsũ rogo;

V. 13. Ne proijcias me a facie tua. Hoc malorum omniũ maximum est, si tu deseras, quæ mihi reliqua futura est in Lege, & Testamento gloriatio? an non merus literæ cortex mihi remansurus est absque Spiritu tuo, absque Salutari tuo, si proijcias me à facie tua? *Ne* ergo *proijcias me à facie tua:*

E & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Sed potius cum in promisso mihi ad me mittendo Messia, tota gloria mea, & cordis mei gaudium, & lætitia sita sit,

V. 14. Redde mihi lætitiam salutaris tui:

Hier. Iesu tui: Chal. redemptionis tuæ. Et vt dignis obsequijs ipsi seruiam, & nunquam ab eo diuellar, & spiritu principali confirma me.

F Neque per te sic adiutus, & corroboratus, vnus ego obsequentissimam seruitutem tibi præstabo; verum etiam

V. 15. Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. Et tu quidem, Domine, hoc meum, quod promptum offero obsequium iure meritò

aduersari, & reijcere, imò & peracerbè iteratò increpare potes. Tu doceas A
iniquos vias meas, qui *odisti disciplinam, qui proiecisti sermones meos retrorsum, qui cum fure currebas, qui cum adulteris portionem ponebas, atque etiam scandalum aduersus fratrem tuum*, &c.? omnia hæc, (heu!) nimium quantum vera sunt: sed

V. 16. Libera me de sanguinibus, ab his tantis, tamque magnis peccatis, Deus, Deus salutis meæ, auctor, & vnica spes: & B
exultabit lingua mea, exultando celebrabit, iustitiam tuam, misericordiam tuam, qua dando pœnitenti promissam veniam Deum te fidelem, veracem, & misericordem ostendes. O sic, obsecro, fac;

V. 17. Domine labia mea aperies: si feceris dabis mihi materiam te laudandi. (P.Emm.Si.) & os meum annunciabit laudem C
tuam; provt tibi placere supra dixisti v.14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Peccata mea confitendo, misericordiam tuam celebrabo.

Planè hoc tibi esse placitum noui præ reliquis, quæ tibi in vitulis, arietibus, agnis, alijsque similibus, quæ omnia tua sunt, animalium, & iumentorum offeruntur sacrificijs. Neque dubium vllum est;

V. 18. Quoniam si voluisses; si quidem voluisses in his, quæ tu dedisti, & D
quæ tua sunt omnia, iumenta in montibus, & boues, &c. tibi offerri;
sacrificium dedissem vtique; quis enim vel hæc, & tua, non promptè immolet? Sed noui, Domine, hæc omnia terminanda, & illa ipsa alterius sacrificij intuitu te interim acceptare: noui aduenturum tempus, quo amplius similibus holocaustis non delectaberis. Noui quod E

V. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: & quod cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Id enim, vt suprà v.14. Psal. 49. est *Sacrificium laudis*, quod *immolari* tibi à tuo populo dilecto præcepisti. Illud est, *Sacrificium laudis*, quod *honorificabit te, & illic iter, quo ostendes*, id immolantibus tibi, *salutare tuum*. v.23. Ita igitur obsecro, vt illis sanctis tuis assumptis me, & populo meo à facie tua non proiectis, neq; ab illo populo tuo exclusis; F

V. 20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, qui benignus es, & Dominus Sion, & habitans in Sion nominaris (potentissimum admonet ad obtinen-

A tinendum, & deprecandum motiuum) *fac in bonitate tua*, iuxta hæc à me ſpiritu contribulato, corde contrito, & humiliato poſtulata; **vt ædificentur muri Ieruſalem;** vt veniant illa beata tempora, quibus noua Chriſti tui Ieruſalem, eius Eccleſia, eiusque muri pleno gentium, & populorum in eam concurſu, & deuictis eius, qui eam in ſui ædificatione impedituri ſunt, hoſtibus, *muri ædificentur*; pace tandem tranquillitate, & publici Diuini tui cultus exercitio, quod nemo interturbet, gaudeat. Hæc omnia S. Dauid pauculis illis verbis, & aptiſſima ſimilitudine murorum fortium ambientium Ciuitatem expreſſit.

B **V. 21. Tunc,** illo Eccleſiæ pacifico ſtatu, **acceptabis ſacrificium iuſtitiæ;** vacabitur in Eccleſia cultui Diuino, perfectioni Chriſtianæ, & religioſæ; **oblationes, & holocauſta;** illa (& prout ſupra priori Pſalmo verſu 14. dictum eſt) offerentur; **tunc**

C **imponent ſuper altare tuum vitulos,** non materiales, qui ſupra excluſi; ſed myſticos; ſic etiam Altare Domini non aliud eſt, quàm Crux eius ſancta, in qua ipſe hoſtiam ſe obtulit immaculatam Deo. Conſequenter his verbis innuit S. Dauid in S. Eccleſia Chriſti Sponſa futurum ſemper in flore, & vigore ſtatum perfectionis religioſæ, in quo tam multi vtriuſque ſexus fidelium Chriſti exercitus, Mundum, & mundana omnia deſerentes, ſe ipſos abnegantes, Euangelica Conſilia amplectentes ſe ipſos Domino immolant, nunc (vt S. Bernardus ait) tanquam *Vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas*. Pſalm. 68. v. 32. per no-

D uæ conuerſionis effectum: aliàs tanquam *Vitulum de armento*. Leuit. 9. 23. per ſacræ religionis profectum: tandem tanquam *Vitulum ſaginatum*. Luc. 15. 26. per conſummatæ virtutis affectum.

Sic S. Dauid verba hæc ſua ad deprecandum planè compoſita, & ipſi à Spiritu illo Sancto, qui poſtulat pro nobis, dictata concludit, & terminat. Illis ipſis frequentiſſimè vtitur S. Mater Eccleſia in publicis, priuatisque Diuinis Officijs, ea decantanda tradit miniſtris ſuis, & filijs omnibus; neque ſolùm per ſacras ædes, ſed per ipſa etiam compita, & fora Sacer hic Pſalmus paſſim perſonat,

E Atque hic ipſe Pſalmus ſi affectibus illis pœnitudinis peccatorum, cùm à priuato, & particulari quoque homine, tum à communitate commiſſorum, ſi metu, & timore impendentium propter illa pœnarum tam corporalium, quàm ſpiritualium, & harum maximè, quæ ſe ſe extendunt etiam apud nos Chriſtianos vſque ad ſubtractionem, & priuationem Regni Cælorum, bonorum ſcilicet Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ, quibus ſubinde Ciuitates, Prouinciæ, & ipſa Regna priuantur; ſi inquam his affectibus, quos ipſum continere obiter oſtenſum eſt, ipſe Pſalmus recitetur, & attenta mente pronuncietur, prout ipſa S. Mater Ec-

F cleſia intendit, dum illum pronunciandum proponit, dubio procul fructus longè vberrimos pœnitentiæ, & emendationis vitæ eſt producturus.

aduersari, & reijcere, imò & peracerbè iteratò increpare potes. Tu doceas iniquos vias meas, qui *odisti disciplinam*, *qui proiecisti sermones meos retrorsum*, *qui cum fure currebas*, *qui cum adulteris portionem ponebas*, *atque etiam scandalum aduersus fratrem tuum*, &c.? omnia hæc, (heu!) nimium quantum vera sunt: sed A

V. 16. Libera me de sanguinibus, ab his tantis, tamque magnis peccatis, Deus, Deus salutis meæ, auctor, & vnica spes: & B
exultabit lingua mea, exultando celebrabit, iustitiam tuam, misericordiam tuam, qua dando pœnitenti promissam veniam Deum te fidelem, veracem, & misericordem ostendes. O sic, obsecro, fac;

V. 17. Domine labia mea aperies: si feceris dabis mihi materiam te laudandi. (P.Emm.Si.) & os meum annunciabit laudem C
tuam; prout tibi placere supra dixisti v.14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. Peccata mea confitendo, misericordiam tuam celebrabo.

Planè hoc tibi esse placitum noui præ reliquis, quæ tibi in vitulis, arietibus, agnis, alijsque similibus, quæ omnia tua sunt, animalium, & iumentorum offeruntur sacrificijs. Neque dubium vllum est;

V. 18. Quoniam si voluisses; si quidem voluisses in his, quæ tu dedisti, & D
quæ tua sunt omnia, iumenta in montibus, & boues, &c. tibi offerri, sacrificium dedissem vtique; quis enim vel hæc, & tua, non promptè immolet? Sed noui, Domine, hæc omnia terminanda, & illa ipsa alterius sacrificij intuitu te interim acceptare: noui aduenturum tempus, quo amplius similibus holocaustis non delectaberis. Noui quod E

V. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: & quod cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Id enim, vt suprà v.14. Psal. 49. est *Sacrificium laudis*, quod *immolari* tibi à tuo populo dilecto præcepisti. Illud est, *Sacrificium laudis*, quod *honorificabit te*, *& illic iter*, *quo ostendes*, id immolantibus tibi, *salutare tuum*. v. 23. Ita igitur obsecro, vt illis sanctis tuis assumptis me, & populo meo à facie tua non proiectis, neq; ab illo populo tuo exclusis; F


V. 20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, qui benignus es, & Dominus Sion, & habitans in Sion nominaris (potentissimum admonet ad obtinen-


A tinendum, & deprecandum motiuum) *fac in bonitate tua*, iuxta hæc à me spiritu contribulato, corde contrito, & humiliato postulata; **vt ædificentur muri Ierusalem;** vt veniant illa beata tempora, quibus noua Christi tui Ierusalem, eius Ecclesia, eiusque muri pleno gentium, & populorum in eam concursu, & deuictis eius, qui eam in sui ædificatione impedituri sunt, hostibus, *muri ædificentur*; pace tandem tranquillitate, & publici Diuini tui cultus exercitio, quod nemo interturbet, gaudeat. Hæc omnia S. Dauid pauculis illis verbis, & aptissima similitudine mu-
B rorum fortium ambientium Ciuitatem expressit.

V. 21. Tunc, illo Ecclesiæ pacifico statu, **acceptabis sacrificium iustitiæ;** vacabitur in Ecclesia cultui Diuino, perfectioni Christianæ, & religiosæ; **oblationes, & holocausta;** illa (& provt supra priori Psalmo versu 14. dictum est) offerentur; **tunc**
C **imponent super altare tuum vitulos,** non materiales, qui supra exclusi; sed mysticos; sic etiam Altare Domini non aliud est, quàm Crux eius sancta, in qua ipse hostiam se obtulit immaculatam Deo. Consequenter his verbis innuit S. Dauid in S. Ecclesia Christi Sponsa futurum semper in flore, & vigore statum perfectionis religiosæ, in quo tam multi vtriusque sexus fidelium Christi exercitus, Mundum, & mundana omnia deserentes, se ipsos abnegantes, Euangelica Consilia amplectentes se ipsos Domino immolant, nunc (vt S. Bernardus ait) tanquam *Vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas*. Psalm. 68. v. 32. per no-
D uæ conuersionis effectum: alias tanquam *Vitulum de armento*. Leuit. 9. 23. per sacræ religionis profectum: tandem tanquam *Vitulum saginatum*. Luc. 15. 26. per consummatæ virtutis affectum.

Sic S. Dauid verba hæc sua ad deprecandum planè composita, & ipsi à Spiritu illo Sancto, qui postulat pro nobis, dictata concludit, & terminat. Illis ipsis frequentissimè vtitur S. Mater Ecclesia in publicis, priuatisque Diuinis Officijs, ea decantanda tradit ministris suis, & filijs omnibus; neque solùm per sacras ædes, sed per ipsa etiam compita, & fora Sacer hic Psalmus passim personat.


E Atque hic ipse Psalmus si affectibus illis pœnitudinis peccatorum, cùm à priuato, & particulari quoque homine, tum à communitate commissorum, si metu, & timore impendentium propter illa pœnarum tam corporalium, quàm spiritualium, & harum maximè, quæ se se extendunt etiam apud nos Christianos vsque ad subtractionem, & priuationem Regni Cælorum, bonorum scilicet Ecclesiæ Sanctæ Catholicæ, quibus subinde Ciuitates, Prouinciæ, & ipsa Regna priuantur; si inquam his affectibus, quos ipsum continere obiter ostensum est, ipse Psalmus recitetur, & attenta mente pronuncietur, provt ipsa S. Mater Ec-
F clesia intendit, dum illum pronunciandum proponit, dubio procul fructus longè vberrimos pœnitentiæ, & emendationis vitæ est producturus.





PSALTERII DAVIDICI CONCORDATI PARS TERTIA.

In Secundam Psalmorum Quinquagenam Præfatio.

A Am Prima Parte Psalterij eo, qui obseruari debuit ordine, expedita, S. Dauid ad secundam progreditur; in tertia opus suum operosissimum terminaturus. Singulis Partibus Quinquagenos Psalmos, numerum sacrum, & Iubilæum assignat.

Progreditur autem, prout supra breuiter notatum fuit,
B eo modo, vt semper, vel clariora, & apertiora proponat, vel quæ breuius, & succinctius proposuerat, fusius explicet. Quæ autem propter rerum, & Mysteriorum vbertatem, & granditatem vno Psalmo expedire non valens, alijs iteratò repetit, ita hanc eorum repetitionem facit, vt propter non solùm nouum, & admirabilem ea denuò proponendi modum, verum etiam ob nouorum Mysteriorum manifestationem, noua omnia, neque ante vnquam audita proponere videatur.


C Vt ergo secundam eiusdem Psalterij Partem (quod ad Psalmorum breuem, & literalem ad S. Dauidis mentem Expositionem attinet) aggrediamur;

Obseruare præter iam dicta oportet, Sanctißimum Regem, cum ipso Psalmorum, quos componebat, progressu, sensim semper magis appropinquare ad ea, quæ cum Christi Domini gloria, cum Euangelij ipsius Prædicatione, cum Ecclesiæ dilatatione, Gentium Conuersione, Idololatriæ, & Dæmonum debella-

tione, Romæ Ethnicæ, & Imperatorum eius victoria, publica Ecclesiæ Pace, alijsque eiusmodi initio assignatis Mysteriorum Fontibus, & Capitibus sunt connexa, quæ ipse Sacro suo Carmine semper clarius manifestat. A

Posteaquam ergo vltimis Primæ Partis Psalterij Psalmis summatim Gentium Conuersionem, Ecclesiæ apud eos fundationem prædixisset, desolationemque Populo suo inferendam tam multis deplorasset; quia id, in quo summa rerum consistebat, Euangelij scilicet Christi in omnes Gentes Prædicatio principium sumere ab ipsa Ierosolyma debebat (prout ipse Dominus Luc. 24. v. 47. mandauerat, incipientibus ab Ierosolyma) *etiam ipse hoc Psalmo 51. distinctius, & pluribus ostendere incipit Iudæorum, & maximè Principum eorum, Scribarum, & Sacerdotum crudelitatem in Christi Discipulos, eiusque Ecclesiam Ierosolymis congregatam, quam implacabilibus in Christum odijs ardentes persecutionibus, & cædibus affligere, & persequi nunquam destiterunt, donec tandem eos ad Gentes proficisci cogerent.* B C

Porrò cum hic ipse fuerit calamitatum omnium, quæ deinde Iudæis illatæ fuerunt, fons, & origo; idcircò non potest S. Propheta non sæpè, atque dolentissimum in modum non meminisse, prout etiam hoc ipso Psalmo 51. facit, & quidem cum maxima connexione ad priorem Quinquagesimum; dum scilicet ab extremo luctu ob Populi sui perditionem transit ad insectandam iusta indignatione illorum malitiam, qui perditionis eiusdem ipsi Populo causa extiterunt. Hoc totum ipse pulcherrimo artificio hoc, qui sequitur Psalmo 51. eiusdemque Psalmi inscriptione demonstrat. D



PSAL-

A

PSALMVS LI.

Quid gloriaris, &c.

B

Titulus, seu Argumentum Psalmi LI.

In finem, Intellectus Dauid,
Cum venit Doeg Idumæus, & nunciauit Sauli: Venit Dauid in domum Achimelech. (1. *Regum* 22.9.)


Vamuis hic sit Psalmi huius Titulus, certum tamen est, Sanctum Da-
C uidem non velle ipsum de se primariò, aut de Doeg Idumæo, aut
etiam de Saule intelligi literaliter dictum fuisse: nam sic ordo, &
connexio Psalmorum dissolueretur. Deinde contextus ipse Psal-
mi id non admittit; quia Doeg Idumæo non conuenit illud versus
quarti, *sicut nouacula acuta fecisti dolum*; cum ipse Dauidem palàm, & apertè
detulerit ad Regem Saulem. Huic autem multò minus conuenit, qui etiam pu-
blicè adeò sæuam, sanguinariam, & sacrilegam tot innocentium, & Sacerdotum
trucidationem perpetrauit.

D Dicendum ergo est, quod licet hoc noluerit nobis significare S. Dauid ex pri-
maria sua intentione, voluerit tamen per illud crudele illorum facinus ostendere
aliquid, quod ad Psalterij sui contextum connexum faciebat vel maximè, nimi-
rum Principum Populi sui Sacerdotum in persequenda Christi Ecclesia, eiusque
innoxio grege crudelitatem.

Planè id illi omni conatu efficere adlaborarunt, quod sæuissimus Saul, & Doeg
in Achimelech, eiusque domum, & Ciuitatem perpetrarunt; nam vt ille truci-
dauit *octoginta quinque viros, vestitos ephod lineo, & percussit in ore gladij viros, &*
E *mulieres, & paruulos, &c.* 1. Reg. 22. 19. sic ipsi SS. Christi Apostolis, & Discipulis
manus inferebant; &, *si quos inuenissent huius viæ viros, ac mulieres*, ex varijs Ci-
uitatibus, ac Synagogis extractos, *vinctos in Ierusalem*, plectendosque perduce-
bant. Act. 9. Quia ergo Psalmus hic tempora hæc respicit, ideò titulum habet;
In finem; quia Christi pusillum gregem concernit, in quo ipse patiebatur; *Intelle-
ctus Dauid*, siue ipsi Christo dicitur. Et tandem, quia de crudelitate, & conatibus,
qui à Iudæis, eorumque Principibus fiebant contra Christi Apostolos, & Discipu-
los, cunctamque eius Ecclesiam, ideò aptissimè hęc omnia significantur per Doeg,
F Saul, Achimelech Domum.

Atque hinc colligitur, quod supra in alijs quibusdam Psalmis etiam obserua-
tum fuit; hunc ipsum Psalmum Quinquagesimum primum, cum primus sit in Se-
cundæ Partis Psalmorum serie, etiam ipsum continere compendium, seu sum-
mam aliquam rerum, quæ vsque ad Psalmum 59. proponuntur, & ferè versantur
in hac ipsa materia, suscitatarum in Ecclesiam Christi Primitiuam Ierosolymis

congregatam à Iudæis Persecutionum; quas pulcherrimo ordine, & aptissima significatione per ipsas suas, quas à suis Contribulibus passus fuit S.Dauid, ferè omnes declarat, & exprimit, ad singulas addens admirabilem Diuinæ Prouidentiæ benignitatem, qua ex omnibus felicissimè erutus fuit, victis, atque confusis suis hostibus: quæ omnia clarè non de se, sed sub sui figura, de Christo, eiusque Ecclesia se dicere, atque decantare demonstrat, provt hoc Psalmo v. 10. & 11. sic, & in alijs, vt in eorum decursu, & Explicatione constabit. A

Nam si res suas S.Dauid his Psalmis, & eorum Titulis voluisset intelligi, longè alium necesse fuisset instituere Psalmorum ordinem; siquidem & hic Psalmus 51. Quinquagesimum præcedere debuisset; &, vt notatum fuit, Quinquagesimus antecedere debebat ipsum Tertium, seu inter Titulares Psalmum Primum. Insuper hic ipse Psalmus 51. collocari debuisset immediatè post trigesimum tertium, qui est cum Titulo: *Dauidi, cùm immutauit vultum suum coràm Achimelech, & dimisit eum*. Quid consequentius fuerat, quàm vt illi hunc subijceret, quem inscribit, *Cum venit Doeg Idumæus, & nunciauit Sauli: Venit Dauid in domum Achimelech*. Si, inquam, res suas S. Dauid prosequi voluisset longè omninò alius ordo inter Psalmos statui debuisset. B C

Quod autem ex hoc ipso non cohærente, & consequente (quantum apparet) Psalmorum, & Titulorum ordine, SS. Chrysostomus, & Hieronymus, quos in hunc Psalmum citat, & sequitur P.Lorinus, ansam accipiant dicendi, id indicio esse, quod ordo in disponendis Psalmis non seruetur; hoc, inquam, cũ omni tantorum Patrum reuerentia, iam supra, ipso initio dici, & admitti non posse ostendi; deinde re ipsa ordinatè, & consequenter iuxta Titulorum claues explicatus iam Primus Quinquagenarius Psalmorum ordo, & numerus, non audacem præsumptionem, vel iudicij, quod absit, oppositionem, sed cum reuerentissima profundissimę doctrinæ tantorum Patrum, & Ecclesiæ Sanctæ Doctorum acceptatione, solam simplicem ordinis consequentis inquisitionem factam, & inuentionem fuisse obtentam, manifestat. Quæ cùm nullatenus eorum, quoad reliqua Doctrinæ repugnet; neque vlli S.Rom.Ecclesiæ Ordinationi, aut Dogmati sit contraria, cumque ea ipsa, vt vidimus, sit per omnia correspondens, & concordans cum alijs Diuinæ Scripturæ locis, ac textibus; neque vel in minimò à vulgata, quam nobis S. R. Ecclesia tradidit, & quam sequitur, Editione recedat; & tandem cum hæc ipsa Explicatio ordinata, connexa, & consequens amplissimos Diuinæ Scripturæ thesauros, nunquam satis, vel erutos, vel eruendos, & Sanctæ Fidei Nostræ altissima Mysteria aperiat; his inquam de causis, vt aliud nihil adferret, esset vel maximè amplectenda. D E

Itaque completo luctu, ex parte sua, Psalmi Quinquagesimi, S.Dauid, cùm eos, quos deflere vel maximè, imminentem toti Iudaico Populo ruinam oportuisset, minimè id præstare, sed potius eam accersere, & aduocare vitæ prauitate, & iniquitate præuideret, iusto zelo accensus ait. F

PSALMVS LI.

V. 3. Quid gloriaris in malitia, qui potens

es

A **es in iniquitate?** Planè talis erat cœtus ille Principum, Scribarum, & Phariseorum, quos ipse Dominus Matt. 23. redarguit.

V. 4. Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Ex multis, quæ P. Lorinus in explicationem huius versus, & maximè postremæ
B eius partis adducit, hoc, quod ad confirmationem præiacti Argumenti summi momenti est, adnoto; scil. S. Hilarij explicationem *Nouaculæ*, quæ est talis. Cum nouacula ad nitorem vultus acuatur, vt abradens hirsutam, atque horrentem barbam faciem leuiget; si potius vulneret, ***dolum fecisse*** dicitur: ad eundem modum censeri linguam, in malitia potentis, dum cogitat iniquitatem, ***facere dolum***; quoniam, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti cordis præparauerat, ipsa potius irrationabiles cogitat iniquitates. Hæc omnia optimè dicta ad Hebræos transfert, & cum ipso Remigius, electos ad magnificandum
C Dei nomen, & ad celebrandas laudes ipsius præparatos, qui tamen hunc inhonorarint, tradiderint, morte Crucis peremerint, & hoc linguæ suæ ***nouacula acuta***, per quam clamauerunt Crucifige, Crucifige. Idem ferè traditur à Hieronymo, qui addit varios dolos, quibus Iudæi Christum superare conati sunt. Hæc omnia, quam aptè, quamque verè de illis dicantur, palàm, & in manifesto est. Quàm verò illa ipsa inconuenienter, siue de Doeg, siue de Saule, dici possint; imò omninò non possint; iam supra in Argumento Psalmi fuit insinuatum; & contrarium (licet fusiùs hunc versum explicet, P. Lorinus, vel quiuis alius eorum, qui sta-
D tuunt Argumentum Psalmi ad literam esse Doeg verum, non mysticum) vt legenti constabit, nequaquam ita conueniet.

Similiter omnia, quæ consequuntur non Doeg, sed illis, quos S. Dauid per Doeg, & Saulis iniquitatem, atque sæuitiam, & crudelitatem voluit significatos, per omnia quadrant; nam illi eorum malignantium cœtui verè dicitur;

V. 5. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quam loqui æquita-
E **tem.** Vt malè locutus fuerit Doeg; verùm dixit, & à Domino suo quasi adiuratus, vel vt minimùm multis promissis prouocatus. nam constat ex 1. Reg. 22. vbi hæc Doeg proditio describitur, quod Saul ***cum maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique serui eius circumstarent eum***; dixerit ***ad seruos suos, qui assistebant ei: Audite filij Iemini, nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas***, &c. ***Non est qui vicem meam doleat ex vobis***, &c. & tunc tandem, ***Respondens Doeg Idumæus***, &c. ***Vidi***, ***inquit***, ***filium***
F ***Isai in Nobe apud Achimelech***, &c.

Ex quo etiam illud sequitur, quod ipsi Doeg nullatenus quadret, quod dicitur,

V. 6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa; sed per omnia cætui Iudæorum: & sic S. Hilarius accipit ipsa de Iudæis vociferantibus non habere se Regem

gem, nisi Cæsarem; neque hóc tamen factum, sed planè omnia eorum contra Christum & gesta, & verba summæ eos, & pudendæ præcipitationis redarguunt, & conuincunt, vt consideranti eorum Decreta stabilita in publicis Concilijs patet; quæ tam multa S. Euangelistæ, & maximè S. Ioan. proponunt. Cum itaque tanta, & tam enormis sit tua hæc iniquitas; A

V. 7. Propterea Deus destruet te in finem: & quia terrenorum, & loci tui amore ea perpetrasti, euellet te inde, & emigrabit te, emigrare faciet; de tabernaculo tuo (planè similis in re simili, imò eadem est sententia Isaiæ cap. 22. à v. 15. quæ videri potest; nam ostendit S. Isaiam hùc allusisse, & proinde se se inuicem hi sacri textus explicant) *euellet* igitur, *& emigrare* faciet, &c. & radicem tuam de terra uiuentium; separandus ab ijs, quos sibi Dominus in seruos fideles, & in Ecclesiam suam seliget, quæ est *terra viuentium*; ipsi Domino per fidem, quæ per charitatem operatur, viuentes. B C

Hanc tuam punitionem (pergit alloquendo illam malam eorum Synagogam expressam sub nomine impij, & crudelis Doeg)

V. 8. Videbunt iusti mei, quos ipsa persequebatur, & extinctos volebat; & timebunt, sancto quodam horrore perterriti ad tantæ pœnæ, iam versu priore insinuatæ granditatem, & acerbitatem, vereri & ipsi, atque venerari iudicia mea discent. Planè hoc ipsum Diuina Maiestas intendit, in officio continere bonos, dum iniquos punit. & super eum ridebunt, non illis insultando, sed sibi gratulando, quod pœnam illam euaserint; & dicent: D

V. 9. ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum:

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: & præualuit in vanitate sua. Etiam hæc omnia ad literam conueniunt Iudæorum illi cætui, de quo re ipsa est Psalmus; illi enim verè *non posuerunt Deum adiutorem suum*, &c. vt patuit in Concilio, de quo Ioan. c. 11. Hæc verò ipsa esse nimis honorifica, vt ad literam dicantur, de Doeg, quis non videt? licet enim vocetur potentissimus pastorum Saul, 1. Reg. 21. 7. constat tamen ipsum, vt lectio Græca habet, *mulas Saul pauisse*. qua etiam vili sua conditione ingratitudinem Iudæorum illorum, qui Christum, eiusque Ecclesiam persequebantur; & qui, vt muli, calcibus eos petebant, à quibus geniti erant. Insuper ille ipse Doeg, mularum Pastor; quod Iudæi à pietate Parentum, Patrum scil. & Patriarcharum, & Prophetarum degenerassent, aptissimè ostendebat. Nam benè notat P. Lorinus ex Nysseno, mulum, & mulam non fuisse creatum E F

à Deo,

A à Deo, cum ex commixtione diuersi generis animalium gignatur. Sic ipse Dominus sæpè Generationem adulteram, idest adulterinam, vocauit; imò Ioan. c. 8. 44. *Vos ex patre Diabolo estis*, aiebat, *& desideria patris vestri vultis facere*.

De ipsis ergo est, & Psalmus, & versus hic 9. quod ita esse confirmant duo sequentes versus, quibus S. Dauid ostendit, quod iniquitati, & malitiæ illorum, quos Dominus proiecturus erat, oppositurus, & in eorum locum suscepturus esset paucos illos bonos sibi fideles, & in se credentes, qui Ecclesiam conuenientes in vnum, Deo placentem, ipsius gratia bonorum operum fructibus abundantem,
B sicut Oliuam fructiferam essent effecturi, & nunquam à Deo deserendi; cum quo bonorum, & electorum Dei cœtu se ipsum S. Dauid adnumerans, & eius nomine loquens, ait;

V. 10. Ego autem, sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in
C æternum, & in sæculum sæculi.

V. 11. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.


Sic quidem dicent boni in Christum credentes; quid autem mali, idest ij, de qui-
D bus cœpi loqui, Iudæi impij? hoc, quod sequitur,

PSALMVS LII.

Dixit insipiens, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LII.

E *In finem. Pro Maeleth intelligentia David.*



Salmus iste, prout dictum fuit supra Psal. 13. est de Iudæis, ipsisque iam sit proprius, maximè verò ipsorum Principibus, & Synagogæ persequenti Christi Ecclesiam, omni timore Dei proiecto, & sola rerum temporalium prosperitate ante oculos posita. Vtrumque hoc prima Pars Tituli indicat, dum ait; *In finem*: respiciendo scil.
F Christi tempora; *pro Maeleth* autem (quæ vox ex suo ethymo, vt S. Augustinus notauit, parturientem, dolentem, & infirmantem significat) Synagogam eius temporis exprimit. De qua Dominus ipse Ioan. cap. 7. *nemo ex vobis facit legem*.

Licet ergo hic Psalmus sit quædam penè integra repetitio Psalmi decimitertij, suo loco iam explicati; nihilominus tamen propter eius applicationem determi-

natam

natam impijs illis politicis, & atheis Iudæis illum S.Dauid repetit, eumque vult, A
sua intelligentia; siue iuxta suam hanc intelligentiam intelligi, vt nimirum constet, ad quodnam malitiæ extremum, & profundum omnium maximum illi fuissent prolapsi.

Itaque, quod summè obstupescendum est in ijs, qui Dei notitia fuerant præditi,

PSALMVS LII. B

Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Ita planè vnanimi consensu rem contra Christum, eiusque Ecclesiam gerebant, ac si Deus non esset, vel inspector malorum, vel iudex, & vltor. Exinde

V. 2. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est, qui faciat bonũ. C

Expositio sequentium versuum ex Psalmo 13. petenda.

V. 3. Deus de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. D

V. 4. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

V. 5. Nonne scient omnes, qui operãtur iniquitatẽ, qui deuorant plebẽ meã, vt cibũ panis? E

V. 6. Deum non inuocauerunt: illic trepidauernnt timore, vbi non erat timor.

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. F

V. 7.

A V. 7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum conuerterit Deus captiuitatem plebis suæ; exultabit Iacob, & lætabitur Isael.

Iudæi ergo sic in malitia, & extrema peruersitate obfirmati ad ea progressi sunt, quæ Psalmo sequenti exprimuntur.

B


PSALMVS LIII.

Deus in nomine tuo, &c.

C

Titulus, seu Argumentum Psalmi LIII.

In finem, In carminibus intellectus Dauid.
Cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne Dauid absconditus est apud nos? (1. *Reg.* 23. 19. & 26. 1.)



D PErsecutionum à Iudæis in Christi Ecclesiam illatarum Psalmus hic initium indicat suo Titulo; quia est, *In finem*, & *in carminibus*; re vtique lugubri. Illas verò vel maximè reliqua pars Tituli exprimit, prout sensit D. Augustinus, & alij multi, qui, vt P. Lorinus notat, transcripserunt illam interpretationem ex Augustino, & ante ipsum idem ferè tradiderat D. Hilarius. Ceterùm quod P. Lorinus addit, S. Augustinum illam historiam de Ziphæis Dauidem persequentibus prolixè tractare iuxta mysticum sensum; ita intelligendum est, vt nihilominus Psalmus hic ad literam sit de iam dicto Argumento, sub illo tamen Ziphæorum
E cum Saule Dauidem persequentium schemate; quandoquidem, vt dictum est in Præuijs Documentis, is est sensus literalis, qui intenditur à Sacro Scriptore, siue verbis proprijs, siue metaphoricis, & symbolicis illum exprimat; solere autem Sanctos Prophetas symbolicis vti, etiam ibi fusiùs probatum fuit; & passim hoc ipsum ex iam explicatis apparet; imò & in hoc ipso Psalmo id cernitur, in quo versus 5. non Zyphæis hominibus vilibus, & abiectis; sed honoratis, & Principibus viris, quales erant Sacerdotes, & Seniores Iudæorum conuenit; vt & reliqua omnia. Quid enim congruentius, quàm vt Ecclesiæ Christi Ierosolymis, vt di-
F ctum est, sic afflictæ nomine S. Dauid ad Deum clamet?

PSALMVS LIII.

V. 3. Deus in nomine (potentia) tuo saluum me

fac: & in virtute tua (Hier. fortitudine; est repetitio) iudica me. tanquam iudex, ad quem confugio, innocentem tuere, & defende. A

V. 4. Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

V. 5. Quoniam alieni (per eos sup. Psal. 17. v. 46. vidimus intelligi Iudæos; quia scil. cum domestici esse deberent, & filij, facti sunt alieni, aduersarij, & hostes plusquam ipsi externi) insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam; Iudæi, diuites, potentes, freti Herodis fauore, qui cum occidisset *Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum.* & & sic agentes; non proposuerunt Deum ante conspectum suum; vt vel ipsum illi timerent; vel putarent mihi auxilio futurum, & ipsorum aduersus me consilia, machinationes, & malas actiones destructurum. Verùm id non ita accidit; B C

V. 6. Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ. Sic ergo tu, ò Domine, qui iustus, & misericors es, D

V. 7. Auerte mala inimicis meis; non imprecatur, sed prædicit futurum, vt vertat in eos mala, quæ parant auertendo à se; & in veritate tua disperde illos. provt illis comminatus fuisti; *relinquetur vobis domus vestra deserta*. Matt. 23. 38. qui Domum tuam, Ecclesiam tuam perdere volebans, ipsi perdentur. Ego autem pergit Ecclesia, E

V. 8. Voluntariè libenter, toto corde, sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.

V. 9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus. F

Intelligenda sunt iuxta dicta Psalmo 51. v. 8.

PSAL-

A


PSALMVS LIV.

Exaudi Deus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LIV.

B

In finem, In carminibus intellectus Dauid.



Ater Lorinus in huius Psalmi Argumento ait; magis receptam sententiam esse, hoc Psalmo conqueri Dauidem de Ceilanis, à quibus, cum illos obsidione liberasset, proditus turpissimè, ac ingratissimè fuisset, nisi Diuino monitus oraculo, inde se se in montem solitudinis Ziph proripuisset. Hæc admitti, & recipi omnia possunt, eo tamen pacto, vt per Ceilanos, Iudæi ingratissimi in Chri-
C
stum intelligantur, quia sic conuenientia sunt, quæ in Psalmi contextu proponuntur.

In eo verò, quod Psalmum ad literam velit esse de Dauide, negandum omninò est, quia, iuxta dicta, est de Christo, eiusque Ecclesia persecutionem à Iudæis patiente. Nam, quandoquidem ipse P. Lorinus assentitur Valentiæ asserenti, Dauidem in suis persecutionibus Messiæ quoque præuidisse persecutiones (quod verum omninò est) quonam pacto Sanctissimus Propheta ea, quæ loquebatur ad
D seipsum voluisset referre, & de se dicere? quæ si de se diceret, parua omninò essent iuxta S. Gregorij Magni sententiam in Iob lib. 35. Mor. c. 15. citatum in Præuijs Documentis sup. Notato 4. §. 7.

Deinde si ad literam, & ex primaria intentione Psalmi de Dauide sunt; quomodo ipse Dominus Luc. 24. v. 44. dicit eos esse de se? vt initio notatum est. Præterea, vt in alijs Psalmis, ita etiam in hoc, multa sunt, quæ Dauidi non conueniunt, ex. g. v. 10. in Ciuitate Ierusalem ipse cum multos sibi fauentes haberet, non potuisset conqueri, se *vidisse contradictionem in Ciuitate.* Et v. 11. dum à
E Saule pati, & de eo conqueri supponitur, quomodo esset ad rem, lamentari, quod *non defecisset de plateis* Ierusalem *vsura*, & dolus? Similiter, & vv. 13. 14. & 15. non ipsi, sed propriè Christo conueniunt, siue de suo proditore conqueratur, siue de toto Populo Iudaico. Standum ergo dictis, quæ Titulus confirmat, & sic *Dauid in carminibus* de persecutionibus Ecclesiæ Christi eius nomine, & voce ad Deum clamat.

F

PSALMVS LIV.

Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam:

V. 2. intende mihi: & exaudi me. A

V. 3. Contristatus sũ in exercitatione mea: ab illis illata afflictione, vexatione, persecutione, &c. explicat sequentibus hãc esse: & conturbatus sum

V. 4. à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. B

Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi. P. Em. Sà, & benè, ait; imposuerunt mihi falsã crimina; quod est expertus S. Stephanus. Act. c. 6. v. 11. De suis enim potius, quàm de se Dominus; siue eius sponsa Ecclesia de membris eius potius, quam de ipso Capite loquitur, sicut & sequentes versus. C

V. 5. Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.

V. 6. Timor, & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ. D

V. 7. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ecclesia Christi, Ierosolymis congregata animaduertens, quod nequidquam in ipsorum Iudæorum conuersione proficeret, neque apud eos vlla spes quietis inueniendæ esset; sed pergerent in præcipua eius membra sæuire; & è medio tollere ipsum summum eius Pastorem, attentassent. Tandem de migrando ab eis ad Gentes cæpit inire consilium. *Quis dabit mihi pennas*, &c. Et re ipsa non ita multò post ait Ecclesia de magna satis suorum multitudine; E

V. 8. Ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine. quando scil. vt Act. 8. à v. 1. *Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apostolos.* Et sic conuenientissimè tunc, ait Ecclesia, F

V. 9. Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.

ad-

A adfuit mirabiliter, & potenter Dominus Ecclesiæ suæ sic, atque adeò afflictæ, vt ex Act Apostolorum constat. Dum ergo illi toti in hoc intenti sunt, vt me, meosque omnes perdant; obsecro te;

V. 10. Præcipita Domine, destrue eorum, & consilia, & opera; diuide linguas eorum, fac ne quæ agitant, exequantur: quoniam vidi iniquitatem, omnia iniqua, & iniusta, & contradictionem, & quæ omnia contra me ordinata, & directa sunt, moliuntur in Ciuitate hac Ierusalem.

B

V. 11. Die, ac nocte circumdabit eam super muros eius (altiùs, & fortiùs, quàm ipsi eius muri sint, circumdabit eam) iniquitas: à qua iniquitate exercenda, nunquam cessatur; *die ac nocte*; & labor in medio eius, oppressio innocentium; siue labor cum iniustitia, vt statim sequitur;

C

V. 12. & iniustitia.

Et nõ defecit de plateis eius vsura, & dolus.

Idest; ad nocendum Christianis, & perdendam crescentem apud eos Christi Ecclesiam Iudæi, & Principes eorum vehementissimè incitabantur ab auaritia; non
D quidem, vt Christianorum opes, quæ in paupertate erant sitæ, diriperent; sed ne ipsi priuarentur loco suo, officio, dignitatibus, quæ omnia ipsis erant quæstuosa: rationabilem autem timendi causam habebant, quia Christi fideles Ierosolymis (vt Act. 2.47.) *erant habentes gratiam ad omnem plebem*.

Inter Auaritiæ ergo, & fraudulentiæ specimina multa illud notandum fuit, quod Act. 6. v. 13. legitur; quando contra D. Stephanum *statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum, & legem, audiuimus enim eum dicentem. Quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mu-*
E *tabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*.

Hæc, & eiusmodi eò mihi grauiora, & acerbiora erant, quò illa mihi non ab alienis, & hostibus; sed à domesticis, & amicis, quales erant ipsi Iudæi, inferebãtur.

V. 13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.

F

Et si is, qui oderat me, super me, contra, vel de me magna locutus fuisset, provt faciunt, qui oderunt, se ostentando, & exaggerando, atque amplificando mala eorum, quos odio habent: abscondissem me forsitan ab eo; me quoquo modo subducendo ab eius aspectu, & præsentia.

V. 14.

V. 14. Tu verò, à quo hęc patior, homo vnanimis, amicus A
es (per hunc hominem intelligit ipsum Populum Iudaicum, & id collectum ex Principibus eorum Scribis, & Senioribus) & inter amicos primus, Dux meus; Tribus enim Iuda, maximè honorata, & insignis; & notus meus.

V. 15. Qui simul mecum dulces capiebas B
cibos, ædificato in sorte Tribus Iudæ Templo Domini, vbi sacrificia offerebantur, quæ cedebant in Sacerdotum alimenta; & sic quam diutissimè, etiam post reædificatum Templum; imò etiam posteaquam Christus ad eos venisset, in domo Dei ambulauimus cum cõsensu.
Nam constat, Dominũ Iesum adamussim seruasse legem, & reueritũ Sacerdotes.
Qui ergo hanc vnionem scindunt, & diuisionis, atque seditionis auctores existunt, provt olim contra Moysem Num. c. 16. Et quanto maior Moyse est ille in C
quem hæc suscitant? an non, & ipsi digni sunt, vt

V. 16. Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes? Hæc, vt dixi, vel per interrogationem talem suppositam, vel per prædictionem explicari possunt.
Neque verò hæc, quæ eos expectat pœna, nimis exorbitans est;
Quoniam nulla planè in re inferiores, sed longè, & in immensum D
maiores (cum *ipsi Deo repugnare inueniantur, cuius opus volunt dissoluere*. Act. 5.) nequitiæ, quàm in Dathan, & Abiron, fuerint; sunt in habitaculis eorum: in medio eorum. Propterea illi quidem iustissima Dei sententia peribunt in sua obstinatione

V. 17. Ego autem, ait Ecclesia, quæ stetit cum Christo, ad Deum E
clamaui: & Dominus saluabit me. Quidquid illi me perdere omnimodo conentur, & adlaborent omni tempore; etiam ego

V. 18. Vespere, & mane, & meridie narrabo, idest exponam afflictionem meam, & annunciabo illam ipsi Domino, & exaudiet vocem meam. F

V. 19. Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, vt noceant; quoniam in-

A inter multos erant mecum; S. Hierony. multi fuerunt aduersum me.

V. 20. Exaudiet Dus, me; & humiliabit illos, qui est ante sæcula.

Nō enim est illis cōmutatio, nō desistēt à malo, neque ab obstinatione recedēt;

B & non timuerunt Deum. Ipsi inquam non timuerunt Deum, qui tamen ad eos

V. 21. extendit manum suam in retribuendo; sic in bonam partem Apollinarius apud P. Lorinum sumpsit verbum *retribuere*, pro beneficijs, quibus Dominus non cessat afficere ipsos hostes suos. Et omninò hìc, & in sequentibus versibus est pulcherrima antithesis Diuinæ Benignitatis cum humana, & maximè Iudæorum (nam de ijs, & cum ijs ser-

C mo continuatur, & finitur) obstinatione. Ipse igitur, vt dictum est, Dominus *extendit manum suam in retribuendo*. illi verò

Contaminauerunt testamentum eius. non antiquum solùm; sed etiam, & maximè nouum, quod venerat cum ijs pacisci, & quod debebat veteri succedere; nouum, & æternum Testamentum, vt rem abominabilem, & contaminatam habuerunt. Idcircò in pœnam

D V. 22. diuisi sunt ab ira vultus eius. P. Lorinus, ait ad propositam, & hactenus deductam explicationem; quod Patres hunc textum de dissipatione Iudæorum per Orbem explanant.

Ita quidem illi diuisi, & dispersi in pœnam per Orbem à Domino sunt; vt tamen ad faciendam cum ipsis misericordiam paratus fuerit; quinimò, & ipse, & in suis fidelibus ab illis repulsus, illis se ipsum veluti in ipsorum gratiam se insinuādo, & appropinquauit cor illius. Quantis, & ipse, & per suos Fideles Apostolos,

E & Discipulos egit, vt eos conuerteret? Certè

Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula. Non solùm illi sermones, quos in Cruce pendens proferebat, & de quibus verba hæc interpretatur S. Bernardus; sed etiam omnes alij, quibus reducere oues, quæ perierant domus Israel, adlaborabat, erant oleum, erant iacula. O sic, quæso, cum tantam Domini tui Benignitatem conspicias, exclamat Ecclesia, & maximè Iudæos allo-

F quitur, cum quibus est sermo; ò sic, inquam, quæso permitte te penetrari à diuinis eius iaculis, & conculcato omni rerum terrenarum amore, proiecta omni alia solicitudine honoris mundani, & similium, quæ tibi accessum ad Messiam Dominum tuum impediunt, & prohibent:

V. 23. Iacta super Dominum curam tuam,

&ip-

A
& ipse te enutriet : Seruo suo Fideli, qui ad se venerit, licet temporalem tribulationem, & Crucem, nihilominus tamen, non dabit in æternum fluctuationem (tribulationem, seu afflictionem, quàm pulcherrima similitudine illa fluctuationis, & iactationis nauis in tempestate exprimit) iusto, qui se ad ipsum conuerterit. Illos verò, qui in sua infidelitate, & obstinatione permanserint;

B
V.24. Tu verò Deus deduces eos in puteũ interitus, ex quo nunquam emergent. Chal. habet, in profundam gehennam.

Neque eis hæc pœna diù differetur: siquidem

Viri sanguinum, & dolosi, per quos illos ipsos obstinatos Iudeos persecutores Ecclesię intellige, non dimidiabunt dies suos: ego autem C in persona Ecclesiæ, vt cæperat Psal. finit, sperabo in te Domine.


PSALMVS LV.

Miserere mei, &c. D

Titulus, seu Argumentum Psalmi LV.

In finem,

Pro Populo, qui à Sanctis longè factus est, Dauid in tituli inscriptionem, cum tenerent eum Allophyli in Geth. (1. *Reg.* 21. 12.) E



Itulus Psalmi cum, *in finem pro Populo*, habeat, non Iudaicum Populum, sed Christianum notat, *qui* vexatus à Iudæis cedere, & exulare Ierosolymis coactus *à Sanctis*, idest à Sanctuario, & Templo, quod erat in Ierusalem, & à quo ipsa vocabatur Sancta, etiam tunc, quando ob Christo illatam necem sanguinaria, & impia erat; vt Matth. c.27. v.53. *à Sanctis*, inquam, *longè factus est* pusillus Christi Populus, & ad Gentes migrare compulsus fuit. F

Atque hæc ipsa illius Christiani Populi ad Gentes profectio designata à Dauide fuit per suam, quando ad *Allophylos in Geth* profectus est; ideoque & Titulum sic complet; *Dauid in Tituli inscriptionem*; eò quod res memoranda valdè esset, & grandia Mysteria præmonstraret, *cum tenuerunt eum Allophyli in Geth*. Mysteria porrò illa sunt, quod Dauid tam benè de Iudæis meritus, ipsorum gloria, &

co-

A columen, propugnator, & liberator ad exteros compelleretur pergere, vitamque suam apud eosdem tutari: quæ si in Dauide magna erant, in Christo, & eius Ecclesia fuere maxima. Itaque & Titulus,& Psalmi huius contextus confirmant quæ supra dicta sunt, sermonem S. Dauidis in his Psalmis esse de Ecclesia Christi patiente apud Iudæos Ierosolymis; ne dubium esset, in Titulo huius Psalmi posuit; *pro Populo, qui à Sanctis longè factus est*, prout explicatum est.

Quod autem ille Populus non Iudaicus, sed Christianus sit, qui migrare Ierosolymis fuit compulsus, priori Psalmo v.7.& 8. vidimus,& ex eo est manifestum,
B quia si de Iudaico Populo Babylone captiuo sermo esset, ea, quæ supra de Ciuitate iniqua, & incolis eius peruersis dicta fuerunt, & quæ etiam hic de conculcantibus, & bellantibus dicenda sunt, Babyloni, & Babylonijs conuenire deberent, quod dici non potest, cum nunquam Iudæi tales strages à Babylonijs sint in illa sua captiuitate perpessi; vt in Isaia ostendetur, & ex historijs patet.

Deinde cohærentia, & connexio rerum consequens non fert, vt cum nulla in superioribus mentio facta fuerit de illa captiuitate Iudæorum, repentè hic intrudatur. Stando ergo dictis,S.Dauid Ecclesiæ Christi vices,& personam sustinens,
C & ea illi applicando, quæ ipse sustinuerat à Ciuitate, & patria, de qua tam benè meritus fuerat, exulans, tam pro ijs,qui Ierosolymis adhuc persistebant Christi fidelibus; quàm, qui iam dispersi inde migrauerant, ait.

PSALMVS LV.

D **V. 2. Miserere mei Deus, quoniam conculcauit,** exprimit insanum, & belluinum Iudæorum contra Christianos odium; **me homo;** non alio nomine digni, quàm terrenorum, & vilium; & etiam hoc ipso hominis nomine feritatem, & crudelitatē illius Populi designat; nam verè omni fera ferocior homo persequens. **tota die,** continuò, absque cessatione, **impugnās tribulauit me.**

E **V. 3. Conculcauerunt me,** non de vno solo, sed de multis,& omnibus Iudæis loquor; hi conculcauerunt me **inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me.** Si humanas, & infirmas meas vires spectem;

V. 4. Ab altitudine diei, à summa ipsorum prosperitate, & potentia **timebo;** esset quod timerem; **ego verò in te** Domino meo, ne timeam,
F **sperabo.** Et simul, ne quam aduersantibus mihi præbeam calumniandi, & persequendi causam, id solicitè præstabo, ne verbo offendam;

V. 5. In Deo laudabo sermones meos, erunt sermones mei, vt decet esse sermones Dei, qui sint in ipso laudabiles, &

quos carpere non possint hostes intenti in captionem. Necessarium cum semper, tum vel maximè cum sumus inter aduersarios Saluatoris documentum, Luc. 12. 3. de cautela in loquendo; *quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur, & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis*. Et illud 1. Tim.4. *Attende tibi, & doctrinæ*. Sic hæc faciens, & ad hæc attendens; in Deo speraui: proinde non timebo quid faciat mihi caro. hìc per carnem intelligit hominem, qui quantumcumque aduersetur, mortalis, & fragilis est; & idcircò non timendus. Licet verò quicquid Ecclesia Christi illis loqueretur, essent Dei magnalia; nihilominus Iudæi, vt constat ex Actis Apostolorum,

V. 6. Tota die verba mea execrabantur: aduersum me omnes cogitationes eorum, in malum. hæc clara sunt.

V. 7. Inhabitabunt in hunc ipsum finem nocendi, & perdendi, conciStoria sua, siue consiliorum, & conciliabulorum suorum Domos frequentiùs, & accuratiùs terent, easque productis consilijs *inhabitabunt*.

Hanc explicationem confirmat lectio Chaldaica, quæ loco *inhabitabunt*, habet, *congregabũtur*. & abscondent scilicet se in illis, abstracti, & quodammodo absorpti in inquisitionem mediorum, quibus nocere possint. ipsi calcaneum meum obseruabunt. intentè in omnes actiones, & vt dici solet, passus inquirent, animo vt dixi, planè, & penitus perdendi. sic hoc loco accipitur *calcaneus*, cuius loco S.Hier.& Chal.habet *plantas*. Verùm hæc tanta ipsorum, tam anxia, tam intenta, & tam peruersa, quam habent in meam perniciem solicitudo ipsis in malum cedet; nam

Sicut sustinuerunt animam meam, sicut dixi quęrentes, vt eam perderent; sic tu ò Domine iusto iudicio; vt qui tuos perdere, rem nihili æstimauerunt; etiam

V. 8. pro nihilo nullo modo (& vt vulgò Ital. dicitur, ait. P. Emm. Sà, per niente) saluos facies illos, sed iuxta ipsorum impietatem, & scelera, in ira populos, eiusmodi homines scelera- tos, confringes. Et quidem ego, ait Ecclesia Christi pro suis, persecutionibus, & conculcationibus eorum exposita

Deus,

V. 9. vitam meam annunciaui tibi: tibi meã, & meorũ vitam, animam, salutem, incolumitatem (vt qui solus tueri, protegere, & conseruare contra eorum impetum, & potentiam posses) commendaui, & consigna-

A gnaui. Et tu, qui Benignissimus es, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. gratum, acceptum, placitum habuisti hunc meum ad te recursum; planè

Sicut & in promissione tua, à te pientissimè constitutum fuerat; quando mihi predicendo ea, quæ nunc patior, me animabas, promittendo; ***Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*** Psal. 49. 15. Sic omninò fiet;

B V. 10. Tunc conuertentur inimici mei retrorsum. tunc superabuntur, vt illi; qui terga vertunt.

Ex auxilio autem mihi tam potenter præstito contra hos meos hostes, etiam alia quævis me obtenturum confido; vt scilicet

In quacunque die tribulationis, & persecutionis, inuocauero te:

C ecce cognoui, spem firmam concepi; vel certò fidere, & persuadere mihi possum; quoniam Deus meus es, quod mihi solitam opem, & liberationem adferes. Ideò propter nullos hominum terrores, & minas; neque propter cruciatus, & tormenta à Fidei Prædicatione desistam; sed palàm, & vbique (quod re ipsa fecisse Sanctos Apostolos, eorum Acta demonstrant)

V. 11. In Deo laudabo verbum, in Domi-

D no laudabo sermonem: in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. P. Lorinus hic ait; quod hæc verborum repetitio indicet, quàm sit planè digna Sanctis omnibus hæc vox, qua se declarant, constanter inter insectationes humanas fidem tenere; & metu terrenæ turbulentiæ, vt ait S. Hilarius, non moueri; speque certissima, quod nihil aduersum animæ æternitatem homo effecturus sit; non timere.

E Sed quid pro tantis donis, ac beneficijs, pro tam paterna Domini mei protectione, & prouidentia rependam? ait, quæ loqui cæpit initio Christi Ecclesia, scio equidem

V. 12. In me; non solùm, vt P. Emm. Sà ait, in mente mea, seu memoria; vel apud me prompta; sed mihi donata, & consignata à Sponso meo, Domino Iesu Christo, sunt Deus vota tua, quæ red-

F dam laudationes tibi in gratiarum actionem; illa verò sunt Sanctissimum Sacrificium, & Sacramenta Corporis, & Sanguinis eiusdem Domini Nostri, quæ ipsa tibi beneplacitum fore, vt offerentur, supra insinuasti Psal. 49. v. 14. ***Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.*** Reddam omninò, nam ad id tantis titulis obligor;

V. 13. Quoniam eripuisti animam meam

de morte, & pedes meos de lapsu; vt Apostolis dicebat Dominus, ego elegi vos de Mundo, sic etiam omnibus alijs fidelibus suis, quos ex Iudæis elegerat, relictis alijs in sceleribus suis, & obstinatione, hæc ipsa gratiarum actio conuenit, *quoniam eripuisti*, &c. eorum ergo nomine Ecclesia id dicit sibi gratulans, non solum quod ex illo infelici statu eruta, sed etiam, quod gratia illi facta fuerit; A


vt placeam coràm Deo in lumine viuentium. quod lumen illi per Fidem in Christum communicatum fuit; & sic placet coràm Deo, cui sine Fide impossibile est placere, & habet vitam; relictis alijs sedentibus in tenebris, & vmbra mortis. B

PSALMVS LVI.

Miserere mei, &c. C

Titulus, seu Argumentum Psalmi LVI.

In finem.
Ne disperdas, Dauid in tituli inscriptionem, cum fugeret à facie Saul in speluncam. (2.*Reg.* 22.1.& 24.4.) D



Hic Psalmus vel maximè ostendit, quæ in eo dicuntur, ad literam, esse de Christo, eiusque Ecclesia migrante ad Gentes, posteaquam multis laboribus, sudoribus, imò, & sanguine nequidquam apud Iudæos effectum fuisset.

A versu ergo octauo Ecclesia quasi iam valedicere ijs parata, ait; *paratum cor meum Deus*,&c. vt scil. ad Gentes pergam, qui versus vnà cum reliquis eodem planè sensu repetuntur Psalmo 107.vv.2.3.4.5.&.6. E

Ipsa postulat à Deo; *ne disperdas*; idest precatur, ne se perditum ire permittat, tunc cum grauissimè vexaretur à Iudæis; quam sui vexationem, & persecutionem reliqua pars Tituli significat; *cum fugeret à facie Saul in speluncam*.

Certè vv.4. & 5. valdè graphicè Iudæorum rabiem in Ecclesiam exprimunt. Cum illis reliqui omnes, iuxta positum argumentum, verè, & planè ad mentem, & sacrorum verborum significationem explicantur.

Quàm enim verè Ecclesia, prout in Actis Apostolorum legitur afflicta fuisse, verè dicat. F

PSALMVS LVI.

V. 2. Miserere mei Deus, miserere mei:

quo-

A quoniam in te confidit anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

V. 3. Clamabo ad Deum altissimum: Deũ

B qui benefecit mihi.

V. 4. Misit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & verita-

C tem suam,



V. 5. & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, Iudæi tales; dormiui conturbatus. incessanter persequuntur, neque requiem nocte sinunt.

D Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. Calumnias, opprobria, contumelias, contradictiones Iudæorum aduersus Christianos exprimit. Cum ergo apud illos Christi Ecclesia nihil proficeret, zelo accẽsa Domini Iesu Christi sui exaltationis vbique toto Orbe vidẽdæ in has affectuosissimas voces prorũpit;

V. 6. Exaltare super cælos Deus: & in om-

E nem terram gloria tua: pergat, propagetur, & pertingat. quod hic apud obstinatos, & dura ceruice vsque nunc ago?

V. 7. Laqueum parauerunt pedibus meis: dolis, insidijs, falsorum testium productione agunt contra me, & incuruauerũt animã meã, persequentes, affligentes, calumniantes, occidentes;

F Foderunt ante faciem meam foueam: vt me in illã præcipitem agerent, & totaliter perderent, & extinguerent; sed ipsi, & inciderunt in eam; perdendi à Romanis & excindendi: Cum ergo pertentatis tot medijs salutem ipsi recipere nolint; En Domine,

V. 8.

V. 8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: ad quærendam alibi gloriam tuam, & exaltationem tuam;alibi provt iusseris, cantabo, & psalmum dicam. A

V. 9. Exurge gloria mea; Cum tu, Domine Iesu mi,sis *gloria mea*; diuturnæ nimium mihi moræ videntur, donec videam te in omni terra exaltatum; rumpantur quæso hæ ipsæ: exurge qui es meum psalterium, & cithara: vt dixi, *paratum* est, & nihil aliud expectat *cor meum*: si iubes exurgam. pergam; accurram diluculo; mox, quò ire mãdaueris. Mitte, vt disposuisti, ad Gentes; & quod hìc mihi non conceditur, B

V. 10. Confitebor tibi in populis Domine; iuxta diuinam tuam ordinationem proficiscendi ad Gentes, posteaquam Ierosolymis annunciauissemus Diuinum tuum verbum; & psalmum dicam tibi in gentibus. Sic,omninò sic fiet, C

V. 11. Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua, quam etiam in Nationes diffundes; & vsque ad nubes veritas tua, promissiones tuas exactissimè exequendo,vt quicunque etiam è remotissimis Gentibus inuocauerit nomen tuum, saluus fiat. In hunc ergo modum misericordiæ, & liberalitati tuæ conuenientissimum, quod ante dicebam, & optabam, rursus, & instantissimè efflagito; D

V. 12. Exaltare super cælos Deus: & super omnem terram gloria tua appareat. E



PSAL-

A

PSALMVS LVII.

Si verè vtique, &c.

B

Titulus, seu Argumentum Psalmi LVII.

In finem,
Ne disperdas, Dauid in tituli inscriptionem.



X Titulo, & contextu Psalmi colligitur, etiam hunc Psalmum habere materiam prioribus non dissimilem. Propterea vsque ad versum 7. explicat Iudæorum Christi Ecclesiam persequentium inimi-
C citias, iniustitias, fraudulentiam, furorem, obstinationem in malo. Inde à v. 7. vsque ad finem grauissimas pœnas describit, quibus puniendi erant, quæ quidem ipsis ex eo capite acerbissimæ futuræ essent, quod summa celeritate, & ineuitabili impetu erant superuenturæ; quam pœnæ qualitatem vv. 8. 9. & 10. indicant, & quæ in excidio ipsis per Romanos illato, vt prædictum fuit, omnia euenerunt. Itaque

D

PSALMVS LVII.

V. 2. Si verè vtique iustitiam loquimini: recta iudicate filij hominum. arguit hypocritas Iudæos, ore, & specie simulantes, nec tamen habentes iustitiam.

E V. 3. Etenim est q. d. ait, & benè P. Em. Sà, id ne iustum est? in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestræ concinnant. concinnant tam dexterè, vt iniustitiæ non appareant.

V. 4. Alienati sunt peccatores à vulua; tantùm abest, vt illis iustitia, & lex Dei cordi sint, vt potius inde *alienati*, & tam
F Dei, quàm iustitiæ hostes sint, iam inde à natiuitate errauerunt ab vtero: locuti sunt falsa. Nulla in ipsis pietas, & misericordia, & charitas, quam lex præscribit, sed

V. 5. Furor illis secundum similitudinem

ser-

serpentis : sicut aspidis surdæ, & obturantis au- A
res suas. Act. c.7. v.56. *continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum.*

V. 6. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Sed non diù impunè ferent hanc tantam crudelitatem, quam in me, meosque exercent; B

V. 7. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.

V. 8. Ad nihilum iuxta dicta in Argumento deuenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum C
donec infirmentur.

V. 9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, iræ Dei illis per Romanos repentè immissæ; quasi ignis super Pentapolim; & non viderunt Solem. & sublati sunt ex hac vita. Iam quod sequitur, est quædam allocutio ad ipsos Iudæos, vt sapiant; propositis sibi ante oculos, hinc quidem sua, & suorum antiquorum punitione, inde D
verò felicitate eorum, qui in Christum crediderunt, illud primum ostendit

V. 10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viuentes, sic in ira absorbet eos. Et sensus cum prioribus versibus cohærens, & consequens est. Quod scil. *spinæ vestræ* Principes vestri, & Seniores, ò Iudæi, *priusquam intelligerent rhamnum*, antequam obtinere possent effectum, quem tantopere executioni tradere, & optabant, & laborabant, Christum scil. eiusque fideles omnes è medio tollendi: illi ipsi, *sicut viuentes* Dathan, & Abiron, Num. 16. & de qua pœna intentata etiam supra Psal. 54. v. 16. dictum est, sicut, inquam, illos *viuentes* terra absorbuit; *sic*, & hos in obstinatione permanentes Deus per Romanos *in ira absorbet eos*; præsens pro futuro, vt pœnæ infallibilitas constet. Illi quidem sic iuxta impietatem suam, & perfidiam; at verò quicunque fuerint mecum; E F

V. 11. Lætabitur iustus cũ viderit vindictã, non ipsorum malis, sed sibi, quod ea euaserit, gratulando; & Dei in se bonitatem, in alios iustam iustitiam magnificando: manus suas lauabit in sanguine

pec-

A peccatoris, celebrabit suas victorias, more victorum lauantium manus in sanguine deuictorum, easque acceptas referet Deo, & ipso confirmato in tanti Domini seruitute prosequenda, etiam alij conuertentur; nam his visis, & consideratis;

V. 12. Et dicet homo: quilibet. Si vtique, non dubitanter, aut conditionatè hæ particulæ ponuntur; sed per modum conclusionis ex præcedentibus indubitanter, & affirmatiuè illatæ; q.d. *Si* ita est; & *vtique*, vt vidi, ma-
B nifestè ita esse patet; est fructus iusto; vtique est Deus iudicans eos, protegens, eosque liberans, in terra.

Iam ad Psalmum 58.


PSALMVS LVIII.

C

Eripe me, &c.

Psalmus hic habet Titulum, qui, si simpliciter spectetur, ordini, & cohærentiæ repugnare videtur; nam est;

In finem,
D *Ne disperdas, Dauid in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodiuit domum eius, vt eum interficeret.* (1. *Reg.* 19. 11.)



Æc autem gesta antecessere alias iam dictas S. Dauidis fugas, siue ad Ceilanos, siue inde ab ijs, siue ad desertum Ziph, siue in speluncam, vt propterea hæc non subsequi, sed præcedere ordine suo debuissent, si literaliter, & historicè S. Dauid sua, & non
E quæ Christi, eiusque Ecclesiæ erant, declarare voluisset. Verùm quando ipsi Sancto, vt sæpè dictum est, mens, & intentum erat, non illa sua ad literam explicare; sed per eas, veluti vmbras, quæ Christi, & Ecclesiæ eius erant, significare, pulcherrimo, & congruentissimo ordine hoc loco hanc historiam ponit.

Nam, cum in Psalmorum suorum compositione, decursu, atque progressu, ostendere, atque exhibere vellet, Christum, eiusque Ecclesiam post exantlatos apud Iudæos, labores, & persecutiones nil profecisse, persistentibus illis in sibi
F solita obstinatione, & perfidia; cumque definitum sciret, vt Apostoli ad Gentes proficiscerentur, & Ecclesiam in medio Gentilitatis fundarent; & cum hoc ipsum ne fieret, Iudæos obstituros præuideret, & adlaboraturos, vt intra Patriæ tanquam domus suæ limites vniuersam Christi Ecclesiam internecioni darent; hæc omnia Psalmo hoc, iam factus propinquior ipsi vltimæ Ecclesiæ à Iudæis emigrationi, aptissimè illo euidentissimo sui, ne in domo sua interficeretur, pericu-

lo expressit. Atque sic hoc Psalmo ponitur hæc, veluti vltima, & omninò vltima est, imploratio auxilij diuini, quam facit Ecclesia Christi apud Iudæos persecutionem patiens, & veluti in quapiam domo, custodia, & carcere ad necem ab illis circundata. A

VV. ergo 2.3.4.5.& 6. postulat eripi. Et quando nihil cum Iudæis proficeret, petit Dominum intendere ad visitandas Gentes v. 6. concordante Apostolo cum Psalmista; *ecce conuertimur ad Gentes*. Act.c.13.v.46.

V.7. In lucto ob Iudæorum desolationem aliqua est consolatio, quia *conuertentur ad vesperam*, vbi scil.plenitudo Gentium intrauerit. Et hic quidem versus cũ rẽm optatissimã contineat intercalaris est. Interea malè acturi, malèq. habendi. B

Reliqua omnia cum hoc sensu, & Argumento omninò concordant, vt ex ipsa Psalmi Explicatione clariùs patebit.

Itaque primi quinque versus intelliguntur prolati ab Ecclesia Christi maximè pressa, & tandem liberanda de manu Iudæorum.

PSALMVS LVIII. C

V. 2. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

V. 3. Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum (tales omninò Iudæi fuerunt, quo epitheto eos notauerat etiam supra Psal. 5. v. 8.) salua me. D

V. 4. Quia ecce cęperunt animam meam: irruerunt in me fortes.

V. 5. Neque iniquitas mea (planè cum suo Capite Christo dicere poterat; *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ioan. 8.46.) neque peccatum meum Domine, propter quod me oderint, & persequãtur; sine iniquitate cucurri, viam mandatorum tuorum seruando cum ijs cõuersatus sum, & direxi vitam meam, ne qua in re eos offenderem. Ideò E

V. 6. Exurge in occursum meum, & vide: Et quando nihil cum illis proficio, fac, quod promisisti; & tu Domine Deus virtutũ, Deus Israel. F

In-

A Intende ad visitandas omnes gentes: & id quidem fiet per te, vt promisisti Domine, sed væ ipsis erit, cum factum fuerit; pœnas enim daturi sunt huius tantæ impietatis, & obstinationis; non miserearis (prophetia est, quod non miserebitur, non autem imprecatio) omnibus, qui operantur iniquitatem. & sũt illi ipsi Iudæi, per Romanos vastandi, & dispergendi per Mundum, & in perfidia sua, B & obstinatione vsque ad eius finem permansuri; donec plenitudo Gentium intret. Nihilominus tamen, quod in tanto luctu magnum solamen est;

V. 7. Conuertentur ad vesperam; vt dictum est, circa Mundi finẽ; & famem audiendi verbum Dei,& suscipiendi Fidei Prædicationem, quam nunc non ferunt, patientur vt canes; maximam, intolerabilem; ad quam pellendam,& explendã, & circuibunt ciui- C tatem, ex omnibus Mundi partibus in Ecclesiam Christi, quæ est eius Ciuitas, & noua Sancta Ierusalem, vt Psal. 47. dictum, concurrent. Interim modo iurati eius hostes sunt, & futuri sunt; suscitaturi vbique etiam apud Gentes contra Ecclesiam calumnijs suis persecutiones; pugnaturi gladio linguæ maledicæ.

V. 8. Ecce loquentur in ore suo, & gladius D in labijs eorum; & id quidem tanta audacia, & impudentia facient, tanquam si non esset in cælo rerum omnium Iudex, ac vindex Deus; & ac si impunè possent peccare, & mentiri; quoniam quis audiuit? quasi nemo audiret, & mendacium è veritate sciret dinoscere. Sed, ò stultas iniquorum cogitationes!

V. 9. Et tu Domine deridebis eos: ad nihi- E lum deduces omnes gentes, quæ eiusmodi sunt. Tuæ Diuinæ potentiæ est, eiusmodi homines humiliare, & vincere; ideò

V. 10. Fortitudinem meam ad te custodiam; hęc erit fortitudo mea, vt ad te pro auxilio recurram, & à te protegar, quia Deus susceptor meus es:

F V. 11. Deus meus, omninò, vt dixi; misericordia eius præueniet me. Et hanc misericordiam suam, qua me præueniet;

V. 12. Deus ostendet mihi super inimicos

meos, de quibus nunc loquor, qui sunt ipsi Iudæi; & modò prorsus admirabili illam misericordiam ostendet erga me; nam petij à Diuina ipsius Maiestate, ne occidas eos; ne planè omnes vsque ad internecionem dele; ne quando obliuiscantur populi (Gentium) mei; Christi tui, eiusque Ecclesiæ, quam sanguine suo pretioso fundauit. Quin potius, ne quando mei ab illis Crucifixi obliuio in Populos subrepat; *ne occidas eos*; sed A

Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine: depositos de fastu illo, & gloria mundana, & eiectos de loco, & patria, vbi se dominaturos sperauerant; *disperge illos in virtute tua*, vt per totum terrarum Orbem vagi, & profugi circumeant. Hoc pacto, *protector meus Domine*, mirificè tuam erga me protectionem declarabis; ita enim totus Mundus videbit; B

V. 13. Delictum oris eorum, illud grande piaculum occisi Christi tui, quod illi in facie sua, & fronte pallore affecta, & concidente præ se ferent videbunt, & audient, sermonem labiorum ipsorum, qui palàm se, per suos antecessores, Iesum Nazarenum crucifixisse profitebuntur, atque ita fiet, vt & comprehendantur in superbia sua, idest, vt non solum conuincantur ex his, & constet toti Mundo ipsorum superbia, & arrogantia, qua in Christum Domini impias manus inijcere non fuerunt veriti, ob quam tanta, & tam diuturna pœna plectuntur; sed etiam hoc pacto C D

Et de execratione, & mendacio annunciabuntur, idest, prædicabuntur, publicabuntur, manifestabuntur vbique per totum Mundum, quod comprehensi sint ab illa execranda, quam super se, & filios suos fulminauerant, execratione; vt sanguis ille, quem fundebant Agni Immaculati Domini Iesu esset illis, & in posteris in ruinam, atque sic etiam de mendaciter condemnato innocente Domino arguentur, & conuincentur. E

In hunc sensum hos versus explicat S. Augustinus, quem P. Lorinus, licet de Dauide ad literam velit eos intelligi, citat tamen, & cum non improbet, videtur sequi; dum ait *S. Augustinum hæc de Iudæis interpretari, toto orbe sparsis ad vtilitatem Populi Christiani, vt scil. eorum adhuc superstitum conditionem infelicem spectantes, agnoscerent beneficium gratiæ; & vt ab ijs acciperent, tanquam à baiulis, Libros Sacros, qui Gentilibus propterea suspecti non essent; & vt viuum extaret semper exemplum animaduersionis diuinæ contra summum occisi Christi scelus: vt etiam tandem reliquiæ Hebræi Populi saluæ fierent*. Hæc omnia, vt vidimus, ad literam sic applicata conueniunt: quod autem Dauidi omnia conuenire non possint, facilè, qui perpenderit, animaduertet. Reliqua etiam in præexplicato Argumento non minùs cohærenter, & consequenter veniunt. Nam quod sequitur, F

V. 14.

A V. 14. in consummatione: in ira consummationis, & non erunt. sic intelligendum, & explicandum est; quod illi quidem in prædicta pœna diutissimè, & vsque ad Mundi vesperam, vt dictum est, sint permansuri; at verò *in consummatione*, subintellige Mundi, *& in ira consummationis*, quando interitus ipsi Orbi terrarum, & extremum Iudicium instabit, Iudæi conuertentur, & quales iam sunt, tales, *& non erunt*; neque erunt; vel, non solùm non erunt tales,
B verùm etiam

Et scient ad Fidē Christi conuersi, quia Deus dominabitur Iacob, non solùm eorum, qui ex semine Iacob sunt; sed etiam, qui per repromissionem inter Iacob filios, & descendentes numerantur; *scient* inquam, quia *Deus dominabitur Iacob*, & finium terræ, eos vbiq; colligēdo, vt fiat tandē, Ioan. 10. 16. *vnum ouile, & vnus pastor*, vbi ex finibus terræ oues illas adduxerit. Sic omninò, vt iam ante dixi, fiet;

C V. 15. Conuertentur ad vesperam, & famē patientur vt canes: & circuibunt ciuitatem. Verùm dum illa Mundi vespera adueniat, in qua Ciuitatem sanctam Christi Ecclesia ingressi famem suam expleant; interea

V. 16. Ipsi dispergentur per Mundum, illa prouidentissima Dei dispositione, ordina-
D ta, vt dixi, ad Ecclesiæ Christi profectum, & vtilitatem, *dispergentur* etiam famelici, sed rerū terrenarum, ad manducandum: quærent quibus famem suam pellant; si verò non fuerint saturati. *Si*; non est particula dubitantis, sed potius affirmantis; & significat, quandoquidem; vel siquidem *verò non saturabuntur*, & murmurabunt, ideſt; & quæsita ad manducandum, non poterunt eorum famem explere, vt eos saturare; & insuper internis agitabuntur iræ, odij,
E rancoris, indignationis, motibus, & passionibus. Hunc ipsum sensum reddit huius verbi, *& murmurabunt*, Apollinarius, vt refert P. Lorinus, dum ait; *Si verò frustra* (quæsierunt cibum) *strident saturati secundum iram*. Illi quidem sic Iudæi scil. in obstinatione, & perfidia sua permanentes;

V. 17. Ego autem, (ait S. Dauid Ecclesiæ Christi ad Gentes migrantis nomine) cantabo fortitudinem tuam: & exaltabo mane mi-
F sericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.

V. 18.


V. 18. Adiutor meus tibi psallam, quia A
Deus susceptor meus es: Deus meus miseri-
cordia mea.

PSALMVS LIX. B

Deus repulisti, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LIX.

In finem, C
Pro his, qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi Dauid in doctrinam,
cum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab,
& percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia.
(2.*Reg*.8.1.& 10.7.& 1.*Par*.18.1.)



Repta iam ex Iudæorum persequentium manibus Ecclesia, & ea ad Gentes migrante, cum id ipsum Sanctus Dauid proponere vellet; D & verò etiam in continuatione Psalterij sui bonus Ordo id exigeret; pulcherrimo artificio hoc loco Psalmum hunc cum eiusmodi inscriptione, quæ omnia hæc ostenderet, destinauit; dum sic ait. *In finem, Pro his, qui immutabuntur*; hac particula ostendit non esse futurum sibi sermonem de obstinatis in perfidia Iudæis; *in tituli inscriptionem ipsi Dauid in doctrinam*; quia res magni momenti contineret Psalmus, & ea essent omnia ad Christum pertinentia, qui Ecclesiæ suæ migrantis erat Caput, ait, *in tituli*, &c. quod autem addit; *cum succendit Mesopotaniam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab, & per-* E *cussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia*. Allusione ad hæc gesta, quæ narrantur 2. Reg. c.8.1.& c.10.7.& 1.Par.c.18.1.voluit S.Propheta significare, illam ipsam Ecclesiæ Christi migrationem, quæ validissimi instar erat exercitus (qualem sub Ioab ipse Rex Dauid habebat) ingentes spirituales, & mysticas cædes, & strages inter Gentes, ad quas expeditionem adornabat, esset editura; easque igne diuini amoris succensura, & gladio diuini verbi, peccatis, & impietati occisura. Sic esse dicendum, & explicandum, atque interpretandum Titulum, rerum hactenus dictarum connexio, & cohærentia videntur omninò con- F uincere, quæ nulla est, si dicamus quod ad literam, eiusmodi disparata prorsus voluerit S. Dauid proponere; & non potius illis rebus, tanquam symbolis quibusdam, & indicibus, vti ad ostendenda ea, quæ de Christo, eiusque Ecclesia prophetabat, & præcinebat mysteria; quæ esse omninò illa iam dicta ipse contextus Psalmi omni alio argumento fortius demonstrat; qui, illis positis pro fundamen-

A mento, totus consequenter explicatur secundum dicta. Quid enim consequentius est, quàm vt erepta iam, & migrante Christi Ecclesiæ ad Gentes, primò quidem hæc vox commiserationis, & gemitus audiatur, quatenus Iudæos concernit, quorum vices, & personam sustinet Dauid; V. 3. *Deus repulisti nos, & destruxisti nos:* permittendo in hæc grandia mala ruere Iudæos contribules nostros, quorum infelicem sortem dolemus: at verò nobis, quos persecutionibus eorum afflictos ex eorum manibus eripuisti, *iratus es, & misertus es nobis*. Sic etiam in versibus 4. 5. 6. diuersi, & alterni continentur affectus; nunc de pœnis, quas Iu-
B dæi sunt passi; nunc de persecutionibus toleratis ab Ecclesia. V. 6. & 7. sunt de paterna ereptione è malis, & excidio impendente Ierosolymis. V. 8. de promissione hereditatis Gentium Christo facta, ipsique danda, vnà cum paucis ex Israel collectis; hos, & illos exprimit per nomina Tribuum, & Nationum; Gentiles per Moab, & Idumæam, & consequenter V. 11. per *Ciuitatem munitam*, ipsam Romam Ethnicam, Gentilitatis Caput, & Arcem omninò intelligit. *Quis deducet me*, &c. Vox est anhelantis ad tam arduum opus, & præuidentis in eo grandia obstacula.

C Iste, & sequentes versus repetuntur eodem sensu infra Psal. 107. omnes pariter à versu 10. incipiendo vsque ad finem. Ex quo manifestè colligitur Sanctum Dauidem, id quod diximus voluisse significare, nam si de *Idumæa, & Ciuitate in ea munita* materiali, seu grammaticali loqueretur, cur diceret. *Quis deducet me?* quando iam supponebatur Ioab percussisse Idumæam?

Videri possunt, quæ P. Lorinus in hunc Psal. & versum habet, fol. 125. lit. H. vbi refert Nebiensis sententiam, qui in Psalmum 107. versum 11. *Quis deducet me in Ciuitatem munitam?* interpretatur; *quis deducet me vsque Romam impiam?* hanc
D tamen interpretationem eatenus tantùm non admittit, quatenus Iudæorum in Christianos odium demonstret, qui quæ de Idumæis dicuntur, de Christianis explicant; nihilominus, subiungit P. Lorinus; *posset in bono sensu accipi prædictio, desideriumque de Vrbe Romana, quæ futura esset Petri Sedes, & Ecclesiæ Caput*. Ita quidem Dionysio Carthusiano videtur, qui ad idem citat Isaiam cap. 26. vers. 5. *Ciuitatem sublimem humiliabit*. Hæc vtriusque Doctissimi Interpretis opinio vera est, & omninò, vt supra in Psal. 23. dictum est, S. Isaias illo cap. 26. vers. 5 hùc allusit.

E Illis igitur verbis V. 11. *Quis deducet me in Ciuitatem munitam*, &c. subijciuntur; V. 12. *Nonne tu Deus, qui repulisti nos, & non egredieris in virtutibus nostris?* Sunt autem verba robustæ, & fortis Ecclesiæ in Regem, ac Sponsum suum Christum confidentiæ, quibus ad primam admouendam machinam in *Ciuitatis* illius *munitæ* expugnationem, eundem Dominum virtutum, vt cum virtutibus, quas iam ad id præstandum per Euangelij prædicationem eduxerat, egrederetur, inuitabat; & dubio procul certa erat de auxilio, quod implorabat. V. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis*: neque minus erat certa de
F victoria, quam sperabat, V. 14. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros*. Ex his clara omnia redduntur, quæ vlterius pro Psalmi explicatione desiderantur; animaduersum enim iam est;

Psalmum hunc (vt etiam de quadragesimo primo Psalmo dictum fuit) varios, eosque penè contrarios affectus continere; qui tamen contrarij re ipsa non sunt, cum pronuncientur respectu diuersorum, & ab Ecclesia Christi, quæ non solum à Iu-

à Iudæis discedebat; sed etiam quæ tunc ab eis discedens ex ijs constabat, qui A
ex Iudæis vocati, & collecti fuerant.

Itaque sic illi, qui *immutati* fuerant, Christi fideles effecti, dum reliquos desererent, & in obstinatione sua, mox puniendos, & exterminandos, derelinquerent; sic, inquam, exclamant;

PSALMVS LIX.

B

V. 3. Deus repulisti nos, & destruxisti nos: est solita phrasis, qua Iudæorum desolatio exprimitur; *nos*, aiunt fideles, *repulisti*, quia suam faciebant ex commiseratione eorum, qui repellendi, & destruendi erant, sortem, cum ipsorum essent consanguinei: quod autem ipsi illam eorum, quos relinquebant perituros, calamitatē euasissent, misericordię Dei adscribebāt; iratus es, sed nobis; vt pater, permittendo nos eorum persecutionibus affligi; & misertus es nobis. dum sic Ierosolymis afflicti, & vexati fuimus, C

V. 4. Commouisti terram, & conturbasti eam: sed sana, & omninò sanabis contritiones eius, pressuras, & strages, quas ibidē passi sumus, quia commota est terra, scil. illa terrena Ierusalem; nam multi ex Iudæis in Christum crediderunt, dum apud eos permansit Christi Ecclesia: sed permanentibus in obstinatione D

V. 5. Ostendisti populo tuo dura: potasti nos (illos intelligit, qui permāsere obstinati) vino compunctionis. idest, vt P. Em. Sà, pungente, cruciante. Chal. habet *vino maledictionis*; vt propterea hìc, *compunctio*, non remedium, & salutem, sed pœnam, & perditionem significet illi Populo illatam. E
Sed illi Populo, non verò nobis, qui tamen etiam eramus de illo Populo; nam admirabili tuo consilio, & prouidentia, ò Deus, ne nos malis eorum, & extremis calamitatibus inuolueremur. dictum aliàs, Ecclesiam Christi mirè ereptam, subductamque cladi Ierusalem.

V. 6. Dedisti metuentibus te significationem: vt fugiant à facie arcus. F

Vt liberentur dilecti tui. Sic, vt fecisti, etiam deinceps Domine

V. 7. saluū fac dextera tua, & exaudi me; potentia tua, quæ saluare potest, salua.

Et

A Ex his, quæ mecum fieri iam cerno, & quæ breui futura aduerto (ait Dauid in persona Ecclesiæ, & Populi Christiani) re ipsa id verùm esse deprehendo, quod

V. 8. Deus locutus est in sancto suo, quod promisit Vnigenito Filio suo de danda illi hereditate Gentium, & simul etiam paucis ex Tribubus Israel modò in Ecclesiam eius collectis, & ad finem Mundi colligendis: verum inquam illud esse deprehendo, quod locutus est de his, & illis; de his scilicet Iudęis dixit;

B lætabor, & partibor Sichimam: & conuallem tabernaculorum metibor. per partitionē, & dimensionē; possessionē, quam obtenturus esset non in terrenis, sed in spiritualibus, intelligit. Similiter

V. 9. Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei.

C Iuda Rex meus. Vbi Iudæos, per nomina Tribuum expressisset; Gentiles quorum etiam hereditatem aditurus erat sic ostendit.

V. 10. Moab olla spei meæ. Moabitæ, & illi mihi subijcientur, vt olla, in qua pedes lauantur, aut carnes coquuntur; ait P. Emm. Sà. per hæc autem non aliud innuitur, quàm plenum Dominium, quod Christus Dominus in eos habiturus erat. & idem Dominium, & possessio in eosdem Gentiles per sequentia de-

D claratur; per Moab enim, & Idumæos, quælibet Gentes exteræ intelliguntur; vt etiam in Isaia dicetur.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt. Sed quia summa rerum, & cardo in eo vertebatur, vt omnium Gentium Domina, & Rectrix Roma Fidei Christi subijceretur;

E V. 11. Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam? provt dictum iam est in Argumento Psalmi, sicut & de tribus alijs sequentibus versibus 12. 13. & 14. qui subijciuntur.

V. 12. Nonne tu Deus, qui repulisti nos:

F & non egredieris Deus in virtutibus nostris?

V. 13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.


V.14. In Deo faciemus virtutem: & ipse A
ad nihilum deducet tribulantes nos. Prosequẽs S. Dauid ea, quæ Christi, eiusque Ecclesiæ sunt, ad Gentes, vt dictum est, profectæ, valdè opportunè subnectit Psalmum sequentem.

PSALMVS LX. B

Exaudi Deus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LX.

In finem, in Hymnis Dauid.



Oc Titulo significatur, quod hoc Psalmo Dauid in persona Ecclesiæ, seu eius vices sustinens, preces has, & Hymnos ad Deum (iam exul, & apud remotas Gentes constituta) ad rerum suarum, & conuersionis Gentium prosperum cursum obtinendum effundat; quod re ipsa facit, & Psalmus aptissimè hoc supposito, quod re ipsa continet themate, id omne exprimit; vt vix alia ylla explicatione indigeat; nam quàm aptè tali loco, & statu dicat Ecclesia! C

PSALMVS LX. D

V.2. Exaudi Deus deprecationem meã: intende orationi meæ.

V.3. A finibus terræ ad te clamaui; iã scil. exulãs à Patria, & Ciuitate Ierusalem, & vt P. Emm. Sà ad hanc explicationem optimè ait; *longè à Templo remotus*; E dum anxiaretur cor meum, eo quod mihi, chari, & noti deserendi, ad alienigenas, eosque aduersarios, & hostes proficiscendum fuisset, tunc in petra exaltasti me. loco munito, & tuto, loco sublimi, & hostibus inaccesso me posuisti, vt nocere mihi non possent. Tu ipse, vt peruaderem, & penetrarem ad remotissimas quasque Gentes, & in ipsam Romam,

Deduxisti me, F

V.4. quia factus es spes mea: tu ipse mihi omni humana ope destitutæ fuisti turris fortitudinis à facie inimici. turris munitissima, corãm, & contra om-

A omnes impetus, & insultus hostis. Hanc tuam fidissimam, & fortissimam protectionem non solùm præsenti tempore impendis, sed in futurum etiam, idque perpetuum tempus spondes te exhibiturum, atque ita

V. 5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum. Nam *sicut aquila expandis alas tuas* supes pullos. Deuter. c.32.

B V. 6. Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hereditatem, pro qua, supra etiã Psalmo 5. oraüeram, timentibus nomen tuum. exclusis ab ea impijs, illis, & sceleratis agricolis, qui, vt ea potirentur, Vnigenitum Filium tuum (quem ad eos miseras, & quem ipsi suscipere potius, & omni obsequio demereri sibi debuissent) immanissimè C occiderunt. Matt.c.21. Et illi quidem extinctum planè illum voluissent; Tu verò ò Deus!

V. 7. Dies super dies Regis (Regis Christi habet Chal.) adijcies, nunquam finiendos, perpetuò duraturos dies dabis Regi nostro Christo tuo; annos eius vsque in diem generationis, & generationis. *regni eius non erit finis*. Luc. D 1.33. Ipse Rex noster Dominus Iesus

V. 8. Permanet in æternum in conspectu Dei: id quod S. Paulus Rom. 8.34. aiebat, *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Item Heb. 9.12. *per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta*. atque sic huius Domini, ac Regis nostri misericordiã, & donis, & gratijs, & veritatem E eius in promissis adimplẽdis; quis requiret? quis sufficienter penetrabit, & capiet? Tota propterea exultans Ecclesia ait, se persoluturam Domino Laudes, & Sacrificia semper.

V. 9. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi? vt reddam vota mea de die in F diem. Ex hoc Psalmo apparet, quàm ingentes opes, & thesauros habeant Christi Fideles in Domino suo Iesu Christo. Gratulationem ergo, & exultationem, quam in ipso habet Ecclesia, & quilibet eius fidelis habere debet, continuat etiam Psal. sequenti, prout apparet in eius Argumento.

A


PSALMVS LXI.

Nonne Deo, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXI.

In finem. Pro Idithun, Psalmus Dauid.

B



Xipso Psalmi huius Titulo ostenditur hoc Psalmo contineri materiam à priore Psalmo non differentem. Nam est pro *Idithun:* quæ vox cum transilientem significet, eos ipsos Christi fideles commonstrat, qui omnem carnis, & sanguinis affectum supergressi, per fortem renunciationem transilierant omnes patriæ, & cognationis affectus, & nexus; effectique fuerant Christo Domino per omnia subiecti, & ad omnem eius voluntatem exequendam paratissimi. Illi itaque, seu quivis eorum, vel Ecclesia cuiusque nomine dicit; C

PSALMVS LXI.

V. 2. Nonne Deo subiecta erit anima mea? (subintellige vtique erit) ab ipso enim salutare meum. D

V. 3. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus: susceptor meus (propterea) non mouebor amplius; quidquid contra me aduersa consurgant. Et verò etiam (Iudæos alloquitur, eosque intelligit, qui non cessabant vbique in Ecclesiam, E
etiam posteaquam ab illis discessisset, suscitare persecutiones) provt constat ex Historijs, & Annalibus Ecclesiasticis;

V. 4. Quousque irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos; si non ferro, certò gladio linguæ: & tanquam parieti inclinato ad ruinam, & maceriæ depulsæ, ad casum, & corruenti; incumbitis, seu impetum facitis, vt planè dissipetur, & ruat? F

V. 5. Verumtamen, & certè ipsi pretium meum, honorem, seu dignitatem confictis contra me mendacissimis calumnijs cogitauerunt repellere,

à me

A à me auferre. Ego verò ait Ecclesia, cucurri in siti; ardebam desiderio eos conuertendi, nequicquam tamen cum ijs profeci, cum pleni essent hypocrisi, & dolo; cumque hominibus apparerent probi, & iusti, magis nocebant, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.

B V. 6. Verumtamen, sed quicquid illi moliantur, & agant; Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. Reliquis etiam versibus 7. 8. & 9. ad fiduciam erga Dominum habendam ex ante exhibitis protectionis, & auxilij sui argumentis se se, & omnes suos fideles erigit;

V. 7. Quia ipse Deus meus, & saluator
C meus: adiutor meus, non emigrabo; subintellige, amplius; vt supra v. 3. dixerat, *non mouebor amplius*: hìc autem seipsam Ecclesia confortat, quia, *non emigrabo*; idest; vt semper, vt nunc è Iudæa migrans sim errabunda; vel, vt mei hostes cupiunt, vt penitus è mundo tollar; *non emigrabo*: nunquam id fiet; quia

V. 8. In Deo salutare meum, & gloria mea:
D Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. O si quæso!

V. 9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum. Ille tantus, & omnipotens *Deus adiutor noster*
E *in æternum*. Ecclesia filios suos alloquitur, aptissima exhortatione innixa promissioni, *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Matt. vltimo: pergit;

V. 10. Verumtamen, sed è contra, qui spem suam in hominibus positam habent; vani filij hominum, mendaces filij hominum in
F stateris, omnia plena inanitate, & vanitate reperiunt; quia homines non tanti ponderis, virtutis, potentiæ, fidelitatis sunt, quanti videntur esse, sed sunt vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum, idest cum vani, & iniusti ponderis sint omnes, se ipsos inuicem decipiunt, & sibi ipsis illudunt, & imponunt in rebus vanis. At vos non sic, ò filij, & fideles mei;

V. 11. Nolite sperare in iniquitate, & rapi- A
nas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant, no-
lite cor apponere. Id verò vt faciatis, necessitas vobis incumbit, quia

V. 12. Semel locutus est Deus, duo hæc
audiui, id Deus certò determinauit, & statuit, vt in duobus Mundum Vniuersum regeret, & *duo hac audiui* ipso reuelante, scilicet primũ; B
quia potestas Dei est; vt iniquos puniat; secundum verò

V. 13. & tibi Domine misericordia: vt bonis des præmium; neque dubiũ, quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. C

PSALMVS LXII.

Deus Deus meus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXII. D

Psalmus Dauid.

Cùm esset in deserto Idumææ. (1. *Reg. c.* 22. *v.* 5.)

ORdinatissimè iam hoc loco sequitur hic Psalmus cum suo Titulo. Etiam per hunc Psalmum, sub figura Dauidis exulantis, & commorantis in deserto Idumææ, exprimitur Christi Ecclesia iam exulans, & degens in deserto Gentilitatis, & ad Deum clamans. E Atque ita ipsa omninò Gentilitas est *terra* illa *deserta, inuia, & inaquosa*, in qua tamen Dominus copiosissimis diuinarum suarum gratiarum fluentis, vt in decursu patebit, Ecclesiam suam visitabat.

Et quidem hoc, quod dixi, supponi, vt certum posset, cum iam supra, & sæpè in Isaia ostendendum erit, per Idumæam intelligatur Gentilitas: & cum finita iam, & terminata esse diximus ea symbola, quæ in Dauide referebant Christum, vel eius Ecclesiam apud Iudæos persecutionem patientem; & cum ipsam Ecclesiam iam emigrantem à Iudæis conspeximus: sed quia Tituli eiusmodi F sæpius recurrunt; vt constet, eos non grammaticè, prout iacent, sed mysticè, seu symbolicè accipi debere, prout supra Obiectione 2. §. 8. ex S. Augustino diximus; quod hic dictum est, probatur insuper ex hoc fundamento. Vulgata nostra Editio adnotauit huic Titulo locum ex 1. Reg. cap. 22. v. 5. vbi describitur aduentus Dauidis in saltum Haret, scilicet illum, qui erat in territorio Vrbis Haret:

A ret: constat autem hunc saltum fuisse, non in Idumæa, sed in terra Iuda; nam ibidem illo 1. Reg. cap. 22. v. 5. *dixit Gad Propheta ad Dauid: noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltum Haret*. Illo ergo Titulo; *deserti Idumææ*; non vult, vt ad literam intelligamus veram Idumæam, in cuius deserto Dauid non fuit, sed intendit, vt ex coniunctione, & insinuatione deserti Haret, in quo fuit, & per additum Idumææ, quæ erat regio idololatrarum, sciamus, agi hoc Psalmo de deserto quopiam, quod per Idumæam exprimitur. Sed quodnam illud? Certè non aliud, quàm totius Gen-
B tilitatis, cum, vt dictum est, per Idumæam, & Idumæos Gentes significentur.

Et quandoquidem ad saluandam veritatem Vulgatæ nostræ Editionis, & illam adiectam notam ex 1. Reg. cap. 22. v. 5. necesse est dicere, hoc loco Idumæam non accipi in proprio significatu, sed metaphorico, seu symbolico (vt optimè obseruauit doctissimus Augustinus Torniellus in suis Annalibus sacris, quartæ Mundi ætatis, ad annum Mundi 2974. fol. 720.) at verò, illa acceptio, quam posui, consequentior est alia, quam ipse Torniellus ponit, vt scilicet, per *Idumæam*, significetur terra rubra, inuia, & inaquosa ipsius saltus Haret: plus aliquid *Idu-*
C *mææ* dicit, quia si nihil aliud diceret, cum iam in Psalmo exprimatur *terra deserta, inuia, & inaquosa*, satis fuisset ponere in Titulo; *Psalmus Dauid cum esset in deserto*. & addere 1. Reg. c. 22. 5. Standum ergo est dictis, atque quod aliàs etiam dictum supra Obiectione 2. §. 3. fuit, hoc pariter loco obseruandum est; scilicet, quod Appositoris Titulorum, siue is ipse Dauid fuerit omnium, siue LXX. Interpretes aliquorum fuerint auctores, & dispositores, nec non, & Sanctæ Matris Ecclesiæ illos recipientis, & Psalmis eos in Vulgata præfigentis, mens, & voluntas fuerit, vt eiusmodi Tituli, primò quidem tanquam Epigraphæ columnis, domi-
D bus, imaginibusque additæ denotarent, quid quolibet Psalmo contineretur; deinde verò illi ipsi Tituli, non prout iacent, & verba grammaticè sonant, sed sub allusione, & symbolica, seu metaphorica significatione acciperentur, vt hìc factum fuit, & statim Psalmo 64. rursus fiet: Itaque iuxta iam dicta in huius Psalmi Argumento valdè pulchrè in eo, & consequenter proponitur, hinc quidem, Ecclesiæ Christi in deserto Gentilitatis commorantis tenerrimus, & ardentissimus in suum Dominum, Sponsum, ac Deum affectus; inde verò, eiusdem Domini erga eam amor, & beneficentia. Tempori ergo, quo illa iam à Templo
E Ierosolymitano, & Ciuitate illa, vbi per aliquot annos sedem fixerat, exulabat; & fuerat ingressa vastas illas Gentilitatis solitudines; illi inquam tempori vel maximè congruebat, vt plena in Dominum suum, cuius causa hæc tolerabat, affectu exclamaret;

PSALMVS LXII.

F V. 2. Deus Deus meus ad te, quæres te; de luce vigilo. Primitiuæ Ecclesiæ ardens in Christum amor, vt omnis fidelium cogitatio, solicitudo, studium in illum ferretur.

Sitiuit in te anima mea, nimirum biberat ex aqua, quam ipsi Sponsus eius idem Dominus,

ad

ad quem sitiebat, dederat; & factus fuerat in ea, *fons aquæ salientis in vitam æternam*, Ioan.4.14. non solùm anima, sed etiam, & quidem quàm multipliciter tibi caro mea. hoc verè ait Ecclesia, quæ in suis filijs semper mortificationem Iesu circunfert. A

Sic sitire, & ad Sponsum aspirare cogebatur; quandoquidem reperiebatur

V. 3. In terra deserta, & inuia, & inaquosa:

Omnium enim Gentium, seu Gentilitatis totius status, & conditio eiusmodi fuit, vt intuenti horrorem incuteret; non secus, atque *terra deserta, & inuia, & inaquosa*, in qua scil. nihil sit, quod ad vitam, vtilitatem, & consolationem hominis conferat. Nihilominus, ait Ecclesia, taliter ego in hac terra deserta constituta: sic in sancto apparui tibi, me tibi Deus meus ita in diuinis tuis laudibus, & obsequijs promptam, paratamque exhibui, & præsentaui, non secus atque si essem in ipso Sanctuario, & sancto Templo tuo; in id solicita, & semper intenta, vt etiam in hac *terra deserta*, &c. in medio Gentilitatis viderem virtutem tuam, & gloriam tuam, vt inquam viderem, non solùm ipse per contemplationem, sed vel maximè per conuersionem Gentium ad Fidem tuam sanctam; *viderem* eandem *virtutem tuam, & gloriam tuam* promotam, & propagatam. Nihil certè amplius, nihil pretiosius est, quod optare possim; B C

V.4. Quoniam melior est misericordia tua,

hæc, qua te Gentibus reuelas, illisque Fidei tuæ sanctæ donum concedis, melior est, super vitas: plusquam sit ipsius vitæ bonum, est bonum, & dulce; cum per illud vitam non temporalem, sed æternam, & beatam consequantur. si id quod peto, præstes Domine, labia mea laudabunt te. D

V. 5. Sic, vt dixi, videndo *virtutem tuam, & gloriam tuam* promoueri in Gentibus, & propagari; benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas, in oratione, tibique laudes, & gratiarum actiones referam. Et equidem opto, & suppliciter flagito à te Deus meus, vt E

V. 6. Sicut adipe, & pinguedine Diuini tui spiritus, & amoris, repeleatur anima mea: tunc enim fiet quod tam ardenter opto, & labijs exultationis laudabit os meum; cum exultatione celebrabo laudes tuas, tuam liberalitatem, & munificentiam. Pergit, & continuat desideria sua erga Dominum; F

V.7. Si memor fui tui super stratum meũ,

in

A in matutinis meditabor in te, idest, vt benè P. Emm. Sà, cum tui recordabor, & in lecto, & mane surgens; *meditabor in te*, de te, vel in te referam, tibi adscribam,

V. 8. quia fuisti adiutor meus. atque etiam deinceps semper

Et in velamento alarum tuarum; supra etiam Psal. 60. v. 5. petierat, & confidebat protegi in velamento alarum Domini; nunc experiri in-
B cipiebat; propterea exultabo, ait; quid mirum?

V. 9. adhæsit anima mea post te, post vias tuas, te sequens; me suscepit dextera tua. propterea

V. 10. Ipsi hostes mei, & aduersarij, verò in vanum, frustra quæ-
C sierunt animam meam, quam talis dextera susceperat; introibunt in inferiora terræ, morientur, tradentur in manus gladij, traditi in necē, & gladium; partes vulpium erunt, dabuntur cadauera eorum bestijs ad vorandum. Hæc erit pœna hostium meorum.

D V. 11. Rex verò, Dñs Christus meus lætabitur in Deo, vt qui ipse, Deus simul est, lætabitur, vincet, triumphabit, laudabuntur omnes, qui iurant in eo, idest, *per eum*, vt P. Emm. Sà, & idem est, atque qui eum colunt, in eum credunt, illi seruiunt: quia obstructum est, obstruetur, os loquentium iniqua. Extremum hunc, huius Psalmi versum, & postrema eius verba excipit Psalmus 63.

E

PSALMVS LXIII.

Exaudi Deus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXIII.

F *In finem. Psalmus Dauid.*

PAter Lorinus in hunc Psalmum citat Canonem Græcorum, quod *Psalmi, qui nihil noui habent in Titulo, simile præcedenti contineant Argumentum.* Is vel maximè in hoc Psalmo verificatur; nam omninò, vt ex toto eius contextu patet, implorat hic Ecclesia, seu Christus pro ipsa, & suis membris

auxilium ad decertandum, & superanda aduersa omnia, quæ in fidei apud Gen- A
tes Prædicatione necesse erat consurgere, dum Christus crucifixus, quem præ-
dicaturi erant, *Iudæis quidem scandalum esset, Gentibus verò stultitia*. Sed multis
erigit se ad fiduciam, aliàs experta Domini protectionem v.3. Animat se se ob
inanitatem, & vanitatem carnalis sapientiæ, & astutiæ mundanæ, qua licet *acce-
dat homo ad cor altum*, excedet tamen illud, *& exultabitur Deus:* & tandem futu-
ram Apostolorum, & Christi Discipulorum victoriam tamquam præsentem cele-
brat, & decantat, *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos*, &c. Igitur Ecclesia præ-
ludens persecutionibus, quas pati iam inceperat, orat Dominum; B

PSALMVS LXIII.

V.2. Exaudi Deus orationem meam cũ deprecor: à timore inimici eripe animam meã. C
Spero, & confido hanc protectionem, & ereptionem, quia ante etiam

V.3. Protexisti me à conuentu malignantium, cum apud Iudæos essem, à multitudine operantium iniquitatem, etiam hìc apud Gentes protege,

V.4. Quia & isti, eorumque sapientes, contra me, exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram. S. Hierony. verbum amarissimum explicat, accipiendo rem, pro sermone. Chal. habet, sagittis vnctis veneno mortifero. vt D

V.5. sagittent in occultis immaculatum, quales erant Christi fideles, primitiuæ Ecclesiæ, Gens sancta, Populus acquisi- E
tionis, lucentes sicut luminaria in hoc Mundo. De Ecclesia enim, vt dixi, est ser-
mo, & ipsa de se, & suis loquitur; qui horrendis calumnijs, & confictis crimini-
bus mirum in modum à Gentilibus, & maximè eorum sapientibus, & sacrificu-
lis, vel actu exagitabantur, vel mox erant exercendi, vt patet ex Annalibus
Ecclesiasticis, alijsque etiam profanis Historicis, & ex sæpius in Isaiam varijs ca-
pitibus dicendis; & Ieremiæ cap.51. Atque sic in hoc sensu intelligitur,

V.6. Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam. F
Item eodem modo, & sensu explicanda sunt, quæ sequuntur.

Narrauerunt vt absconderent laqueos: di-

xe-

A xerunt: Quis videbit eos? idest; inter se tractarunt, quomodo eos caperent in sermone: neque his contenti, excogitarunt varios nocendi modos; & hoc significat,

V. 7. Scrutati sunt iniquitates: subintellige; at verò licet tanta móliti sint, nihilominus defecerunt scrutantes scrutinio.

B Accedet homo (vt dictũ est in Argumento) ad cor altum, astutia mundana, sed frustra,

V. 8. & exaltabitur Deus. futuri de omnibus victores, quia destruentur eorum consilia, machinationes, & oppositiones aduersus Christi Fidem, quibus destructis illa triumphabit, *& exaltabitur Deus*. destruentur omninò, quia

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorũ;

C idest, omnia eorum dogmata, & argumenta, quæ aduersus Christianam Religionem adferebant, erant instar sagittarum à stultis, & insipientibus sagittarijs emissarum à scopo toto cælo aberrantium. Quinimò

V. 9. & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Illi ipsi suismet se confutabant, & conuincebant argumentis. De hac contra Mundi sapientes victoria Isaias c.33.v.18.& Apostolus 1.Cor.1.19. *Perdam sapientiam sapientium*,&c.*Nonne stultam fecit Deus sapientiam*

D *huius Mundi?* Itaque cum sapientes, & prudentes Mundi huius non possent resistere Sapientiæ Diuinæ, & Spiritui, qui per Sanctos Apostolos, & Fidei Christi Prædicatores loquebatur;

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, eosque audiebant,

V. 10. & timuit omnis homo. Sacro horrore perculsus ob ea, quæ

E ab illis annunciari audiebant, de Mundi Creatione, Redemptione, Iudicio, iniquorum pœnis, iustorũ præmijs: certè *disputante Paulo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro tremefactus fuit Felix*. Act.c.24.v.25. Ita omninò factum per alios etiam Apostolos. Nam Apostoli quidem

Et annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt. Populi illi, quibus ea ipsi annunciabant. Atque ideò aperta iam ad salutem æternam via,

F V. 11. Lętabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Cum igitur S. Dauid, vt vidimus hoc Psalmo breuiter attigisset victorias à Christi Ecclesia per Apostolorum Prædicationem reportandas, & præuideret, quàm

ingens animarum conuersio apud omnes Mundi Gentes, & nationes subsecutura esset; & sciret hoc pacto Christi Ecclesiam, Nouam Sion, & Ierusalem, apud eas fundandam, & erigendam; id quod cuilibet iusto cum eximiam animi lætitiam allaturum esset, provt ad finem Psalmi iam explicati dixerat; ipseque Dauid primus eam sibi à Domino hæc reuelante communicari cum persentisceret, in has Laudis, & Diuinæ Benedictionis voces prorupit, quas Psalmus 64. continet. A

PSALMVS LXIV. B

Te decet hymnus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXIV. C

In finem, Psalmus Dauid.
Canticum Ieremiæ, & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.



Vlcherrimo itaque non solùm ordine, qui se se iam prodit, & aperit, verùm etiam Titulo, qui eundem ordinem manifestat, Psalmus iste 64. est insignitus. Psalmus omninò insignis,& sublimis rerum, verborum, symbolorum, mysteriorumque sublimitate, suoque toto contextu pulchritudini primæ suæ faciei per omnia correspondens. Eius ergo Titulus est; ***In finem, Psalmus Dauid. Canticum Ieremiæ, & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.*** D

Initio iam decisis illis difficultatibus, quæ controuerti apud Psalmorum interpretes solent; quis Psalmorum,& an omnium Dauid sit auctor? quis Titulos apposuerit? &c. Ad Tituli huius,& Psalmi excellentissimi intellectionem satis est hic obseruare, Dauidis omninò, & hunc Psalmum, & reliquos esse. Tituli pariter priorem partem videri ab eo positam,quæ etiam sola suffecisset, tam ad ordinem, & connexionem cum reliquis Psalmis, quàm ad significationem rei illo contentæ. Ceterùm Diuina planè Prouidentia factum,vt siue ab Esdra,siue (quod probabilius est, & supra in Præuijs Documentis ostendi me amplecti) à LXX. Interpretibus reliqua pars,***Canticum Ieremiæ***,&c. adderetur Titulo,quò nobis clariùs innotesceret, quidnam verè, & propriè Psalmus contineret. E

Contentum porrò Psalmi huius,Titulo indicante, intelligere debemus ex proportione quadam, seu relatione, & significatione, quam duo nominatissimi Prophetæ in Titulo notati, ***Ieremias,& Ezechiel***, secum adferunt. Eorum ergo prior Propheta notissimus, atque nominatissimus est ex eo, quod contribules suos è patria migrantes,& Babylonem in captiuitatem adductos multis lacrymis, & lamentationibus sit prosecutus. Alter verò, idest Exechiel, celeberrimus est, quod cum ipsis eisdem compopularibus suis in ipsa captiuitate sortis eiusdem socius, F

tri-

A tribulationum particeps, & in ijsdem eorumdem consolator fuerit. Hoc posito,
cum iam supra S. Dauid præclarissimum Dei populum, Christi sui Ecclesiam, migrantem à Iudæis ad Gentes, & quidem ad ipsam vsque Gentium Babylonem Romam Ethnicam nobis spectandam proposuisset: cumque hoc Psalmo admirabiles effectus, quos per illum suum populum Christi Ecclesiam in Gentibus operaturus erat dicere disposuisset; magna conuenientia dicitur hic Psalmus continere, non lugubrem aliquam lamentationem, sed *Canticum Ieremiæ*; quia scilicet quid simile, sed lætitia plenum continet, quod accidit Ieremiæ, & Ezechielis
B tempore, abeunte populo Dei in captiuitatem.

Nam sic etiam *In finem*, quem S. Dauid respiciebat Christi temporum, Christianus eiusdem Populus migraturus erat ad Gentes; & hunc notat, dum ait; *Populo transmigrationis*; qui est ipse Christi populus, tum quia ipsi soli, vt patebit, conueniunt quæ Psalmo dicuntur; tum etiam, quia alius esse non potest, quàm is, de quo prioribus Psalmis iam toties S. Dauid locutus fuerat, quod migraturus esset, vt vidimus Psalmo 56. v.8. Psal.58. v.6. Psal.59. v. 11. hic autem est Populus Christianus, non autem Iudaicus ille Populus, *cum inciperent exire* Babylone.
C Quomodo enim per illam migrationem, & reditum eorum ad *Deum omnis caro venit?* quod dicitur v. 3. Quomodo *verba iniquorum præualuerunt aduersus illos?* si spontaneam à Cyro Rege obtinuerunt dimissionem. v.4. Quomodo illis abeuntibus, vel redeuntibus, *præparati montes? conturbatum profundum maris? conturbatæ Gentes? Visitata terra?* aliaque his similia, quæ tanto verborum ornatu, tanta emphasi proponuntur, quomodo ijs acciderunt? Omnia autem hæc in Christiano nostro Populo, vt patebit in explicatione singulorum, perfectissimè peracta sunt.

Neque verò hactenus dictis quidquam obstat, quod S. Dauid ipso Psalmi initio
D clarè, patenterque nominet Sionem, & Ierusalem; nam certum est, quod non illam antiquam, & carnalem, sed nouam, & sanctam Christi Ecclesiam intelligat. Sibi Sanctus Dauid in suo Psalterio loquendo, pangendoque semper constat, ipse iam ab initio dixerat Psal.2. v.6. Christum Dominum ita *constitutum esse Regem super Sion montem sanctum eius*, vt *dandas illi Gentes hereditatem adiungeret*; & hic ergo nouam Sion, nouamque Ierusalem intelligit eandem Christi Ecclesiam. Nam, qui psallendo à Ierusalem Iudaica, iam dudum cum Christi Ecclesia exierat, quid ad eam denuò rediret? Iam verò, quid indicat illud, quod in Titu-
E lo postremum est? *cùm inciperent exire*. Certè, non iam Populum Transmigrationis, quia migrasse iam supponitur, & vt vidimus supra Psalmo 59. proposita fuit Ecclesia Christi, tanquam itineri, & profectioni accincta. Psalmo autem 60. eandem, quasi iam *in finibus terræ* constitutam S. Dauid ostendit. Similiter etiam Psalmo 61. Postmodum Psalmo 62. in deserto Gentilitatis commorantem, atque etiã colluctantem proposuit Psalmo sexagesimo tertio. non igitur ad Christi Ecclesiam, seu ad Christi Fideles, illa verba; *cùm inciperent exire*; referuntur, sed ad Gentes idololatras, cùm nimirum commorante iam apud eas beato illo *Populo*
F *Transmigrationis*; *inciperent exire* de tenebris infidelitatis, & peccatorum sepulchris. Tunc sanè quàm conuenientissimè hoc Canticum subiungit S. Dauid, quando incipientibus iam ad Fidem, & in Ecclesiam confluere tam multis Gentium Populis, tempus aduenerat fundandæ apud eos nouæ Sionis, & Ierusalem, in qua Diuina Maiestas, prout par esset, laudaretur, ipsique seruiretur. His ergo visis;

PSAL-

A

PSALMVS LXIV.

V. 2. Te decet hymnus Deus in Sion: Nusquam nisi in tua Ecclesia, Tibi ò Deus, digna, grataque laus, & seruitus exhibe-tur. & tibi reddetur votum in Ierusalem. In eadem Ecclesia B
solà Tibi Sacrificium incruentum Corporis, & Sanguinis Dilectissimi Filij Tui Vnigeniti Domini Nostri Iesu Christi offertur, vt sup. Psal. 49. v. 14. Psal. 21. v. 26. & infra sæpè dicetur.

Laus ergo, hymnus, gratiarum actio, benedictio, &c. ipsum Sacrificium, quibus tantopere dignus es, ò Deus meus, vt Tibi in Tua eadem Sione, & Ierusalem Ecclesia persoluantur;

V. 3. Exaudi orationem meam, qua vnicè efflagito, vt hæc Tibi ibidem semper exhiberi videam; & quidem ad te in eandem Ecclesiam omnis caro veniet; C
omnes Populi, & Gentes, per Fidem venient, qui præordinati sunt; quamuis dum plenitudo Gentium ingressura est, interim Iudæi foris sint mansuri, quia proh dolor!

V. 4. Verba iniquorum præualuerunt super nos: provt in Argumento dictum; quia perdiderunt nos (Dauid de D
Populo suo loquens, se etiam cum illis pro more, vt supra sæpè vidimus, includit) Principes nostri, Christum Domini crucifigentes. Foris ergo manendum erit; *donec plenitudo gentium intret*; & tunc, impietatibus nostris tu propitiaberis. Interim verò

V. 5. Beatus quem elegisti, & assumpsisti; E
Populus Gentiū *beatus, quem*, &c. inhabitabit in atrijs tuis. Cum ipse felicissimam sortem adeptus co ipso Populo se constituens S. Dauid, & vtique ad ipsum Populum fidelem pertinebat; ait;

Replebimur in bonis domus tuę, quibus copiosissimis abundat; non de terrenis, caducis, & carnalibus loquor; sed de cælestibus, spiritualibus, & æternis: sanctum est Templum tuum, quod est ipsa Ecclesia tua Sancta, F

V. 6. mirabile in æquitate. quia in ea seruatur id, quod Apostolus Ro. c. 6. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*. Propter hanc æqui-

A æquitatem Templum, & Domum Domini, & sanctam esse, & admirabilem, confirmat S.Aug.tract.in Psal.41.supra illa verba *Transibo in locum tabernaculi admirabilis*, vbi hæc habet. *Admiror in eis membrorum ipsorum obsequium, quia non in eis regnat peccatum ad obediendum desiderijs eius, nec exhibent membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibent se Deo viuo in bonis operibus: animæ seruienti Deo membra corporalia militare admiror. Respicio & ipsam animam obedientem Deo, distribuentem opera actus sui, frenantem cupiditates, pellentem ignorantiam, extendentem se ad omnia aspera, & dura toleranda, iustitiam, & charitatem impendentem cæte-*
B *ris*. Hæc ipse. O quanta hæc, & quam admiranda bona sunt! vt illa consequantur omnes Mundi Nationes,

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari, & in Insulis habitantium longè à terra remotis. Tu qui es vnica spes; & hæc tanta solus præstare potes; *Exaudi*, &c. Tu qui etiam es

C V.7. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia; qui montes tuos, Apostolos, & Discipulos tuos, virtute tua, & potentia, qua ipse accinctus es, munitos, & roboratos præparas, & disponis mittere *in cor maris*, vt supra Psal.45. v.3. Et tu ipse, ò Domine

V.8. Qui conturbas profundum maris,
D non solùm totam Gentilitatem Idolis, & vitijs seruientem, sed etiam ipsam Romam, quæ est ipsum *profundum* ipsius maris Gentilitatis, Idololatriæ, & scelerum; & cum ipsa sonum fluctuum eius *conturbas*: idest, confundis peruersa illa tanquam è turbati maris procellis resonantia Idololatriæ, & falsarum superstitionum Dogmata. Tu, inquam, exaudi, vt hæc tanta bona fiant. tunc

Turbabuntur gentes. cum hoc profundum maris turbatum fuerit; tunc etiam salutari timore

E V.9. & timebunt qui habitant terminos vltimos terræ, à signis tuis mirabilibus, quæ, profecti Apostoli tui, tua virtute vbique patrabunt. exitus matutini, Solis, & vespere delectabis Orientis, & Occidentis; homines, & nationes tua luce illustrabis, non tam Solis materialis (quando enim hæc illis non illuxit?) quàm Iustitiæ, & Fidei. Nimirum, ò Deus benignissimè (futura
F tanquam præsentia, & exhibita narrat)

V.10. Visitasti terram, & inebriasti eam: per Fidei Prædicationem factã in Gentibus multiplicasti locupletare eam, multipliciter, & multis, ac multiplicibus bonis, ac donis, ditasti. Hæc S. Dauidem

dem voluiſſe ſub his ſymbolis, inde certum redditur; quod alia explicatio, quæ A
materialiter de pluuia accipit, non cohæreat. Similiter etiam ſeqq. verſibus per
eiuſmodi rerum ſymbola res ſacras, eaſque altiſſimas intelligit; & primò, ſecunda pars verſus huius ponderanda, quæ eſt;

Flumen Dei repletum eſt aquis: non Iordanem, aut Nilum, aut quodcunque aliud, primariò intendit; ſed quod cohærens, & conſequens eſt; ſcilicet illam *Viſitationem*, irrigationem, & tantam fecunditatem terræ ex inde ortam, quia *Flumen Dei*; Sanctiſſimus Spiritus maxima cæleſtium gratiarum copia in Apoſtolos, & alios in Chriſtum credentes venit; & ſic dum charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; B
paraſti ò Deus miſericordiſſimè, tanquam pientiſſimus Pater erga Filios tuos fideles, *paraſti*, inquam, cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio eius. cibi, quo ad vitam æternam alantur; neque aliter, vel aliunde, quàm ab hac tua pietate haberi, vel expectari poterat. C

Sic obſecro perge benefaciendo, ò Domine, & ſemel effuſo hoc tui Sanctiſſimi Spiritus flumine in tuam Eccleſiam,

V. 11. Riuos eius inebria; per riuos S. Hier. intelligit ſulcos; magis ad propoſitum noſtrum facit, ſi per eos intelligamus Eccleſiæ Sanctæ Paſtores, & Doctores, qui aquas acceptas ſcientiæ, & ſapientiæ in alios deriuant; illos igitur *inebria*, quibus abundantiſſimè irrigatis, deinde multiplica genimina, fruges, & plantas eius Eccleſiæ, in ſtillicidjis eius, pluuiæ cæleſtis, & irrigationis (duplici vtitur ſimilitudine, & fluuij inſtar Nili inũdantis; & pluuiæ ex alto decidentis) lætabitur germinans. perſtat loquendo de Eccleſia, quid enim nouum, vel magnum diceret, ſi de terra ſimpliciter loqueretur? D

Sic ergo eiuſmodi cæleſtibus irrigationibus, quas Eccleſia tua, te illas concedente, continuò habebit;

V. 12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: fiet, vt tota, & continuata annorum ſerie, quos Eccleſia tua tibi in hac vita vſque ad Mundi finem ſeruiens habitura eſt, ſit à te benedicenda. Omninò S. Dauid elegantiſſimo ſymbolo totam illam ſeriem annorum, quos ſapientia ſua Dominus conſtituit dare Eccleſiæ ſuæ in hac vita, vocat, *coronam anni benignitatis eius*. quia ſcilicet, illos omnes complebit tanquam coronam; quæ tota benignitatis eius donis nunquam interrumpendis contexetur. Hoc exaltat diuinam illius liberalitatem, & infinitam charitatem, quam habet erga Eccleſiam: velle autem ad vnum annum, vel quid ſimile reſtringere iniurioſum eſt vtrique Dei attributo; cum tantis ergo Domini benedictionibus, ò Eccleſia Sponſa Chriſti, & campi tui replebuntur vbertate: conſtat id eſſe verũ in Eccleſia Catholica; vbi enim illa viget, quanta vitæ integritas, morum pulchri- E F

chri-

A chritudo, virtutum, & bonorum operum abundantia? Quàm mirè per eam vbi pedem figit, etiam Barbaræ nationes mutantur? Sic intelligitur, quod

V. 13. Pinguescent speciosa deserti: & Reges, ac Principes, qui in erroribus, & vitijs Mūdi huius vitam agentes, steriles, inculti, & spinis horrētes erāt; per illam exculti exultatione colles accingentur. per *colles*, hi intelliguntur. In ipsa Ecclesia Catholica Pastores, & Rectores

B animarum vitæ exemplo, & sana Doctrina pascunt oues suas; idcircò

V. 14. Induti sunt Christum, & donis cælestibus ornati; arietes ouiū, ipsi Rectores, & Pastores animarum, iuxta dicta ex S. Greg. supra Prou. c. 30. v. 31. Moral. l. 30. c. 3. *Est primus in Ecclesia Ordo Sacerdotum, qui per exempla sua gradientem Populum, quasi subsequentium ouium gregem trahunt.* & valles abundabunt frumēto: Per valles intelligenda humiliora, & remotiora à turbis loca, qualia sunt

C Religiosorum. Item particulares Ecclesiæ, peculiari Pastorum bonorum cura gubernatæ. Eiusmodi abundant frumento: quo nomine veniunt omnia, quæ ad spiritualem animarum cibum, & nutrimentum faciunt, maximè autem *frumentum electorum*, panis Angelorum. Tantis, quæ iam exposui, ditati donis in Christi Ecclesia eius fideles, magna animorum suorum lætitia, clamabūt, Chal. iubilabunt. etenim, provt initio dixi, ò Deus, quod te *deceat hymnus in* hac sancta tua *Sion*, & Noua *Ierusalem*; ita planè in eadem tibi cumulatissimè persoluetur, & qui persoluent

D pleni lætitia, & iubilo *clamabunt, etenim* hymnum continuò tuas diuinas laudes, gratiarum actiones, & benedictiones dicent. Ita planè; & ipse S. Dauid hisce Dei laudis affectibus plenus, vt fiat, hortatur; & cum ijsdem initium dat Psalmo sequenti; cuius hoc est Argumentum.

PSALMVS LXV.

E

Iubilate Deo, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXV.

In finem. Canticum Psalmi resurrectionis.

F HOc Psalmo continuando prioris lætitiam in persona Ecclesiæ Christi, quæ operibus Prædicationis insistebat apud Gentes, gratulatur sibi, & Deum laudat ob admirabiles effectus, quos Diuina eius Maiestas efficere apud easdem Gentes incipiebat, obstantia prædicationi Euangelij amouendo, & Gentium corda ad illud amplectendum permouendo, & prædicatores omnibus aduersis superiores efficiendo. Promittit demum tam bono Deo suo, & Domi-

no Ecclesia fidelem suam operam, & obsequia. Hoc sensu, & Argumento A
omnia, quæ toto Psalmo dicuntur, facilè explicantur. Titulus id Psalmo contineri indicat, dum ait; *In finem. Canticum Psalmi resurrectionis*. Applicari multa, quæ hoc Psalmo dicuntur, ad Christi Resurrectionem, certum est; esse ad literam de Christi Resurrectione, neque rerum, & Psalmorum connexus ordo, neque Psalmi totius contextus, qui etiam connexus esse debet, permittunt. Esse autem Canticum, vt dixi, Ecclesiæ Christi apud Gentes laborantis, & sibi de eorum *resurrectione* ad vitam Fidei Christi, eiusque gratiam venientium; illa ipsa persuadent, & conuincunt, quæ Psalmo decantantur. B

PSALMVS LXV.

Iubilate Deo omnis terra.

V. 2. psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius. glorificate eum laudando. C

V. 3. Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine. Dum opera Dei *terribilia* vult, obstupescendo, considerari à fidelibus, illa intelligit potissimùm, quæ statim initio Prædicationis patebant; quod scil. Fidem Christi, quam tam pertinaciter ad suum interitum repudiauerant Iudæi, tàm promptè Gentiles susciperent ad suam salutem. Item *opera terribilia* etiam ex eo capite, quod nulla humana, vel potestas, vel sapientia, qua vtraque Mundus turgebat, obsistere potuerint Prædicationi Fidei; & hoc est; D in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. conuincentur mendacij, vel quod falsa fuerint sectati palàm omnibus constabit; nam Deo mentiri, cum sit impossibile, eò ipso, quòd S. Dauid dicat, *mentientur tibi*, vult significari, id quod dixi. Ideo de errore, falsitate, & mendacio, cui Gentilitas seruiebat, cum conuicta per Fidei prædicationem fuerit; iam E

V. 4. Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo. Et quia opus hoc est valdè admirabile, vnà cum diuinis laudibus

V. 5. Venite, & videte opera Dei: fideles alloquitur, & F
monet, vt opera Dei perpendant: & insinuat, quod statim intellecturi sint, quod ipse verè sit terribilis in consilijs super filios hominum. Etiam hìc innuit, & repetit, quod supra v. 3. scil. reprobatos fuisse Iudæos. Nunc verò illis derelictis in sua obstinatione, & perfidia, ad conuersionem Gentium

tam

A tam latam, & spatiosam viam aperuit, ita omnia obstantia sustulit, ita aspera complanauit, & tam optatos in earum conuersione successus dedit, vt dicere possimus, ipsum esse,

V. 6. Qui conuertit mare Gentilitatis, quod erat imperuium, & inaccessibile, in aridam, per quam tutò quiuis progredi possit; in flumine; idest, vbi antea apud Gentiles concupiscentiæ malæ, rapidissimorum instar fluminum deuoluebantur, & aditum Fidei Sanctæ nunquam daturæ videbantur; illis exsiccatis, *in flumine* iam

B arefacto pertransibunt pede. Plura de hac phrasi, & symbolo videri poterunt Isa.c.11. & c.18. Sic obtento à Fidei Prædicatoribus ad Gentes accessu: & ijs patefacta via, qua in Ecclesiam ingredi possent; ibi, in eadem, lætabimur, iam fideles effecti, in ipso Domino, qui hæc mirabilia fecit. Verè ipse est,

C V. 7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt; non tantùm quoad communem prouidentiam, & gubernationem, quam habet totius Mundi; sed specialiter *oculi eius super gentes respiciunt*, quò eas pretioso fidei dono ditet: ò verè misericordissimos Dei oculos erga Gentes! qui exasperant scil. Deum, Hier. qui sunt increduli; Chal. habet; qui sunt rebelles; vt Iudæi fuerunt;

D non exaltentur, non merentur exaltari, in semetipsis. Vos verò, quæ misericordiam estis consecutæ,

V. 8. Benedicite Gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius.

V. 9. Qui posuit animam meam ad vitã,

E Ecclesia Christi loquitur, siue Dauid nomine Ecclesiæ, ereptæ de manibus Iudęorũ quærentiũ eam ad mortem; & non dedit in commotionem pedes meos. non permisit me labi, ruere, & succumbere. Deinde enumerat à quantis fuerit liberata;

V. 10. Quoniam probasti nos Deus: loquitur de persecutionibus apud Iudæos perpessis: nam de ijs, quas apud Gentes, suus breui erit

F locus, Ps. 68. igne nos examinasti, scil. sicut examinatur argentum.

V. 11. Induxisti nos in laqueum, in angustias;

posuisti tribulationes in dorso nostro: A

V. 12. imposuisti omnes super capita nostra, qui duro, & crudeli imperio nos premerent. Hactenus

Transiuimus per ignem, & aquam; varijs rerum vicissitudinibus expositi, inter pauca prospera pluribus, ijsque varijs, & diuersis aduersis conflictati; *transiuimus, &c.* nunc tandem, & eduxisti nos in refrigerium; B
licet nobis aliquantum respirare, & de primitijs Conuersionis Gentium tam copiosis gaudere. Si sic (quod oro, & spero) fauere perrexeris, breui apud Gentes fundata Ecclesia,

V. 13. Introibo in domum tuam in holocaustis: non illis, quæ tibi antea offerebantur, & quibus iam finis impositus; sed de quibus dixi supra Psal. 49. 14. & Psamo 50. versu 21. & reddam tibi vota mea: C

V. 14. quæ distinxerunt labia mea. Offeram tibi in Domo, in Ecclesia tua Sanctissimum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini mei Iesu: quod ipsum illud Sacrificium est, quod ipse pridie, quàm pateretur instituit, & offerri præcepit; & sic Ecclesia tenerrimo amoris sensu, quod Dominus eius Sponsus instituit, ait, illud esse, quod *distinxerunt labia sua*; sua faciens quæ sunt Sponsi sui: D

Et locutum est os meum, in tribulatione mea. Notat, quod dixi, imminens Passionis tempus. Pergit adhuc Ecclesia, & obsequia sua rebus prosperioribus abundantiùs offerenda proponit,

V. 15. Holocausta medullata offeram tibi, non materialia, supra iam repudiata; sed per hæc spiritualia omnia intelligenda, quæ quiuis facilè excogitare potest, quæ, & qualia: Sacrificia scil. iustitiæ, misericordiæ, Dei Laudis, spiritus cōtriti, & huiusmodi; *offeram tibi* cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis; cum omnium inordinatarum passionum, mortificatione. E

Sequentibus versibus vsque ad finem cum magna exultatione Ecclesia deprædicat exhibita sibi à Deo ingentia beneficia. F

V. 16. Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

V. 17.

A V. 17. Ad ipſum ore meo clamaui, & exaltaui, laudibus extuli illum, ſub lingua mea; ideſt in lingua mea, vt benè P.Em.Sà. Cauſam reddit ſuæ, & exultationis, & exauditionis, quod ſanctitati ſtuduerit, verè Sancta Mater Eccleſia

V. 18. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo,
B non exaudiet Dominus; ideſt, ait qui ſupra P.Sà. Si ad iniquitatem cor applicuiſſem, non me exaudiſſet.

V. 19. Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

C V. 20. Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuã à me. Hoc pacto de multa miſericordia Domini ſui confidens Eccleſia, & animaduertens ſibi per orationem patere aditum ad Diuinam Maieſtatem, eiusque miſericordiam ad benefaciendum promptam, & paratam; id quod res hactenus deductæ exigebant; eadem Eccleſia valdè piam, & ardentem ſubijcit deprecationem pro Gentium Conuerſione Pſalmo ſequenti.

D

PSALMVS LXVI.

Deus miſereatur, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi LXVI.

E *In finem. In hymnis, Pſalmus Cantici Dauid.*

Eius explicatio conſtat ex iam dictis.

V. 2. Deus miſereatur noſtri, vt qui omnes ſalutis, & cõuerſionis eſt auctor, & benedicat nobis, cõuertendo benefaciat; illuminet vul-
F tum ſuum ſuper nos, benignũ ſe nobis oſtendat; vt vultu Principes ſolent; & miſereatur noſtri. Hoc peto ò Domine

V. 3. Vt cognoſcamus in terra viam tuam:

tuum

tuum Vnigenitum, quia via nostra est, per quam imus ad Patrem; nemo siquidem venit ad Patrem, nisi per ipsum: sequentibus explicat, quod ipsum intelligat; in omnibus gentibus salutare tuum. A

V. 4. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur, te agnoscant, te laudent, te inuocent, tibi seruiant, &c. tibi populi omnes.

V. 5. Lætentur, & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, provt dum est supra Psal. 64. v. 6. & Not. 6. §. 4. & gentes in terra dirigis, ne errent, & vt ad vitam æternam perueniant. Grandia sunt hæc, & propterea repetit, B

V. 6. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: C

V. 7. terra dedit fructum suum; ad exorandum hoc efficacissimũ motiuum, & argumentum adhibet, quod ingens sit, & quasi infinitus Gentium, & Populorum numerus reddente terra, provt Dominus benedixerat (crescite, & multiplicamini) fructum suum. Ne ergo tam multi pereant;

Benedicat nos Deus, Deus noster, D

V. 8. benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ. Hæ sunt plenę charitatis, & amplissimis pro animarum salute affectibus instructæ ad Deum Sanctæ Christi Ecclesiæ preces; quæ an non cumulatissimè à Domino exauditæ fuerint, S. Dauid sequenti suo Psalmo, Canticoque lætissimo abundè ostendit. E

PSALMVS LXVII.

Exurgat Deus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXVII. F

In finem. Psalmus Cantici ipsi Dauid.

PSalmus hic ob sui excellentiam, & mysteriorum quæ continet multitudinem dicatur *ipsi Dauid nostro Domino Iesu Christo*. Inscribitur autem; *Psalmus Cantici*; non solum quia, & instrumentis cani deberet, & ad metri artificiosi, & liga-

ga-

A gatæ orationis normam esset confectus (quod nomen Psalmi potissimum dicit) Neque ideo etiam *Psalmus Cantici*, tantummodò, quod ore, & communi cantu cani deberet, & soluto metro, magisque pleno esset compositus (quod dicit Canticum) sed ideo sic inscribitur, quia S. Dauid, licet in vno hoc Psalmo pangendo in vnum conferret vires, atque artificia, quæ, & Psalmus, & Canticum exigerent, vix tamen par esset enunciandis tam multis, quæ Domino sibi reuelante, mente conceperat.

Et sanè hoc suo *Psalmo Cantici* Sanctissimus Rex ordinatissimo, & constantis-B simo passu comitatur Christi Ecclesiam magnis omninò passibus progredientem in Conuersione Gentium. Primis versibus vota sua ardentissima pro earum Conuersione ad Deum cum ipsa Ecclesia dirigit. A v. 5. vsque ad 10. ad progrediendum (quia cum ipsa Dominus per desertum Gentilitatis gradiebatur) Ecclesiam, eiusque Prædicatores animat, & planè exprimit, quod Marci c. 16. v. 20. *profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis*. A v. 10. Dona Sanctissimi Spiritus, & quæ in Ecclesia grandia omninò, & magnifica sunt, describit. Deinde vsque ad v. 27. felicissimas C progressiones in Euangelij Prædicatione. Postmodum fit gratissima memoria Sanctorum Apostolorum, per quos Dominus mirabilia in Idololatriæ, ex ipsa Vrbe Roma eius Sede, destructione operatus.

Ex his breuiter insinuatis apparet quanta huius Psalmi cum reliquis sit connexio. Hac autem connexione, & concatenatione benè percepta, quantum à Domino lumen percipiatur ad intelligendum ipsum sacrum Psalmi Textum, sacrorum verborum vim, emphasim, imò etiam (quod ferè paradoxum videtur) eorum proprietatem, & cùm his etiam inclusorum in ipsis mysteriorum pulchri-D tudinem, facilè intelliget, qui accuratè ad illam ipsam attenderit connexionem, Sic ergo lætabundus, ob dicta, incipit,

PSALMVS LXVII.

V. 2. Exurgat Deus, & dissipentur, *perdatur* ini-E mici eius Idololatræ, & peccatores, quibus Mundus plenus est, ne tales sint, sed conuertantur. & fugiant qui oderunt eum à facie eius. à facie eius, quàm dum inimici, & hostes sunt, & dum *oderunt eum* sibi iratam habent, *fugiant*, paueant, conuertantur. Sic omninò peto, vt

V. 3. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut F fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores, non qua homines sunt, sed qua sunt Idololatræ, & peccatores, *deficiant*, & pereant a facie Dei. quod quidem efficere omnes humanas vires excedit, sed tibi, ò Deus, tam facilè cedet, quàm fumus deficere, & cera igni apposita diffluere solet.

V. 4.

V. 4. Et iusti effecti, qui prius peccatores erant, epulentur, & exultent in conspectu Dei vnà nobiscum; & delectentur in lætitia. hoc, quod omnibus votis, vt fiat expetendum est; quo possit quàm primum obtineri; Fidei Prædicatores alloquitur, & hortatur; A

V. 5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, idest inuocato Sanctissimo eius Nomine, & auxilio, & pleni exultatione, & diuinis eius laudibus; iter facite ei, pergite alacriter, & proficiscimini quò ipse misit in Mundum Vniuersum; qui misit, ipse est, qui à mortuis resurrexit, qui ascendit ad Cælos, qui sedet à dextris Dei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi; cui data est omnis potestas in cælo, & in terra; proinde omni timore proiecto; B

Exultate in conspectu eius, nam ipse, vt promisit, vobiscum erit omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Ad quoscunque Populos, & Gentes profecti fueritis; turbabuntur à facie eius, qui verè est, & patres agit, C

V. 6. patris orphanorũ, & iudicis viduarũ; turbabuntur, inquam, turbatione salutari ad pœnitentiam.

Deus in loco sancto suo. Ipse est, qui sibi Ecclesiam inter Gentes elegit, & in ea sibi complacet. Ipse etiam est D

V. 7. Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo, qui fideles suos ex tam multis, & varijs Mundi nationibus ad Fidem conuersos in Domo sua magna, quæ est Ecclesia, facit esse *vnius moris*; vnanimes, & concordes. Ipse

Qui educit vinctos, peccatores constrictos peccatorum funibus, & carceri tenebroso idololatriæ mancipatos, educit in fortitudine vi diuini eius verbi vincula eorum disrumpendo: similiter eos, qui exasperant; qui sunt præ reliquis pertinaces, increduli, & rebelles; atque tandem, etiam eos educit; qui habitant in sepulchris, homines planè impios, & qui in profundum peccatorũ venerunt. E

His sanè motiuis bonus operarius, & vir Apostolicus se ipsum ad animarum conuersionem excitare debet. pergit, & re ipsa Dominum ostendit operatum fuisse illos effectus, quos hactenus explicuerat. Quod dixi, *turbabuntur*, &c. verum omninò est; nam òmi F

V. 8. Deus cum egredereris in cõspectu populi

A puli tui; dum cum illis, quos ad prædicandum Euangelium ad Gentes mittebas, tu ipse Diuina tua virtute progredereris (innuendo quid olim factum sit cum populo Iudaico in deserto de Christiano loquitur, non de populo illo Iudaico; nam aliàs neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus vlla esset cõnexio) cum, inquã, pertransires in deserto Gentilitatis idololatricę

V. 9. Terra mota est; ad Apostolorum, & Fidei Prædicatorum sonum; etenim cæli, illi ipsi Sancti Apostoli, & Prædicatores Euangelij distillauerunt stillas, & pluuias Doctrinæ tuæ cælestis, à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel; idest ad præsentiam tuam; siue te in illis, & per illos docente; provt, atque etiam multò amplius, quam olim, cum daretur lex in monte Sinai; siquidem tu verè ille ipse es, qui apparuisti in Sina monte, & qui diceris, & es, *Deus Israel*; Israelis non secundum carnem, sed qui talis est per repromissionem. Nimirum, ò Domine, hos admirabiles effectus in Gentium conuersione operaberis; quia

C V. 10. Pluuiam (de illa pluuia loquor, quãdo dixi, quod *Cæli distillauerint*) voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ; ex liberalitate, & benignitate dabis *hereditati tuæ*, quæ est Ecclesia tua, siue Gentes ad Fidem tuam conuersæ, quæ quidem tua hereditas & infirmata est, quando contingit, vel contigerit eam infirmari; & pro huius

D vitæ statu, vel varijs ægritudinibus spiritualibus laborare; vel persecutionibus affligi, ita, vt sibi non videatur posse subsistere; tu verò perfecisti eam. tu statim eã erigis, corroboras, & sanas illa tua *pluuia voluntaria* cælestium tuarum gratiarum. Et has quidem gratias tuas cælestes, licet vniuersi, qui de hereditate tua censentur, possideant; nihilominus longè abundantiùs, & feliciùs

V. 11. Animalia tua, illi, quos muneri Apostolico destinasti, habita-

E bunt in ea; vt dictum est in Argumento, illi præ reliquis illius pluuiæ cælestis participes erunt, quia sic tu disposuisti, & parasti in dulcedine tua pauperi, Deus. illam abundantiorem pluuiam dare eis statuisti intuitu, meritis, & amore dilectissimi Filij tui Christi pauperis: cuius hic est titulus, vt supra, & in Isaia. Ipsi enim erunt sectatores, & imitatores vitæ eius humilis, & pauperis, quam docuit in terris, & quam Apostoli secuti sunt. Ipsi tãquam animalia tua sancta sapientia, vt Aquilæ; fortitu-

F dine, vt Leones; humanitate, vt homines; beneficentia, vt Boues prædití erunt. plura videri possunt Apoc. c. 4. à v. 8. ex P. Alcazar. Eiusmodi ergo viris Apostolicis

V. 12. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. ipsis, quos virtute multa ornabit, imponet onus prædicandi Euangelij.

In talibus ipse sibi complacet; ipse est enim. A

V.13. Rex virtutum, Rex exercituum, qui tales euangelizantium virtute multa exercitus mittet ad salutem, dilecti dilecti; idest, dilectissimi Populi sui (sic etiam P.Sà) illisque sic ad salutem dilectissimi Populi sui missis; dabit etiam & speciei domus diuidere spolia. subintelligendum, & iungendum est cum paulò ante dicto verbo; *dabit*; idest illis ipsis suis animalibus sanctis iniunget, & assignabit officium, seu munus *diuidendi spolia speciosæ domus*; quod est, faciet illos dispensatores mysteriorum Dei: dabit illis claues Regni Cælorum: potestatem in terra dimittendi peccata: administrandi Sacramenta: pascendi gregem Christi Verbo ipsius: hæc, & his similia sunt spolia, sunt opes, & diuitiæ planè *speciosæ Domus* S. Ecclesiæ; quæ omnia, vt dixi, *dabit* vobis, ò viri Apostolici, & animarum Pastores, & Doctores distribuenda in Ecclesiæ filios. B

Quorum tantorum Dei donorum curæ vestræ committendorum si fideles dispensatores fueritis, illud vobis boni, & maximè felicitatis in hac vita continget, vt C

V.14. Si dormiatis inter medios cleros, idest si, vt par est, & munus vestrum requirit, vacetis diuinarum scripturarum Antiqui, ac Noui Testamenti lectioni (nam *omnis Scriba doctus in regno cælorum*, &c. Matt.13.52. *profert de thesauro suo noua, & vetera*) si, inquam, vacetis lectioni, fiet, vt pennæ columbæ deargentatæ, vt *pennæ*, quas per talem lectionem diuinorum eloquiorum acquiretis (planè est phrasis S. Dauidis, nam supra Psal.54.v.7. dixerat, quis *dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*) fiet, inquam, vt illæ pennæ, tanquam *columbæ deargentatæ*, illis cælestibus eloquijs, & cuius posteriora dorsi eius sunt in pallore auri charitatis perfectæ, sustollant vos à terrenis ad cælestia. Et planè hanc tantam, & tam eximiam perfectionem Dominus requirit in illis, quos animarum, & Ecclesiæ suæ Rectores, & Pastores destinat. D E

V.15. Dum discernit cælestis reges super eam; dum illi suæ Ecclesiæ, seu hereditati disponit ipse eius *cælestis* Sponsus, & Pastor dare Vicarios, & substitutos *Reges*, seu Duces, & Pastores, qui sint *super eam*, ipsius hereditatem, & Ecclesiam, vt eam regant; niue dealbabuntur in Selmon; ab ijs exigit, & ipsis confert maximam cordis munditiam, vitæ puritatem, integritatem, & sanctitatem, vt sint, & esse debeant, & conspicui appareant, non secus atque comparere soleat *mons Selmon*, dum niuibus tectus candicat. F

Sanctus Dauid hunc versum proferens videtur intuitus fuisse ea, quæ Dominus Iesus gessit in electione Apostolorum, dum *erat pernoctans in oratione Dei*, antequam eos eligeret, vt Luc.6. quasi Dominus ille *cælestis discerneret reges super eam*.

A *eam*. Quomodo autem, & quantum dealbati? *Iam vos mundi estis*, aiebat Ioan. c.15.3. *propter sermonem, quem locutus sum vobis*, *Et vos mundi estis, sed non omnes*. *Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum*. Ioan.c.13.10. Et post hæc, ait, *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*. Act.1.5.

Pergit S. Dauid, & ex mentione montis Selmon, cui viros Apostolicos comparauit, ait meritò in ijs requiri munditiem, & altitudinem montis eiusmodi; quandoquidem & ipsa Ecclesia, cuius constituendi essent Rectores, verè esset

B V.16. Mons Dei, altissimus, mons pinguis, non sterilis, sed maximè fœcundus, & fertilis;

Mons coagulatus, mons pinguis. idest mons abundans lacte, butyro, caseo (de butyro, & lacte plura dicentur in Isaiæ c.7.v.15. & v.22.) & amœnissimis, atque vberrimis pascuis. Quod Dominus ipse Ioan.c.10.9. clarioribus verbis expressit. *Per me si quis introierit saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*. hæc apud ipsum Dominum, & in eius Ecclesia; &

C nusquam alibi; quod etiam S. Dauid confirmat fortissimè aduersus hæreticos, qui se ipsos sua imaginaria fide saluandos esse, putant, & perdunt;

V.17. vt quid suspicamini montes coagulatos? subintellige plures esse, & alios, prȩter hunc vnum? Nequaquam. Sed sanè hic vnicus est

Mons, in quo beneplacitum est Deo habi-

D tare in eo: etenim Dominus habitabit in finē. in eo, iuxta suam promissionem Matt.28.20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*.

Pergit. Hæc ipsa eius hereditas, & Ecclesia, de qua loquor, est,

V.18. Currus Dei decem millibus multi-

E plex; Ipsa illi tanquam pro curru triumphali seruit, quo Dominus per totum Mundum de Gentibus, & Regibus, & Tyrannis triumphans deuehitur; & vt par est tanti Domini currum triumphalem instructum esse; innumeris, & maximis eiusdem Dei donis est exornata; ita vt, si diuisiones gratiarum, si diuisiones ministrationum, si diuisiones operationum, si gratias sanitatum, si operationes virtutum, si prophetiam, si discretionem spirituum, si genera linguarum, si interpretationem sermonum, 1. Cor.12. enumerare velimus, meritò dicturi simus, hunc *currum Dei* esse *decem millibus* donis Dei, & Sanctissimi eius Spiritus charismatis *multiplicem*. In eo pariter sunt

F millia lætantium, vtpote, qui de morte ad vitam, de tenebris, in admirabile lumen Fidei perducti sunt, lætantur omnes, quia *gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*. Rom.2.10. & quia conuenit, *Iustos epulari, & exultari in conspectu Dei*, vt supra dixi; & benè dixi, *in conspectu Dei*; quia sic planè est, quod in *millibus* illis lætantium Dominus in eis, & in medio eorum reperitur, cum ipsis commoratur, & de-

& degit non secus, atque olim cum Moyse in Sina in sancto illo monte faciebat. Sic tu, ò Deus, hoc tuo curru triumphali vectus, quod iam inde ab initio, Psalmo 7.v.8. videre vehementissimè percupiebam; A

V.19. Ascendisti in altum, progressus es ad Gentes idololatras, cepisti captiuitatem; illas ipsas Gentes, quæ in dirissima captiuitate, & tyrannide Satanæ reperiebatur, fortior ipse forti armato illi eam *captiuitatem capisti*, & sustulisti; & sic tibi dudum à Patre, Psal.2. 8. promissa præmia, accepisti dona in hominibus, ad Fidem tuam sanctam numero innumero conuersis, accepisti, inquam, illa dona in hominibus conuersis; B

Etenim significat, & certè accepisti dona, illos ipsos, qui erant non credentes inhabitare Dominum Deum; ideſt conuersi sunt etiam, qui maximè alieni erant à Fide, neque putabant *Dominum Deum inhabitare* cum fidelibus, quos potius esse homines impios, & sceleratos arbitrabantur. Propter hos tam faustos, & optatos successus; C

V.20. Benedictus Dominus die quotidie, per singulos dies, & semper sit ille benedictus; ipse quod restat, & ad quod hortatus sum, supra v.5. *iter facite ei*, pergendo in Mundum vniuersum ad prædicandū Euãgeliū omni creaturæ; ipse inquã quod restat, & multũ id est, quod superest; prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. D ipse, qui omnis salutis auctor est, & à quo sunt omnes successus prosperi, & ad salutem vtiles, & sine quo nihil possumus facere, *prosperum iter faciet*. In ipso omnis spes, & fiducia nostra sita est, quia;

V.21. Deus noster, Deus saluos faciendi, qui saluat, & viuificat, quos vult; & Domini Domini illius, qui est Summus omnium Dominus, hoc enim repetitio illa significat, seu qui est Dominus dominantium, ita vt primùm Dominus substantiuè, secundùm adiectiuè sumatur; illius, inquam, & ab illo, vt vita, ita, & mors, exitus mortis; mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit. Multa quidem nobis in hoc, quod restat, itineris occurrent obstantia; E

V.22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum; eos per Fidei suæ Prædicationem, vi Diuini eius Verbi, tanquam malleo conterente petras, ad se conuertendo confringet idololatras: confringet verticem capilli, id ipsum, quod apud Gentes summum, & sublimissimum, & quod, vt vertex est; hoc autem est ipsa Roma Ethnica, & ipsam, & ipsum *verticem capilli* perambulantiũ in delictis suis. F

(etiam

A (etiam hoc postremum nulli magis, quàm Romæ Ethnicæ conuenit) confringet eo, quem dixi, & qui maximè misericordissimum Dominum decet, modo. Id omninò fiet, quia

V. 23. Dixit Dominus: statuit, & decreuit Dominus, **Ex Basan conuertam,** per hunc locum amœnitate, fertilitate, pascuis, & diuitijs abundantem, & gaudentem, ex quo *dixit Dominus*, se velle *conuertere* (& vt benè P. Emm. Sà interpretatur vim vocis conuertam, idest expel-
B lam, hostes scil.) intelligitur Dominum, munitissima, & maximè opima quæque Gentium loca, & regna Euangelij sui prædicatione destinasse aggredi, & ex ijs conuertere; siue intelligamus hostes expellere; siue, quod nihil vetat, & quod ipsa vox sonat, ex ipsis locis, & regnis animas ad Fidem suam conuertere. **conuertam in profundum maris;** extendam me ad ipsum profundum maris (quod est ipsa Roma Ethnica) per Euangelij Prędicationem, vt etiam inde, seu hostes pellam, seu animas conuertam. Et hæc quidem mystica, quæ in Gentium Conuersione ad
C Fidem edetur strages, tanta erit,

V. 24. Vt intingatur pes tuus in sanguine: vt sicut in prælijs, quæ materialibus armis geruntur, tunc ingens edita strages censetur, quando omnia sanguine inundant; ita pari omninò modo, spirituales cædes, idest animarum Conuersiones tantæ erunt, vt in cæsorum conuersorum ad Fidem sanguine *pes tuus tingatur*, idest, vt nulla sit terra, quæ Christi fideles non habeat; sic etiam explican-
D da reliqua pars versus; **lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso:** idest, & pes tuus, & lingua canum tuorum *ab ipso* sanguine, scil. ex inimicis, & eorum cædibus sparso, intingi poterit lingua canum tuorum; etiam mystici canes animarum Pastores, & Doctores intelligendi sunt, quibus delicatissimus cibus est animarum conuersio.

Hæc ita esse ad literam mysticè, vt mysticè à S. Dauide prolata sunt, primò quidem requirit connexio; secundò confirmant ea, quæ in Isa. c. 18. & sæpè alibi sunt dicenda; tertiò, quæ S. Ioan. Apoc. c. 19. proponit, de ingenti cæde patrata à
E Verbo Dei, & exercitibus, qui eum sequebantur. Et tandem quia hæc explicatio non solùm cum antecedentibus, sed etiam cum mox sequentibus consequentissimè cohæret. Nam quod S. Dauid voluerit hæc, quæ hoc versu dixit, mysticè, vt explicata sunt intelligi, ostendit ex versu sequenti; in quo persistens in eo, quod dixerat, de vlteriori progressu in inchoato itinere prædicationis Euangelij, ait, quod vt Dominus promiserat, & statuerat progredi *in Basan, & in profundum maris*, & inibi *confringere capita inimicorum*, & ipsum *verticem capilli perambulantium*, &c. adeò, *vt intingendus esset pes in sanguine*, &c. ita omninò factum in spiritu
F vidit, & subiungit maximo, & iucundissimo animi sui sensu;

V. 25. Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei: Regis mei, qui est in sancto. quando scil. tu ò Domine cum Apostolis tuis progrediebaris, & per Fidem ve-

nie-

niebas ad Gentes, & ab illis suscipiebaris; *viderunt*,&c. quomodo Christus per A
Fidem dicatur venire; & illius aduentus ad Gentes per Fidei receptionem toto
Imperio Romano suscipiendam, celeberrimus esset futurus; multa dicta sunt in
Isaiæ cap. 2. vbi ostendetur, ipsum Dominum, Matt.24.27. dum ait, *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit, & aduentus Filij hominis*, loqui de aduentu suo per Fidei Prædicationem. Interim videri possunt dicta supra Notat.6.§. 4.

Sic ergo tu ipse *Rex meus*, ac Deus meus progrediebaris per Fidei Prædicationem eiusdemque susceptionem, quæ fiebat toto quidem Orbe, sed vel maxi- B
mè Romæ.

Planè non obscurè idem S. Dauid hoc versu innuit, & describit ipsum Dominum Iesum, cum suis Sanctis Apostolis veluti progredientem ad illam arduam expeditionem expugnationis Romæ Ethnicæ, dum eum vocat, *Deum suum, & Regem suum*. Neque verò mysterio ad rem præsentem faciente vacat, quod ait; *Viderunt ingressus tuos Deus*, cum supra v.8. dixisset, *cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto*; quo modo loquendi innuit ipsum Dominum,
eò vsque in deserto Gentilitatis pertransisse cum suis, & per suos Apostolos, vt C
cum ijsdem etiam ipsam Romam Ethnicam, verticem *capilli perambulantium in delictis, profundumque maris* ingrederetur; ideoque lætitijs gestiens, & quàm optimè de futuris felicissimis successibus ominans, tam hunc, quàm sequentes omnes alios versus ex eadem materia, & fundamento deducit, continuat, & terminat; & ex his ipsis sibi viam sternit ad sequentem Psalmum intimè, vt patebit, connexum cum hoc ingressu in Romanam Vrbem, quem hìc celebrat.

Viderunt ergo omnes Mundi homines, & obstupuerunt *ingressus tuos* in eam;
ingressus Dei mei, Regis mei qui est in Sancto, qui est Sanctuarij, quod est eius Eccle- D
sia, Caput, & Sponsus, & Protector. Sanctos Apostolos, & nominatim Sanctissimos eorum Principes, quibus tanta expeditio erat demandata, singillatim describit,

V. 26. Præuenerunt Principes, Apostolorum intellige Principes, Diuos Petrũ, & Paulum coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum;

allusione facta ad ea, quæ transito mari rubro edita sunt lætitiæ signa per Moysen, & filios Israel, Exod. cap. 13. S. Dauid hìc describit alacritatem SS. Apostolorum, & aliorum Christi Discipulorum, qui tantum opus sunt aggressi. Psalterij, & Tympani fit mentio, quia semper cum lætitia Christi Fides progressa est, vt etiam supra Psalmo 41. in Argumento vers. 5. & ex Isaiæ capite 30. v.32. in hunc ipsum sensum de Conuersione animarum, & ipsius Romæ Ethnicæ ad Fidẽ explicabitur illud; *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis, & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos*. F

Præuenerunt ergo, idest primi fuerunt, Principes Apostolorum Petrus, & Paulus (vt etiam fusè dicendum est Isaiæ cap. 21.) qui bellum intulerunt Romæ Ethnicæ. Cum his *coniuncti* fuere alij fideles, & ad ipsos mox se se aggregarunt magno numero ipsi Romani, qui ad eorum Prædicationem conuertebantur, quos Apostolus laudat, & qui planè insignes Fide, fortitudine, Martyrio fuerunt, qui-

que

A que primam, eamque crudelissimam Neronis persecutionem exceperunt, pertulerunt, vicerunt, provt fusè historiæ recensent. De his Martyrologium Romanum 24. Iunij. *Romæ commemoratio Sanctorum plurimorum Martyrum; qui sub Nerone Imperatore de Vrbis incendio per calumniam accusati, & diuerso mortis genere ab eodem iussi sunt sæuissimè interfici: quorum alij ferarum tergis contecti laniatibus canum expositi sunt; alij crucibus affixi; alij denique incendio traditi, vt vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis deseruirent. Erant hi omnes Apostolorum Discipuli, & primitiæ Martyrum, quas Romana Ecclesia fertilis ager Martyrum, ante Apostolorum*
B *necem transmisit ad Dominum*. Digni planè omnes vtriusque sexus Martyres, de quibus S. Dauid dixerit tantò ante, quod *Principes* tanti cum ijs *coniuncti* fuerint, insolubili scil. vinculo, fidei, charitatis, atque etiam Martyrij. Digni, qui & *psallentes* vocentur ob eximiam erga Deum pietatem; & ob virtutum pulchritudinem, *iuuenculæ*; ob fortitudinem, & Martyrij tolerantiam *tympanistriæ*. Hæc igitur, quæ Romæ primis Ecclesiæ exordijs patrata sunt, tam admiranda fuere, vt digna planè fuerint hæc S. Prophetæ hoc loco insinuatione; fusiùs deinde Psalmo sequenti de persecutionum immanitate, quas ibidem Ecclesia Christi passa est, lo-
C cuturus; sed vt ordinatè ad eas accedat; vbi his duobus iam explicatis versibus *Ingressum* in Romam Ethnicam SS. Principum Apostolorum, & primas, quas ibidem Christi Fides iecit radices, exposuisset; ex his præsagiens S. Propheta Dauid, quod inde in multas alias Nationes, & Gentes eadem Christi Fides esset mox propaganda, sibi, illisque Nationibus, & Gentibus congratulans, quod inter Christi fideles essent numerandi, ait;

V. 27. In Ecclesijs benedicite Deo Domino.

D Etiam vos particulares Christi fidelium cætus in Ecclesijs vestris, & congregationibus priuatis *benedicite Deo Domino*; memores, quod originem vestram ducatis **de fontibus Israel;** hoc pacto: Christus Iesus Filius Altissimi, Deus, ac Dominus Noster, ipse est, qui *regnat in domo Iacob in æternum*, Luc. 1. 32. Ipse expleto Redemptionis humanæ opere, in Cælos ascendens, vbi sedet à dextris virtutis Dei, Apostolos suos in vniuersum Orbem misit: respuentibus eius Fidem Iudæis, prædicata est in Gentibus, eamque suscepit ipsa Gentium Domina Roma: ibi, vt dixi,
E *præuenerunt Principes* Apostolorum. Dum Principes dico ibi primos fuisse, cum dubitare possit nemo, me hoc nomine primariò intelligere D. Petrum, cui à Domino Iesu Principatus, & Regimen totius Ecclesiæ traditum est, Ioan. 19. 17. addo, quod pertinet ad excellentiam illius Vrbis, in qua Fidei Christi, & Ecclesiæ eius Sponsæ sedes collocanda erat; addo, inquam, quod etiam, fuerit ibi

V. 28. Ibi Beniamin adolescentulus, in mentis excessu.

F Non poterat S. Dauid tacito nomine clariùs exprimere vtrumque Sanctum Apostolum Petrum, & Paulum. De illo iam dictum est etiam initio scil. Not. 5. §. 8. & 9. De hoc, dum vocat *Beniamin*, de qua Tribu S. Paulus, vt ipsemet fatetur, erat; dum *adolescentulum*, indicat, quod Act. 7. 57. legitur, quod *testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus*. Dum ait, *in mentis excessu*; describit ipsum, quando erat *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis*: & quando pro nomine Domi-

mi-

mini Iesu multa patiebatur, & vt ipse de se grauatus erat supra modum, supra A
virtutem, ita vt tæderet ipsum viuere. hoc enim etiam dicit, *mentis excessus*, vt supra dictum Psal.30. v.23.

Duo ergo *isti* (vt D.Leonis Serm.1.in Natali Apost. Petri, & Pauli pulcherrimis verbis vtar) *sunt viri, per quos tibi Euangelium Christi, Roma, resplenduit; & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis. Isti sunt Patres tui, verique Pastores, qui te regnis cælestibus inserendam, multò meliùs, multòque feliciùs condiderunt, quàm illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam* B
prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia, per sacram Beati Petri Sedem Caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Sed pergit S. Dauid.

Neque tantùm hæc Mater Ecclesia gaudeat, sed etiam aliæ omnes, quibus illa religione Diuina præsidet, sparsæ per Orbem terrarum Ecclesiæ, & populorum cœtus fidelium gaudeant, & benedicant Deo Domino; nam & ipsi omnes sunt, & descendunt *de fontibus Israel*; & ipsæ particulares Ecclesiæ, seu cœtus fidelium habuerunt varios alios, singulæ particulares suos Christi Apostolos, vel Discipulos, C
vel à Christi Vicario ad se missos Patres, Pastores, & Doctores, à quibus in Christi Fide instructi sunt, etiam illorũ fidelium, & particularum Ecclesiarũ Principes;

Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali. Notant quidam, ait hoc loco P.Em.Sà, Apostolos fuisse ferè ex his Tribubus.

Omninò mens, & intentum S. Dauidis fuit celebrare (vt aliàs sæpè, maximè D
Psal.46.10.) illos *populorum Principes*, illos *Deos fortes terræ*, qui *vehementer eleuati sunt*, qui fuerunt Sancti Apostoli.

Verùm cum S.Dauid hoc loco prima solùm attingeret Fidei Christi initia apud Gentes, & Romæ posita, desiderio quantocyus videndi maximum eorum incrementum, instat apud Dominum;

V.29. Manda Deus virtuti tuæ. Cum sicut in Isaia notandum est; *mãda*, militare sit verbum, hoc etiam loco significat, ad tantam, & tam arduam expe- E
ditionem mitte, ò Deus, de cælo fortitudinem, & robur, vt ea feliciter cedat, & citò perficiatur, & quia hactenus te adiuuante, & vires suppeditante sat multum factum est, vt id ipsum subsistat; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Id si feceris;

V.30. A templo idest, vt P.Em. Sà, in templo tuo in Ierusalem, F
noua scilicet Ecclesia, quæ erigebatur, tibi offerent reges munera. sic postea factum, vt pluribus Isa. c.60. & aliàs de multitudine Regum, qui S. Romanæ Ecclesiæ se ipsos, & sua Regna obtulerunt, facti ei sponte sua tributarij. Videri possunt Annales Ecclesiastici. Sed interim dum hæc fiant,

V.31.

A V. 31. Increpa feras arundinis; per feras arundinis, ideſt in arundinetis latentes, intelliguntur Gentiles vitijs carnis dediti; quæ quidem vitia aptè exprimuntur per arundinetorum lacunas: nam Satan, vt Iob c. 40. 16. *ſub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus*; ſupra quæ videri poteſt S. Gregorius. Illas ergo feras tu, Domine, *increpa* verbi tui diuini vi, compelle exire, & Fidem tuam amplecti. Similiter etiam diuina tua virtute opus eſt, vt vincantur illi Fidei tuæ hoſtes, qui præterquam quod prædictis vitijs infecti ſint, etiam ſunt quaſi

B congregatio taurorum, diuites, potentes, Primates, & Principes dominantes in vaccis populorum, in populis, & Gentibus pariter diuitibus, & pinguibus, quos cum difficillimum ſit ad Fidem tuam adducere, inſuper etiam exardeſcunt in nos odijs, & omnem adhibent operam, vt excludant eos à ſe, à patria, & ditione ſua, qui probati ſunt argento, velut argentum, qui quidem ſunt ipſi tui Fideles. Illi, quos S. Dauid

C hic deſcribit fuerunt Romanorum Imperatores infenſiſſimi Chriſtianorum perſecutores. Vide dicta initio in Præuijs Not. 5. §. 2. 3. 4. Itaque, ò Domine,

Diſſipa gentes, quę bella volunt. Illis victis,

V. 32. venient legati, ſcil. ad Dei Populum, ait P. Sà, ſed addendum venturos legatos ad Paſtorem Populi Dei, Romanum ſcil. Pontificem, vt perſiſtatur in connexione ſupradictorum; venient ergo legati ex Ægypto; per Ægyptum intellige vniuerſum Mundum; Æthiopia,

D per hanc intellige quicquid erat gentilitijs ſuperſtitionibus, & idololatriæ ſubiectum, & deditum; etiam hæc præueniet, feſtinabit, manus eius, manus ſuas extendere Deo ad fœdus cum ipſo ineundum. Atque ita, quia hoc Dei miſeratione fiet aliquando;

V. 33. Regna terræ cantate Deo: pſallite

E Domino: Vtinam breui cantare, & pſallere poſſitis in re; nunc tamen in ſpe vnà mecum rurſus inuito; pſallite Deo. ipſe eſt,

V. 34. qui aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem; quaſi dicat; *cantate & pſallite Domino Deo*, quia poſteaquam ex Monte Oliueti ſito *ad Orientem aſcendit ſuper cælum cæli*,

F & ſedet à dextris Dei, vt promiſerat, Spiritum Sanctum ſuum in Mundum miſit, & (eſt vnus, & idem verſus id, quod dicitur ſignificans)

Ecce, Apoſtolis, & Fidei ſuæ ſanctæ Prædicatoribus, qui ſunt vox Chriſti, dabit voci ſuæ vocem virtutis, vt mira hæc, & ſtupenda, quæ prædixi operentur; Proinde

V. 25. date gloriam Deo super Israel, super populum fidelem, quem ipse tam mirabiliter congregaturus est, qui est Israel per repromissionem, ipsum benedicite, & glorificate: quia hæc fient; quandoquidem apparebit magnificentia eius, & virtus eius in nubibus, qui sunt futuri ipsi Sancti Apostoli, & Prædicatores Fidei, quibus, vt dixi, tanquam voci suæ dabit vocem virtutis. Concludamus omnia. A


V. 36. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. B

PSALMVS LXVIII. C

Saluum me fac, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXVIII.

In finem, pro ijs, qui commutabuntur, Dauid.



Ecclesiæ Christi in Euangelij Prædicatione, & Gentilium Conuersione progressiones fuisse semper exceptas, & quantum in ipsis erat, interruptas, & dissipatas à sæuissimis, quæ in eam mox, & vbique terrarum, maximè verò Romæ, excitabantur persecutionibus, omnis historia sacra æquè, atque profana testatur. Quid igitur mirum, si hoc præuidens S. Dauid, cum prioribus Capp. 64. 65. 66. & 67. multa dixisset de ijsdem progressionibus S. Ecclesiæ, nunc non quidem mutato, sed consequente Mundi morem, & Domini prædictiones, stylo, de ijsdem solitis ea succedere, & consequi persecutionibus, & quidem maximis, atque acerbissimis totum hunc Psalmum 68. conscribat? Est planè ad literam de persecutionibus, quas Ecclesia apud Gentes, & Romæ erat passura, quę quidem adeò magnæ, atque acerbæ fuerunt, vt eam vix non, si fieri posset, obruerent. In illarum persecutionum Ecclesiæ illatarum causam, & quidem maximam, veniebant Iudæi, Christo, eiusque Euangelio semper, & vbique quantum poterant aduersantes. Iudæorum igitur occasione S. Propheta attingit etiam quædam pertinentia ad cruciatus, & tormenta, quæ impij, & perfidi illi Christo Domino Maiestatis Passionis eius tempore intulerant; per quod saluatur sententia S. Hilarij, qui vult, hunc Psalmum continere Sacramentum Passionis Domini; nam re ipsa continet, sed prædicto modo, quo connexio, & cohærentia inter Psalmos seruatur. D E F

Idcircò etiam hoc Psalmo fit Passionis Dominicæ mentio, quia cum in eo agatur de acerbissimis Ecclesiæ persecutionibus, illa cruciatuum Domini Iesu memoria mirificè seruiebat ad magnum fidelium eius seruorum solatium, tam qui con-

A conuersi ad Fidem erant, quàm qui ad eamdem conuertebantur: ideòque Psalmum inscribit, *In finem, Pro ijs, qui commutabuntur, Dauid.*

Quod *Psalmi* nomen in Titulo non addiderit, ideò factum, quod de rebus admodum mœstis Psalmus hic esset; atque hac etiam de causa ipse Sanctus Rex, & Propheta Dauid, quamuis iam proximè explicato Psalmo lætitiæ potius plena mysteria exponeret; nihilominus, vt dictum fuit, quædam passim in eo aspersit, quibus sibi ad luctuosam, & mœstitia plenam præsentis huius Psalmi sexagesimi octaui materiam viam aperuit. Nam & de *confringendo vertice capilli* B *perambulantium in delictis suis*; & de *conuersione facienda in profundum maris*; & de *congregatione taurorum adnitentium excludere eos, qui probati sunt argento*; alijsque eiusmodi multa interseruit, quæ nunc re ipsa accidisse ostendet; atque taurorum conatus, & impetus in Christi Ecclesiam proponet; & quantæ tempestates *in profundo maris* suscitatæ fuerint exponet. Imò in ipso præcedentis Psalmi fine, quasi innuens, quod acerbissima quæque exceptura essent, illam nascentem Christi Ecclesiam, eam iam tum erigebat, & ad tolerantiam hortabatur, eò quod, *Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.*

C Hæc ipsa aduersa, quæ mox in Christi Ecclesiam erant excitanda, Sanctus quidem Dauid in spiritu præuidit, atque prædixit; Diuus verò Petrus eiusdem Ecclesiæ pro Christo Pastor illa ipsa iam iam imminentia, & præsentia vidit, & vnà cum grege fidelium tolerauit; sic illos, & ipse ad patientiam animans, 1. suæ Ep.c.4.17. *quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à Domo Dei. Si autem primum à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?* &c.

Pro ijs ergo, *qui commutabuntur*, ait Titulus Psalmi, qui Romæ, & alibi *credent Dei Euangelio*, & nihilominus crudelissimis persecutionibus subijcientur, ita lo- D quitur *Dauid*, qui tamen toto hoc Psalmo, non suam, sed Christi Domini personam sustinens, ipsum Christum in se, & ex se loquentem, tanquam Caput pro Ecclesiæ corpore solicitum, & in ipso simul patientem, & quasi de cælo illud, *quid me persequeris?* Act.9.4. clamantem, introducit; sic

PSALMVS LXVIII.

E V. 2. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ afflictionum, persecutionum, &c. vsq; ad animã meã: in suis patitur membris amantissimus eorum Dominus.

V. 3. Infixus sum in limo profundi: Chal. habet, tãquam in limo, F & non est substantia, & non est consistentia; seu, vt D. Hieron. non possum consistere. hac similitudine exprimit quantis calamitatibus obrueretur Ecclesia: sic etiam sequenti parte eiusdem

Veni in altitudinem maris, hac similitudine exprimit ipsam Romã Ethnicam, quam sibi supra ad conuersionem in eo profundo maris faciendam destinauerat; *Veni in*

altitudinem huius maris, & tempestas demersit me. Quanta tempestas in Ecclesiam mox suscitata Romæ sub Nerone; neque suscitata conquieuit citò, sed A

V. 4. Laboraui clamans; diuturnitatem clamoris exprimens, ait; raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. maxima longanimitate Ecclesia Romana à Deo expectauit auxilium. Innumeros autem fuisse, eosque fortissimos, qui persequebantur, ostendit B

V. 5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè; nemo patiebatur ex ijs, *vt fur, aut homicida*, &c. quæ non rapui tunc exoluebam; & nihilominus tanquam grauissimorum criminum rei, (vt suscitati incendij, quo penè tota Roma conflagrauit) plectebantur, & quantis, quàmque diris cruciatibus, notum est ex historijs, & paulò ante priori Psalmo versu 26. dictum. Quia tamen non deerant in Christianis etiam primitiuæ Ecclesiæ aliquæ labes, & peccata; ea Christus Dominus, tanquam sua, quæ membrorum erant, proponit Deo, & deflet; C D

V. 6. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Illa omnia tu nosti; nihilominus obsecro, vt illa ita persecutionibus, quas in Ecclesiam Gentiles suscitant corrigas, vt

V. 7. Non erubescant in me, vt non sit tanta earum acerbitas, ex qua tam odiosum reddatur Christianorum nomen, vt inde occasionem erubescendi in me, qui illorum Caput sum, desumere possint, qui expectant te Domine, Domine virtutum, qui per Fidem ad te venturi sunt. Petò ò Deus, E

Non confundantur super me, qui quærunt te Deus Israel. Potissimam autem causam confusionis, & scandali, illam (præter iam dicta, quę in eos confringebantur crimina) esse insinuat; eo quod id passim obijceretur Christianis (quod ipsi etiam palàm confitebantur) ipsorum scil. Deum tam malè à Iudæis tractatum, & infami Crucis supplicio ab ipsismet è medio sublatum fuisse. Erat omninò Christus Crucifixus Iudæis scandalum, & Gentibus stultitia, iam inde ab initio Prædicationis; F

Ve-

A Verùm hoc ipsum pientissimus Dominus Iesus pro se, & Ecclesia sua apud cælestem Patrem allegat;

V. 8. Quoniam propter te, tui honoris, gloriæ, & mandati intuitu, sustinui opprobrium Crucis; operuit cõfusio faciem meam. Illud etiam, quod

B V. 9. Extraneus factus sum fratribus meis, quod mei Iudæi, qui sunt fratres mei secundùm carnem, tanquam extraneum habuerint, & peregrinus filijs matris meæ Synagogæ fuerim, id inde accidit;

V. 10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me; quia zelo gloriæ tuæ accensus nihil mihi cum illis dissimulandum, & conniuendum duxi, quo minus eos de peccatis, & sceleribus,

C quibus domum tuam contaminabant, liberè coarguerem, & veritatem docerem, & ostenderem quantum à diuina tua lege aberrarent; quamque alieni à cultu tuo essent; ad quæ eos reducere maximo studio conatus fui, ipsi vitę meæ non parcẽs: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. iniuriæ, & contemptus, qui diuino tuo honori inferebantur, me discruciabant; & illis quoad potui, me-

D met semper opposui.

V. 11. Et operui in ieiunio animam meam. Id verò, quod ipse ad eos, ad vitæ probitatem, & sanctitatem reducendos, vitæ meæ exemplo præstiti, dum vitam pauperem, tenuem, & ab omni luxu remotam institui, eamque in parcissimo, & emendicato, vel piorum liberalitate impenso victu, & etiam 40. dierum ieiunio traduxi, nequidquam profuit; sed potius

E & factum est in opprobrium mihi. Insuper

V. 12. Et posui vestimentum meum cilicium: Ipse vestitus meus moderatissimus, probro ipsis, & despectui erat; & factus sum illis in parabolam; Vt passim de me dicerẽt: *Nonne hic est faber Filius Mariæ?* &c. Mar. 6. 3. *Nonne hic est Iesus Filius Ioseph, cuius nos nouimus Patrem, & Matrem?* Ioan. 6. 42.

F V. 13. Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta; & primores Ciuitatis aduersum me loquebantur: & infimi quique de populo in me psallebant; cantilenas componebant seu scommata iaciebant; qui bibebant

vi-

vinum in tabernis sedentes. Pater Emmanuel Sà. A

V. 14. Ego verò orationem meam ad te Domine semper dirigebam, sciens quia veniet tēpus beneplaciti Deus, quo me liberabis. Et ita omninò factum.

At verò etiam nunc obsecro (ad præsentem Ecclesiæ suæ afflictionem, quam Romæ, & in Imperio Romano patiebatur, transit) adfer opem Ecclesiæ meæ, B

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ: Et quia, vt dixi, verè *infixus sum in luto* profundi, &c.

V. 15. Eripe me de luto, vt non infingar, vt non permaneam infixus; libera me ab ijs, qui oderunt me, & C de profundis aquarum, afflictionum maximarum.

V. 16. Non me demergat tempestas aquę; repetit easdem similitudines, quibus calamitates ad viuum expresserat; neque absorbeat me profundū; & illis addit; neq; vrgeat super me puteus os D suū; idest non claudat puteus afflictionum os suum super me; quo ostenditur tantas fuisse, vt humanitus non posset ex ijs emergere, & liberari; propterea

V. 17. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. E

V. 18. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo. Hæc vox, quæ Domini Iesu humilitatem, & mansuetudinem exhibet; magnam vim ad deprecandum habet. Eadem voce afflicta Ierosolymis Christi Ecclesia est vsa, Act. 4. 27. *conuenerunt enim verè in Ciuitate ista aduersus Sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & Populis Israel*, &c. pergit quoniam tribulor, velociter F exaudi me.

V. 19. Intende animæ meæ, & libera eam; animam suam vocat Ecclesiam suam, pro qua re ipsa dedit animam suam: libera-

ri

A ri eam petit propter inimicos, propter inimicos meos eripe me; idest ne inimici, & calumniatores Christi, & Christianorum mendacijs, & calumnijs suis præualerent, & sic à Fide amplectenda auerterentur Gentes. Quodnam autem illud maximum esset opprobrium, quod Christo, eiusque Ecclesiæ obijciebatur, supra vers. 8. est dictum. Illud hic denuò insinuat;

V. 20. Tu scis improperium meum, & B confusionem meam, & reuerentiam meam. S. Hier. habet, verecundiam; Chal. ignominiam. Hoc autem ita intelligendum est; q. d. Tu Domine scis, quàm ineptè hostes mei mortem meam in Cruce obitam vertant mihi in confusionem, ignominiam, & improperium.

V. 21. In conspectu tuo sunt omnes qui C tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miseriam. Dum in conspectu Domini ait esse omnes, qui se tribulabant, dubium non est, vt mox ex sequentibus patebit, respexisse ad Iudæos, qui præ omnibus tribulabant, & vbique Christi Ecclesiæ illis primis prædicationis initijs aduersabantur. Notatum est in Isaiæ cap. 18. eos Legatos expediuisse quaqua versum, qui prædicationi Euangelij obsisterent. In Actis Apostolorum frequentissima est obstaculorum, quæ ipsi, qui de Circumcisione erant, Euangelio obijciebant.

D Quidnam illi ipsi Romæ operarentur, colligi facilè potest ex ijs, quæ vltimo cap. Actuum Apostolorum breuiter notata sunt; *dicente Paulo vnum verbum: Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius*, &c. Conclusio D. Pauli fuit. *Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient.* Ita omninò Gentes audiebant; sed hinc Iudæi zelo, & indignatione replebantur, vt fusiùs dicendum est Isaiæ cap. 26. v. 11. & aduersabantur, quan- E tum in illis erat, prohibentes Gentibus loqui. ab illis ergo, Dominus ait, *improperium expectauit cor meum, & miseriam*, etiam apud Gentes. Et æquum quidem fuisset, vt quando Gentes suapte sponte pro Idolis suis insurgebant contra Christianos, qui ea detestabantur, & Dæmonum esse simulacra muta, & vana conuincebant; æquum, inquam, fuisset, vt pro me, meisque Christianis Iudæi starent, propterea etiam

Et sustinui, S. Hier. expectaui aliquem ex ijs, qui simul mecum contri- F staretur, & cum meis Christianis, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. quinimò contra me Gentilium potius odia suscitabant. nimirum illi, & ex ijs erant, qui tam alieni ab omni pietate extiterant, vt mihi in Cruce animam agenti insultarent; insuper sitienti

V. 22.

V. 22. Et dederunt in escam meam fel: & A
in siti mea potauerunt me aceto. Nihil ergo mirum, si tam crudeles modo se se mihi, & meis exhibeant.

Sed hæc ita dura, & continuata crudelitas ipsis in malum cedet; nam breui futurum est (quæ hoc Psalmo dicuntur, ea tempora respiciunt, quæ præcesserunt excidium Ierosolymitanum; nam verè tunc Christi Ecclesia Romæ ea, quæ hìc relata sunt, planè fortia, & patiebatur, & agebat) breui, inquam, futurum est, vt B

V. 23. Fiat, est prędictio, non petitio, mensa eorum, Scriptura Sacra, Lex Moysis, Prophetæ, in quibus gloriãtur, coràm ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. vt occasionem inde sumant errandi, & illaqueandi se ipsos, & cadendi; id quod fiet illis in pœnam; nam

V. 24. Obscurentur, obscurabũtur oculi eorum ne C
videant: & dorsum eorum semper incurua, destituentur viribus.

V. 25. Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. quod maximè accidit, quando à Ro- D
manorum exercitu circumdati, vt Luc. 19. 43. Dominus prædixerat; tunc enim facta est,

V. 26. Fiat habitatio eorũ deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Et hæc illis euenerunt.

V. 27. Quoniam quem tu percussisti, E
se ipsum intelligit ab Æterno suo Patre in mortem traditum, iuxta illud Is. c. 53. 8. *propter scelus populi mei percussi eum*; persecuti sunt, intellige etiam posteaquam crucifixissent, vt se explicat, & super dolorem vulnerum meorum mihi ante inflictorũ, addiderunt, persequendo me in meis, eosque cædendo, fugando, eisque apud alias etiam nationes aduersando. qua quidem iniquitate impleuerunt peccata sua, vt ait Apostolus; & hoc ipsum indicat sequens; F

V. 28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & nõ intrent in iustitiam tuam. ex quo etiam sequetur, vt

V. 29.

A V. 29. Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur. E contra verò

V. 30. Ego, qui sũ, pauper, & dolens; vt inchoatus fuit Psalmus, & continuatus in persona Christi, vt Capitis, pro Ecclesia, & membris; ita etiam terminatur; salus tua Deus suscepit me. salutem à te Deo meo
B consecutus sum, atque ita reddam gratiarum actiones, & laudes;

V. 31. Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude. & hoc meum obsequium, hæc laus.

V. 32. Et placebo Deo super, magis quàm vituli teneri immolatio,
C vitulum nouellum: cornua producentem, & vngulas. Hoc Dei in me auxilium, hanc mutationem dexteræ excelsi

V. 33. Videant pauperes mei fideles, & lætentur; sic etiam deinceps semper quærite Deum, & viuet anima vestra:
D V. 34. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.

V. 35. Laudent illum cæli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

E V. 36. Quoniam Deus saluam faciet Sion, Ecclesiã Christi nouam; & ædificabuntur Ciuitates Iuda. Populus Iuda Deum confitens non est, nisi Christianus Populus Christi Ecclesiæ: eius Ciuitates prædicebantur ædificandæ sublatis, & victis Romanorum Imperatorum persecutionibus, eò quod suscepturæ essent Nationes, & Populi Fidelium Christi Fidem, & ingressuri in eius Ecclesiam: atque sic ijdem Populi Gentium in eadem Christi Ecclesia,
F

Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam. Planè Christi Ecclesia per continuas ætates, & generationum, atque sæculorum successiones, vt factum esse, & fieri temporibus nostris videmus, tanquam *hereditas* deriuatur ad Gentes, & deriuabitur,

donec earum plenitudo intret. Illud etiam factum est, & singulari Dei prouidentia fit, vt Ecclesiæ regimen per continuas sæculorum successiones traditum fuerit, & committatur nunc etiam sanctis,orthodoxis,& legitimis D.Petri,& aliorum Apostolorum Successoribus; id quod Dominus etiam per Psalmistam tanto ante prædixerat, promiseratque. A

V.37. Et semen seruorum eius possidebit eã, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea. B

PSALMVS LXIX.

Deus in adiutorium, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXIX. C

In finem, Psalmus Dauid.
In rememorationem, quod saluum fecerit eum Dominus.



Vàm aptè,& cum quanta connexione,& cohærentia ad priores Psalmos, maximè ad iam explicatum, subsequatur iste sexagesimus nonus statim ex ipso eius Titulo manifestatur, qui est; *In finem, Psalmus Dauid. In rememorationem, quod saluum fecerit eum Dominus*. D Quod autem S. Dauid ad literam non videatur loqui de sui ipsius liberatione, vel de manu Absalonis, siue Saulis; hæc ipsa positio Psalmi hoc loco; postquam desijsset iam de illis eorum persecutionibus agere,sufficienti est indicio. Cur enim illam (si ad te pertineret) rememorationem beneficiorum, quod grati non solent,tam diù distulisset? Nullum planè hac de re dubium esse potest, præsertim quando, vt supra Psalmo 17.vidimus, S.Dauid etiam tunc, *cùm locutus est verba Cantici in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul*, nihilominus ea ipsa pulcherrima, & facundissima gratiarum actione respexisse ad Christum, eumque exprimere intendisse, ibidem probatum est. E Quantò ergo nunc magis Psalmum hunc pangat *in rememorationem, quod Dominus* Ecclesiam suam maximis apud Gentes conflictatam persecutionibus saluam fecerit? Insuper, obseruandum est,ita hunc Psalmum compositum fuisse *In rememorationem,quod saluum fecerit eum Dominus*, scilicet Christum suum in sua Ecclesia inter persecutionum aduersa positum, vt nihilominus ipsum Dominum in suis Fidelibus, adhuc inter ipsa aduersa versantem, & auxilium implorantem proponat. F Id quod S. Propheta idcircò facit, quandoquidem persecutionum procellæ in Ecclesiam,Romæ,& in toto Imperio suscitatæ non subitò conquieturæ, sed diù duraturæ erant. Suis deinde locis, & Psalmis infra ponendis posteaquàm ostenderit Ecclesiam plenam obtinuisse pacem, & tranquillitatem; tum demum Sanctus Dauid, & ipse pariter in liquidissima animi pace, & tranquillitate con-

A conquiescendo, se se totum in Dei laudes, & gratiarum actiones effundet.

Nunc, quia sic Dominus saluum fecerat Christum suum in Populo Fideli pressso persecutionibus, vt adhuc certamina multa, eaque diuturna superessent, sic & gratias agit, & orat;

PSALMVS LXIX.

B V. 2. Deus in adiutorium meum intende; pro adiutorio mihi à te præstito ita gratias refero, vt quando hostis adhuc instat, & continuò nocere intendit, instanter petam, *Deus*, &c. Quia aduersarius properat, & vrget, vt perdat; etiam tu Domine ad adiuuandū me festina. Fac, ò Domine, vt

C V. 3. Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam.

V. 4. Auertātur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala:

D Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge, voces sunt insultantium; S. Hier. Vah, vah. Sic vbi à te eruti serui tui fuerint, eorumque hostes confusi, & fugati,

V. 5. Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant semper: Magnifi-

E cetur Dominus, qui diligunt salutare tuum; idest illi, qui *quærunt te, & qui diligunt salutare tuum*; dum adiuti, & liberati per te fuerint, ita *exultent, & lætentur*, vt sibi, & virtuti suæ victorias suas non adscribant; sed nouerint diuino tuo auxilio partas, atque tibi pro ijs gratias agant, & dicant; *Magnificetur Dominus*. Tibi honor, tibi laus, tibi gloria, ò Domine;

V. 6. Ego verò egenus, & pauper sum:

F Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. Nondum persecutionum finis; propterea

A

PSALMVS LXX.

In te Domine speraui, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXX.

Psalmus Dauid.
Filiorum Ionadab, & priorum captiuorum.


Cclesiæ Christi in suis persecutionibus, quas apud Gentes patiebatur, certum fuisse à Deo auxilium, idque omnes eius filios Christi Fideles fuisse expertos, hoc Psalmo S.Dauid pari cum reliquis prioribus consequentia ostendit. Psalmo huic Titulum C
datum à S. Dauide tantummodò *Psalmus Dauid* (eò, quod priori coniunctus nulla alia egeret explicatione) probabilissimum est. maioris explicationis, & huius ipsius consequentiæ, & connexionis, quam habet cum reliquis Psalmis, ostendendæ causa à LXX. Interpretibus reliqua pars Tituli videtur fuisse addita; *Filiorum Ionadab, & priorum captiuorum*. Atque omninò partem illam additam fuisse ad illam connexionem ostendendam, ex hoc colligitur, quod nimirum à Deo illuminati illi Interpretes, cum optimè obseruassent, Sanctum Dauidem in prædictorum Psalmorum decursu comitatum D
fuisse Ecclesiam Christi, & cum ea ad Gentes progressum, eiusdem grauissimas, quas ibidem, & maximè *in altitudine maris* Gentilitatis, Romæ, patiebatur, persecutiones exposuisse animaduerterent; vt ea, quæ hoc Psalmo dicebantur, constaret ad illa priora pertinere; sub optimorum obsequentissimorum, & proinde laudatissimorum *Filiorum Ionadab* nomine illos intelligit primos Christi Fideles, ipsi Patri suo obedientissimos, præceptis eius diuinis per omnia inhærentes, qui primis illis Ecclesiæ temporibus, quibus apud Gentes Ecclesia fundabatur, & quæ tempora (vt aliàs in Isaia etiam dicendum est) ipsum tempus captiuitatis Ba- E
bylonicæ repræsentabant; illos, inquam, persecutionibus afflictos Ecclesiæ filios Sanctum Dauidem intelligere, & de illis ipsum loqui hoc Psalmo, ostendunt LXX. addita illi illa Epigraphe; *Filiorum Ionadab*; & ne quod dubium superesset, de quibusnam filijs Ionadab ipsi loquerentur, constaretque, quod non de Typicis, sed de significatis, & figuratis per eos Typicos esset sermo; propterea addiderunt; *& priorum captiuorum*; clarissimè denotando, quod vellent significare, non de alijs esse sermonem, quàm de ijs ipsis, quos Sanctus Dauid prioribus proximè explicatis Psalmis exposuerat passos fuisse in *altitudine maris* Gentilita- F
tis horrificas tempestates; ait ergo esse, & hunc Psalmum *priorum captiuorum*, siue persecutionem apud Gentes patientium.

Quod hæc ita sint, probatur, & concluditur ex eo; quod si de veris, seu filijs Ionadab, seu alijs Iudæis Babylone captiuis ad literam fuisset sermo S. Dauidi, cum nullam ipse in alijs præcedentibus, seu Psalmis, seu Psalmorum Titulis mentio-

A tionem fecisset de illis Babylonicis captiuis, incongruum valdè, inconsequens, & omninò ineptum, quod dici nō potest, fuisset hìc addere, *& primum captiuorum.*

Hoc sensu, & Argumento Psalmi huius stabilito, ipse Psal. totus consequentissimè explicatur.

PSALMVS LXX.

B In te Domine speraui, non confundar, ne me permittas cōfundi, P. Emm. Sà; in æternum, vnquam.

V. 2. in iustitia tua libera me, & eripe me. pertinet aliquo modo ad iustitiam tuam, vt liberes, quando, vt dixi, & *ego egenus sum, & pauper*, & præter te nemine habeo, qui sit adiutor meus, & liberator meus.

C Inclina ad me aurem tuam, & salua me.

V. 3. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: vt saluum me facias.

Quoniam firmamentum meum, & refu-
D gium meum es tu.

V. 4. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.

E V. 5. Quoniam tu es patientia mea Domine, spes mea, & expectatio in aduersis. Domine spes mea à iuuentute mea. Chal. habet à pueritia. & omninò est gradatio; nam

V. 6. In te confirmatus sum ex vtero,
F S. Hier. à te sustentatus sum; de ventre matris meæ, iam inde à mei conceptione, tu es protector meus.

In te cantatio mea semper. te semper laudo.

V. 7.

V.7. tamquam prodigium factus sum multis; quia Christus Crucifixus, & qui eum prædicabant, Iudæis erant scandalum, Gentibus stultitia; & tu adiutor fortis, quia *ipsis vocatis Iudæis, atque Græcis Christus, Dei virtus, & Dei Sapientia*, 1. Cor. 1. 24. proinde propter hanc tam vberem eorum, qui vocati sunt Conuersionem,

V.8. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam. Sic enim apparet, *quia quod stultum est Dei*, quod imperitorum hominum iudicio videtur esse stultum, *sapientius est hominibus*, excedit omnem hominum sapientiam; *& quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. 1. Cor. 1. 25.

Perge porrò, ò Domine, & semper in meis fidelibus ostende hanc sapientiam tuam, & illos fortitudine, quam in infirmitate Crucis meæ sitam esse voluisti, semper corrobora; fac, vt fortes sint, non solùm qui primitias Spiritus acceperunt; sed etiam qui post longa, & multa sæcula eos subsecuturi sunt; illi, velut in iuuentute, magno erunt robore præditi; isti, velut ad senectam reseruantur; sed vt illorum etiam Caput pro ipsis rogo;

V.9. Ne proijcias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, (non Capitis, sed membrorum, quia abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum) ne derelinquas me.

V.10. Quia dixerunt inimici mei mihi; ne inquam, tunc derelinquas me, quia contra me hostes mei, vel maximè illud tempus ad nocendum obseruabunt, tempus senectæ, tempus languoris, teporis, & frigoris: & hoc est; & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum:

V.11. Dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.

V.12. Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.

V.13. Confundantur, & deficiant detra-

hen-

A hentes animæ meæ: operiantur confusione, & pudore qui quærunt mala mihi. Illi quidem illud tempus, vt ad nocendum commodum obseruabunt;

V. 14. Ego autem semper sperabo, & etiam in ipsa senectute Ecclesiæ meæ; B & adijciam super omnem laudem tuã; vt nihil desit laudibus, quas Primitiuæ Ecclesiæ temporibus persoluebam, adijciam etiam alias nouas, plures prioribus.

V. 15. Os meum annunciabit iustitiam tuam: (vt dictũ v. 2.) tota die salutare tuum. Vsque ad ipsam vesperam, quam dies in hac Mundi peregrinatione ducendus habebit; *os meum annunciabit salu-* C *tare tuum*; salutem fidelibus tuis impertitam. Et

Quoniam non cognoui literaturam, mundanam illam vanã, & sæcularem Mundi sapientiam, & carnis prudentiam; sed persistam (Christus loquitur nomine suorum fidelium, seu Ecclesiæ) in sapientia Crucis, vt non arbitrer me quicquam scire, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum;

V. 16. introibo in potentias Domini: ideò admittar D ad ea contemplanda, & prædicanda, quæ tu in Redemptione Generis Humani potentissimè es operatus; Domine memorabor iustitiæ quæ sola cũ animã satient; tuæ solius. Illius summæ liberalitatis tuæ recordabor, qua tu permotus, sola te ad id impellente charitate tua, remedium hominibus perditis promisisti, & promissum exhibuisti; quæ sola vocatur, quia illi nihil vnquam simile.

Quandoquidem spreui omnem Mundi sapientiam, & tu illa tua Diuina My- E steria

V. 17. Deus docuisti me à iuuentute mea: & vsque nunc, etiã præsenti tempore, pronunciabo mirabilia tua. Sed quod oro, & pro quo solicitus sum, vel maximè, quia, vt dixi, necessitas futura est, obsecro Domine;

F V. 18. Et vsque in senectam, & senium (iuxta dicta, *senectam, & senium* Ecclesiæ suæ, siue fidelium suorum, Christi, intelligit) Deus ne derelinquas me.

Donec annunciem brachium tuum generatio-

rationi omni, quæ ventura est. Hinc constat, ad literam hæc esse, vt dixi, non de Dauide ipso; qui etiamsi vsque *in senectam*, & *senium* non fuerit *derelictus*, non tamen *annunciare* potuit *generationi omni, quæ ventura erat*; sed id perfectæ facit Christi Ecclesia, quæ per Christum Sponsum suum obtinuit, vt Domini brachium, qui est ipse eius Vnigenitus, *annunciet generationi* omni, & annunciabit *omni generationi, quæ ventura est*. A

Potentiam tuam, quam, vt Beatiss. Virg. eius Mater, Domina Nostra dicebat, fecisti in brachio tuo; B

V. 19. & iustitiam tuam Deus: fidelitatẽ in promissis exequẽdis; vsque in altissima; quæ duo in hoc Redemptionis Mysterio elucent perfectissimò, & sublimissimò modò, qui est *vsque in altissima*. Hæc, vt annunciare possim, non derelictus vsque in senectam, & senium, subintellige; cupio euulgare, non solùm in ipsis exordijs meis; nam futurum omninò est, vt tunc *Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes, audiant* Apostolos meos *loquentes suis linguis magnalia* tua; (Act. c. 2. v. 9. 10. 11.) non solùm, inquam, cupio, vt in Ecclesiæ meæ exordijs, *quæ fecisti magnalia*, euulgentur; sed etiam peto, vt eadem vsque in senectam, & senium annuncientur *generationi omni, quæ ventura est*; vt quicunque ea audierit, in admirationem, & stuporem raptus, prout verè eorum magnalium operum tuorum magnitudo, & immensitas exigit, exclamet; pèto, cum his etiã quæ fecisti magnalia: C D

Deus quis similis tibi? Et quoniam inter *magnalia, quæ fecisti*, etiam vnum est, quod in eximiam Diuinæ tuæ Maiestatis gloriam cedit, quod scilicet admirabili Prouidentia seruos tuos tam multis persecutionibus premi, & affligi volueris; etiam hoc annunciare cupio generationi omni, quæ ventura est;

V. 20. Quantas ostendisti mihi (Christus nomine Ecclesiæ loquitur) tribulationes multas, & malas, doloribus, & calamitatibus plenas, imò, & mortiferas experiri fecisti; post quas tamen admirabili benignitate tua, & sapientia; E

& conuersus (rursus) viuificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me: de illa calamitatum profunditate, è qua emergendi non erat spes, extraxisti. Atque sic mecum, & cum fidelibus, & Ecclesia agendo,

V. 21. Multiplicasti, multis modis innotescere fecisti magnificentiam tuam, magnificam tuam erga me liberalitatem; & conuersus, dum, (nunc quidem affligi permittebas, sed mox iterum, consolatus es me; me, inquam, & fideles meos consolatus es, qui F

homi-

A hominum iudicio miserabiliores habiti sumus omnibus Mundi hominibus, 1.Cor. 15. Id quod tu, ò Domine, iuxta promissionem tuam planè per omnia exactè fecisti; vt propterea exinde consurgat in me ingens obligatio diuinum tuum nomen celebrandi;

V. 22. Nam, & ego, sic potenter, adeò admirabiliter, tam benignè à te adiutus; confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam.

B fidem in promissis tam exactè, & fideliter adimplendis corde, voce, sonis, & instrumētis musicis pāgam, seu cantabo; Deus psallam tibi in cythara, sanctus Israel. Deus sanctus Israel, quem Israel per repromissionem (qui est Populus Christi) colit, psallam tibi in cythara.

V. 23. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemisti.

C

V. 24. Sed, & lingua mea tota die meditabitur, loquetur, vel vt Chald. annūciabit iustitiam tuam, eandem fidem in promissis persoluendis, semper coniunctam cum infinita misericordia, & liberalitate: id plena lætitia tunc faciam, cum pacem, & tranquillitatem, quam post persecutionum turbines expecto, consecutus fuero; cum confusi, & reueriti fuerint qui

D quærunt mala mihi. Deum ergo, ac Dominum suum laudandi, & celebrandi in plena pace, & tranquillitate Ecclesiæ desiderio accensus S. Dauid sequentem Psalmum inscribit;

PSALMVS LXXI.

E

Deus iudicium tuum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXI.

Psalmus. In Salomonem.



F Ancto Dauidi Regi propositum fixissimum fuisse Domini Christi sui gloriam Psalmis suis pangere, & psallendam toti Orbi proponere, iam inde à Psalterij initio didicimus. Verùm quod etiam tunc obseruatum fuit, ad eam, licet in intentione primam, perueniri nisi superatis ingentibus obstaculis, & persecutionibus non poterat. Eas posteaquam exposuisset, propositi sui memor ad illam, cuius videndæ cupidissimus erat, Domini sui gloriam, compendio aliquo explicandam se se hoc Psalmo accingit.

Vt autem innueret, se hoc Psalmo loqui velle de illa Christi Domini sui gloria, quam ipse post deuictas persecutiones, in tota Ecclesia, toto Orbe diffusa erat habiturus, Psalmum hunc inscripsit, *Psalmus in Salomonem:* Qua quidem inscriptione significauit, quod quemadmodum filius suus Salomon regnum non adijt, nisi finitis, terminatisque bellis; ita & Christi Thronus maximè conspicuus futurus esset post victas persecutiones, reddita Ecclesiæ tranquillitate. A

Quod autem hoc ipsum solùm, & vnum voluerit S. Dauid, constat, & indubitatum est ex eo; quia hoc Psalmo, vt S. Augustinus, alijque ferè omnes Psalmorum Expositores obseruant, multa planè dicuntur, quæ Salomoni nullo modo conueniunt, quæ vtique S. Dauid, non solùm, quia filius suus erat Salomon, sed etiam quia ipse S. Propheta erat, nunquam fuisset dicturus, si de Salomone voluisset intelligi. B

In explicato ergo Psalmi Argumento totus ipse venit Dominus noster Iesus Christus. Duo tamen potissimùm obseruanda sunt pro eius consequentissima expositione.

Primum, quod licet v. 6. *Descendet sicut pluuia*, &c. intelligi possit de ipsius Domini incarnatione, quando in Sanctissimæ Virginis Matris suæ vterum venit; & licet hic ipse sensus literalis possit esse, & non tantùm accommodatitius; nihilominus id, quod primariò, & consequenter intendebat significare S. Dauid, fuit; quod ipsius Christi Domini per Fidei Prædicationem in corda hominum, & in ipsam Gentilitatem, & Romam, atque Imperium Romanum aduentus, se similiter habuerit, sicut *pluuia in vellus*, &c. sensim eo per Fidem illabente in corda humana; vt sicuti, neque opinante id Mundo, repente tamen, ex intemeratæ suæ Matris Virginis vtero comparuit in hanc lucem; ita etiam per prædicationem futurum. Pro hoc Domini per Fidei Prædicationem Aduentu videnda erant, quæ sæpius in Isaiam sunt dicenda. C D

Secundum obseruandum est; quod v. 20. *Defecerunt laudes Dauid filij Iesse*; prout dictum fuit supra Obiect. 2. §. 7. non significet, hic terminari Dauidicos Psalmos, vel hunc esse ex illis postremum, vel alios non esse Psalmos Dauidis; sed id Sanctissimum Prophetam dixisse, vel ideò quod cum æstuaret desiderio plura, eaque longè excellentiora pro tanti Domini sui gloria dicendi; eius nihilominus laudibus deprædicandis imparem se esse sentiens, cogeretur silere; vel, quod cum dixisset, & ostendisset eiusdem summi Maximi Optimi Regis Thronum apud Gentes constitutum, atque stabilitum, & apud eas cum tanta Sanctissimi eius Nominis gloria; cum promptissimis erga Maiestatem ipsius omnium Christianorum obsequijs permansurum videret; ex ineuitabili quadam consequentia pariter animaduertebat, iam actum esse de eo eius Throno amplius ad suos Iudæos, & Synagogam reuocando; ac proinde dolentis, & ingemiscentis (hac tamen solùm ex parte) in morem dicit; *Defecerunt*, &c. E

Et omninò verior hæc est huius versus causa, quia est consequentior; nam hæc doloris, & gemitus particula cum hoc, & prioribus Psalmis proximè sequentem Psalmum septuagesimum secundum vnit; neque illum tantùm, sed etiam 73. 74. & 75. de quibus mox, Itaque sic incipit; F

PSAL-

A

PSALMVS LXXI.

V. 2. Deus iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis. Iam supra sæpè dictum est, quid *iudicij* nomine veniat, siue in Psalmi,
B siue aliàs, cum Christo Domino pro Gentium conuersione tribuitur; accipitur siquidem in sensu, qui maximè pientissimani Domini misericordiam commendat, & quem ipse Dominus apertè declarauit, Ioan. 12.31. *Nunc iudicium est Mundi: nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Hoc ergo loco S. Dauid planè illud iudicium intelligit, illudque postulat dari *Regi*, qui talis per excellentiam erat; dari inquam ei illud postulat, quoad plenam subiectionem, & possessionem Mundi ei faciendam.

Item. Quod ait, *iudicium tuum, & iustitiam tuam da*; hoc ad id referri potest,
C quod supra Psalmo 2.v.8.& 9. illi à Patre promissum fuisse dixerat; *dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Dum vocat primo simpliciter *Regem*, & deinde ipsummet *filium Regis*: illo nomine Diuinitatem; hoc Humanitatem, & quod filius Dauid secundùm carnem esset, expressit. Sic ergo *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. idem est, atque si dicat; possideat obsecro, vt ipsi promissum est, Gentes, easque per Fidei prædicationem conuersas, factasque Populum tuum, potens sit

D **Iudicare populum tuum,** ad iudicandum populum tuum **in iustitia,** in vitæ sanctitate, ad quam illum populum, destructis in eo peccatis, & idololatria adducet; **& pauperes tuos,** qui erũt ipsi Gentiles, **in iudicio,** quod ipse Rex in eos exercebit, vindicando eos à potestate Satanæ, & peccatorum, & sibi per Fidem subijciendo. Sic quæso, ò Deus, Regi nostro Christo *da iudicium* illud, vt simul ab eodem Rege

E **V. 3. Suscipiant montes pacem populo: & colles iustitiam;** idest, vt etiam primores populi, & viri Principes eidem subijciantur, eiusque Fidem; *iustitiam*, & sanctitatem, quam illa profitetur, amplectantur, quod maximi momenti est ad *pacem populo* vniuerso procurandam. Dubium non est Sanctum Dauidem, cum hæc diceret, respexisse ad montes, & colles Romanæ Vrbis; siue per eos intelligamus verè illos materiales, supra quos fundata erat; siue morales, viros Principes, qui maximi semper in ea fuerunt, vt supra Not. 5. §. 2. 3. & 4. Et certè re ipsa
F constat, quod vbi montes; illi scil. qui de Cæsaris domo erant; ipsi Cæsares Philippi, & tandem ipse Constantinus Magnus, & alij passim cum ipso, & post ipsum conuersi fuere ad Fidem, *susceperunt montes pacem populo*, &c. pax inde reddita vniuerso Populo Christiano. Illa ipsa tempora respiciens aiebat S. Dauid, quod tunc

V. 4. Iudicabit pauperes populi solito sibi misericorde iudicio,

 quo

quo nimirum & ſaluos faciet filios pauperum : & humi- A
liabit calumniatorem ; Diabolum intellige, aris, lucis, delubris, fanis, ſimulacris, ſacrificulis, ſacrificijs, Populis, & Gentibus ſpoliatum eiecit foras. ipſe vero Dominus Ieſus ſui Regni nôn habebit finem,

V. 5. Et permanebit, ſcil. in regno ſuo, cum Sole; S. Hier. quâdiù erit Sol; ſcil. perpetuò ; & ante Lunam, & coràm, ſiue quamdiù Luna, in generatio- B
ne, & generationem.

V. 6. Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. eſt explicatus hic verſus in Argumento; quod autem ſit intelligendus prout ibi dicitur de illapſu Sanctiſſi- C
mi eius Verbi in corda hominum per Fidem toto Orbe ſuſcipiendam, ſequens verſus oſtendit; dum ait, quod terra quaſi iam irrigata cæleſti eius pluuia, & ſtillicidijs ſtillantibus è Prædicatorum Fidei ore, qui ſunt eius nubes, ſuper eam;

V. 7. Orietur in diebus eius iuſtitia, virtutum omniũ collectio intelligenda, & abundantia pacis, quæ duratura eſt, donec aufe- D
ratur Luna; ideſt ſemper. Conſtat certè, eam in eius Eccleſia Sancta Catholica viguiſſe ſemper, & etiamnum vigere, atque perennaturam. Hoc ergo Dominio, & poteſtate ſpirituali, quam ipſe in animas hominum acquiret, vnà cum illa iuſtitia, & abundantia pacis, qua ſuos Fideles donabit

V. 8. Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis ter- E
rarum. nullum certum ſtatuitur; ſed ſignificatur, vt S. Aug. ait, dominaturum toto Orbe, vt etiam ſequentibus explicat.

V. 9. Coràm illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent; oſculabuntur in ſignum reuerentiæ.

V. 10. Reges Tharſis, & inſulæ munera F
offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent.

V. 11.

A V.11. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes seruient ei. Hæc tanta ad eum per Fidei eius susceptionem conuersio, ideò fiet, quia

V.12. Quia liberabit pauperem à potente; miserum gentilium populum *liberabit à potente* tyranno infernali, qui eum in ido-
B lolatriæ tenebris, impietate, & sceleribus detinebat oppressum; verè & pauperem, cui non erat adiutor; & de illis ipsis est versus sequens;

V. 13. Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum saluas faciet. De ijsdem etiam sequens.

C V.14. Ex vsuris, & iniquitate; idest ex iniquitate, quę coniuncta erat cum tāto fœnore hosti Tartareo, vt per iniquitatem lucraretur animas ipsorum; redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coràm illo. nihil quidem vilius, & abiectius eiusmodi peccatoribus, sed vt Chald. habet, quia *pretiosus sanguis* pro ijs effusus est, *honorabile nomen eorum coràm illo*; vt pote scriptum est in libro vitæ.

D V.15. Et viuet; non solùm significat, quod sit diù victurus in regno; nam iam id supra dixerat, *& permanebit cum Sole*; sed maximè, quod cum proximè dictis valdè coniungitur, indicat eximium affectum, quem Gentium Populi ad Fidem ipsius conuersi erga eum habituri erant, vt scil. illi accinerent continuò illud; *Viuat Rex*; quo Populi promptam suam fidem, & voluntatem in suos Reges testantur. Alia præterea longè vrgentior causa fuit S.Dauidi hoc ipsi summo Regi epithetum apponendi; *& viuet*; quo significaret, nihil ei mortem, quam pro nobis subiturus erat (& de qua
E antecedenter Psal. 21. tam multa, necnon proximè explicato Psal. 68. non pauca dixerat) obstituram, quo minus regnaret; ipsum nimirum esse *Sanctum* Domini, qui non *visurus esset corruptionem*; cui *notæ faciendæ essent viæ vitæ*, vt dixerat Psal. 15. qui resurrecturus esset à mortuis: qui, vt Apostolus Heb. 7.25. *& saluare in perpetuum posset accedentes per semetipsum ad Deum: semper viuens ad interpellandum pro nobis*. Hanc veram, & propriam fuisse causam vtendi illa voce, *& viuet*, ipse Dominus videtur confirmare, Apoc. c. 2. 8. dum loquens Angelo Smyrnæ Ecclesiæ ait; *Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit*. Sic ergo;
F *Et viuet*, & dabitur ei de auro Arabiæ; cum supra iam dixerit, *Reges Arabum* dona adducturos, benè hìc ait P. Lorinus, quod *Arabiæ* nomine Gentes omnes comprehendat; per *aurum* sapientiam illarum denotari (docent Enarratores Latini) & sapientes Gentilium credituros in Christum. & adorabunt de ipso semper:

ado-

adorabunt de ipso, scil. ipsum Christum semper; aut ipsum adorantes de ipso lo- A
quentur, in nomine ipsius, & per ipsum petent. tota die benedicent ei. Innuit hic S. Dauid id, quod in Christi Ecclesia frequentissimum futurum erat, non solùm, vt benedicerent Domino tota die per preces Canonicas, sed etiam vt Sanctissimum Missæ Sacrificium in eius memoriam, prout ipse instituit offerretur incessanter: id his verbis insinuare voluisse, sequentibus magis exprimit;

V. 16. Et erit firmamentum, scilicet Tritici; sic Psal. 104. *firmamentum pa-* B
nis contriuit. Hier. memorabile Triticum; Chal. substantificus Panis. Hoc, inquam, firmamentum, nam verè tale est Sanctissima Eucharistia, erit in terra in summis montium inter pretiosissima, inter sanctissima, summa, & maxima, quæ habeat Ecclesia, & Ipsius priuatæ fidelium Congregationes. superextolletur super Libanum fructus eius; Intellige fructum illius substantifici Panis futurum in Eccle-
sia maximum, inde alendos in vitam æternam Christi fideles: C
& florebunt de ciuitate, ipsa scil. Ecclesia, ciues eius filij, incolæ, habitatores florebunt virtutum, bonorum operum exercitio, Dei gratia, donis cælestibus, sicut fænum terræ; idest, vt P. Em. Sà in magna copia: Gaudet hoc maximo bono Ecclesia; proinde se se totam in eius laudes, & gratiarum actiones effundit reliquis consequentibus versib.

V. 17. Sit nomen eius benedictum in sæ- D
cula: ante Solem (coràm Sole, siue quamdiù Sol erit) permanet nomen eius. Hier. perseuerabit. Chal. antequam creatus esset Sol, præparatum erat nomen eius.

Et benedicentur in ipso (Chald. in meritis eius) omnes tri-
bus terræ: omnes gentes magnificabunt eum. E

V. 18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.

V. 19. Et benedictum nomen maiestatis
eius in æternum: & replebitur maiestate (gloria; Chal. splendore gloriæ) eius omnis terra, fiat, fiat. F

V. 20. Defecerunt laudes Dauid filij Iesse.

Vltimus hic vers. explicatus iam est, tam in Argumento, quàm in Præuijs Docu-

A cumentis Obiect. 2. §. 7. Insinuatum hoc in versu postremo dolorem ob desertos à Summo Rege Christo Iudæos prosequitur, vt insinuatum fuit, Psalmo seq.

PSALMVS LXXII.

Quàm bonus Israel Deus, &c.

B Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXII.

Psalmus Asaph.



Ic inscribitur, eò quod totius illius Iudaicæ congregationis nomine, & singulorum, qui in ea illam suam desolationem agnoscebant, decantari posset. Penè autem toto hoc Psalmo vsurpatur commune illud Argumentum; quare via impiorum prosperatur? non ad querelas, & inculpandum de iniustitia iustissimum omnium Iudicem Deum; sed ad dolorem leniendum, & ad misericordiam, si quomodo posset, aliquorum bonorum aliquando factorum propositione impetrandam.
C

Atque ex eo, quod iustis æquè, atque peccatoribus iuxta probè, vel secus facta vel præmia, vel supplicia rependat Dominus; ad inhærendum ipsi Domino hortatur; & eò ipso iustam fuisse eorum (Iudæos intelligit) qui se elongarunt ab eo fornicantes, creaturis potius adhærendo, reprobationem confirmat.

D Ex felicitate ergo, quam habituri erant credentes in Christum, de qua multa, eaque præclarissima Psalmis prioribus; & ex infinitis miserijs, quibus erant inuoluendi, qui eum suscipere recusassent, quales futuri erant Iudæi, S. Dauid hoc, & sequentibus duobus Psalmis materiam inuenit ingemiscendi: ad gemitus viam sibi sternit, eò quod nosset, quàm multa bona, & beneficia præstitisset bonis ex ipso Israelitarum numero. Itaque ait, memoria repeto;

E PSALMVS LXXII.

Quàm bonus Israel Deus, quàm bonus olim fuerit Israeli, & maximè inter eos his qui recto sunt corde! Quando tam bonus fuit; eheu! nunc, quid tandem causæ est, quod

V. 2. Mei autem penè moti sunt pedes:
F penè effusi sunt gressus mei; idest, quid causæ modò, quod ita vacillauerint pedes mei, vt propemodum totus à via declinauerim, & lapsus sim?

Per hanc pedum commotionem, & gressuum effusionem denotat; quod Iudæi à Fide exciderint, quæ est via ad vitam: quod addit; *penè*; paucos seruatos, & ad finem Mundi alios ad eam venturos ostendit. Id magno mihi dolori est, non

non solùm quia scio, *Quàm bonus Israel Deus*,&c. sed etiam quia sæpius recurrit cogitatio; quam multi in hac vita homines impij, iucundam, & felicem vitam degant! (& hâc secundam causam multis pertractat sequentibus versibus; nimirum) A

V. 3. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.

V. 4. Quia non est respectus morti eorum: quod Chal. habet, non terrentur, nec conturbantur ob diem mortis suæ, & firmamentum in plaga eorum; quod P. Emm. Sà. citò sanantur, & conualescunt; non diù durat morbus, seu tribulatio eorum. B

V. 5. In labore hominum, qui accidere hominibus solet, & qui maximus est, non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. C

V. 6. Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua.

V. 7. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt (explēt sua desideria) in affectum cordis. D

V. 8. Cogitauerunt, neque tantùm cogitauerunt, sed etiam & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso, edito loco, palàm, apertè, procaciter, absque rubore, locuti sunt. imò etiam E

V. 9. Posuerunt in cælum, contra Cælū, seu Deum, os suū: & lingua eorum transiuit in terra; idest contra Deum, & homines locuti sunt.

V. 10. Ideò; propter hæc, ad hæc consideräda; conuertetur populus meus hic; his ita se habētibus, & videbit, quod & dies pleni inuenietur in eis; aspiciet eorum prosperitatem; & quod viuant diutissimè. F

Atque ita ex illo Populo meo multi hæc considerantes;

V. 11. Et dixerunt: apud se cogitantes, & veluti dubitantes, Quomodo

A do scit Deus, & si est scientia in excelso? eò quod homines tam impij sinantur tam feliciter viuere.

V. 12. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt diuitias.

B V. 13. Et dixi: Ergo sine causa; S. Hier. Ergone sine causa, frustra, iustificaui; Chal. habet mundaui; cor meum, & laui inter innocentes manus meas; cum innocentibus vixi.

V. 14. Et fui flagellatus tota die. omni die, & ca-
C stigatio mea in matutinis: idest statim dum surgo incipit afflictio.

V. 15. Si dicebam: Narrabo sic: idest, vt benè P. Em. Sà; Dixi apud me, si ita statuo, & de tota hac re decerno; ecce nationem filiorum tuorũ reprobaui. certè id erit reprobare iustorum vitam. Nam, vt Apostolus ad Heb. c. 12. 7. *Quis enim filius, quem non corripit Pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri*, adulterini,
D & spurij; *& non filij estis*.

V. 16. Existimabam, vt cognoscerem hoc; Chal. cogitaui; q. d. diù, multumque hanc rem scrutatus sum, vt illam plenè intelligerem; sed labor est ante me.

V. 17. Donec intrem in Sanctuarium Dei;
E donec pateant secreta Dei consilia, & intelligam in nouissimis eorum, quem tandem finem habeant, & impij, & pij: ita P. Emm. Sà: sed etiam ipsa nouissima eorum non sunt aperienda, nisi in Sanctuario Dei existentibus.

V. 18. Verumtamen; idest, quod ad præsentem huius vitæ statum pertinet, illam ipsam impiorum prosperitatem, & felicitatẽ propter dolos posuisti eis; iusto tuo iudicio peccata eorum
F castigando permisisti eis, illam esse in laqueum, & in decipulam, vt cadant, dum efferuntur in altum, quod est deiecisti eos, dum alleuarentur; nam ecce

V. 19. Quomodo facti sunt in desolatio-

nem, subitò defecerunt: perierunt propter ini- A
quitatem suam. verè

V. 20. Velut somnium surgentium, quod statim auolat, & nihil illius permanet; Domine in Ciuitate tua; Chal. habet, in die Iudicij magni, cum resurrexerint. Verùm per *Ciuitatem* accipi potest ipse hic Mundus; in quo imaginem ipsorum, eorum gloriam, splendorem, diuitias, prosperitatem, omnia hæc, & similia, *imaginem*, & Apostolus 1. Cor. c. 7. v. 31. *figuram* huius Mundi prætereuntem vocat; ad nihilum rediges. B

Quæ cum ita sint, quid quæso causæ est, & an nè hæc causa sufficiens? (se ipsum, & in se S. Dauid alios redarguit, qui zelant super iniquos pacem peccatorum videntes, vt supra dixerat v. 3. non, inquam, hæc causa sufficiens est;

V. 21. Quia inflammatum est cor meum, & C
renes mei commutati sunt: subintellige, minimè verò è re fuisse commoueri propter rem nihili. Aliam deinde rationem dat, cur resiliat, & resiliendum omnibus sit ab illo zelo, quod malis benè sit; nam quod ad hæc bona temporalia attinet ait Dauid,

V. 22. & ego ad nihilum redactus sum, &
nesciui. Etiam ipse in posteris meis sensim, & quasi non aduertens à regio D
splendore deficiam. Et quidem etiam priusquàm in Regem à te eligerer;

V. 23. Vt iumentum factus sum apud te: licet autem vilis, & abiectus essem, vt iumentum; nihilominus tamen diuina tua bonitas, & benignitas erga me tanta fuit, vt semper me adiuuaret: & ego semper tecum. Insuper illa ipsa bonitate, & benignitate tua permotus; E

V. 24. Tenuisti manum dexteram meam, me erigendo, & in voluntate tua deduxisti me, promouendo ad regnum, & tandem me hominem ita nihili, ita vilem, cum gloria suscepisti me; idest, etiam in hac vita gloriosum, & honoratum fecisti. Atque hæc licet magna tua bona, & dona sint, cum spiritualibus tamen bonis comparata parua sunt; F

V. 25. Quid enim mihi est in cælo? à te præmij præparatum post hanc vitam? Dum illam eius immensitatem considero, extra me raptus exclamare cogor, O Domine, & à te quid volui super terram? præ illius desiderio; nam

A nam tu ipse mihi præmium, & merces magna nimis reseruaris; ideò

V. 26. Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei; verum ergo erit aliquando dicere, & experiri, & pars mea, possessio, & hereditas mea, quæ, qualis, quanta, quàm diuturna? *pars mea*, Deus in æternum. non potest melioribus verbis exprimi rei huius granditas.

B Perpensis ergo omnibus concludit nihil esse, vel debere esse mirum, quod initio videbatur, si ipsius *penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus*, per populi Iudaici reprobationem; nam causam reprobationis eorum assignans, ait;

V. 27. Quia ecce (in quo rerum omnium hactenus dictarum vertitur cardo) qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Qui deserendo te Creatorem, creaturis, & terrenis

C inhærent, iurè merentur à te deseri. Sed non sic ego, & alij mecum, absit; nam

V. 28. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.

Vt annunciē omnes prædicationes (opera digna laude, & prædicatione)

D tuas, in portis (palàm, publicè) filiæ Sion, in Ecclesia tua noua inter Gentes.

PSALMVS LXXIII.

Vt quid Deus, &c.

E

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXIII.

Intellectus Asaph.



MVltò amplius dolorem supra conceptum ad finem Psalmi 71. & ostensum 72. priori Psalmo hoc sequenti 73. exaggerat S. Dauid, quem etiam Psalmum, quia concernit, & attingit totam Iudaicam Congregationem, seu Synagogam, propterea etiam in-

F scribit *Intellectus Asaph*. Statim cum Psalmi initio prorumpit in gemitum, *Vt quid Deus repulisti*, &c. *repulsionis* vox, est phrasis ipsius Sancti Prophetæ ordinaria, qua denotat, atque intelligit Iudæorum desolationem, seu derelictionem, & à facie Dei, eiusque Ecclesia proiectionem. In decursu autem Psalmi, dum ingentia damna illata ipsis, Sanctuario, totique Regno, & ditioni, atque nationi ipsorum enumerat; licet ea ad diuersorum tempo-

rum calamitates, quas paſſi fuerunt Iudæi, accommodari poſſint; propriè tamen A
reſpiciunt illam vltimam, quando penitus per Romanos, exciſi exterminatique fuere; nam tunc plenè verificatus fuit v. 9. ***Signa noſtra non vidimus***, &c. Potentiſſimis etiam hoc Pſalmo (ab ipſo verſu 9. inchoando) & ad deprecandum aptiſſimis vtitur argumentis præſtitæ ipſis antea per tot prodigia protectionis, &c. quæ artificio, affectu, & facundia, quo nulla ars Rhetorica attinget, proponit, & perorat.

P. Lorinus ex ſententia Ianſenij, & Valentiæ aliorumque notat ad quorumnam temporum calamitates Pſalmus hic applicari poſſit; & cenſet, conuenire etiam B
illi, quæ per Mahometanos iam diù affligit Eccleſiam.

Ego verò, ſi de Pſalmi applicatione agatur: illum propriíſſimè accommodatum eſſe illis calamitatibus cenſeo; quando (quod proh dolor! temporibus hiſce noſtris contingit) Ciuitates, Prouinciæ, & ipſa Regna, eorum peccatis ſic exigentibus, hæreſibus, hæreticisque in ſuammet ipſorum perniciem præualentibus, Sancta, Romana, Catholica, Orthodoxa, atque Apoſtolica Fide priuantur. Certè ſi detur ipſis ***Intellectus Aſaph***, hoc Pſalmo incluſus, etiam ipſi magno luctu ingeminabunt; ***Vt quid Deus repuliſti***, &c. Cæterum Pſalmus ad literam continet C
quod dictum eſt.

Itaque S. Dauid inherens concluſioni, quam priori Pſalmo fecerat, quod ***perituri eſſent, qui ſe à Deo elongarent***; & perdendi, qui eo contempto, qui ſummum bonum, & pulchritudo eſt, ſordido creaturarum amore inquinati, illis potius adhærent; inhærens, inquam, illi concluſioni, & propoſitis ſibi ante oculos mentis illis temporibus, quibus poſt aliquot ſæcula illam re ipſa in Populo ſuo adimpletam cernebat perditionis, & reprobationis lamentabilem illationem, ad ſibi familiarem luctum, & lugendi modum ſe ipſum conuertit. D

PSALMVS LXXIII.

Vt quid Deus repuliſti in finem: Chal. habet; ***in æternum***; & denotatur illa valdè longa diuturnitas, quæ etiamnum durat, deſolationis Iudæorum: iratus eſt furor tuus, ſuper oues paſcuæ tuæ? E
vis eſt; quod, & tam diù ***in finem***, & ***ſuper oues***, quæ aliquando fuerant, & quidem valdè charæ, ***paſcua tua***; quas ipſe regebas, & paſcebas: huic motiuo inſtat;

V. 2. Memor eſto congregationis tuæ: quam poſſediſti ab initio. Ipſi Iudæi, ſiue Iſraelitæ erant, quos ſibi ex omnibus Populis elegerat F
Dominus ab initio. Illos ex Ægypto;

Redemiſti virgam hereditatis tuæ: qui erant tāquam regnū tuum hereditarium: mons Sion, in quo habitaſti in eo. hæc interrupta eſt

A est propositio, quam talem vtique solet vehemens dolor facere; est autem hæc connexio; quasi diceret; quid dicam? *mons Sion*, *in quo*,&c. vastatus est. id etiam P.Emm.Sà subintelligit;& omninò subintelligendum esse colligitur ex v.sequenti;

V.3. Leua manus tuas, nos adiuuando, & compescendo hostium insolentiam, & superbiã, in superbias eorum in finem; idest, quas superbias, quem suum furorem, cedes, vastationesque,&c. maximè exercebunt *in finem*, quando *mons tuus Sion* tradetur Ro-
B manis exercitibus vastandus; quæ vastatio cum vltima fuerit, & maximè diù duratura esset, *in finem* dicitur, & verè huic vltimæ, vel maximè conuenit; quanta malignatus est inimicus in sancto! quanta mala egit in sanctuario! Ipse Titus ingemuit.

V.4. Et gloriati sunt, qui oderunt te: in
C medio solemnitatis tuæ. in medio loci, vbi solemnitates tuæ celebrabantur; Templum indicat.

Posuerunt signa sua, signa. S.Hierony. habet *in trophæum*; vt sit sensus; eo sacro loco profana sua signa Gentiles statuisse, quæ essent signa victoriæ contra illum populum olim Dei veri cultorem obtentæ.

V.5. & non cognouerunt; P. Sà ait, quantum defendum esset Templo;hoc autem in parenthesi dicitur; nam quæ sequuntur, continuantur cum signis, quæ
D dixit eos posuisse signa victoriæ; sicut in exitu super summum; vt in portis Ciuitatum fieri solet, super excelsa loca. P. Sà.

Quasi in silua lignorum securibus

V. 6. exciderunt ianuas eius in idipsum:
E (omnes scilicet pariter vnanimi furore) in securi, & ascia deiecerunt eam; solemnitatem tuam.

V.7. Incederunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Hæc allegat, quia maximè apta ad permouenda corda. Mach.2.c.3.dicitur, ille locus, & Templum, *quod per vniuersum Mundum honoratur pro sui veneratione, &*
F *sanctitate*; & v. 18. *Alij gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo, quod in contemptum locus esset venturus*.

V.8. Dixerunt cognatio eorum simul: hostes, vtpotè idololatræ, quiescere faciamus omnes dies festos

Dei

Dei à terra. Et certè etiam consecutum est, id quod in Diuini tui honoris detrimentum cedit; nam A

V. 9. Signa nostra, solita miracula, non vidimus; iam non est propheta: & nos nō cognoscet amplius.

Neque deinceps etiam ad nos mittetur, nisi sub Mundi finem; sed hæc nimis diuturna mora est; interea verò temporis de Te, ò potentissimè, & fidelissimè Deus, dici poterit, quod tua Maiestas, vel non potuerit, vel noluerit nos Populum suum B
adiuuare. Et hoc

V. 10. Vsquequò Deus improperabit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finē?

Hoc ipso argumento ad impetrandum Moyses vtitur, Exodi c. 32. v. 12. *Ne quæso dicant Ægyptij: callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra:* quod argumentum ideò est potens, quia coniunctum cum gloria ipsius Domini, C
repetit infra v. 18.

V. 11. Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio sinu tuo, cessans scil. illam proferre, vt adiuues, & quidem in finem? in tam longinqua vsque tempora.

V. 12. Deus autem, an non; subintellige, omninò tu ille ipse es, Rex noster D
ante sæcula, qui ab initio semper Deus, & Rex noster fuisti, qui operatus est salutem, qui solebat nos adiuuare in medio terræ, palàm, toto orbe conscio, quæ, & quanta auxilia nobis de cælo mitteret. Verè enim, ò Deus, (enumerat illa; simili oratione vsus Isaias c. 63. à v. 11.)

V. 13. Tu confirmasti in virtute tua mare, E
solidum reddendo, & per eius medium aperiendo in profundo viam populo per illud transeunti; è contra verò eius hostes Ægyptios insequentes; contribulasti capita draconum in aquis ijsdem, quibus fuere submersi Ægyptij, draconum nomine significati. P. Sà.

V. 14. Tu confregisti capita draconis Pharaonis: F
dedisti eum cū toto eius exercitu escam populis Æthiopum.

cadauera eorum ad litora maris rubri proiecta cesserunt in prædam, cibum, & escam feris, bestijs, & auibus circa ipsa litora degentibus, & comeantibus; atque sic per *populos* feras quaslibet intelligit, sicut Prouerb. 30. 25. dicitur etiam *For-*

mi-

A *mica populus infirmus*, &c. *lepusculus plebs inualida*, &c. Quod autem Æthiopum meminit, per hoc insinuatur non tantùm proiecta fuisse cadauera in litora maris rubri præcisè, sed etiam ad maiorem miraculi ostensionem procul per litora ipsa Æthiopiæ fuisse dispersa, provt in naufragijs fieri assolet.

V. 15. Tu dirupisti fontes, & torrentes, vt Chal. *erumpere fecisti è rupe*, siue è petra percussa fontes, &c. tu siccasti fluuios Ethan. Id factum, ait P. Lo-
B rinus ferè omnes interpretantur, quando Iordanem Dominus, vt ingrederentur terram sanctam Hebræi, exsiccauit; dici autem pluraliter *fluuios* ob magnitudinem Iordanis, aut quia plures in eum influunt.

Et hæc quidem, quæ hucusque enumerauit, planè insignia Dei beneficia Populo illi exhibita, accommodatissima erant ad placandam eidem Diuinam Maiestatem: quid verò sibi vult, quod sequentibus duobus Versibus interserat quædam, quæ toti planè Orbi terrarum sunt communia? quæ non minus erga Iudæos, quàm Gentes quaslibet, siue Dei erga eas amorem ostendunt, siue earum in ip-
C sum gratitudinem exigunt?

V. 16. Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram, & Solem.

V. 17. Tu fecisti omnes terminos terræ:
D æstatem, & ver tu plasmasti ea. P. quidem Lorinus hìc solùm ait, quod S. Dauid *à mirificis illis potentiæ diuinæ effectis, in Hebræi Populi gratiam, & beneficium declaratis, transit ad communia cunctis creaturis*. Verùm si nihil addatur huic explicationi, certum est, hos versus non cohærere consequente connexione cum reliquis, & proponi extra propositam intentam materiam, quæ fuit deplorandi calamitates Populi Iudaici, & adductione beneficiorum iam ante ipsis exhibitorum diuinam benignitatem eis propitiandi. Id autem consequentissimo, quem hactenus vidimus, S. Prophetæ stylo nimium quantum repugnat?
E Dicendum ergo est (iuxta dicenda in Isaiæ c. 21. v. 12. & dicta supra Psalmo 18. v. 3.) S. Dauidem sub hac *diei*, & *noctis* propositione, & insinuatione (de quo dubium nullum esse poterat, quod scil. eiusdem Domini illa essent; *Tuus est dies, & tua est nox*, &c.) dicendum, inquam est, per hæc ipsa, & reliqua, quæ ijsdem versibus enumerat, eum intelligere, & humiliter, atque instanter Deo proponere; quod ille ipse status, & rerum ordo, siue felicium præparatarum in die Euangelij prædicandi Gentibus, siue infelicium desolationis, & noctis subsecutæ Iudæis, in manu, & potestate ipsius Domini esset; proinde hoc ipsum repræ-
F sentat, quod Diuina ipsius Maiestas possit adhuc misericorditer, provt, voluerit constituere, & efficere, vt etiam Iudæi *die, aurora, Sole, vere, & æstate fruantur*, vnà cum alijs tam multis, ipsis scil. *terminis orbis terræ*, quibus hæc ipsa tanta bona Euangelij, & Ecclesiæ præparata sunt; quæ quidem bona Euangelij exprimit per ver, & æstatem, loquens conformiter dictis à se supra Psalmo 64. à v. 11. vbi eadem Ecclesiæ bona proposuerat sub ijsdem symbolis; *Visitasti ter-*

terram, *& inebriasti eam*, *lætabitur germinans*, &c. *campi replebuntur vbertate*, &c. A
Ex quibus colligitur tantùm abesse, aliquid contra propositam initio materiam his duobus versibus interseri, vt potius vel maximè per eos crescat oratio, fiatque ex illis vrgentissima deprecatio; quasi diceret, cum tua omnia, & in potestate tua hæc sint, quin etiam nos Populum tuum Iudaicum adiuuas? quem si deleras, quod paulò ante dixi (& rursus repeto, atque obsecro) non solùm *nocte* miserrima inuoluendus est, sed etiam hostibus præbenda occasio improperandi. Itaque.

V. 18. Memor esto huius, inimicus improperauit Domino, iuxta dicta v. 10. *improperauit*, præteritum pro futuro, quia certò improperaturus est; quod Dominus Populum suum saluare vel non potuerit, vel noluerit; atque ita populus insipiens incitauit nomen tuum. S. Hier. habet, *blasphemauit*; Chald. *execratus est nomen tuum*; nam hoc pacto te, aut impotentem, aut immisericordem faciunt. B

His, vti vidimus, potentissimis rationibus, veluti machinis ad obtinendam diuinam miserationem adhibitis, ad conclusionem orationis suæ deprecatoriæ accedit, & ait; hæc cum ita se habeant, ò Domine, C

V. 19. Ne tradas bestijs animas confitentes tibi; ne, obsecro, deserendo gratia tua eos, qui modò te laudant, in te credunt, teque confitentur, permitte illos, vt in prædam, & direptionem veniant *bestiarum*; non tantùm sæuos, & crudeles homines per bestias intelligit; sed multò magis inordinatas, & effrenes animi passiones, & concupiscentias, quibus tradendi erant Iudæi à Deo deserti; & consequenter per easdem *bestias* ipsos Dæmones accipit, sub quorum tyrannicam potestatem erant venturi; ne ergo *tradas*, &c. & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem, vt in tam diuturna vsque ad finem Mundi tempora eas gratia tua, & donis destituas. D

V. 20. Respice in testamentum tuum, quod nobiscum, & cum Patribus nostris pepegisti: & quis ferat? si aliquando exclusis nobis ab illo tuo testamento dicatur; quia repleti sunt, quia diuites facti sunt, & in diuitias nostras, nostrámque abundantiam ingressi illi, qui obscurati sunt terræ, qui prius viles, & ignobiles erant, oriundi domibus iniquitatum; progeniti parentibus peccatoribus. Hìc Gentiles describit, qui verè in eorum locum ingressi in testamentum, *& repleti sunt*, siue vt Beatissima Virgo, & Dei Mater, Domina nostra in Cantico suo hùc fortè respiciens loquitur; *esurientes impleuit bonis*, Luc. 1. 53. reliqua etiam versus per omnia Gentilibus conueniunt. *Respice* ergo *in testamentum tuum*, &c. E F

V. 21. Ne auertatur, ne repellatur à te; humilis factus con-

A confusus; nulla enim hac cõfusione maior: pauper, & inops laudabunt nomen tuum, si eos à te non auertas. Quia ergo illi tui iuris sunt, quia sunt de testamento tuo, & ad illud testamentum tuum pertinent;

V. 22. Exurge Deus, iudica causam tuam, defende, & patrocinare ipsi causæ tuæ, quia te ipsum hæc causa concernit:
B memor esto improperiorum tuorum, de quibus dixi (sæpius hoc punctum attingit, tanquam valdè potens ad placandum, vtpotè coniunctum cum gloria ipsius Domini) eorum, quæ ab insipiente sunt tota die. vtique insipienter arguebatur Deus vel infirmitatis, vel immisericordiæ; nihilominus has ipsas insipientes voces aduersus Deum prolatas cuperet S. Dauid occasionem præbere Deo misericordiæ erga populum suum exercendæ; propte-
C rea postulat;

V. 23. Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit, crescit, semper.

D

PSALMVS LXXIV.

Confitebimur tibi, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXIV.

E

In finem.

Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.



IAm verò quid pro Psalmi huius sequentis dicendum est Argumento? si connexionem, & cohærentiam, vt hactenus factum, sectemur; necesse planè est, quàm remotissimè recedere ab ijs Argumentis, quæ alij Interpretes eidem Psalmo statuerunt, quæ cum veluti viæ, & quidem
F à multis tritæ sint, per eas non incedere, errare velle, esse videtur.

Verùm immunes nos ab omni errandi suspicione dum reddit ipsa connexio, & cohærentia, in qua sola via est, & ipsa regia, illi potius insistendum est: non quidem per hoc damnando, vel improbando alias aliorum Expositiones; sed tantum astruendo huius certitudinem nulli prorsus errori obnoxiam; & addendo, quod illæ ipsæ ab hac diuersæ aliorum Expositiones, vt constet, quàm literales sint, ad

Lydium hunc bonæ cohærentiæ, & consequutionis lapidem reuocandæ omninò sint, & examinandæ. A

Itaque si connexionem, cohærentiam, atque rerum, & Psalmorum consequutionem, & coordinationem spectemus, Psalmus hic ad literam, & primarium Sancti Dauidis intentum non est de futuro Iudicio, neque de delinquentium supplicijs, neque de iustorum præmijs, neque de Iudice Christo, aut alijs eiusmodi, quæ à diuersis Expositoribus posita, & à P. Lorino, atque etiam alijs referuntur Argumenta: sed potius insistendo præiactis initio fundamentis Obiect. 1. §. 4. & seqq. Psalmus hic continet, & continuat idem omninò Argumentum, quod priori Psalmo est expositum; deprecationem scilicet pro Populo Iudaico non perdendo. B Id colligitur ex connexione, quam hic Psalmus cum Psalmi illius & Titulo, & contextu habet. Certè Titulus est; *In finem. Ne corrumpas*, quod ipso P. Lorino Expositore idem sonat, atque *ne disperdas*; & subintellige, Populum, de quo est sermo. Et ne dubium remaneret, esse prioris Congregationis, seu Synagogæ Iudaicæ sermonem, provt paulò ante fuerat, additum est; *Psalmus Cantici Asaph*; quia scilicet ab ijs, qui intellectum iam habuerunt de illo seuerissimo Dei decreto, quo statuerat, propter peccata deserere illum Populum, esset Psalmus hic decantandus; ab illis, inquam, vel eorum nomine à bonorum, qui in illo Populo, Ecclesia, Synagoga, vel Congregatione erant, quam *Asaph* significat. Additur, quod C sit *Psalmus Cantici*; quia ad placandam populo Iudaico Diuinam Maiestatem fit hoc Psalmo oblatio obsequiorum, & laudum eidem Diuinæ Maiestati persoluendarum. Hoc autem connexè, atque consequenter dici hìc, & fieri, probatur. Nam si Sanctus Propheta Dauid, provt paulò ante vidimus, hinc quidem cernat Messiam apud Gentes tanta gloria ipsius Domini, & earum Gentium bono regnantem, provt Psal. 71. cum nobis expressit; inde verò videat Populum suum D eiusdem Domini (qui ad eos primariò missus fuerat) præsentia, fauore, & gratia destitutum; nonne amarissimè defleat? id equidem, vt dixi, cum ipso fine illius Psalmi 71. facit; prosequitur luctum suum, & querelas 72. auget lamentationes 73. Quod verò mirum in modum excrescens, & auctus iam dolor persuadebat, si quomodo Diuinam Maiestatem placare, & reprobando olim Populo suo propitiam reddere posset; spondet ipse in persona illius Populi, & Synagogę loquens; spondet, inquam, promptissima erga ipsam Diuinam Maiestatem obsequia, in futuras omnes ætates exhibenda. Hę certè esse solent afflictorum, & supplicum E fortissimæ ad expugnandum machinæ, maxima ad obtinendum argumenta, & motiua, quæ vtique suggerebat ille cordis Sanctissimi Dauid inhabitator Spiritus, qui *postulat pro nobis*; id est, postulare facit, *gemitibus inenarrabilibus*. Rom. 8. 26.

Si ergo loquentem pro Populi Iudaici Congregatione, siue in eius persona inducamus S. Dauidem illo, qui iam dictus est, modo, quàm compositus, quàm ad persoluendum aptus, & quod caput est, quàm consequens est sermo. *Ne repellas Domine*; vel *ne corrumpas*, &c. v. 2. *Confitebimur*, &c. *Narrabimus*, &c. v. 3. *Cum accepero tempus*, quod mihi prorogari, & perpetuum dari postulo, in tuis diuinis obsequijs, *ego iustitias iudicabo*, sanctitati maximè accuratissimè, toto animo vacabo. Sed hęc, vt & reliqua, Explicatio dabit. F

Hæc omnia, vt singulorum explicatione magis patebit, ita concordant, & cohærent cum prioribus, vt etiam cum sequente Psalmo maximè coniungantur: sed hic prius est exponendus.

Igitur

A Igitur prout dictum eſt, S. Dauid ad auertendam à Populo ſuo terribilem reprobationis, & deſolationis ſententiam, hìc ſuo, & eorum omnium nomine inſtantiſſimis precibus offert Diuinæ Maieſtati promptiſſima ſeruitutis, & laudis eiuſdem obſequia perpetuis futuris temporibus pendenda; maximè quia meminerat, ab eadem Diuina Maieſtate obiectum ſupra Pſal. 49. 17. fuiſſe; *Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum*, &c.

Igitur ne quid ad id, quod tantopere intererat, intentatum permitteret, quod miſerorum, & proximè damnandorum eſt, obteſtatur, & ſpondet; ſi parcas, Do-
B mine, & vt parcas;

PSALMVS LXXIV.

V. 2. Confitebimur tibi Deus: Confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

C **Narrabimus mirabilia tua**, non ſolùm antiqua, quæ nobiſcum operatus es; ſed etiam hæc ipſa noua, quæ veniam concedendo nobis tam ingratis, & ſceleratis, gloriam tuam mirum in modum extollent. Verum quidem eſt, eiuſmodi & tam grandia eſſe ſcelera, & ingratitudinem noſtram; vt hanc ipſam proiectionem noſtri à facie tua mereantur; ſed

V. 3. cum accepero tempus veniæ, quod mihi prorogari, & perpetuum per-
D durare in tuis obſequijs poſtulo; **ego iuſtitias iudicabo**; totum me pietati, ſanctitati, diuino tuo cultui impendam; & recta (quod habent Hier. & Chal. apud P. Emm. Sà) *iudicabo*, ſubintellige, eadem acturus.

Neque ſolùm, quæ diuini cultus tui ſunt, omnium primò, & maximè, vt vigeant, & peragantur, efficiam; ſed etiam ea omnia, quæ, vt iuſti ſint populi mihi ſubiecti, neceſſaria exiſtant, fideliter adimplebo. Neque me illud terret, quod tua etiam ſententia, ò Deus, *populus iſte duræ ceruicis ſit*, Exod. 32. 9. nam ſi non
E abijcis, etiam ipſi conuertentur; ſiquidem

V. 4. Liquefacta eſt terra vi diuini tui verbi, **& omnes, qui habitant in ea,** ſi parcis; **ego confirmaui columnas eius:** efficiam, vt in officio, in lege tua ſtent fortiter primi quique de Populo, qui tamquam columnæ eum debent ſuſtentare. Dicam etiam inferioribus quod id, quod aliàs etiam ſæpè dixi;

F **V. 5. Dixi iniquis: Nolite iniquè agere: & delinquentibus: Nolite exaltare cornu:**

V. 6. Nolite extollere in altum cornu ve-

ſtrum: nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem. Neque tantùm hortator illis ad bonum, ſed minarum etiam tuarum, earumque horribilium intentator ero. Terrebo eos; A

V.7. Quia neque ab Oriente; ſcil.eſt, qui poſſit à Dei ira eripere; P.Emm.Sà; neque ab Occidente, neque à deſertis montibus: & quid mirum, neminem eſſe qui poſſit eripere? B

V.8. quoniam Deus iudex eſt, omniſcius, omnipotens, qui

Hunc humiliat, & hunc exaltat, provt Diuinæ eius Maieſtati libuerit.

V.9. quia calix in manu Domini, calix diuinæ punitionis, C vini meri; ideſt potentis irę; plenus miſto, non aqua, vt ſolet; ſed vt Chald. habet, miſtione amaritudinis.

Et inclinauit ex hoc in hoc; ideſt effudit, non in duo quaſi pocula, ſed in diuerſas partes ex eodem calice, verumtamen fęx eius non eſt exinanita, ideſt, exhauſta; bibent omnes peccatores terræ. D His, & eiuſmodi minis peccatores à malis abſtraham, ait, pro ſe, & populo ſuo deprecans S. Dauid; qui non paruerint illi quidem bibent, & pęnas ſuæ impietatis luent;

V.10. Ego autem annunciabo; nunquam deſinam ea ipſa inculcare, & prędicare in ſæculum: cantabo Deo Iacob laudes, & gratiarum actiones, ſi fuero miſericordiam conſecutus. E

V.11. Et omnia cornua: per hæc, vt etiam ſup. v.5. & 6. intelligitur peccatorum hominum faſtus, ſuperbia, præſumptio, diuitiæ, &c. peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iuſti. Huc vſque promptiſſima obſequiorum oblatio ad placandam Diuinam Maieſtatem. F



PSAL-

A

PSALMVS LXXV.

Notus in Iudæa, &c.

B Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi LXXV.

In finem, In Laudibus,
Pſalmus Aſaph.
Canticum ad Aſſyrios.



Vgubres Dauidis pro Synagoga inſtantias, ſeu preces inſtantes pro ea apud Deum proximis Pſalmis audiuimus. Nunc hoc Pſalmo, quæ ſit Dei ſententia inſinuatur. quæ quidem ſententia, quia
C neceſſariò concernebat, inde quidem Synagogam, pro qua deprecatum fuerat, ne reijceretur; hinc verò Gentium multitudinem, quę in eorum locum erat aſſumenda; propterea hæc duo pulcherrimo artificio in ipſo Titulo connectit, quando illum inſcribit: ***In finem, In Laudibus, Pſalmus Aſaph. Canticum ad Aſſyrios.***

Priori Tituli parte per *Pſalmum Aſaph* denotat Congregationem, ſeu Synagogam Iudæorum, de qua fuerat etiam ante ſermo ſub hoc ipſo nomine, vt vidimus.
D Poſteriori autem per *Canticum ad Aſſyrios*, oſtendit eundem Pſalmum concernere (& quidem quoad læta, & cantanda) Gentes, ſignificatas per *Aſſyrios*, & quidem illas vel maximè Gentes, quæ tunc rerum, & orbis dominabantur, quales erant Romani.

Quod autem per Aſſur, & Aſſyrios Romani Gentiles intelligantur à Diuina Scriptura, in multis, & ſæpius oſtendetur, & probabitur, Iſaiæ cap. 7. v. 17. & c. 10. v. 24. Etiam Caſſiodorus, Ruffinus, Beda, Haimo, quos citat, & ſequitur P. Lorinus hic; *Ad Aſſyrios*, in bonam partem interpretantur, aiuntque ſermonem eſſe ad fide-
E les, qui iam fidei Regulis docti, rectis ſemitis ambulare contendunt. Ad has ergo duplices tam diſtantes, & differentes partes ſermo dirigitur.

Iam verò, vt totius Pſalmi contextus, & verborum, quæ in eo proponuntur proprietas, & veritas conſtet. Obſeruandum hìc eſt, quod ſupra Pſal. 64. iam notatum fuit in voce *Sion*, & *Ieruſalem* (poſteaquam iam migraſſet Eccleſia Chriſti, ex carnali, & terrena Ieruſalem) illorum nomine ſignari, & appellari ipſam Chriſti Eccleſiam, quæ vera eſt Deo dilecta, & *pace* plena Ieruſalem. Similiter dicendum de voce *Iudæa, Iſrael, Iacob*, &c. per eiuſmodi voces (dum eas ſenſus, & con-
F textus ſacer adfert ad laudem) venire, & intelligi Iudæam Chriſtianam, Iſrael, & Iacob per repromiſſionem. Id quod etiam ſæpè in Iſaia dicendum erit, & dictum eſt etiam ſupra Pſalmo 64.

His ſuppoſitis ad id, quod proximè ſe ſe Synagoga (vel Rex Dauid pro ea, & toto Populo Iudaico, vt dictum eſt) offerebat præſtandum; *Confitebimur*, &c. *narrabimus*, &c. reſpondetur hoc Pſalmo.

Ita-

Itaque quamuis Diuinissimus Spiritus, quia amor est, ardentissimis affectibus, A
vt iam sæpè vidimus, perurgeret S. Dauidem ad preces, & obsecrationes, quibus Iudaico suo Populo Diuinam Benignitatem exoraret, atque ab eo luctuosam illam desolationem auerteret; nihilominus, quia ille ipse Sanctissimus Spiritus Deus pacis est, diuina sua inspiratione efficiebat, vt eius seruus, vir secundùm cor suum, totus in Domini sui dispositione, atque ordinatione suauissimè conquiesceret.

Hanc animi sui quietem, & pacem prodit præsenti Psalmo, dum exponens, quæ sit voluntas Domini, & quod ea non esset amplius futura cum Iudaico illo Populo, neque acceptaturus esset ab eo obsequia, laudem, confessionem, & mi- B
rabilium suorum prædicationem, *Canticum ad Assyrios*, hunc ipsum Psalmum proponit; quo iuxta dicta ostendit Dominum renunciare omnibus sibi oblatis Iudæorum obsequijs, seque non egere illorum laude, & celebratione diuinissimi sui nominis per eos exhibenda; eò quod aliam sibi Iudæam, alium Israelem, aliamque Sionem in qua confessionem, laudem, & gloriam cumulatissimè accepturus esset, sibi delegisset. Quam verò res hæc potens est ad superbos Iudæorũ, & quorumvis aliorum minus benè sese Deo probantium animos consternandos?

Decretum ergo Domini, quod cum dictis Psalmo 71. per omnia conuenit, at- C
que cum illis cohæret, & ad proposita, tribus interiectis Psalmis iam explicatis, respondet, & satisfacit, proponitur hoc Psalmo, & est sequens; nil opus est Domino Iudæorum obsequijs, iam enim in noua Iudæa

PSALMVS LXXV.

V. 2. Notus in Iudæa Deus: Sanctum Dauidem, per *Iudæam*, voluisse intelli- D
gere non ipsam terram Palæstinæ, sed spiritualem, & nouam Iudæam, in qua veri Dei confessio vigeret, quæ est sola Sancta Christi Ecclesia, præter iam dicta, illud ipsum comprobat, quod præfixerit Titulum, *Ad Assyrios*. Quibus Assyrijs (si de veris agitur) cum Psalmum non ederet, neque ipsis animus esset prædicandi, quomodo diceret, & ad quid? quod *notus in Iudæa Deus?* Hinc euincitur per eiusmodi voces non ipsas voces, sed quod sub ijs latebat, illud, quod dictum est, mysticum significare voluisse, similiter etiam in sequentibus conformiter ad dicta E
sup. Psalmo 64. in Israel magnum nomen eius. Qui est Israel per repromissionem fidelis populus Christianus. Ipse Dominus sine illa antiqua Ierusalem habet aliam nouam etiam Ciuitatem, Pacis visionem, Ecclesiam Sponsam suam, in qua

V. 3. Et factus est in pace locus eius: & quia ab illa nunquam recessurus est; & habitatio eius in Sion, quæ est illa ipsa Ecclesia Sancta Romana, vt F
quæ Romæ sedem suam statuit; nam (clarè illam S. Dauid indicans ait) quod

V. 4. Ibi confregit (Dominus pro illa ibidem firmanda) potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. per hæc intelligendæ sunt omnes

A nes persecutiones, & martyriorum carnificinæ, quibus fuere insectati Ecclesiam Romani Ethnici. Ibidem etiam

V. 5. Illuminans tu, ò Domine, mirabiliter à montibus æternis; dum cælesti Sanctissimi Spiritus tui luce, & doctrina de cælo illuminas Prædicatores Fidei tuæ.

V. 6. turbati sunt omnes insipientes corde.

B Vicisti omnem humanam, & terrenam Mundi sapientiam, eorum, quorum etiam D. Paulus Rom. 1. 21. ait, fuisse *obscuratum insipiens cor eorum*. Atque ita qui contra Ecclesiam pugnabant,

Dormierunt somnum suum; è medio per mortè sublati; & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in mani-

C bus suis. Omninò

V. 7. Ab increpatione tua, te eos iuxta scelera ipsorum puniente, Deus Iacob, qui fideles tuos seruos protegis, qui Ecclesiam tuam, per Iacob significatam, tueris; dormitauerunt, mortui sunt, qui ascenderunt equos, ipsi persecutionum Duces, & auctores. Hos intelligit hoc loco, nam alios ordinarios paulò ante nominauerat.

D Dum igitur primò quidem tam seuerè punitis Iudæis, & desolatis Ecclesiæ tuę, deinde ad Gentes profectæ de hostibus tam potentibus tam celebres victorias concessisti, quis non miretur? quis non exclamet?

V. 8. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? nemo omninò: attingis enim à fine vsque in finem fortiter. Sed ex tunc, ab ipso tempore, quo in tantis maximarum persecutionum conflictibus, & procellis Ecclesia tua versabatur, neque superabatur, & obruebatur,

E cæpit elucere, & innotescere ira tua diù optata, quæ in Idololatriæ, & scelerum Mundi demolitionem, & abolitionem desæuiebat; (sic esse explicandam hanc particulam Versus ex dictis supra Not. 6. atque etiam ex hic sequentibus constat) atque hoc pacto ad Fidei tuæ sanctæ, & Euangelij Prædicationem;

V. 9. De cælo auditum fecisti iudicium: illud ipsum iudicium tuum, quod paulò ante Passionem tuam, Ioan. c. 12. 31. præ-

F dixeras imminere Mundo, nunc re ipsa dum Apostoli, & nuntij pacis à te missi prædicauerunt Euangelium vbique, te ipsorum Domino cooperante, & sequentibus signis admirabilibus, quæ in Fidei tuæ sanctæ confirmationem exhibuisti; *De cælo auditum fecisti iudicium*. ad hanc tam nouam, quàm admirabilem Fidei tuæ lucem, & ad illa tam admiranda, quæ per eam patrabantur opera, & ad incredibilem populorum, qui toto Orbe ad eam conuertebantur multitudinem,

terra

terra tremuit, & quieuit. Sacro quodam horrore, necnon excitatis, quod neceſſe erat, perſecutionibus, dum alij idola desererent, & deteſtarentur, alij pro ijs ſtarent, *terra tremuit*, ſed pacatis poſtea perſecutionum tumultibus, *quieuit*. nimirum commotio hæc, & quies fieri debebant, & facta ſunt, tunc A

V. 10. Cum exurgeret in iudicium Deus, illud ſuum,& toti Mundo optatiſſimum iudicium, de quo iam ſæpius dixi,& ſæpè dicendum eſt,quia miſericordia plenum eſt, ſcil. vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ; illos, quos per totum Mundum, in tot Populis, Gentibus, Tribubus, & linguis habebat de ouibus ſuis. Licet verò hoc opus vires omnes, omnemque cogitationem humanam excedat, vt nimirum ſaluentur *omnes manſueti terræ*, tamen ſicut ſtatuiſti,ò Domine, ita executioni mandabitur; B

V. 11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: Cum illud peractum fuerit, quicunque factum viderit, quod fieri poſſe, ne cogitatione quidem prius concipere potuiſſet homo (nam cogitationes mortalium timidæ,& incertæ prouidentiæ noſtræ,Sap.cap.9.v.14.) *cogitatio hominis confitebitur tibi*,tibi laudem,tibi benedictionem,tibi gloriam dicet, quod talia, & tanta, tam admiranda, & obſtupeſcenda, quæ omnem hominis cogitationem excedunt, ſis operatus. C

Neq; verò ſolùm tunc,cùm primùm in orbe ad Fidem tuam conuerſo apparuerint,& viſa fuerint hæc mirabilia opera tua tali, vt dixi,modò, ò Deus mirabilium operator i laudaberis, & benediceris; ſed in futura etiam ſecula, & ſibi ſucceſſuras hominum fidelium tuorum generationes permanebit recentiſſima, & gratiſſima memoria tantorum operum à te in Mundi conuerſione, & Eccleſiæ tuæ inter Gentes fundatione patratorum; atque ſic, etiam & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Hæc eſt breuis, & conſequens explicatio perdifficilis huius Verſus. Plures alias adfert P. Lorinus,ſed,quæ cum connexione, & cohærentia,quæ hìc quæritur,non ſtant. Quam dixi, ita priora omnia vnit, vt etiam mirificè duos ſequentes Verſus connectat. D E

Nam, vt in Argumento Pſalmi inſinuatum fuit, his duobus Verſibus ſalubris datur admonitio Chriſtianis omnibus, vt ex ijs, quæ cum illis Dominus tam potenter,tamque miſericorditer operatus eſt,ſeſe non efferant,neque altum ſapiant, ſed timeant;

V. 12. Vouete, cum ſupra ad Pſal. 21. & aliàs ſæpè dictum ſit, per Vota intelligi Sacramenta Corporis,& Sanguinis Domini, eiusque incruentum Sacrificium, etiam hìc per *Vouete*, eadem commendantur, & ſimul etiam inuitantur fideles ad alia Vota Diuinæ Maieſtati offerenda; ſed *Vouete*, & reddite, nullus ſit in Diuino eius cultu languor, nulla tarditas in reddendo Dño Deo veſtro: oẽs qui in circuitu eius affertis munera. F

per *circuitum eius* non ſolùm intelligit circum Altare, vt ait P.Emm. Sà; ſed com-

ple-

A plectitur omnes Christi fideles toto orbe sparsos, ad quos est hic sermo admonitorius, qui etiam benè dicuntur esse *in circuitu eius*, eo quòd ad vnam Sanctam eius Sponsam Ecclesiam spectent; *Vouete ergo, & reddite* illi *Domino Deo vestro*, non tantùm omnipotenti, & misericordissimo; sed etiam, vt ex iam dictis animaduertitis,

Terribili.

B V. 13. & ei, qui aufert spiritum principum,

provt cum Synagoga fecit, non solùm eos, eorumque Principes per mortem auferendo, sed etiam gratiam suam ab eis subtrahendo; & etiam terribili apud reges terræ. de quorum sæuissimis persecutionibus (ipsis regno priuatis, & ad inferos damnatis) fecit Ecclesiam suam triumphare. In hoc ergo tota admonitio, & cautela versatur, vt quod D. Paulus, Rom. c. 11. 20. dicebat, fidelibus omnibus; *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè,*

C *nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate*, &c. Hæc omnia, cum iuxta propositum Argumentum consequenter in Explicationem venerint, constat illud vnicum esse Psalmo Argumentum; non verò vaticinium destructionis Assyriorum sub Sennacherib; quia id nec connexio, nec textus patitur.

PSALMVS LXXVI.


D

Voce mea, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXVI.

In finem, pro Idithun.
Psalmus Asaph.

E



T in hoc Psalmo quærenda est cum reliquis antecedentibus, & consequentibus connexio, & cohærentia, quam, adiuuante Domino, ex ipsis cum antecedentibus, & consequentibus Psalmis, & ijs, quæ illi continent, item ex eius Titulo, & vniuerso eius contextu facilè deprehendemus. Hìc autem reuocandum in memoriam recurrit, quod initio notatum est; Titulos idcircò additos

F fuisse Psalmis, & fronti eorum affixos, vt ex ijs (quasi aliqua Epigraphe statuis, vel ianuæ domus affixa) sciremus, quid illi continerent. Ex quo sequitur non habendam magnam rationem, qualesnam illi Cantorum Præfecti, vel viri illi fuerint, quorum nomine inscripti aliquando Psalmi leguntur; sed cum illa sola de causa, vt dictum est, Tituli sint Psalmis additi, aduertendum potissimùm est, quid significationis contineant illa nomina, quàmve conuenientiam, & congruentiam

habeant ad indicandum id, quod deinde in Psalmo est inueniendum. Hoc enim omni Inscriptioni, & Titulo est essentiale. A

His breuiter adnotatis: quandoquidem supra S. Dauid cum Christi Ecclesia apud Gentes operante, & patiente persecutiones morabatur; posteaquam tanto effectu pacificum Christo suo, & Domino Nostro Regnum optasset, & obtinendum quàm gloriosissimum prædixisset, illiusque occasione ea, quæ luctus, & lamentationis ob Synagogæ desolationem erant, adiunxisset, & tandem priori Psalmo, vt vidimus, Decretoriam Domini sententiam statuisset. His positis ad illa inchoata, & in quibus totus est, non tam redit, quàm (interiectis illis, quæ coniunctissima erant, expeditis) illam ipsam suam materiam continuat, & hoc etiam B
Psalmo ostendit, quonam pacto Christi Ecclesia inter durissimas persecutiones fortissimè substiterit, & felicissimè sit progressa in Gentium ad Fidem conuersione. Vt indicetur hunc Psalmum continere ea, quæ Ecclesiæ Christi sunt, Titulus ponitur, *In finem, pro Idithun. Psalmus Asaph. Idithun*, vt supra dictum, quia transilientem significat, Christi Ecclesiam, eiusque Fideles indicat. Vt autem pertinere ostendatur Psalmus ad vniuersam Ecclesiam, additum est etiam *Psalmus Asaph.* Quonam pacto, vt dictum est, Ecclesia fortiter in persecutionibus steterit, à versu C
2. vsque ad 14. dicitur. Quàm felicem cursum habuerit in conuersione Gentium toto Orbe terrarum, à 14. vsque ad finem pulcherrimis rerum metaphoris, & symbolis declaratur.

Sed ne Versus vltimus 21. qui est, *Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi, & Aaron*, det ansam opinandi, quod S. Dauid ad literam hoc Psalmo locutus sit de transitu maris rubri cum Populo Israelitico. Notandum est, quod aliàs sæpè in Isaia, & supra etiam in Psalmis accidit, alludere quidem Sanctos Prophetas ad eiusmodi Historias, cæterùm per eas nobis Christiana nostra significare; quo- D
modo enim, exempli causa, hoc loco, & Psalmo ad literam, & iuxta mentem suam voluisset loqui de transitu filiorum Israel per mare rubrum, si tota prima pars Psalmi ei nullo modo conuenit? si cum antecedentibus, & consequentibus nullo modo connectitur? quod tamen necesse est reperiri in Diuinis scripturis, etiam Propheticis, & Psalmorum, quæ omnes connexissimæ sunt, & consequentissimæ. Illa igitur ad duos illos summos Populi Israelitici Principes allusione S. Dauid (cùm hoc Psalmo exposuisset abundantissimam Gentium è mari Gentilitatis conuersionem) denotare voluit Sanctissimos Apostolorum Principes Petrum, & E
Paulum.

Itaque admonitionem sibi ad cautelam factam postremis iam explicati Psalmi verbis grato animo acceptans Ecclesia Christi, atque etiam hactenus, ait (prout in Psalmi Argumento dictum est) omninò

PSALMVS LXXVI.

F

V. 2. Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi clamanti, meque exaudiuit;

V. 3.

A V. 3. In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte eleuatis,& extensis cōtra eum: coràm eo, siue ad eum manibus expansis in multam noctem permansi orans, & non sum deceptus spe mea, quam habui me exaudiendum, & auxilium obtenturum non sum frustratus. Grauissima autem, & acerbissima mea fuit afflictio, in qua proinde

B Renuit consolari anima mea; hæc verba, ipsam afflictionis grauitatē,& magnitudinem indicant, sicut etiam illa planè similia Ierem. cap. 31. vers. 15. *Vox in excelso audita est lamentationis luctus, & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt*. In tanto mœrore, cum nulla humana, vel adesset, vel sufficeret consolatio;

V. 4. memor fui Dei, & delectatus sum, &

C exercitatus sum; orandi,& meditandi studio totum me tradidi; & defecit spiritus meus tam intensione meditationis fatigatus, quam suauitate diuinæ consolationis supra omnem humanum modum recreatus. Ideò

V. 5. Anticipauerunt vigilias oculi mei: anteuerterunt vigiliarum custodes oculi mei, dum ante illos surgerem; P. Em. Sà. Vrgentibus deinde varia vicissitudine aduersis,& afflictionibus,

D turbatus sum, & non sum locutus: adeò turbatus, vt loqui non possem, aut non liberet. Videtur Sanctus Dauid his versibus planè exactè descripsisse mores,& consuetudinem (quæ primis ijsque diuturnis etiam postea Ecclesiæ temporibus vigebat) habendi Vigilias siue Nocturnos,& Antelucanos Conuentus, de quibus Plinius Iunior, & passim in Ecclesiasticis historijs. In ijs orationum, & meditationum exercitijs;

E V. 6. Cogitaui dies antiquos, quibus scilicet tuos erigere solebas, ait hic P. Emm. Sà; & omninò, vt sequenti Psalmo,& alijs aliquibus patebit, illa, quæ cum antiquis Patribus Veteris Testamenti Dominus fecit multa magnalia, ea ad informationem, instructionem, eruditionem, & profectum suum sumit Ecclesia, deque ijs sæpiùs, & gratissimo animo meminit; tam ergo *dies illos antiquos cogitauit*, quàm etiam, & multò magis, ait, & annos æternos in mente habui: idest illam mihi,& fidelibus omnibus promissam à Sponso meo felicitatem, quam

F idcircò *annos aeternos* vocat, quia *vsque ad consummationem sæculi* est duratura, vt Matt. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Dum illa promissa mihi pax, tranquillitas, & felicitas adueniret, interim persecutionibus circumfrementibus;

V. 7. Et meditatus sum nocte cum corde

O 2 meo,

meo, & exercitabar, protractis pijs illis orationum, & meditationum exercitijs,& nequæ maculæ in me diuinos oculos offenderent, etiam simul, & scopebam spiritum meum. Cum verò diutiùs,& ad ipsa tria sæcula protraherentur persecutiones, earum tam acerbitate, quàm diuturnitate pressus, & nimium quantum afflictus, dicebam (loquitur S. Dauid in persona Ecclesiæ) dicebam, inquam (nam hoc verbum etiam de P.Emm.Sà sententia est subintelligendum) A

V. 8. Numquid in æternum proijciet Deus; esto diuturnæ, & nimium protractæ videantur persecutiones, & calamitates; nihilominus *Numquid*, &c. aut non apponet; non permouebitur,qui misericordissimus est, vt complacitior sit adhuc, vt breui reddatur placatus? B

V. 9. Aut in finem, perpetuò, misericordiam suam abscindet,à generatione in generationẽ? C

V. 10. Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua, dum tanquam filios nos castigat, & corripit; misericordias suas? ita continebit, vt simul illas in nos non effundat? Potentia sunt hæc ad animum erigendum argumenta. D

Hac certa spe fretus, quod Deus pro infinita sua benignitate id non esset facturus, sed auxilio suo cælesti opportuno tempore esset adfuturus; perstiti fortiter donec illud adueniret; quo tandem obtento exhilaratus,confortatus,ac veluti in vitam reductus;

V.11. Et dixi, Nunc cæpi: tandem victis, & sublatis persecutionibus, & facta tranquillitate,quasi nunc primò incipio; nam antea sic eram,quasi non essem,cum antea nullo in loco tutò mihi consistere liceret; & omnes persequerentur, & ad mortem quærerent; nunc è conuerso omnia succedunt prosperè. Certè hæc mutatio dexteræ Excelsi, in qua patentissimè elucet omnipotens virtus dexteræ tuæ. Propterea & cum inter aduersa colluctarer; E

V.12. Memor fui operum Domini: & post hoc tam potens auxilium, quo tantam mutationem fecisti, promitto; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, eorum scil. quæ non tantùm nunc operatus es, tranquillando mihi Gentilitatis mare, & subijciendo eam Ciuitatem, quæ maximè aduersabatur, & obstabat; sed etiam illorum *mirabilium* tam multorum, quæ antequam ad hoc perueniri posset,cum toto F

ter-

A terrarum Orbe, tum vel maximè in hac ipsa Vrbe patrasti in Sanctorum Martyrum tuorum certaminibus, Confessorum virtutibus, Prædicatorum Fidei signis, & portentis. Insignia planè opera Dei recensent circa hæc, quæ hìc insinuantur, Ecclesiasticæ Historiæ. De his ipsis operibus potius, quàm de alijs Mundi materialis, ait,

V. 13. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.

B Illa ipsa opera iam insinuata continent admirabiles adinuentiones Dei, cuius solius fuit, & sapientiæ, & omnipotentiæ, opponere sapientibus Mundi homines piscatores, diuitibus pauperes, Tyrannis truculentissimis teneras Virgines, constituere in morte vitam, in sanguine Martyrum semen Christianorum; nimirum;

V. 14. Deus in sancto via tua; sicut has tuas adinuentiones in Vnigenito Filio tuo Domino nostro inclusisti, & in eodem voluisti eas elucere tamquam in exemplari; ita ijsdem maximè conspicuos effecisti eius fideles; ita vt

C eadem planè *via*, per quam ipse præcessit, & illi incederent. Grandia planè, prorsus admirabilia hæc sunt. In his tantis quis Deus magnus, sicut Deus noster?

V. 15. tu es Deus, qui facis mirabilia. Nam sicut paulò ante

D dicebam, dando Ecclesiæ tuæ post persecutiones pacem, nemine iam obsistente, & Euangelij cursui obicem ponente;

Notam fecisti in populis virtutem tuam: ex quibus (cum *crederent quot quot præordinati erant ad vitam æternam*. Act. 13.48.)

V. 16. redemisti in brachio tuo, in virtute tua, seu prædicatione Fidei Vnigeniti tui

E populum tuum, filios Iacob, & Ioseph; qui scil. per repromissionem erant tales; nam quod de his intendat loqui, satis expressit, dum dixit; *notam fecisti in populis* (vtique Gentium; nam hæ veniunt per *populos*) *virtutem tuam*. Quod autem Gentiles conuersos intellexerit per illos *filios Iacob, & Ioseph*, etiam sequentibus Versibus declarat; nam subiungit;

V. 17. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te

F aquæ: *aquæ*, vt Apoc. c. 17. 15. *quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ*. Certum est eo loco D. Ioannem de Roma Ethnica loqui, quæ sub se, & dominio suo continebat illos populos, gentes, & linguas, quas paulò ante etiam S. Dauid insinuauerat. Consequenter id, quod addit; & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi; refertur ad ipsam Romam Ethnicam, & Romanum Imperium, quod vnà cum *aquis*, populis, Gentibus, & lin-

linguis, tanquam profundior, vt re ipsa erat, *abyssus*, seu *abyssi* (cum in illa viri Principes essent, Reges, & Imperatores hostes Ecclesiæ infensissimi) *turbata sunt*. Turbata est ipsa tota, quanta A

V. 18. Multitudo sonitus aquarum, populorum scil. Romano Imperio subiectorum. Per hanc ipsam *multitudinem sonitus aquarum* innuitur illa ingens confusio superstitionum, & sectarum, quæ Romæ erat; nam benè, ac verè de ea S. Leo, vt aliàs notatum, illa *Ciuitas ignorans suæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium seruiebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem*. Plura supra. Hæc multitudo sonitus aquarum, & abyssi turbatæ sunt, dum B

vocem dederunt nubes. Ad literam, vt in Argumento insinuatum est, sub hoc nubium vocem dantium symbolo S. Apostoli, & Fidei Prædicatores intelliguntur; sicut etiam in sequenti parte Versus;

Etenim sagittæ tuæ transeunt. Item id ipsum vult; C

V. 19. vox tonitrui tui; per sagittas, seu fulmina, & per vocem tonitrui vim, atque potestatem diuini verbi exprimit, quam Dominus ostendit in rota Orbis terrarum, tempore Prędicationis, quando

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, & contremuit terra. Hæc licet aliqui literaliter velint dici de ijs, quæ facta sunt in mari rubro, vt Exodi 14. narratur, nihilominus sentiendum, vt dictum est; nam eodem Capite, nullos nubium fragores, pluuias, fulmina, tonitrua extitisse legimus, cum mersi sunt Ægyptij; nam sic ait Sacer Textus eodem cap. 14. à v. 22. *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & læua. Persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum:* quonam autem modo hæc interfectio peracta fuerit statim explicat, dum ait; *& subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum*; & infra distinctiùs ostendit non ab immissis desuper imbribus, tonitrubus, fulminibus, coruscationibus, &c. id factum, sed quia Dominus dixerat ad Moysen, *Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus*. Similiter neque Sapientiæ cap. 19. vers. 7. vbi transitus per mare rubrum describitur, vlla fit eorum mentio. D E F

Illi ergo Versus scil. 17. 18. & 19. iuxta mentem S. Dauidis, imò & phrasim eius propriam, qua etiam suprà Psalmo 17. vsus fuit, intelligendi sunt de Fidei Christi prædicatione facta toto Orbe, & admirandis, quę eam consecuti sunt operibus. Similiter etiam Versu sequenti 20. dum ait,

V. 20.

A V. 20. In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcētur: alludit quidem ad iam citatam hiſtoriam; ſed illam tangens, re ipſa Chriſtiana noſtra proponit, & decantat; quod ſcilicet, magis quàm olim obſtupeſcendo miraculo; *In mari* Gentilitatis *via tua*; viam tibi aperuiſti ad illos, & illis ſimul viam tuam ad te perueniendi patefeciſti in mari tam vaſto; *& ſemita tua* illæ anguſtæ,
B quas Euangelium docet, promulgatæ iam ſunt, & ſuſceptæ apud Gentes, & Populos Nationum *in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur*; illa promulgatio, & ſuſceptio Doctrinæ Euangelicæ ita ſenſim facta, vt penè non aduertentibus hominibus totum Orbem terrarum peruaſerit.

Atque etiam hæc, quæ hoc verſu dicuntur, eſſe à S. Dauide intenta cum illa alluſione, inde conſtat; quia ad literam in mari rubro vna ſola via aperta fuit; nullę verò in eo fuere ſemitæ, vt patet ex Exod. cap. 14. & Sap. cap. 19. v. 7. ait; *In mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis*
C *natio tranſiuit*, &c. Neque obſtat, quod Pſal. 135. v. 13. dicatur; *Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones*; nam ſignificat ſolùm, quod ſeparauerit hinc inde aquas.

Ex his colligitur, non niti ſtabili fundamento illam illorum ſententiam, qui putant, mare rubrum diuiſum in vias duodecim pro numero Tribuum duodecim; nam obſtant citati textus ex Exodo, & Sapientia.

Sic ergo his mirabilibus patratis per conſtantem Fidei Prædicationem;

V. 21. Deduxiſti, ò Deus, in Eccleſiam, ſicut oues popu-
D lum tuum collectum ex Gentibus, quia apud illas etiam de populo tuo ad vitam æternam præordinato tam multi erant; deduxiſti, inquam illum, vt olim Iſraeliticum in manu Moyſi, & Aaron; ita modò Populum Chriſtianum è Gentibus collectum deduxiſti opera SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & aliorum, qui eos ſunt ſubſecuti, prou vt dictum, & explicatum eſt in Argumento.

E

PSALMVS LXXVII.

Attendite popule meus, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi LXXVII.

Intellectus Aſaph.

F ET planè eductis iam è mari Gentilitatis innumeris Gentibus, idque in manu ſupradictorum Populi Chriſtiani Principum Apoſtolorum, aliorum Sanctorum eorum ſucceſſorum, & in Eccleſiam congregatis in vnum, quid aliud reſtabat, niſi, vt ipſi Populo ſuo Chriſtiano Legem ferret?

Id omninò facit hoc Pſalmo valdè prolixo, non quod prolixam illis Legem da-

daret (cum potius Lex eius compendiosissima sit Lex amoris) sed quod ad ani- A
mandum Populum suum è Gentibus conuersum ad seruandam illam suam Le-
gem amoris, Populi Iudaici, quem deseruit, obstinationem, & peruicaciam illis
ante oculos, ne vnquam imitarentur, necesse fuerit proponere, prout multis om-
ninò circa peruersos, & ingratos eorum mores differitur. De his hoc Psalmo
agi indicat eius Titulus, qui est; *Intellectus Asaph*. Quod nimirum sermo sit ad
vniuersalem Ecclesiam, non Iudaicam, sed Christianam, quam Dominus instru-
ctam, & eruditam, sibique per omnia obsequentem vellet; hoc autem ita esse,
colligitur; primò ex pœnis, quas recenset, quibus diù puniuit, & tandem perdi- B
dit Iudæos: secundò patet ex versu primo, quo clarè se loqui ait, ad Populum
suum, scil. illum per Apostolorum Prædicationem conuersum, de quo imme-
diatè ante sermo fuerat; *Attendite popule meus*; & v.8. causam assignans cur illum
sic adhortetur, subiungit illam esse; *ne fiant sicut Patres eorum, generatio praua, &
exasperans*, quos propterea in exemplum non imitandum adducit, enumerando
quæ in ingratos contulerat beneficia. Per quæ S.Dauid progreditur vsque dum
ad ea perueniat, quæ suæ Tribui; deinde quæ suæ Familiæ; & tandem quæ sibi
Dominus liberalissimus elargitus fuerat; ex quibus ipse pulcherrimo deinde ar- C
tificio transitum facit ad Psalmum sequentem, vt dicetur. Nunc autem Christia-
no Populo suo Dominus, sic in Ecclesiam suam, vt dictum est, congregato, Le-
gem suam commendat; atque ad eam obseruandam eos hortatur; ne, si secus fa-
cerent, viam ingratorum Iudæorum sequerentur; qui post tam multa beneficia à
Deo accepta (quæ etiam fusè enumerat) nequaquam probi effecti meruerunt à
Deo derelinqui. Ne quid ergo simile (vt dictum est in Argumento) nobis con-
tingat;

D

PSALMVS LXXVII.

Attendite popule meus legem meam: & vnũ popu-
lum nominat; & quia in vnum populum fidelem ex multis nationibus coaluerat,
plurali numero ait; *attendite*. Hoc thema esse huius Psalmi, confirmat S. Mater
Ecclesia, quæ in Introitu Missæ Feria sexta post Pascha alloquens fideles suos, E
præsertim recenter baptizatos, vtitur huius Psal. verbis, *Attendite popule meus*, &c.
inclinate aurem vestram in verba oris mei.

V.2. Aperiam in parabolis os meum: planè ad id vide-
tur allusisse S.Dauid, quod postea Dominus, Matth.5. præstitit, quando *aperiens
os suum docebat eos*; & sine parabolis non loquebatur, loquar propositiones ab initio. F
Hæ non solum reconditos sermones, & vt Chald. habet, *ænigmata*; idest occulta
quædam, seu vulgò ignota significant; verùm etiam indicant in Lege compen-
diosa Euangelij summam rerum omnium ad vitæ sanctitatem, & æternam salu-
tem, necnon sublimissima quæque Mysteria omnem humanum captum exceden-
tia contineri.

Atque

A Atque ex hoc etiam colligitur veritas propositi Psalmo Argumenti; eo scilicet verè commendari obseruationem Legis nouæ Euangelicæ; nam Lex vetus eiusmodi sublimia, recondita, & abstrusa non continebat; & cùm nihil ad perfectum adduceret, potissimùm varijs cæremonijs, baptismatibus, & elementis Mundi huius occupatos detinebat ei subiectos.

Legem ergo *meam attendite popule meus*, ait S. Dauid in persona Domini, siue eius Ecclesiæ; in ea intellecturi estis ea omnia tam multa, & magna,

B **V.3. Quanta audiuimus, & cognouimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis.** Cum in hoc versu ly *quanta* non sit interrogatiuum, sed simpliciter expressiuum, insinuatum planè sensum reddit: quod scilicet in Lege Euangelica intellecturi essent fideles ea omnia, quæ *patres nostri*, antiqui scil. Patriarchæ, & Prophetæ *narrauerunt nobis*; & proximè ipsi S. Apostoli. Cum sermo hic sit ad Christi fideles potissimùm ex Gentibus conuersos, qua veritate dici possint Patres eorum Patriarchæ, & Prophetæ, colligitur ex Doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ 1.2. q.107.a.1. vbi ait; *fuerunt tamen aliqui in statu veteris Testamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales, & aeternas, & secundùm hoc pertinebant ad Legem nouam*. Hoc ergo pacto dicendum est, eos ipsos Sanctos Patriarchas, & Prophetas, aliosque Viros Sanctos veteris Testamenti magis ad nos Christianos pertinuisse, quàm ad Iudæos, si quidem nos in eadem, in qua ipsi fuerunt Fide Sancta sumus, eumdemque Dominum, quem ipsi venturum prædicabant, venisse credimus, & confitemur.

C

D Hac etiam ratione dicendi sunt ijdem Sancti Patriarchæ, & Prophetæ *narrasse nobis* potius, quàm Iudæis; siquidem eorum nobis, non illis notitia communicata est. Propterea, vt in Præuijs ad hoc ipsum Psalterium Capitibus notatum fuit, D. Petrus Act. cap. 3. v.23. ad ipsos Iudæos, qui ad miraculum sanati claudi ad Speciosam Templi Portam mendicare soliti concurrerant, aiebat; non solùm Moysen Deut. c.18. 15. sed etiam *& omnes Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiauerunt dies istos*. Et sic per continuatas successiones illa, quæ annuntiauerunt, & narrauerunt SS. Patriarchæ, & Prophetæ,

E **V.4. Non sunt occultata à filijs eorum, in generatione altera;** sibi enim illa transmittebant, qui pij, fideles, & sancti erant.

Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Ne quando diuturnitate temporum obliuioni traderentur;

F neque contentus Dominus illa Patrum traditione; insuper

V.5. Et suscitauit testimonium in Iacob: scripto voluit sancire Legem, vt statim explicat: **& legem posuit in Israel.** In ea Lege suscitata, scripta, & tradita antiquis Patribus, illa valdè multa continebantur,

Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis: & similiter voluit, vt ea ad posterorum omnium notitiam peruenirent; A

V. 6. vt cognoscat generatio altera.

Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis. B

V. 7. Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei: & mandata eius exquirant. Hæc omnia, sicuti tunc in eum finem dirigebantur, vt boni essent, & Legem illam antiquam seruarent illi antiqui; ita modò omnis hæc Domini ad populum suum adhortatio eò spectat, vt Legem Euangelicam omni studio, & pietate colant; C

V. 8. Ne, si secus fecerint, fiant sicut patres eorum: quia Christi Ecclesia primis temporibus constabat ex fidelibus conuersis tam è Iudæis, seu ex Circumcisione, quàm Gentibus, seu à præputio, dum ait; *ne fiant sicut patres eorum*, malos, & refractarios Iudæos intelligit, qui fuerunt generatio praua, & exasperans; talem ipse Dominus expertus est esse, & sæpè conquestus. Hinc ne tales fierent Christiani, pluribus deinceps proponitur Iudæorum peruersitas. D

Generatio, quæ non direxit cor suum: ad Deum se ipsam *non direxit*, neque ab eo dirigi se permisit; & non est creditus cum Deo spiritus eius: Diuinæ eius curæ, & prouidentiæ nunquam se ex integro tradidit: vel, vt Chal. non fuit fidelis in Deum. Hæc generatio, sunt E

V. 9. Filij Ephrem; idest Ephraim, seu Israelitæ, pars pro toto, vt benè notat P. Emman. Sà; intendentes, & mittentes arcum; sagittas arcus, periti sagittandi; conuersi sunt in die belli; terga vertentes hostibus cæsi sunt ob peccata, quia

V. 10. Non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare: F

V. 11. Et obliti sunt benefactorum eius: & mi-

A mirabilium eius, quæ ostendit eis. obliuio autem est proxima disposi-
tio, & causa ad ingratitudinem. Illa mirabilia Dominus patrauerat

V. 12. Coràm patribus eorum fecit mirabi-
lia in terra Ægypti in campo Taneos. Vrbs est regia.

B V. 13. Interrupit mare, & perduxit eos: &
statuit aquas quasi in vtre.

V. 14. Et deduxit eos in nube diei: & tota
nocte in illuminatione ignis.

C V. 15. Interrupit petram in eremo: & ada-
quauit eos velut in abysso multa.

V. 16. Et eduxit aquam de petra, & dedu-
xit tamquam flumina aquas. His quatuor versibus tria maximè stupenda Dei be-
neficia, & opera commemorat; in relatione autem horum mirabilium Dei ope-
D rum non seruatur inter ipsa ordo, & temporis ratio, quo illa facta fuere. Illis
tam insignibus Dei beneficijs, & operibus nihil obstantibus;

V. 17. Et apposuerunt adhuc peccare ei: in
iram excitauerunt Excelsum in inaquoso.

V. 18. Et tentauerunt Deum in cordibus
E suis: vt peterent escas, carnium scilicet, provt narratur Num. c. 11. non contenti manna, pane cælesti;
animabus suis.

V. 19. Et malè locuti sunt de Deo: dixe-
runt: Numquid poterit Deus parare mensam
F in deserto?

V. 20. Quoniam percussit petram, & fluxe-
runt aquæ, & torrentes inundauerunt.

Numquid & panem poterit dare; per panem intelligit cibum carnium; aut parare mensam populo suo? A

V. 21. Ideo audiuit Dominus, & distulit ingressum illis dare in terram promissam; nimirum peccata eorum obicem ponebant; & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel. Num. c. 11. habetur; *ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem.* Hac pœna mulctati, B

V. 22. Quia non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius. quamuis ipse antecedenter ostendisset quid posset, & quàm benignus, & liberalis esset in auxilio eis adferendo. nam C

V. 23. Et mandauit, mandauerat (hęc enim, quę sequuntur antecesserant illud murmur pro ollis carnium) nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, veluti ianuas cæli aperuit, dum ex nubibus aeris, quo hominibus non patet accessus, misit manna;

V. 24. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli desuper ex aere decidentem, dedit eis. D

V. 25. Panem Angelorum manducauit homo: Manna, eiusmodi, & tam pretiosus cibus erat, vt ipsos Angelos deceret vesci illo; sic potius explicandus Versus hic, quàm quod Angelorum opera factus fuerit ille panis; nam probabilius Dei opera factum, vt Vers. 24. insinuatur, *Et pluit illis manna ad manducandum*. Deinde cum hac explicatione magis stat antithesis, quæ sequitur, quod scil. ipsi non contenti hoc pane digno ipsis Angelis, *petierunt escas animabus suis*. Licet hæc indigna prorsus petitio, seu potius murmuratio esset, nihilominus etiam illa, cibaria, scil. carnium, misit eis in abundantia. Nam E

V. 26. Transtulit, impulit Austrum de cælo: & induxit in virtute sua Africum. Num. 11. 31. sic legitur: *Ventus autem egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & dimisit in castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus* F

bus

A *bus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccauerunt eas per gyrum castrorum.* Ex his intelliguntur sequentes Versus,

V. 27. Et pluit super eos sicut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pen-

B nata.

V. 28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

V. 29. Et manducauerunt, & saturati sunt

C nimis, & desiderium eorum attulit eis:

V. 30. non sunt fraudati à desiderio suo. Hanc intemperantiam coniunctam cum Dei iniuria, vt quem impotentem *parare populo suo mensam in deserto in cordibus suis*, necnon & murmurationibus palàm factis fecerant, subsecuta est pœna;

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum.

D Num. 11. 33 sic habetur. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat eiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentia.* Psalmista verò:

V. 31. & ira Dei ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum, primarios etiam è populo, & ele-

E ctos; Chald. habet iuuenes; Israel impediuit; Chald. prostrauit.

V. 32. In omnibus his, post hæc omnia, peccauerunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus eius.

V. 33. Et defecerunt in vanitate dies eo-

F rum, & anni eorum cum festinatione: quia scilicet morte in peccatorum pœnam plectebantur, aliàs vitam prorogaturi.

V. 34. Cum occideret eos, aliquos eorum, quærebant (scil. pauci alij) eum, & reuertebantur, & diluculò ve-

nie-

niebant ad eum. ſic etiam multi eorum conuertebantur; A

V.35. Et rememorati ſunt, quia Deus adiutor eſt eorum, & Deus excelſus redemptor eorum eſt. Verùm nequaquam fuit conſtans, & diuturna hæc eorum conuerſio. Nam

V.36. Et dilexerunt eum in ore ſuo; diligere ſe finxerunt; B
& lingua ſua mentiti ſunt ei; ſimulantes, & dicentes ſe diligere, cum verè non amarent; nam licet id lingua dicerent;

V.37. Cor autem eorum non erat rectum cũ eo: nec fideles habiti ſunt in teſtamẽto eius. C

V.38. Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet; futurum pro præterito, *fuit propitius* peccatis eorum, & non diſperdet eos: non diſperdidit, vel, non planè omnes, vt merebantur perdidit.

Et abundauit vt auerteret, multumq; auertit, iram ſuã: D
& non accendit omnem iram ſuam, quam merebantur, vt dictum eſt; nimirum benigniſſimus Dominus,

V.39. Et recordatus eſt, quia caro ſunt, homines fragiles, & ad lapſum procliues; ſpiritus vadens, & non rediens, vitæ breuis, & pertranſeuntis. Benignus quidem, & miſericors in eos Dominus; E
ipſi verò è contra;

V.40. Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, in iram concitauerunt eum in inaquoſo? Etiam ſupra verſu 17. conqueſtus eſt, quod *in iram excitauerunt Excelſum in inaquoſo*; quia nimirum ingens fuit ingratitudo ipſorum ita Dominum offendere *in inaquoſo*, ideſt vt Hier. in ſolitudine, poſteaquam ab illo è tam dura ſeruitute F
Ægyptiaca per tot, & tanta portenta erepti fuiſſent; & hoc ipſum ſequentibus Verſibus inculcat, & exprobrat;

V.41. Et conuerſi ſunt; ideſt licet ſubinde *rememorati ſint, quia Deus Adiutor eſt eorum, & ſanctus Iſrael redemptor eorum eſt* (provt paulò ante dixerat verſ. ſcil. 35.) nihilominus

A nus non diù in hac bona mente, & voluntate perstiterunt; sed *conuersi sunt* ad ingenium,& solitam cordis duritiam; & tentauerunt Deum; & sanctum Israel exacerbauerunt.

V.42. Non sunt recordati manus eius, die
B qua redemit eos de manu tribulantis.

V.43. Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos. Prius etiam versu 11. conquestus fuerat, quod obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium, quæ fecerat in terra Ægypti, in campo Taneos: ibi cum omisisset illa singillatim percensere, hoc loco id facit;

C V.44. Et conuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres (cum in Ægypto non pluat, per imbres intelligendi sunt riui fluminum, qui ipsis sunt loco imbrium) eorum ne biberent.

V.45. Misit in eos cœnomyam, (muscam caninã,) &
D comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.

V.46. Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.

V.47. Et occidit in grandine vineas eo-
E rum: & moros eorum in pruina.

V.48. Et tradidit grandini iumenta eorum, & possessionem eorum igni, idest, igni mixto cum grandine.

V.49. Misit in eos iram indignationis suæ:
F indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos, idest, malum inferentes, seu nocentes. P.Em.Sà.

V.50. Viam fecit semitæ iræ suæ, (idest, progressusque

(usque in ira sua) non pepercit à morte animabus eorum A
(quin occideret) & iumenta eorum in morte conclusit.

V. 51. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum (Hier. habet *partus*, quia vt P. Emm. Sà explicat, maximus in partu labor, &c.) B
in tabernaculis Cham; idest Ægyptiorũ, qui ex Cham sunt oriũdi. Hæc Ægyptijs; at verò Israelitis;

V. 52. Et abstulit sicut oues (pastorem se fuisse indicans) populum suum, & perduxit eos tamquam gregem in deserto. C

V. 53. Et deduxit eos in spe, securè, & non timuerunt. Initio quidem, provt Exod. c. 14. 10. timuerunt; nam *cum appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos, viderunt Aegyptios post se: & timuerunt valdè: clamaueruntque ad Dominum*, &c. sed mox à Moyse confirmati; *nolite timere: state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie: Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum.* Deinde omnem timorem sustulit Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, D
quando vt v. 19. eiusdem cap. 14. *abijt post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit inter castra Aegyptiorum, & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.* ipsi ergo hoc pacto protecti, & deducti *non timuerunt*, siue instantes à tergo Ægyptios, siue ante se patefactam ingredi viam in medio maris; quod illis quidem liberum transitum præbuit, sed non eorum hostibus: & inimicos eorum operuit mare. E

V. 54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, vbi constituerat sibi erigi Sanctuarium, & Templum; montem, quem acquisiuit dextera eius, eiectis Chananæis, vt statim subiungit; nam,

Et eiecit à facie eorum Gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. F

V. 55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum

A rum tribus Israel. Post hæc autem tanta nihilo meliores effe-
cti;

V. 56. Et tentauerunt, & exacerbauerunt
Deum excelsum: & testimonia eius non cu-
stodierunt.

B V. 57. Et auerterunt se, & non seruauerunt
pactum: quemadmodum patres eorum con-
uersi sunt in arcum prauum; quo non solùm in hostem vti
nequeas; sed etiam te ipsum
lædas vtendo.

C V. 58. In iram concitauerunt eum in colli-
bus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem
eum prouocauerunt.

V. 59. Audiuit Deus, & spreuit, spreuit sui
cõtemptores, &
D ad nihilum redegit valdè Israel. quando sequentibus pœ-
nis eos afflixit, qui ante
gloriosi, & formidabiles erant;

V. 60. Et repulit tabernaculum Silo: reliquit
primò
illud, postea relictu-
rus etiam Templum: tabernaculum suum vbi habita-
uit in hominibus. inter homines.

E V. 61. Et tradidit in captiuitatem virtu-
tem eorum: & pulchritudinem eorum in ma-
nus inimici. Arca eis erat, *virtus*; vnde sibi videbantur inuicti. S. Aug.
illa ipsa eorum pulchritudo; siue quod maximè pretiosum,
maximèque sanctum apud eos erat.

F V. 62. Et conclusit in gladio populum
suum: & hereditatem suam spreuit.

V. 63. Iuuenes eorum comedit ignis: per
ignem
intelligenda est vis belli, vrbium vastitates, & incendia; quibus & armis ferendis

apti, & imbelles absumuntur; & virgines eorum non sunt lamentatæ. S. Hieron. nemo occisas luxit. Sic etiam, quod grauius, & acerbius est. A

V. 64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur. Etiam hoc verbum ponitur, vt deponens significationis actiuæ: quasi dicat; nemo erat, qui fleret mortuos, vt P. Emm. Sà: vel simpliciter; *viduæ eorum* occisæ à nemine *plorabantur*. Post tot, tamque acerbas calamitates, ad auxilium ferendum B

V. 65. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino. qua similitudine solùm exprimitur diuturnitas temporis, quo Dominus eos in illis calamitatibus iacere permisit, tanquam si eorum penitus oblitus esset. Sed tandem liberauit. C

V. 66. Et percussit inimicos suos in posteriora: Chald. habet, hæmorrhoidibus; illa enim plaga affecti Philistæi; qua quidem plaga opprobrium sempiternum dedit eis. Multa de ea plaga P. Franciscus Mendoza noster. Innuere videtur Psalmista id quod ipse ait, eam plagam significasse. Post multas clades, quibus totus Israel attritus fuit in pœnam peccatorum; tandem etiam D

V. 67. Et repulit tabernaculum Ioseph: Chal. quod tetenderat in termino Ioseph, scil. in Silo, Vrbe Ephraim; & tribum Ephraim, reliquas Tribus intellige, non elegit ad regnum.

V. 68. Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit. E

V. 69. Et ædificauit sicut vnicornium (P. Emm. Sà ait, & benè; alto, & forti loco) sanctificium suum, sanctuarium, in terra, quam fundauit in sæcula; longissimo tempore, & perpetuò, si stetissent pactis, duraturam. F

V. 70. Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de

post

A post fœtantes accepit eum.

V. 71. Pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam.

V. 72. Et pauit eos, regnauit super eos, in innocentia cor-
B dis sui: Chald. integritate: & in intellectibus manuum suarum; prudentia, qua vsus est in operibus; deduxit eos.

Sic Sanctus Dauid hunc Psalmum terminat; siue potius materiam ex eius fine profluentem continuat, & prosequitur Psalmo 78. seq.

C PSALMVS LXXVIII.

Deus venerunt, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXVIII.

Psalmus Asaph.

D HOc verò Psalmo ad vniuersam Iudæorum Synagogam spectante acerbissimè luget illud vltimum eorum exterminium ipsis per Romanos inferendum. Licet enim ea, quæ luctuosissima hoc Psalmo dicuntur, ad alias etiam Iudæorum calamitates referri possint, & re ipsa ex S. Prophetæ mente, & intentione (secundaria tamen) 1. Machabæorum cap. 7. referantur (ad proditoriè interfectos viros illos præclarissimos ex Assidæis) nihilominus tamen ipse primariò illam vltimam, qua ab ipsis Dei Lex, & Ecclesia fuerunt ablata, & ipse luxit, & lu-
E gendam significare voluit. Quod ita esse ipse sacer Psalmi contextus persuadet; nam tunc solùm posita *fuit Ierusalem in pomorum custodiam*, v. 1. tunc demùm ipsi Iudæi *facti sunt opprobrium*, &c.

Quod autem ait P. Lorinus, Sanctos Prophetas Isaiam cap. 64. & Ieremiam cap. 12. alludentes ad hunc Psalmum loqui, & intelligere vastationem per Nabucodonosor, & Assyrios factam: id (vt ibi ostendendum est) omninò est negandum; nam & ipsi per illas calamitates vltimam omnium maximam lugebant, & prophetabant, quam dixi.

F Ad Sanctum Augustinum (ei tamen non aduersando, sed secundùm meam sententiam loquendo) propendentem magis hoc Psalmo enarrari Ecclesiæ persecutiones ob eam rationem, quod Iudæi tempore Titi, & Vespasiani indigni essent vocabulo *hereditatis Dei*: respondetur, vt supra dictum, hanc vocem ampliatiuè accipi, quia verè fuerant, & esse poterant hereditas Dei; & sic eos S. Paulus ad Rom. c. 9. v. 4. qui suo tempore licet obstinati in perfidia permanerent, &

multis lacrymis luget, & honorificentissimis titulis compellat; quod scil. *eorum est adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa; quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.* A

Itaque S. Dauid pro more suo, & rerum, quas prophetando decantabat, exigentia, digreditur paululùm ad lamentabilia. Dico *paululùm*, quia inchoatum sermonem, quo Dominus nouo Populo suo ex Gentibus collecto nouam Legem proponit, paulò post Psalmo scilicet 80. prosequetur. Dixi; digredi ad lamentabilia; nam licet talia sæpè recurrant, dici non potest ea esse superuacanea; eiusmodi enim affectus, (vt aliàs dictum est supra) necessitate quadam commouebantur in animo pientissimi & Prophetæ, & Regis; neque mirum; pro re tanta, quanta erat salus temporalis, & æterna integri, & antea tam dilecti Populi, ad cuius regimen ipse *de gregibus ouium, & de post fœtantes* assumptus fuerat à Domino, *pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam*: quod ipse etiam fidelissimè præstitit; & vt ipse de se paulò ante testatus fuerat; *Pauit eos*, &c. B

Quid igitur hic tam pius, & Sanctus Rex, Pastor tanti Populi constitutus; hic, qui vel in gregem patris sui tanto ferebatur affectu, vt quando *veniebat Leo, vel Vrsus, & tollebat Arietem de medio gregis, persequebatur eos, & percutiebat, eruebatque de ore eorum; & illi consurgebant aduersus eum, & apprehendebat mentum eorum, & suffocabat, interficiebatque eos. Nam & Leonem, & Vrsum interfecit* ipse. (1. Reg. c. 17. à v. 34.) quid, inquam, hic talis, tantusque Rex dicat, perspecta vltima eiusdem sui Populi vastatione, & desolatione? an non ex abrupto, nec lacrymas, neque cordis sui mœrorem continere vltra valens, exclamet? C

PSALMVS LXXVIII. D

Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam. Supra paulò ante v. 71. Psalmi prioris ipsum Populum Iudaicum vocauerat eius *hereditatem*; ad promouendum vtitur eodem termino; polluerunt templum sanctum tuum, quod etiam dixerat Dominum, *ædificasse sicut vnicornium sanctificium suum in terra, quam fundauerat in sæcula.* v. 69. quis ad tantam rerum commutationem non cohorrescat? insuper posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam: totaliter, & funditus eam vastarunt, vt solùm indicia remanerent, eam extitisse aliquando, vt paruæ custodiæ in hortis post collectos fructus. Hæc, & quæ infra recensentur, nunquàm plenè, nisi in vastatione per Romanos illata acciderunt; tunc etiam E

V. 2. Posuerunt morticina, idest cadauera, tam quæ gladio, quàm quæ fame, & peste interibant, seruorum tuorum, qui iuxta Legem, & Testamentum, quod à Deo habebant, eum colebant, vel colere debuissent, escas volatilibus cæli: carnes sancto- F

A rum tuorum (tales ob Legem ſanctam, vel erant, vel eſſe debebant) beſtijs terræ. Etiam ſanctos intelligit eos, qui ipſi Domino dedicati erant, vt Nazaræi.

V. 3. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non
B erat qui ſepeliret. Eorum calamitas, & cædes maximè mouere ſolent.

V. 4. Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.

C V. 5. Vſquequo Domine iraſceris in finem: etiam aliàs ſupra ob diuturnitatem calamitatis, & deſolationis ingemiſcit; nunquam verò illa ſic fuit in *finem*, quaſi ſemper, & perpetua, prout hæc, quæ per tot ſæcula etiam poſt exactum millenarium Annorum numerum perdurat: accendetur velut ignis zelus tuus? per *Zelum*, indignationem intelligit, quæ ipſa ex zelo, quem Deus gloriæ ſuæ habet, oriebatur; & cum tranquillitate ei contumaciter aduerſantes plectebat pœnis iam dictis. Ad quarum acerbitatem
D S. Dauid ait;

V. 6. Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Verſus hic aliquam difficultatem habet, quæ illa communi explicatione, quam ex S. Auguſtino adfert P. Emm. Sà, quod ſcil. *effunde*, &c. non optet, ſed prophetet, non ple-
E nè ſoluitur, ſaltem cum connexione conſequente; quid enim hìc faceret prophetia de *Gentibus, quæ non nouerunt Deum* puniendis, &c. & *regnis, quæ non inuocauerunt nomen eius* euertendis (nam hìc non de myſtica, ſed de ira, quæ pœnas adfert, vt clarè textus loquitur, eſt ſermo) quid, inquam, hìc faceret eiuſmodi prophetia, dum ſermo eſt de diuturnitate pœnarum, & deſolationis, qua Iudæi erant caſtigandi? Hac de re hoc loco agere, eſſet extra propoſitum. Dicendum ergo eſt, hoc verſu id Sanctum Dauidem omni animi demiſſione ſupplicem Deo inſinuare; nimirum quod (ſi quidem Diuina eius Maieſtas ſtatuiſſet, iuſtas de
F peccatis hominum pœnas ſumere) illi potius viderentur plectendi, qui ipſum *non nouerunt*, vel coluerunt, & *qui nomen ipſius non inuocauerunt*; non verò illi, quos ſupra verſ. 2. (quaſi ad hoc proponendum ſibi ſternens viam) dixerat *ſeruos*, cultores, & *ſanctos* eiuſdem ſuæ Maieſtatis exiſtere. Si ergo aliqui puniendi ſunt, videtur hæc pœna ad Gentes ſpectare, non ſolùm quia te non nouerunt, & non inuocauerunt; verùm etiam

V. 7.

V. 7. Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt: vastauerunt, & in solitudinem redegerunt, terras 12. Tribubus Israel promissas, & donatas. A

Hæc quidem S.Dauid eo modo, quo in magnis calamitatibus ad misericordiam, & gratiam impetrandam omnibus medijs, quæ aliquo modo seruire videantur, vtimur; verùm optimè conscius, id argumenti, quod iam proposuit, non esse ad euincendum efficax; & è conuerso sciens ob peccata populum suum illam pœnam esse commeritum, ea ipsa peccata deplorat, & vnam, solamque B
Dei misericordiam implorat;

V. 8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes (Chal. miserabiles) facti sumus nimis. C

V. 9. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum. D

V. 10. Ne fortè dicant in Gentibus: Vbi est Deus eorum? Etiam supra sæpè vsus est ad deprecandum hoc argumento; ne quid ipsius Dei gloria pateretur, tanquam eorum Deus saluare suos non posset. Addit adhuc aliam rationem, ob quam digni eiusdem Domini misericordia videantur; & innotescat in nationibus co- E
ràm oculis nostris.

Vltio sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est: sic vulgata; & valdè ad rem nostram, & ipsam veritatem, interpunxit hæc verba; eorum verò sensus est: hac (quam peto pro toto meo populo, ne illa vltima desolationis vltimæ pœna plectatur) misericordia, & indulgentia Domine, illam concedendo efficies, *vt innotescat in nationibus* apud F
omnes Mundi Populos, & Gentes, *coràm oculis nostris*, nobis in vita, & protectione tua seruatis, te pœnas sumpsisse de sanguine seruorum tuorum, quem eorum hostes Assyrij, Chaldęi, Persæ, Antiochi sæpiùs effuderunt; non est dubium in varijs, & tam multiplicibus, quas passi sunt calamitatibus, & cladibus multos iustos, & pios fuisse cum impijs trucidatos. Veniam ergo nobis dando, nosque seruan-

A uando, *innotescat vltio* tua iusta *sanguinis seruorum tuorum, qui effusus est*. Sic, sic etiam

V.11. introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. atratos, & catenis onustos reos ad veniam impetrandam etiam oratores insignes producebant; quid simile hic facit S.Dauid; insuper proponit spectandos etiam filios;

B Secundùm magnitudinem brachij tui posside filios mortificatorum. Chald. habet, traditos internecioni. Sic Machabæos afflictos fecisse legimus.

V.12. Et redde vicinis nostris: provt supra v.6. dictum est; siquidem pœna de peccatis sumenda, & iuxta malefacta cuique reddendum est; vicinis nostris hostibus, & persecutoribus nostris ob grauia eorum scelera reddendum esset

C septuplum in sinũ eorum; neque id illi propter sua scelera solùm illam septemplicem pœnam mererentur; sed etiam propter improperium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine; te infirmitatis, & impotentiæ condemnando; quando, & quoties, sic exigentibus peccatis nostris, nos in eorum manus tradebas castigandos. Illi igitur potius mererentur puniri, & plecti;

D V.13. Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ, cum simus, si parcas; confitebimur tibi in sæculum.

In generationem, & generationem annuntiabimus laudem tuam.

E

PSALMVS LXXIX.

Qui regis Israel, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXIX.

F *In finem, pro ijs, qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.*

PSalmo hoc 79. S.Dauid saluari saltem reliquias Populi sui Iudaici à Domino postulat; seque ipsum hac eorum, quos ex illo Populo Messias erat collecturus, salute consolatur. Propterea etiam Psalmum sic inscribit; *In finem, pro ijs, qui commutabuntur*; per quos etiam supra conuertendos, & saluandos

dos significari dixi; *testimonium Asaph, Psalmus:* quasi dicat; quod ijs tantùm hæc A
assertio, seu testimonium proponatur, qui ex vniuersa illa Congregatione essent per Fidem *commutandi*,& saluandi. Itaq; illam ipsam salutem S. Propheta eidẽ Populo, siue eiusdem Populi reliquijs precari prosequitur, adductis ad obtinendum multis rationibus. Quarum summa in eo sita est, quod totius illius Populi Pastor, Rex, atque Dux ipse Dominus semper extiterit; quod ipsum Populum tanquam vnam ouem habuerit,& vt vineam plantauerit. Quam autem vehemens deprecationis instantia contineatur hoc Psalmo, constat primò ex repetita toties illa
oratione, *Deus conuerte nos*,&c. vv.4.5.8.15.20. deinde ex eo, quod ad impetran- B
dum interponat ipsa Deo acceptissima Christi merita. Itaque

PSALMVS LXXIX.

V. 2. Qui regis Israel intende: ita ausculta, vt sis propitius, vt adiuues; repetit, & significat se C
qui deducis velut ouem Ioseph. orare pro Populo Israel, quem vocat Ioseph, non solùm, quia ex eo duæ Tribus ortæ, sed etiam,& vel maximè, quia ipse habitus est tanquam primogenitus; sic enim 1. Paralip.c.5. Ruben quidem primogenitus Israel, *sed cum violasset thorum Patris sui, data sunt primogenita eius filijs Ioseph filij Israel, & non est ille reputatus in primogenitum.*

In eo autem, quod S. Dauid ait, quod Dominus tanquam *ouem* illum tantum Populum *deducat*; insinuat, vt idem Dominus meminisse dignetur, quàm gratum,
& acceptum illum Populum habuerit; non aliter, quàm si etiam ipse Dominus ni- D
hil habuisset omninò. *prater ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & qua creuerat apud eum cum filijs eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.* 2.Reg. 12.v.3. Valdè consentaneum est, Sanctum Dauidem ad hanc Parabolam, quam in se ipso tam efficacem expertus fuerat, respexisse, eamque ipsi Domino, ne sibi tam dilectam ouem deserat, omni cum animi demissione proponere. Hoc motiuo ad impetrandum aptissimo præmisso, alia non minus propria, & ad eundem finem apta
subiungit; E

Qui sedes super Cherubim, manifestare
V. 3. coràm Ephraim, Beniamin, & Manasse. Ex eo, quod Dominus thronum suum, siue Regni sui sedem apud eos super Arcam, & Propitiatorium constituisset, S. Dauid instat, vt ipse Dominus omnibus Tribubus Israel (per illas tres, quas Arca præcedebat in
deserto, vt Num. 2. omnes alias intelligendo) se se manifestet: per manifestatio- F
nem autem hanc, siue aduentum eius ad eas, vt mox subiungit.

Excita potentiam tuam, & veni: non intelligit tantùm aduentum eius in carne, siue Incarnationem, & Natiuitatem temporalem, de qua hic non est locus tractandi; sed obsecrat, vt ejs se se per Fidei lumen manifestet, & in eorum

A eorum corda per idem lumen veniat, vt ipsi illum pauperem, humilem, & per ignominiam Crucis humanum genus liberantem agnoscant; sic ergo veni, vt saluos facias nos. Nam corporalem nobis quidem præsentiam tuam exhibebis; verùm

V.4. Deus conuerte nos: & ostende faciem tuam; itavt agnoscamus te; non autem agnoscitur, nisi per Fidem; & salui erimus.

B V.5. Domine Deus virtutum, exercituum, quousque irasceris, Chald. non recipies, irati enim non recipiunt preces, super orationem serui tui?

V.6. Cibabis nos pane lacrymarum: nulla causa dignior

C lacrymis; & potum dabis nobis in lacrymis in mensura? eaque maxima? S. Hier.

V.7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannauerunt

D nos. Præuidebat S. Propheta, & dolebat, quod eius Populus (vt nunc est) odio, despectui, & abominationi futurus esset omnibus Mundi hominibus: propterea id dolentissimo animo ferens, clamat,

V.8. Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus. Aliam adhuc ad expugnandum adhibet machinam: in mentem Domino reuocat, quod

E V. 9. Vineam de Ægypto transtulisti, hunc ipsum Populum: eiecisti Gentes, & plantasti eam in terra promissionis.

V.10. Dux itineris fuisti in conspectu eius:

F plantasti radices eius, & impleuit terram, non quidem vniuersam, sed magnam illam partem, quam mox insinuat;

V.11. Operuit montes vmbra eius: & arbusta eius cedros Dei: excreuit, & conspicua facta est, atque gloria, & altitudine æquabat altissimas cedros.

V.12. Extendit palmites suos vsque ad ma- A
re magnum, seu mediterraneum, & vsque ad flumen propagines
eius; vsque ad Euphratem. Saltem ipsius Dauidis, & Salomonis tempore eiusmodi spatia, quæ fusiùs in libris Regum describûntur, habuit.

Iam verò etiam hac vineæ tam pulchræ, tamque magnæ commemoratione, existimo Sanctum Dauidem voluisse Domino in mentem reuocare legem illam, quam pro pugnaturis in bello ipse Dominus tulerat Deuter. c.20. v.6. vt scilicet, B
si quis plantasset vineam, & necdum ex ea fructus percepisset, abiret porrò, & reuerteretur, ne eius possidendæ desiderio minus fortiter pugnans, vel terga vertens pauere faceret corda fratrum suorum: quasi dicat S. Propheta; quidni ergo & tu, ò Domine, parcis vineæ, quam de Ægypto transtulisti, quam plantasti, quæ adeò extendit palmites suos, &c. & multò magis,

V.13. Vt quid destruxisti maceriam eius:
quod Dominus non ædificat, & quod non firmat, & corroborat, quia suapte C
spontè destruitur, & ruit, dicitur destruere, non impellendo in casum, & ruinam, sed non præbendo auxilium; maceria ergo, siue sepe vineæ disrupta; & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Neque quocunque modo damnum passa est destituta illa tua protectione, sed vltimum etiam subijt exterminium;

V.14. Exterminauit eam aper de silua: & D
singularis ferus, Græcè est porcus siluestris; depastus est eam.
Quod hæc omnia, quæ hactenus dixit sub vineæ metaphora voluerit S. Dauid intelligi de Populo suo, cui à Domino propitiationem flagitabat, statim sequenti versu ostendit, dum ait;

V.15. Deus virtutum conuertere; vt scilicet nos respiciendo benigno tuo vultu nos ad te conuertas; & ostensa nobis facie tua, saluos nos facias: E
respice de cælo, & vide, & visita vineam istam.

V.16. Et perfice eam, quam plantauit dextera tua: magnum est hoc, vt supra dixi, argumentum ad impetrandum: sed vltimum, & maximum addit; & super
filium hominis, quem confirmasti tibi. Id peto *propter Regem* F
Christum (sic habet Chald.) quem missurus es, vt omnes voluntates tuas adimpleat virtute tua roboratus, & oleo lætitiæ præ participibus suis vnctus. Hæc, quæ propter ipsum peto, si concesseris; tum id statim boni consequetur, quod

V.17. Incensa igni, & suffossa sunt in hac vinea, quæcunque, quibus-

A buſcunque caſibus & aduerſis, vel neglectu culturæ, vel defectu pluuiarum, vel abundantia & exceſſu ardoris, vel hoſtium vaſtatione, vel ferarum incurſibus, alijsque eiuſmodi in ea deſtructa ſunt, Te, eam miſericorditer reſpicit; mala omnia in ea, **ab increpatione vultus tui peribunt.** Itaque, ò Deus, quod tantopere, & quod per Dilectiſſimum tuum Vnigenitum rogo;

V. 18. Fiat manus tua erga nos auxiliatrix, & miſericors, **ſuper vi-**
B **rum dexteræ tuæ,** propter illum, qui eſt brachium tuum dexterum, & in quo ſtatuiſti facere potentiam tuam; **& ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi;** vt paulò ante propter eumdemmet rogaui. Ipſe Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, dum frequentiſſimè ſe ſe Filium hominis appellat, ad huius Pſalmi Verſus reſpexiſſe dicendus eſt, ſeq; illi nomenclaturæ conformare voluiſſe. Sed pergit S. Dauid, & concludit. Si hoc concedas, ò Domine,

C **V. 19. Et non diſcedimus à te,** & à te non derelinquimur, tum etiam peccatis mortuos, & æterna vita donandos; **viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.** O ſic obſecro;

V. 20. Domine Deus virtutum conuerte
D **nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.**

PSALMVS LXXX.

Exultate Deo, &c.

E
Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi LXXX.

In finem. Pro torcularibus, Pſalmus ipſi Aſaph.



Is duobus Pſalmis (quos, vt alios ſimiles ſupra, ita etiam hoc loco interponere ſuadebat, atque adeò cogebat affectus, neque eos admittere propoſita materia reſpuebat) finitis, & terminatis ſuum continuat curſum, & telam Pſalmorum ſuorum non interrupto
F filo contexit S. Dauid. Nam cum ſupra eò vſque perueniſſet, vbi Dominus congregato ſuo Populo de nationibus Legem ſuam ſanctam in ipſorum cordibus inſcribebat (cuius occaſione inſeruerat ea, quæ ad reiectionem alterius populi Iudaici pertinebant) nunc in ea ipſa ibi propoſita materia pergit Pſalmo hoc. Primò quidem ad liquidiſſimam animi lætitiam inuitat omnes Chriſti fideles conuerſos ad fidem, & in eius Eccleſia congre-

gatos, quod facit vers. 2. 3. & 4. Secundo verò loco ponit lætitiæ huius causam A
esse illam ipsam Legem Sanctam, Euangelicam, Legem gratiæ, & charitatis, quam à Domino acceperunt; quod versu 4. pronunciat, dum ait, idcircò exultandum. *Quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob*. Tertio tandem loco, postea quam dixisset, huius Sanctæ Legis gratiæ, & charitatis traditæ populo Christiano figuram præcessisse, quando populus Israeliticus exiens ex Ægypto Legem accepit in deserto; huius occasione proponit palmarem eiusdem carnalis populi ingratitudinem, propter quam semper, & inter maxima, quæ à Deo accipiebat beneficia, continuatam, meruerit tandem ab ipso deseri, & derelinqui. B
Atque hoc pacto, & ordinem in sibi proposita materia de rebus ad Christum, eiusque Ecclesiam pertinentibus pertractandis seruat exactissimè, & simul ad interiectas querelas, seu expostulationes, quæ fieri potuissent (vt in Expositione dicetur) admirabili artificio respondet. Hæc toto hoc Psalmo contineri, ipse eius contextus, qui non ægrè ad hæc attendendo, & explicabitur, & intelligetur, ostendet. Quod autem hæc ipsa in eo contineri colligatur ex eius Titulo; ipse Titulus modica explicatione adiecta statim patefacit. *In finem*: ne putes præterita illa Legis in lapidibus acceptæ tempora Psalmum respicere, sed Christiana, ait, C
In finem. *Pro torcularibus*, indicat Psalmum continere eximia Dei beneficia, quæ Lex gratiæ, & Euangelij à Domino accepit; & quod ipsa Lex Euangelij abundantia gratiarum, & charismatum Sanctissimi Spiritus, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, referat torcularia vino redundantia.

Hoc totum indicat allusio ad *Torcularia*; nam sicut illa mense Septembri in vsu erant, & ob vindemiæ vtilitatem, & vini expressionem, quibus cellæ vinariæ replendæ erant, calcantibus in ijs celeusmata beata, seu voces lætitiæ subministrabant, ita Lex Euangelij promulgata, & acceptata inter Gentes, eas omnibus Dei D
donis cum incredibili animorum ipsorum lætitia repleuit. Quod autem hæc bona, & hæc lætitia spectarent, & pertinerent ad Vniuersam Ecclesiam Christi, in qua eius Diuina Lex vigeret, reliqua pars Tituli explicat, *Psalmus ipsi Asaph*.

PSALMVS LXXX.

V. 2. Exultate Deo adiutori nostro: hoc ipse S. Propheta suo, & Ecclesiæ Christi, de qua & ipse erat, nomine dicit; quàm multum habent E
Fideles conuersi è Gentibus quod exultent! *Deo adiutori* ipsorum singulari, quod è tenebris in admirabile lumen perducti. Multi sunt in hoc argumento Sancti Apostolorum Principes in suis Epistolis. exultatio eò vsque procedit, vt in Iubilum transeat, gaudium scil. tantum, quod nec verbis exprimi, neque corde contineri potest, iubilate Deo Iacob. Deus Iacob est ipse Dominus Iesus Christus, qui regnat in Domo Iacob, F
illi *iubilandum*, qui verè iubilus est omnium suorum fidelium: quò benè, vt par est, exultetis, & iubiletis, ò Christi fideles, illi Deo adiutori, & summo bono vestro, per quem tanta bona consecuti estis,

V. 3. Sumite psalmum, & date tympanum:

his,

A his, & sequentibus verbis iuxta S. Dauidis intentum continetur solum adhortatio ad miram, grandem, & insignem spiritualem animi lætitiam; & cum adhortetur eos, qui per Fidem ad veram terram promissionis peruenerant, transieruntque per Baptismi susceptionem mare rubrum; videtur idem S. Propheta alludere ad id, quod Exodi c. 15. factum, quando *cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino*, &c. v. 1. & v. 20. *Sumpsit Maria Prophetissa Soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris*, &c. Mysticos, & morales sensus ex hoc versu Psalmi preclarissimos S. Augustinus, & alij Sancti

B Patres, & Expositores collegerunt. psalterium iucundum: hìc apparet, ait Pater Emin. Sà, psalterium esse musicū instrumentum, cum cithara. Verùm ad eximiam lætitiam, & iubilum non contentus his musicis instrumentis S. Dauid, propius ad tantæ lætitiæ causam indicandam accedens iubet;

V. 4. Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ.

C Notandum hoc loco est, sermonem hìc esse S. Dauidi ad Christi fideles, provt dictum est. quid igitur sibi vult, quod *in insigni die solennitatis ipsorum* (notanter enim ait *solennitatis vestræ*) iubeat eos buccinare *in Neomenia*, idest in festo die, qui celebrabatur in Nouilunio, & quidem non cuiuscunque mensis, sed vt Chald. notat, in Nouilunio mensis Tisri, scil. Septembris, & *tuba* iubeat buccinare, seu clangere illa solita cornea, qua eiusmodi festi solennitas antiquitus indicabatur?

Quid habent, vel habituri erant Christiani cum his Iudaicis? Dicendum est,

D quod S. Dauid pro more SS. Prophetarum, qui *nobis annunciauerunt dies nostros*, & quæ in Christi Ecclesia gerenda erant, vt S. Petrus aiebat, Act. 3. v. 24. dicendum, inquam, est, quod Iudaica hoc Versu tangat, & Christiana significet; & quidem aptissimè, atque consequentissimè. Nam cum propositæ sibi toto Psalterio materiæ pertractandæ ordo ferret, vt hoc Psalmo, sicut dictum est, ageret de Lege Christi Noua, palàm in Ecclesia promulgata, & suscepta à Christi Nouo, & Fideli populo ex Gentibus collecto, ad hoc ostendendum, & summam lætitiam, quæ ex hoc consequebatur indicandam, in medium producit illum receptum in

E Lege antiqua morem, quo in memoriam Ægyptiacæ liberationis, & Legis in monte Sina datæ, in Nouilunio mensis Septembris solennitas agebatur, & tuba cornea promulgabatur. Est ergo tantundem, atque si S. Dauid dicat; Verius vos, atque longè meliori sorte, ò Christi Fideles, exultare, iubilare, sumere psalmum, pulsare tympanum, psalterium, & cytharam, nec non & tuba clangere conuenit, quos Dominus duplici hoc tanto, & tam insigni beneficio affecit, & liberationis è misera seruitute plusquam Ægyptiaca peccatorum, & Legis Euangelicæ tam sanctæ, tamque suauis susceptæ. Ita omninò in hac *Neomenia*, in hoc Noui-

F lunio, quo Christi Sponsi Ecclesia plenè coniuncta est ipsi Iustitiæ Soli eidem suo Sponso exultet, & iubilet, atque etiam vos pace iam, & tranquillitate gaudentes, & publico illum cultu per totum terrarum Orbem adorantes (de hoc etiam Habacuc locutus cap. 3. v. 11 *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo*) *buccinate tuba in insigni* hoc *die solennitatis vestræ*.

Quod autem huius tam eximij gaudij illa sit causa, quam insinuauit, liberatio-

nis

nis Chriſti fidelium à ſeruitute Idolorum, & peccatorum; & ſuſceptæ Nouæ Legis Euangelicæ,quæ duo figurata fuerant per diem feſtum,agi ſolitum in Nouilunio menſis Septembris, ob liberationem Ægyptiacam,& Legem datam, clarè, & patenter exprimit ſtatim verſu ſequenti. Nam cauſam, cur tanta habenda lætitia, agendaque eſſet ſolennitas proponens, ait, A

V. 5. Quia præceptum in Iſrael eſt: & iudicium Deo Iacob.

His verbis non ſignificatur, quod P.Emm.Sà, alijque paſſim, & quod videntur ſonare verba; quod ſcil.ita faciendi, & buccina perſonandi ſit præceptum, ſeu mandatum, & commiſſum in Lege. Nam hoc non eſſet connexum cum prioribus; deinde id conſtabat vtique ex ipſa Lege, nec opus erat noua inculcatione S. Dauidis; & tandem intentum eiuſdem Sancti non erat illis Legis cæremonijs immorari, ſed Chriſtiana, vt dictum eſt ſignificare. Itaque longè alia hoc verſu, & quidem connexiſſimè, atque conſequentiſſimè ſignificat; quod ſcil.illa de qua tanto cordis ſui affectu dixerat prioribus verſibus lætitia agitanda eſſet,*quia* tandem,quod dudum, & ab ipſo Pſalterij ſui initio, in ipſa Argumenti eius vniuerſali propoſitione futurum prædixerat Pſal.2.v.6. quod ſcil.Dominus Chriſtus *conſtitutus eſſet Rex* à Deo *ſuper Sion montē ſanctum eius*,in quo prędicare deberet *præceptum eius, prædicans præceptum eius*, *quia*, inquam, iam de facto hoc eius *præceptum*, ideſt Lex eius ſancta, diù expectata, Noua, Euangelica, *in Iſrael eſt*, in populo Chriſtiano, qui eſt Iſrael verus per repromiſſionem; exultandum, iubilandum, pſallendum, buccinandum, quia Lex eius ſancta, dulcis,amoris Lex Euangelica toto Orbe promulgata, & ſuſcepta eſt. & ſic conſequenter, quod pariter tantopere optabatur, vtpote quod feliciſſimum, fortunatiſſimum, vtiliſſimum futurum erat toti Terrarum Orbi, vt ſcil. *Deus iudicium ſuum Regi daret, & iuſtitiam ſuam Filio Regis*, *Iudicare*, ad iudicandum, *populum eius in iuſtitia,& pauperes eius in iudicio, quo ſaluos faceret filios pauperum, & humiliaret calumniatorem*, hoc ipſum conſecuti iam ſumus: & eſt *iudicium Deo Iacob*; ideſt, Dominus Ieſus Chriſtus, Deus Iacob, totius populi Chriſtiani, qui eſt ſupplantator Mundi exercet iam ipſe toto Terrarum Orbe illum ſuum,de quo dixi (ſup.Not. 6. §.4. Item Pſal.71.& Pſal.66. & aliàs) iudicium. B C D

Hæc quidem, quia & clara, & conſequentia ſunt, vera pariter, & verè à Sancto Propheta intenta eſſe, facilè perſuadent; ſed quæ ſequuntur aliquam difficultatem habent; quid enim ſibi vult, & quomodo prioribus conſequenter connectuntur ſequentia? E

V. 6. Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti:

Etiam hic dicendus eſt S.Dauid Iudaica tangere; &,vt cæperat,Chriſtiana noſtra ſignificare. Aliud ergo his verbis non vult, quàm oſtendere, quod illius *Præcepti*, ſeu Legis Euangelicæ toto Orbe promulgatæ, & receptæ figura, ſeu indicium, & monimentum præceſſerit iam olim in Lege promulgata in Deſerto filijs Iſrael, quos (provt ſupra dictum eſt Pſal. 79.v.2.) per *Ioſeph* intelligit. Itaque *illud* ipſum *præceptum*, quod dixit eſſe *in Iſrael*; ideſt in populo Chriſtiano,*& iudicium Deo Iacob*,illam liberationem Populi Chriſtiani à ſeruitute F

pec-

A peccatorum, & promulgationem Legis Nouæ Euangelij; illam, inquam, ipsam voluit esse figuram, seu *testimonium in Ioseph, cum exiret de terra Ægypti*, vt scilicet id, quod cum carnalibus Israelitis factum fuerat, *cum exirent de terra Ægypti*, esset memoriale, indicium, & monimentum illius *Præcepti*, nimirum Legis Nouæ, & Euangelicæ. Nihil est nouum, quod per *testimonium* in scriptura significetur memoriale, seu monimentum; nam Altare illud ædificatum iuxta Iordanem infinitæ magnitudinis vocatum fuit *Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.* Iosue c. 22. 34. Neque mirum videri debet, si per *Israel*, modò Christiani, mo-
B dò Iudæi intelligantur, cum re ipsa duplex sit Israel, carnalis, & per repromissionem; vter autem notetur, & significetur, ex textu, & consequentia sermonis facilè innotescit. Certum est hoc loco de ipsis carnalibus Israelitis per *Ioseph* significatis fieri mentionem, non primaria intentione; sed ex occasione, qua Sanctus Dauid proponit Legem Euangelicam fuisse toto Orbe in Ecclesia Christi promulgatam, & liberam Fidelibus omnibus facultatem factam ex eiusdem sanctissimis placitis vitam sanctam, & Deo placentem palàm ducendi. Atque ita illa ipsa occasionalis, siue ex allusione ad eos mentio ideò fit, quia omninò, & li-
C beratio ex seruitute Ægyptiaca, & Lex data Populo Iudaico in deserto *testimonium* quoddam, siue memoriale, & figura fuerunt eorum, quæ Legis Nouæ Euangelicæ erant; & quæ propter Legem Euangelicam, vt dictum est, promulgatam, & susceptam ex primaria intentione, & consequenter literaliter, S. Dauid hoc Psalmo exultabundus decantat. Hæc ita dici debere, illa etiam ratio conuincit, quia aliàs summa quædam, & inexplicabilis in hoc Psalmo esset rerum confusio; summa lætitia, & extremus luctus respectu eorumdem esset; summè Deo accepti, & reprobi ijdem essent, si ad literam, & S. Dauidis intentum sermo est de carnali-
D bus Israelitis. At verò ad illos alludendo res Christianas proponere, miram, eamque pulcherrimam, vt hactenus vidimus, & etiam deinceps constabit, Psalmus hic connexionem, doctrinamque continet. Hoc posito; quod ex occasione, & allusione, tanquam ad figuram, S. Dauid meminerit Legis antiquæ, progreditur ad insinuationem variorum beneficiorum, quæ Dominus ingrato illi carnali Israelitico Populo fecerat, quibus tamen ipsi Diuinæ eius Maiestati nequaquam voluere permanere adstricti: inter reliqua quantum fuit? quod populus ille per *Ioseph*, cum *exiret*
E *de terra Ægypti* significatus linguam, quam non nouerat, audiuit: quando Deus ipsi in Monte Sinai loquebatur, & Legem tulit; Insuper

V. 7. Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino seruierunt. Insinuat hoc versu id, quod Exodi cap. 1. v. 13. & 14. legitur, quod scil. *oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes*
F *eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris, luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Magnum ergo beneficium fuerat, ab ingentibus eiusmodi pressuris fuisse liberatos; quod Versu sequenti dicitur.

V. 8. In tribulatione inuocasti me, in illa ipsa, scil. Ægy-

Ægyptiaca iam dicta; nam Exodi cap. 3. verſ. 7. ait Dominus; *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus: & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum*. ſic ergo in illa tribulatione inuocaſti me, & liberaui te: & inſuper aliud nouum beneficium contuli: quando exaudiui te in abſcondito tempeſtatis: vt in tam multiplicibus plagis, quibus Ægyptum percuſſi, ſeruareris intactus, tanquam ſi *in abſcondito* tutiſſimo loco fuiſſes tempore *tempeſtatis* omnia vaſtantis, effeci. Similiter, & aliud præſtiti beneficium; quando probaui te apud aquam contradictionis. Meminit geſtorum *in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo*, vbi populus *iurgatus eſt contra Moyſen*, & Moyſes *vocauit nomen loci illius, Tentatio, propter iurgium filiorum Iſrael, & quia tentauerunt Dominum dicentes: Eſtne Dominus in nobis, an non?* provt pluribus res tota deſcribitur Exodi cap. 17. hæc, inquam, geſta inter beneficia commemorat, quatenus eius iurgij, & tentationis occaſione Dominus illis de Petra Horeb abundantiſſimas, & perennes dedit aquas. Quid multis? (pergit in beneficiorum enumeratione) eò vſque progreſſus ſum te amando, tibique benefaciendo, vt tecum fœdus inirem, & paciſcerer;

V. 9. Audi populus meus, & conteſtabor te; marginalia vulgatæ editionis hunc verſum oſtendunt reſpicere ad Exodi cap. 20. in quo deſcribitur Decalogus: reliqua etiam, quæ in verſu ſequenti ſequuntur clarè id ipſum indicant; nam partem primi mandati recitant; ſicut etiã verſus 11. Iſrael ſi audieris me,

V. 10. non erit in te Deus recens: neque adorabis Deum alienum. Antequam ad Verſum ſequentem tranſeamus; notandum hic eſt, magnam vim, atque emphaſim eſſe in eo, quod Dominus, dum cum Populo ſuo paciſceretur, dicat, ſe dixiſſe; *audi populus meus, & conteſtabor te*; quod ait, ſe *conteſtatum* eum fuiſſe, plus aliquid ipſum verbum, *conteſtabor*, ſignificat, quàm quod P. Emm. Sà ſimplicem ſignificationem rei, quam ab ipſo vellet; ſed inſuper indicat Dominus, ſe idem ſuum pactum cum eis iecisse ſub graui conteſtatione, premiorum ſcil. maximorum propoſitione, & pœnarum acerbiſſimarum interminatione, provt valdè fusè deſcribitur Deuteronomij cap. 27. 28. 29. & 30. Vult hic omnibus conſtare id, quod Moyſes dixit in clauſula fœderis eiuſdem Deut. 30. 19. *Teſtes* inuocatos fuiſſe *cælum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem*, &c. hoc enim ad propoſitum finem, quo hæc beneficia commemorantur, de quo paulò poſt, plurimum inſeruiebat, vt notum omnibus eſſet cum quanta ſolennitate fœdus illud à Deo cum eis fuiſſet initum. hoc breuiter adnotato; Obſeruandum eadem breuitate eſt, quod Dominus, non in laudem, vel veritatem, ſiue aſtructionem Idolorum dixerit, *Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum*; ſed

A sed potius re vera in eorum detestationem, vanitatem, nullitatem, & destructionem: Neque enim fieri potest, vt hominum inuentum, & excogitatum sit Deus; similiter neque alienus à Deo vno, viuo, & vero potest esse Deus, vt ipse Dominus mox subiungit;

V. 11. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. sic & citato Exodi cap. 20. vtrobique mentio fit Edu-
B ctionis de terra Ægypti, quia id beneficium plurima alia complectebatur, quæ si non sufficerent, sufficiebat certè ille, qui eis promiserat: dilata os tuum, & implebo illud: quasi dicat, prout benè P. Emm. Sà, pete sanè largiter; dabo enim quod postulaueris. Nihil erat amplius, quod Populus ille à Deo suo possit desiderare post tot, & tanta beneficia, & supremam hanc eiusdem Domini erga se beneuolentiam. Hæc autem omnia idcircò hìc breuiter, & summatim recensentur; quia occurritur hoc Psalmo tacitæ cuidam querelæ, expostulationi, &
C obiectioni, quæ fieri potuisset; cur scil. & quanam de causa Dominus Deus permotus fuerit ad paciscendum nouum fœdus, & nouam Legem sanciendam Euangelij cum nouo Populo è Gentibus collecto, quandoquidem antiquum iam habebat cum Iudaico Populo fœdus initum, & cum tanta solennitate celebratum. Ideò ergo respondet id factum esse, quia post tam multa beneficia illi Populo præstita, & illam ipsam Legem illis cum tanta solennitate, & contestatione datam, cum quò grandiora beneficia accepissent, eò gratiores se se, & obsequentiores Diuinæ Maiestati exhibere debuissent; id tamen non præstiterunt;

D V. 12. Et non audiuit populus meus vocem meam: Israel non intendit mihi: Chal. non acquieuit; quod illis non poterat non cedere in maximum malum; nam

V. 13. Et dimisi eos secundùm desideria
E cordis eorum: grauissima est hæc pœna, vt patet ex Rom. c. 1. v. 24. ibunt in adinuentionibus suis.

V. 14. Si populus meus audisset me: Israel si in vijs meis ambulasset.

F V. 15. Pro nihilo; provt S. Hier. quasi nihilum; forsitan, accipitur hìc pro *vtique*; sicut Ioan. c. 5. v. 46. *Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit:* quod autem ly *forsitan* significet *vtique*, probatur; nam aliàs argumentatio Christi esset inefficax, dum ait; *Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis:* deinde subiungit, tanquam ex præmisso antecedente, illa verba, quod cum sibi non crederent, neque

S Moy-

Moysi crederet. Itaque si in vijs meis ambulasset, *quasi nihilum vtique* inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam. A

Verùm, quod dixi, ambulantes secundùm *desideria cordis sui*, euntes *in adinuentionibus suis*, qui filij & amici erant, facti sunt alieni, & inimici, & quod promiserant, minimè seruantes


V. 16. Inimici Domini, illi ipsi Iudæi mentiti sunt ei: B

simile quid etiam supra Psal. 17. v. 46. questus fuerat: quod scil. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis:* pergit Psal.

& erit tempus eorum in sæcula. Hanc Versus partem Pater Emm. Sà ita explicat; *tempus*, scil. quo punientur erit in sæcula. Vel quasi dicat; fuissetque eorum, idest Iudæorum, vita perpetuò tranquilla, seu prospera; scil. si me audiuissent. Vtrauis explicatio non repugnat quidem huic Expositioni consequenter connexæ; magis tamen consequens videtur esse hæc; quod scil. eorum inimicorum Domini, qui *mentiti sunt ei*, & recesserunt à mandato ipsis tradito, *tempus* non erit qualecunque breue, quo tales permansuri, & perduraturi sint, sed valdè prolixum, & extendendum *in sæcula* valdè, scil. multa; ita vt, quod D. Apostolus temporibus suis notabat, nos nostris obseruemus; eos Deo non placere, & omnibus hominibus aduersari. Hæc explicatio concordat cum citata simili sententia ex Psal. 17. 46. vbi, quod ibi dixerat; *filios alienos inueteratos esse*, hic reddidit; *& erit tempus eorum in sæcula:* nam de pœna eorum æternùm duratura, dubium non erat; de felicitate autem, quam habituri fuissent, si Dominum audiuissent (secundùm quod interpretatur P. Sà paulò ante citatus) hic non erat locus agendi, cum iam supra priori statim versu exposuisset felicitatem, quam dedisset, si audiuissent, *inimicos eorum humiliando*, & ponendo *manum suam super tribulantes eos*. C D

In illa ergo tanta, & in tanta sæcula duratura mala ille Populus sua ingratitudine, & peccatis incidit; ille, inquam, Populus, cui Dominus tam multa beneficia præstiterat, quos insuper cum alijs, & post alia dona, etiam

V. 17. Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos. cui de cibo, & potu vtroque præstantissimo, & suauissimo prospexit. E



PSAL-

A

PSALMVS LXXXI.

Deus stetit, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXI.

B *Psalmus Asaph.*

EX titulo patet, quod S. Dauid pergat in eadem propositione insignium beneficiorum, quæ Diuina Maiestas Iudaico Populo contulerat (ex quibus arguitur ingens illorum ingratitudo,) Commemoratis illis, de quibus priori Psalmo diximus, initium facit hoc Psalmo à re obstupescenda, dum ex abrupto, & ipse admirans, ait;

C

PSALMVS LXXXI.

Deus stetit in synagoga Deorum; quod quidem est, atque si diceret; quid mirum, si ex illis iam dictis nihil profecerint, quando etiam summo, maximoque beneficio, quod illis exhibitum fuit, & quo nullum aliud maius conferri illis poterat, tam malè vsi; imò tam impiè abusi sunt? Ecce, vt promiserat, D Deus Vnigenitum suum ad eos misit; *Deus stetit*, &c. (præteritum ponit pro futuro, non solùm iuxta Scripturæ phrasim, & ad certitudinem venturi Messiæ exprimendam; verùm etiam, quia sic congruebat propositæ à se, & hactenus consequenter deductæ materiæ) *Deus*, inquam, ipse Dominus Iesus Christus eius Vnigenitus factus homo *stetit*, dum venit ad eos, *in Synagoga Deorum*; dum habitauit inter eos, & cum eis conuersatus est; eos autem, & maximè eorum Principes, Sacerdotes, Seniores, & Scribas *Deos* vocat, quia (vt in Argumento, ex S. Ioannis cap. 10. v. 34. ex ipsius Domini sententia dictum est) hanc tantam dignitatem E consecuti fuerant ex eo, quod *sermo Dei factus fuisset ad eos*, idest, quod ipsis potissimùm ex omnibus Mundi nationibus se Dominus reuelasset; ijsque per Angelos legem suam dedisset; per Prophetas ipsis locutus fuisset; hinc enim ad tantam excellentiam, & sublimitatem euehebantur, vt re ipsa non esset alia natio sub cælo, quæ haberet Deos appropinquantes sibi; sicut, qui verè Deus erat, appropinquabat illis. Quid igitur, quando ipse Dei Vnigenitus, *Deus*, ac Dominus Christus *stetit in Synagoga*, in cœtu, congregatione, &c. eorum? stetit omninò; sed, quod officium eius, Supremi eorum Regis, ac Iudicis exigebat, F in medio autem deos dijudicat, examinando, & dispiciendo, quonam pacto & ipsi, rectè, vel secus, officio suo fungantur, rescindendo, & condemnando malè, & perperam facta iudicia eorum. Et sanè inuenit, quod redargueret, & condemnaret; nam

V. 2. Vsquequo iudicatis iniquitatem: &

facies peccatorum sumitis? Planè S. Dauid ad peruersa eorum iudicia, quæ ipsius Christi tempore in ipsum Dominum faciebant, respexit, quandoquidem & ipse Dominus eis obijciebat, Ioannis c.7. 24. *nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate*. Sancta ipsius Domini Iesu Christi Euangelia plena sunt eiusmodi iniquorum eorum iudiciorum; quàm autem illi ipsi iniqui planè, & impij essent personarum acceptatores, & hominum peccatorum præ iustis amatores, declarant ea, quæ in Herodum, & Cæsaris gratiam (licet simulatam) imò & in ipsius Barabbæ seditiosi, & facinorosi latronis, egerunt. Quidni igitur exclamet? *Vsquequo,&c.* Si sapitis; si vobis, rebusque vestris;si Genti, & loco vestro consultum vultis; A B

V.3. Iudicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem iustificate.

V.4. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Hi omnes tituli non dubium est,quia ipsi Domino Iesu Christo conueniant,qui ad eos venerat in forma serui, pauper,humilis, mitis, egenus. Hac de re, quia multa passim in Isaiam dicenda sunt,hoc loco plura non addo: satis est, quod hunc ipsum fuisse illum pauperem,de quo hìc S.Dauid loquitur, & antecedentia, & consequentia Psalmi comprobent; nam necesse omninò est ipsum Christum Domini fuisse illum pauperem, quem quia illi non provt ferebat illius sanctitas, & innocentia iudicarunt iudicio corrupto, & peruerso, & contra omne ius,fasque condemnauerunt; vltima & ipsi omnes condemnatione, & exterminatione plecti promeruere, vt statim sequitur; idque lamentatur non sine ingenti gemitu, sicut supra Psal.64. 4. quandoquidem, vt ibi, & aliàs notatum fuit, omnia Iudæorum mala ab eorum Principibus, Senioribus, Scribis, &c. ortum, & originem traxerunt; ipsi,qui maximè debuissent, C D

V.5. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: propterea non aliunde, quàm hinc mouebuntur omnia fundamenta terræ. non tam terra materialis (licet etiam ipsa concussa fuerit in morte per eos illata dulcissimo Domino Mundi Saluatori) quàm omnia, quibus innitebatur eorum Synagoga, & Iudæorum status commouenda, & à statu suo transferenda erant ad Gentes: id enim propriè commotionem significare ostendetur etiam Isaiæ cap.6.v.4. Hoc ipsum confirmant quæ reliquis versibus dicuntur; nam ipse *Deus, qui stetit in Synagoga Deorum*, & in medio eorum ab ipsis quidem impiè morti adiudicatus; eorum nihilominus iudex existens, tantam iudiciorum eorum peruersitatem vltra non ferens, condemnationis in eos sententiam profert. E F

V.6. Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.

A nes. quod est quasi dicat. Quantum quidem in me fuit, eo vos honoris, & dignitatis gradu extuli, vt communem hominum statum excedentes, auctoritate, potestate, excellentia, & sublimitate, veluti quidam terrestres *Dij essetis, & filij excelsi omnes*. & tales omninò erunt, qui mihi seruient, meque Dominum agnoscent, & reuerebuntur; ijs enim omnibus, qui in me credunt, meque per Fidem *recipiunt, dedi eis potestatem*, vt possint *Filij Dei fieri*. Ioan. 1. 12.

V. 7. Vos autem, qui iudicatis iniquitatem, &c. qui facies peccatorum sumitis, qui non iudicatis

B egeno, qui non eripitis; sed in condemnationem mortis traditis pauperum, &c. *vos* inquam sicut homines, scil. abiecti, & viles, Hebraica enim, vt benè obseruat P. Emm. Sà, habet, sicut Adam, quod solet significare hominem vilem; moriemini; mortem animæ indicat; nam morte corporis etiam qui Dij sunt, & Filij Excelsi defunguntur: & sicut vnus de principibus cadetis; de illo sublimi statu, gradu, & dignitate deijciemini, *sicut vnus de principibus* illis, scil. quos, vt in


C Epistola Catholica B. Iudæ Apostoli v. 6. *quia non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis, sub caligine reseruauit*. Ad hos *Principes* potissimùm alludit, quia & ipsi fuerant *Filij Excelsi omnes*, & illo tam horrifico casu ceciderunt. Horrendum planè est incidere in manus Dei viuentis. Verùm, vt id horrendum sit, quia tamen iustum est Dei Iudicium; illud S. Dauid approbat; & provt est ipsi Deo Opt. Maximo honorificum, executioni mandari optat. Item illud optat; non quatenus in ruinam Iudeorum cedebat; sed provt ad salutem Gentium ordinabatur, quæ ingressu-

D ræ erant in Ecclesiam post luctuosum illum Iudæorum casum. Itaque

V. 8. Surge Deus iudica terram: cape dominiũ, sisque Rex; & iudicium tuum exerce in omni terra; tibi enim Deo Iacob Regia hæc potestas, in salutem omnium Gentium ordinata, debetur; quoniam, iuxta promissionem tibi à Patre tuo factam, Psal. 2. v. 8. tu hereditabis in omnibus Gentibus. Cum postremis his verbis coniunctissi-

E mus sequitur Psalmus sequens octogesimus secundus; ad quem tamen probè, & ex fundamentis intelligendum, non solùm necesse est memoria tenere ea omnia, quæ dicta sunt in eius Argumento, sed etiam oportet se se reflectere super ea, quæ dicta sunt in Præuijs Documentis, maximè autem Notato 4. §. 8.

Argumentum ergo Psalmi 82. est hoc,



PSAL.

A

PSALMVS LXXXII.

Deus quis similis, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXII.

Canticum Psalmi Asaph.

B



Osteaquam priori Psalmo sententia condigna Iudæorum scelere, & ingratitudine pronunciata fuit v.7. & v.8. decretum de Gentibus in eorum locum assumendis: in eorum omnium confirmationem sequitur, *Canticum Psalmi Asaph*. Res scilicet, qua voce, qua instrumentis musicis, qua soluta, qua ligata oratione memoranda, & celebris. Sic etiam P. Emmanuel Sà indicat, hoc Psalmo contineri Canticum excellentissimum, siquidem duo substantiua coniuncta faciunt superlatiuum Hebræorum. C

Ostenditur ergo, & decantatur hoc Psalmo, quod Domino Ecclesiæ suæ auxiliante, à Romanis Imperatoribus nullo modo præualere potuerint Persecutiones contra eam suscitatæ. Hoc Psalmi huius connexum, & consequens contentum est. Non item cum eadem connexione, & consecutione sunt aliorum Expositorum, & Interpretum argumenta, quæ videri possunt apud P. Lorinum.

Huic autem connexioni accedit Valentiæ auctoritas sentientis, potiores reliquis omnibus fuisse Persecutiones, quas Christi Ecclesia per Romanos passa fuit. Obtenta ergo de ijs victoria hoc Psalmo celebratur vel maximè, quia maximi momenti erat; neque enim aliter publicus Dei cultus per Vniuersum Orbem introduci, & stabiliri vnquam potuisset. D

His ergo, quæ tantopere ad Christi Domini gloriam faciebant, explicandis S. Dauid intentus, Gentium Idololatrarum Persecutiones, quas Rom. Impp. iussu passa est, & superauit Christi Ecclesia sub variarum Barbararum, & Idololatrantium nationum nominibus Populo Dei infestis, Idumæorum, Moabitarum, Agaræ norum, &c. consueta phrasis Scripturæ, vt sæpius in Isaia, & Ieremia, &c. videbimus, expressit. E

Ad dicta ergo Psalmus refertur, quæque illo dicuntur ipsi conueniunt; non autem Populo Iudaico post reditum ex captiuitate Babilonica, quando Gentes Vrbi Ierusalem vicinæ bellum eidem mouerunt, vt impedirent restaurationem Templi. Nam præterquamquod in his connexio non est, in Psalmo mentio fit Gentium, quæ nequaquam contra Ierusalem conspirauerunt.

Sed neque ex primaria S. Prophetæ intentione ad Machabæorum tempora refertur; neque ad Senacherib pugnantem aduersus Ezechiam; sed re ipsa pro solita, quam S. Dauid facit in Psalmis suis concatenatione, vt vnius clausula, sit quoddam Psalmi sequentis initium; quandoquidem priorem Psalmum terminauerat illo desiderio; ***Surge Deus, indica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus:*** quibus verbis dixi contineri ingressum, & erectionem Gentium, post casum Iudæorum; & Domini Iesu Dominationem in omnes Gentes. hoc F

posi-

A posito nihil consequentius erat, quàm, vt primò quidem ad hæc tam admirabilia iudicia Dei obstupesceret;

PSALMVS LXXXII.

V. 2. Deus quis similis erit tibi? Sic in eadem materia, vt aliàs di-
B ctum est, exclamat Apostolus Rom. 11. 33. *ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Deinde verò quia, vt in Argumento Psalmi dictum est, ad valdè læta progrediebatur hoc Psalmo, & insinuaturus erat victorias de tam multis persecutoribus ab Christi Ecclesia reportatas, sicut in fine prioris Psalmi ardens desiderio eas videndi dixerat; *Surge Deus*; ita pergit hîc, & vrget id ipsum; ne taceas; ne dissimules; Chal. ne cesses, scil. adiuuare: neque compescaris
C Deus: P.Emm.Sà vertit; ne cuncteris. Hier. & Chal. ne quiescas, subintelligitur, donec hæredites in omnibus Gentibus; non cessandum autem, aut quiescendum Deo ab auxilio adferendo, ideò est;

V. 3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: Hier. tumultuati sunt; Chal. fremunt; per inimicos, vt in Argumento Psalmi dictum est, intelliguntur Idololatræ, & omnes Ecclesiæ hostes, qui erant, & qui oderunt te, extu-
D lerunt caput. ne dubitetur de illis esse sermonem,

V. 4. Super populum tuum malignauerunt consilium: super, quia contra illum populum tuum malum ad mortem, & interitum inierunt consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos, perdendos, vt statim explicat;

E V. 5. Dixerunt: Venite, & disperdamus eos de gente: Chal. valdè benè explicat, *de gente* significare, *ne sint populus*, quia fuit omninò hoc ipsum Christi Ecclesiæ persecutorum intentum, maximè Diocletiani, Christianos penitus exterminare, vt notabitur pluribus in Ieremiæ cap. 51. & non memoretur nomen Israel vltra; sicut dictum in Argumento, per Israel, Christianum nomen intelligitur, in cuius nominis omnimodam abolitionem conspiratum fuit à Christianorum perse-
F cutoribus. In carnales Israelitas, vt odio habiti fuerint à circumfinitimis Gentibus; nunquam tamen, ne ab ipso quidem Pharaone sic sæuitum est, sicut in Christianos.

V. 6. Quoniam cogitauerunt vnanimiter, omnes Mundi Principes, & Reges, & ipsum Imperium Romanum, eiusque Impera-

peratores Idololatrę, simul aduersum te, ô Christi Ecclesia, testamentum, A
fœdus, disposuerunt; illos ipsos Gentilium, seu Idololatrarum Principes, sub variorum nominum, Iudæis, & Israeli, finitimarum nationum Gentilium, & ipsis infestarum, exprimit; tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ: per eos Gentiles quosque, & Idololatras designari, iam sæpiùs dictum est: sic etiam, dum dicitur, quod in fœdere disposito contra Ecclesiam fuerint B

Moab, & Agareni,

V. 8. Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum. per habitantes Tyrum, vt Isa. cap. 23. intelligendi sunt Romani Ethnici, primi, præcipui, & maximi Christianorum persecutores; quos ipsos Romanos se intelligere etiam sequenti parte versus ostendit, dum ait; C

V. 9. Etenim Assur: per *Assur*, vt Isa. c. 10. 24. intelligitur, qui rerum dominabatur: venit cum illis; nullius autem Monarchiæ potentia, seu Dominatus maior, aut formidolosior Romano Imperio, iuxta dicta in prænotatis. *Assur* ergo *venit cum illis*; & Romani vel maximè facti sunt in adiutorium filijs Lot: cum per filios Lot alij non intelligantur, nisi Ammonitæ, & Moabitæ; & per istos significantur ipsi Gentiles, & Idololatræ; S. Dauid hic id ipsum innuit, quod dictum est; scilicet Romanos Ethnicos rem Idololatriæ, & Gentilium maximè strenuè, vel (melius dixerim) sæuè, & crudeliter aduersus Christi Ecclesiam gessisse, ipsos pro Gentilitijs superstitionibus, & impietate, & Satanæ cultu conseruandis fortissimè, & diutissimè decertasse. Verùm vires omnes, omnes conatus, & machinæ aduersus Dei consilia, & protectionem inualidæ, & nullæ sunt. D

V. 10. Fac illis, facies illis, & omninò fecit illis omnibus Ecclesiæ hostibus Deus, sicut Madian: videatur Iudicum cap. 7. & Sisaræ: Iudic. cap. 4. sicut Iabin in torrente Cisson. Sisara Princeps exercitus Iabin ad illum torrentem fusus fuit, vt sequitur; nam isti omnes. E

V. 11. Disperierunt in Endor; Villa est non lõgè à Thabor: facti sunt vt stercus terræ. F

V. 12. Pone principes eorum, qui hostes, & persecutores Ecclesiæ sunt, vt dictum est; *Pones principes eorum*; sicut Oreb. & Zeb, & Zebee, & Salma-

A mana; vt Iud. 7. & 8. Sequenti etiam versu se ipsum magis declarat, quod sub nominibus Principum, & hostium illarum supranominatarum nationum intellexerit eos, qui aduersabantur Ecclesiæ Christi; dum notanter, quod supra dixerat, *Pone Principes eorum*, &c. ait se intelligere

V. 13. Omnes principes eorum: qui dixerunt: Hereditate possideamus Sanctuarium

B Dei. Cum S. Dauid iam dudum nihil ex professo de Iudaicis egerit, neque connexio ferat, vt modò de illis agat; certum est, per Sanctuarium Dei, hìc intelligere ipsam Christi Ecclesiam iam inter Gentes fundatam; quæ ipsa est Dei hereditas, & cui omnes Gentilium Idololatrarum Principes dominari conati sunt; dum eam à Christi Dei cultu dimouere tot, tantisque persecutionibus, & tormentis pertentauerunt irrito, & nullo, sed potius contrario euentu; nam

V. 14. Deus meus pone illos, vt rotam: ipsi potius Ido-

C lolatræ, cùm gentilitijs suis superstitionibus, & impio Dæmonum cultu, tanquam rota declini loco mota, repente defluxerunt, sicut stipulam ante faciem venti, eos sustulit Dominus; non est dubium his (& quæ etiam sequuntur) pulcherrimis symbolicis similitudinibus declarari admirabiles illos effectus, qui Sanctissimi Spiritus efficacia in Euangelij Prædicatione fiebant, vt hæc quidem Euangelij prædicatio se se haberet venti instar vehementis res gentilium exsufflantis, omnem eorum sapientiam, superstitiones, &c. tanquam stipulam omninò,

D V. 15. Sicut ignis, qui comburit siluam: & sicut flamma comburens montes:

V. 16. Ita persequeris illos in tempestate tua: iam supra Psalmo 17. pluribus versibus vidimus per horridam, & vehementem tempestatem denotari ipsam Euangelij Prædicationem, quod

E etiam hìc intelligendum est. Similiter illa ipsa innuitur dum subiungitur, & in ira tua turbabis eos. planè digna misericordissimo Deo hæc est tempestas, & ira; propterea etiam Sanctus Dauid non tantùm prophetando, sed etiam optando, vt eiusmodi mysticæ pœnæ immittantur, & applaudendo de immissis, hoc Psalmo gratulatur, & Canticum Psalmi toti fidelium congregationi decantandum proponit; pergit similiter, & optat;

F V. 17. Imple facies eorum ignominia; fac vt lugendissimum animæ suæ statum, tot & tam abominandis sceleribus contaminatum, videant, & erubescant; illum planè, & plenè eis D. Apostolus Rom. 1. proposuit; qui etiam propterea a P. Ludouico Alcazar nostro sapientissimè dicitur figuratus per Apocalipsicum illum primum Angelum, qui, vt cap. 16. 2. dicitur effudisse *phialam suam in terram: & factum est vulnus sæuum, & pessimum in homi-*

 nes,

nes, qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adorauerunt imaginem eius. quæ omnia symbolica indicant; quod hic S. Dauid clarius ait, *imple facies eorum ignominia:* sequetur optata conuersio, & erubescentia, vt Rom. c. *6.* 21. & quærent nomen tuum Domine. Sic, sic A

V. 18. Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant. B
qui impij, & peccatores, & Idololatræ sunt; quod S. Dauid velit omninò illos hoc pacto erubescere, conturbari, confundi, & perire; ipse se ipsum explicat, dum quod illi in votis maximè erat, subiungit statim, & canticum Psalmi sui claudit;

V. 19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra: C
q. d. Hùc, hùc spectant, & in hunc scopum colimant omnia, quæ hoc Psalmo dixi, vt Idumæi, & Ismaelitæ, &c. Moab, &c. & Principes eorum Gentiles omnes sic, vt dixi per Fidei prædicationem conuersi, *cognoscant quia*, &c.

Hic ipse vltimus versus planè conuincit; intentum Sanctissimi Prophetæ hoc Psalmo fuisse illud, quod per totum contextum explicatum consequenter est: ipsumque illa nomina tot nationum finitimarum, & infensarum olim populo Dei assumpsisse ad Christiana nostra, prout dictum est, declaranda; neque voluisse in illis Psalmum suum sistere, quia sic neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus, imò neque cum ipsa veritate connecteretur; neque enim verùm fuisset, quod esto illæ nationes, de quibus mentionem fecit literaliter grammaticaliter punitæ fuissent, cognitum fuisset, siue ab illis, siue à toto Orbe terrarum, *quia nomen tibi Dominus*, & quia *tu solus Altissimus in omni terra*. sed iuxta explicationem datam, planè omnia, & integrè completa sunt. D

His ergo positis, & parta tanta Ecclesiæ Christi siue felicitate, siue tranquillitate, siue opulentia bonorum spiritualium, quid aliud restat, quàm vt in iucundissimam admirationem, & linguam, & cor resoluat S. Dauid Psalmo sequenti? Omninò. E

PSALMVS LXXXIII.

Quam dilecta, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXIII. F

In finem. Pro torcularibus filijs Core: Psalmus.

QVod ad Psalmum hunc attinet, recolendum memoria est; quod Ecclesia Christi illa proximè dicta Dei protectione, & benedictione stabilita cum esset,

A esset, sui pulchritudine, & maximis, quibus à Domino donata erat bonis in sui amorem raperet S. Dauidem, toto affectu cupientem, vt plures è suo Populo in eius amorem transirent, & tantorum eius bonorum participes fierent; atque ideò sic Psalmum inscribit; *In finem. Pro torcularibus filijs Core: Psalmus.* Titulus hic ex ante explicatis totus intelligitur, neque dubium, quin contineat ea, quæ dixi, provt ea ipse eius contextus clarè patefaciet. Pro omnibus autem melius intelligendis aduertendum est;

Primò quidem, quod Psalmus hic correspondeat Psalmo octogesimo, & ad
B ibi proposita (post interpositionem duorum interiectorum Psalmorum; illi tamen ipsi Psalmo octogesimo, vt vidimus, connexorum) continuanda, progrediatur; nam quia ibi dixerat; *Exultandum Deo adiutori nostro, &c. quia praeceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob.* etiam hoc Psalmo *cor eius, & caro illius exultant in ipsum Deum viuum.* Illum Psalmum, *pro torcularibus*, inscripserat; & hunc eodem afficit titulò, ad ostendendum etiam hic summatim proponi intuenda eximia Legis Gratiæ, Euangelij, Ecclesiæ Christi bona, gratias, charismata Sanctissimi Spiritus, &c. verbo, ostenditur hoc Psalmo Christi Ecclesia, tanquam Dei Do-
C mus, cælestibus diuitijs instructissima.

Secundò obseruandum est, S. Dauidem dictorum suorum antecedentium, & modi loquendi memorem, eamdem Christi Ecclesiam, quam supra Psal. 28. appellauerat *Tabernaculum*, propter rationem ibidem in eius Psalmi Argumento assignatam; nunc post longam Psalmorum interiectorum seriem, post expositas exantlatas ab ea persecutiones, post propositas tot Gentium, & Populorum conuersiones, post partam ferè, & obtentam plenam pacem, & tranquillitatem; nunc, inquam, non simpliciter *Tabernaculum*, seu *Tabernacula* eam vocat, sed illam ip-
D sam *Atria, Altaria, Domum* appellat.

Tertiò notandum est, hæc, quæ hoc Psalmo dicuntur, licet aptissimè accommodari possint ad cælestis Patriæ bona, & felicitatem; nihilominus ad literam, & primarium S. Dauidis intentum dicta esse de Christi Ecclesia; quia in ea *ascensiones disponuntur*; in ea *itur de virtute in virtutem*, vt v. 7. & 8. dicitur, non autem in Patria cælesti. Et vbi est *Vallis lacrymarum*, de qua v. 8.

His ita positis, S. Dauid fixo mentis obtutu in ea tanta bona, quibus Ecclesia paci, & tranquillitati reddita abundatura erat; eorum, & pulchritudinem, & ex-
E cellentiam obstupescens, & simul ipsorum consequendorum sibi, suo Populo, omnibusque Gentibus, quibus potissimùm offerebantur, desiderio accensus, exclamat;

PSALMVS LXXXIII.

F V. 2. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: quatenus Ecclesia Christi vniuersalis plures fidelium cœtus amplissimo sinu suo complectitur, vnum est Tabernaculum plura alia complectens. Valdè autem aptè *Domini virtutum*; idest, exercituum, dicuntur esse hæc Tabernacula; quia eo nomine (vt sæpè in Isaia dicendum, maximè cap. 6. v. 3.) eiusdem S. Ecclesiæ Caput, & Sponsus Dominus

T 2 Ie-

Iesus significatur. *Dilecta* planè tanti Domini, ac Dei Nostri *Tabernacula*, quæ omnipotens manus eius construxit, in quibus peroptimum sit habitare. Quia verò hæc S. Dauid pro eo tempore eloquitur, quò ipsa Ecclesia multa iam pace transactis persecutionum bellis perfruebatur; idcircò eamdem pro tali statu desiderare se innuens, subiungit; A

V. 3. concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Dum atria nominat, Domum se videre significat, tot bonis, & diuitijs instructam, vt eorum desiderio *concupisceret, & deficeret anima eius*. quod S. Dauid supra Psal. 64. 5. dixerat; *Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis Domus tuæ*; id iam propinquius degustare incipit. Quam benè, quàm verè Dominus Iesus Discipulis suis, & nobis, si apertos habere velimus oculos, dixit; *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ, & Reges* (hìc id de se testatur S. Dauid) *voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt*. Ad bona ergo mihi reuelata, quæ futura conspicio in Domo Domini, *concupiscit, & deficit anima mea*. quid hìc fecisset, vel faceret Regina Saba? 3. Reg. 10. quæ *videns omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in Domo Domini: non habebat vltra spiritum*. Nulla est inter Aulæ Salomonis, & bona huius, & domus Domini comparatio. Quod si nihilominus per illa, vt eodem 3. Reg. 10. 23. *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ diuitijs, & sapientia. Et vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis*. Quid dicendum de Domino Iesu? Ecce plusquam Salomon hic, de quo S. Dauid ait; B C D

Cor meum: & caro mea exultauerunt in Deum viuum. non est dubium, quin hac voce, *Dei*, cum addito, *viui*, posita significare voluerit Ecclesiæ, de qua loquebatur, Sponsum Dominum, ac Deum nostrum Iesum Christum, vt statim sequenti versu clarius exprimet. Si quis ergo ex S. Dauide quærat, & quænam ei tantæ, tamque liquidæ lætitiæ causa existat; licet eam ipsæ initio statim indicauerit, esse Tabernacula, Atria, & Domum Domini; nihilominus hanc ipsam quonam modo sit pluribus deinceps explicat; dum ait se iure ac merito ita gaudere, non tantùm sui vnius, sed innumerabilium etiam aliorum, Christum suum Deum viuum amantium, causa E

V. 4. Etenim passer inuenit sibi domum: supposito; quod de ipsius Christi Domini sententia, per *passerem* intelligatur res in speciem vilis, abiecta, & infimæ conditionis; *nonne* enim, *duo passeres asse veneunt?* Matt. 10. v. 29. sensus S. Dauidis est, q. d. iam tandem Fidelis Christi Populus, qui persecutionum tempore, vt *passer*, vilis abiectus, miserabilior omnibus hominibus habitus est, qui patria, domo, & tecto carebat, qui profugus, & in cryptis atque cauernis terræ delitescere cogebatur, *inuenit sibi Domum*, in qua tutò ei cõmorari, & degere liceat. & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos F

A los suos. Illi ipsi fideles, seu Ecclesia persecutiones tam diuturnas, & sæuas patiens, &, vt *turtur*, ad consortis veluti absentiam gemens, cum tanta pati permitteret, inuenit tandem *nidum sibi*; quæ quidem domus, & qui nidus sunt;

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus. Quod omnibus votis desiderabant Christi Fideles (aptissimè, vt dictum est, expressi per passerem, & turturem, ob rationes indicatas) erat; vt tandem aliquando, post tot persecutionum
B tempestates, pace, & tranquillitate liceret ipsis gaudere, in qua, proposito publico Religionis Christianæ Fideiq. Christi cultu, potestas fieret, & via aperiretur omnibus Gentibus eam amplecti volentibus. omnia hæc S. Dauid complectitur, & quidem significantissimè, illa voce, *Altaria tua Domine*, quæ video vbique passim erecta; sacrificium incruentum Sacratissimi Corporis, & Sanguinis tui, quod in omni loco, & gente offertur; Sacramentorum tuorum participatio, quæ vbique à populo tuo Fideli percipitur; Diuini Verbi tui promulgatio, quæ
C iam palàm fit, & nemine prohibente auditur, & suscipitur. hæc *Altaria tua Domine Rex meus, ac Deus meus* sũt domus, & nidus, quæ tuus ipse Populus Christianus, tuus passer, & turtur inuenit sibi, & se inuenisse mecum lætatur, & exultat.

Hanc ego non mysticam, aut moralem; sed verè literalem; non quidem grammaticalem; sed vt in verbis metaphoricis, & symbolicis fuit à S. Dauide proposita, literalem, metaphoricam, & symbolicam, & verè intentam ab ipsomet Sancto Propheta expositionem esse existimo.

Primò quidem, quia, vt supra ostensum est, sermo illi est de Christi Ecclesia,
D non de Templo, aut Sanctuario Ierosolymitano.

Secundò, quia etiam posito, quod de Templo illo loqueretur, non apparet; & quidnam magnum, aut magnificum, aut dignum stylo suo diceret, si tantùm, vt verba sonant, dixisset; *Etenim passer inuenit*, &c. habent passeres, quod ego tantopere opto, domum, & nidum propè Altaria tua. hoc preterquam quod valdè violentum sit, & creditu plusquam difficile, quod propè Altaria, siue holocaustorum, siue thymiamatis auibus permissi essent nidi, quas arcere solemus etiam à sublimioribus templorum tectis; suo ipso modo loquendi S. Dauid se aliquid
E aliud significare voluisse ostendit; dum simpliciter ait, quod *passer domum, turtur nidum sibi* inuenisset non propè, sed ipsa illa *Altaria tua Domine*, &c. quod cum repugnet in literali illo sensu grammaticali, standum literali illi iam dicto, metaphorico, atque symbolico.

Sic ergo, pergit S. Dauid; postquam tui Fideles, Ecclesia tua hæc, quæ supra symbolis illis expressi, obtinuit; iam omninò sunt

V. 5. Beati, qui habitant in domo tua Do-
F mine: quæ est ipsa Ecclesia, ipsi, quia tu promisisti, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, Matt. c. 28. 20. ipsi, inquam in eadem tua domo manentes, repleti in bonis eius absque timore ea vnquam amittendi, neque enim ab ea auferentur bona illa, quod (proh dolor!) Synagogę nõ contingit; in sæcula sæculorum laudabunt te. Prorsus.

V. 6.

V. 6. Beatus vir cuius est auxilium abs te. A

Beatus, quia gratia tua adiutus, lumine Fidei tuæ sanctæ illustratus, à dæmonis seruitute liberatus, è peccatorum tenebris erutus, in illam domum tuam est ingressus. is quicunque ille est, verè beatus est. Nam tantis eius domus bonis ditatus; & semper plura acquirendi cęlestia dona nactus occasionem; ascensiones in corde suo disposuit, vt gratia tua comite, per virtutes ascendat semper, & proficiat, dum est B

V. 7. in valle lacrymarum in loco, quem posuit, subintellige, illi Dominus, à quo auxilium tam magnum, tam opportunnm consecutus fuit.

Verùm, vnde quæso terrenus homo, Adæ filius, pressus corruptibili corpore, quod aggrauat animam, affixus terrenæ inhabitationi, quæ deprimit sensum multa cogitantem, vnde, inquam, possit ille *ascensiones in corde suo disponere?* faciet id non ex se, aut sua virtute, sed adiutus auxilio Domini sui; C

V. 8. Etenim benedictionem dabit legislator, non quidem Moyses, *quia lex* vna, & sola, absque gratiarum, & benedictionis, atque cælestis auxilij coniunctione, *per Moysem data est*. Ioannis cap. 1. v. 17. Sed ille alius Legislator, de quo iam supra Psal. 9. v. 21. dixeram, & quem à Domino postulabam, *Constitui Legislatorem super Gentes, vt scirent, quia homines sunt*; ille Legislator, quem supra Psal. 80. v. 5. iuxta mea vota, desideria, & postulata dixi, proposuisse *Pręceptum in Israel*, & exercere, vt D Iudicem decet iudicium suum: hic, inquam, ipse optimus, benignissimus, gratiarum, & donorum opulentissimus, & simul liberalissimus *Legislator dabit benedictionem*, quia *gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Ioan. c. 1. v. 17. atque sic eius Fideles de plenitudine gratiæ eius accipientes, quod aliàs naturæ vires nullo modo ferrent; *ibunt de virtute in virtutem*, qui est vnicus modus ascendendi ad Deum, ad quem non passibus corporis, sed cordis affectibus tenditur. Felices igitur, & beati erunt illi eius Fideles, qui eo pacto ibunt de virtute in virtutem. E

At verò, sic in virtutibus proficientes quantum, quamque immensum bonum cōsequentur? certè ab ipsis videbitur Deus Deorum in Sion.

Hic S. Dauid ex primaria sua intentione non loquitur de visione beatifica, quam expectamus in Cælesti Sione Patriæ Beatæ, sed consequenter, & cohærenter antecedentibus ait; quod Christi Fideles, qui in Ecclesia Sancta eius Domo sunt, de quibus illi hactenus sermo fuit; illi, inquam, per veram, & incorruptam Fidem agnoscent *Deum Deorum*, qui est ipse Dominus Iesus, quem supra F Psal. 81. v. 1, hoc ipso nomine appellauerat, & quò hic alludit S. Dauid; quamuis simul insinuet, ipsum Dominum Christum, Deorum Deum sibi prospexisse de alia noua Sione, & nouis Dijs, à quibus debito cultu coleretur, & qui eximia vitæ sanctitate præditi eum colentes, & agnoscentes summis etiam in hac vita bonis potituri essent; nam verè, *hac est vita aterna: vt cognoscant te solum Deum verum,*

A *verum, & quem misisti Iesum Christum*. Ioan. 17. v.3. Ab ipsis ergo Christi Fidelibus prædicto modo *videbitur Deus Deorum in Sion*.

His positis S. Dauid ad quidpiam maximo affectu postulandum consurgit;

V. 9. Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.

B V. 10. Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui. Quid quæso illud est, quod postulat tanto affectu? quid illud est, quod sibi concedi interpositione pretiosissimorum meritorum dilectissimi Vnigeniti Dei Domini Nostri Iesu Christi efflagitat? *respice in faciem Christi tui*. Nihil certè ipse claris verbis exprimit; nam verba quæ sequuntur V. 11. *Quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia*, non petitionem eius explicant, sed causam tantùm indicant, quam ipse habuit tam instanter postulandi; id quod

C verbis quidem quidnam illud esset, non expressit, sed Domino cordis inspectori notum sciebat; & in cuius notitiam facilè peruenire posse non dubitabat vnumquemque, qui memor esset frequentissimarum orationum, quas toto Psalterij sui decursu, non sine multis gemitibus, & lacrymis solitus fuit ad Deum effundere.

Itaq; omninò dicendum est, quod S. Dauid etiam hoc loco interiecta illa duorum versuum oratione instantissima peteret, *à domo illa Domini*, vbi *videndus esset Deus Deorum*, non excludi Populum suum Iudaicum. An non, & amans quæ-

D vis Mater vehementissimè vrgeret in Regiam Aulam filium vnum sine altero non intromitti?

Quod autem S. Propheta, neque expresè, neque fusiùs hic ponat, se id postulare; idcircò facit, vel quia superfluum erat, postulationem iam notam, & toties iteratam apponere; vel quia res iam continuandas Ecclesiæ Christi lætissimas pluribus mœstis non censebat interturbandas. Satis hic erat; quod, quid peteret, aduerti posse sciret statim ex sequenti versu, quo causam reddit illius suæ interiectæ orationis; nam ait, se idcircò id postulare,

E V. 11. Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia. tantis domus tua, quæ est Christi Ecclesia, abundat donis, & bonis, ò Deus, vt longè optabilius sit, vel vnam in ea diem transigere, quàm alibi, & extra eam mille: huic rationi petitionis suæ causali nihil aptius, nihil cohærentius, & consequentius, vt considеranti patebit, subintelligi potest; quàm, ne ergo, obsecro Domine, ab illis atrijs tuis excludantur, qui de Populo Iudaico sunt, quia *melior est dies vna in atrijs*

F *tuis, super millia* dierum, qui alibi, & extra ea atria habeantur. Etiam illa omnia nostra, quæ in Lege nobis per Moysem tradita habemus, nihil habent perfecti; egena adeò sunt, vt non possint venire in comparationem cum ijs, quæ sunt in atrijs tuis. Ego (pergit S. Dauid) quod ad me attinet;

Elegi abiectus esse in Domo Dei mei:

præ-

præstat mihi potius inter seruos tuos fideles, qui infimæ sortis sunt in Ecclesia A
tua recenseri; magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, quàm esse extra eam apud alios loco, dignitate, & gradu quantumvis eminentissimo: apud alios, inquam, & etiam in ipsa Synagoga, in qua præuideo extremis temporibus erigenda esse *tabernacula peccatorum*; procul à me eiusmodi, & homines, & dignitates, quæ cum peccatoribus coniuncta sunt, Domui Sanctæ tuæ, & Fidelibus tuis, qui in domo tua sunt, totus inhæreo; nam indubitanter noui, B

V. 12. Quia misericordiam, & veritatatẽ diligit Deus: gratiã, & gloriã dabit Dominus in domo hac Dei mei.

V. 13. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. C Hæc, quæ S. Dauid, his duobus vltimis Psalmi huius verbis placere Deo dixit, fusius Psalmo sequenti exponit; & quidem sumpto principio ab eo, quod postremum fuit; quod scil. *non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia*.

PSALMVS LXXXIV. D

Benedixisti Domine, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXIV.

In finem, filijs Core, Psalmus.



Anctum Prophetam Dauidem continuare hæc pia sua desideria, vt bonorum Ecclesiæ Christi propositione, omnes quidem homines, sed vel maximè Iudæos suos, ad ingrediendum in eam promoueret, id ipse huius Psalmi Titulus indicat, qui ferè idem est cum Titulo Psalmi prioris. *In finem, filijs Core, Psalmus.* Solicitudinem autem, quam pro suo Populo S. Dauid habet, à versu 5. vsque ad 9. indicat. à versu 10. quæ, & quàm iusta Dei sententia sit, cui standum, exponit. E F

Ex his, & totius Psalmi expositione, iuxta hoc Argumentum consequentissima, constat, Psalmo hoc, ad literam non proponi typum Babylonicæ captiuitatis; neque esse propriè, & per se prophetiam de Christi Incarnatione: sicuti ex literali, & consequente explicatione versuum 11. 12. 13. (qui eam videntur insinuare) constabit; ait ergo;

PSAL-

A

PSALMVS LXXXIV.

V. 2. Benedixisti Domine terram tuam:

& est quasi dicat; sicut supra Psal. 64. v. 10. magna animi mei consolatione dixe-
ram, te *visitasse terram, & inebriasse eam*, &c. ita modò propter tot collata Eccle-
B siæ tuæ, & fidelibus beneficia, & dona tua diuina, planè abundantissima manu be-
nefaciendo, ***benedixisti Domine terram tuam***; non de materiali terræ elemento lo-
quitur; nam sciebat vtique Sanctissimus Propheta Dauid, quod ab ipso transacto
Mundi diluuio dixisset, Dominus Gen. 8. v. 22. *Cunctis diebus terræ, sementis, &
messis; frigus, & æstus; æstas, & hiems, nox, & dies non requiescent*. non, inquam,
de hac terræ materialis benedictione loquitur; sed de spirituali, quæ erat eius he-
reditas, idest ipsæ Gentes, & Populorum Nationes ad eius Fidem conuersæ; id
quod ipse statim sequenti parte
C Versus explicat se intelligere; **auertisti captiuitatē Iacob:**
per *captiuitatem Iacob* intelliguntur illæ ipse Gentes erutæ de potestate Satanæ,
quæ pertinebant ad spiritualem; seu, qui per repromissionem erat *Iacob*, seu Israel,
auertit ergo illam *captiuitatem*, quam fortis armatus tenebat, abducendo eam ab
illo *auertit*, seu vt S. Hieron. habet, *reduxisti*. Quod verò de hac loquatur, & non
de vlla alia captiuitate, seu Babylonica, seu Ægyptiaca, pariter & hìc statim se ip-
sum declarat, dum ait; non de illa se captiuitate loqui, quæ ferreis catenarum, ma-
nicarum, seu compedum vinculis homines vinctos detinet; sed de ea, quæ spiri-
D tualis est, & in peccatorum nexibus, longè quam sint catenarum, horribilioribus
consistit, quos tamen tu, ò Deus, dum *Benedixisti terram* hanc *tuam*, omnes nullo
negotio perrupisti, discidisti; nam, tunc auertisti captiuitatem Iacob, dum

V. 3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ:

mūdās eā lauacro aquę in
verbo vitæ (Ephes. c. 5.) **operuisti omnia peccata eorū:**
delendo ea planè, & abolendo gratia tua; id planè indicat verbum *operuisti*, &
E non, quod peruersè volunt hæretici, vt scil. peccata maneant, sed operta sint; *ope-
ruisti*, ait, *peccata eorum*, vt scil. à diuinissimis oculis tuis non videantur: manifestum
autem est, non esse, quod à Diuinis oculis non videtur. Atque sic, abolitis indul-
gentia, & gratia tua plebis tuæ peccatis;

V. 4. Mitigasti omnem iram tuam: auer-
tisti ab ira indignationis tuæ:

nulla enim maior Dei ira, vel
indignatio, quàm cum homi-
F nem peccatorem in suis peccatis viuere sinit; *nam finis illorum mors est*, Rom. c. 6.
22. cum animæ, tum corporis.

Iam verò hoc supposito, quod Dominus *remiserit iniquitatem plebis suæ*, & sic
destruendo peccata (quæ dum manent, iram Dei, iustamq. vindictam prouocant)
eandem *mitigauerit, atq; auerterit:* quid sibi vult S. Dauid, quod sequentibus Ver-
sibus 5. 6. 7. & 8. quædam hisce præmissis planè opposita subiungat? nam ait;

V. 5. Conuerte nos Deus salutaris noster: A
& auerte iram tuam à nobis. Provt in Argumento Psalmi dictum fuit, hic S. Dauid ex occasione, quod Dominus tam liberalem sese præstet in condonatione peccatorum plebis ex Gentibus collectæ, agere aggreditur causam etiam alterius plebis Iudaicæ, insinuando desideria sua Domino, quæ ipse, tanquam Pastor eiusdem plebis, pro ijs gerebat; id autem, provt priori etiam Psalmo v. 10. & 11. vidimus,
paucis, & incidenter facit, & ex re nata, maximèque opportuna; nam est, quasi di- B
cat, quandoquidem *Benedixisti Domine terram tuam*, &c. in tanta gratiarum tuarum abundantia, etiam *Conuerte nos Deus salutaris noster*; noster etiam salutaris es tu, & hactenus fuisti, ideoque & *nos conuerte, & auerte iram tuam à nobis*; dulcedine gratiæ tuæ emolliendo duritiem cordis nostri, & efficiendo, vt conuertamur ad te. Et quia hæc duritia, & obstinatio cordis, & auersio à te tam diù durat, & in tam multa sæcula extenditur (non dubium id præuidisse S. Dauidem valdè diù duraturam) propterea subiungit dolens:

V. 6. Nunquid in æternum irasceris nobis? C
nũquid vsq; in finẽ sic permittes in peccatis, & obstinatione nostra nos ꝑmanere? aut extendes iram tuam à generatione in generationem? vt gens nostra in tam multa secula pereat? In hac tam diuturna Populi huius mei Iudaici desolatione, quæ sese extendet in generationem, & generationem, illud quidem aliquod inuenio sola-
tium; quia D

V. 7. Deus tu conuersus, cum iterum benigno vultu respexeris, quod ad finem Mundi fiet; viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te. Verùm etiam pro præsenti, & tam diù intercursuro tempore obsecro,

V. 8. Ostende nobis Domine misericor-
diam tuam, illam magnã, & salutare tuũ, Christũ tuum, da nobis. E
Hæc est summa votorum meorum, quam posteaquam tibi Domine toties, & etiamnum suppliciter proposui,

V. 9. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: attendam, quid mihi ad illa dicat, & ita audiam, vt illis obediam, & obsequar, totusque me Diuinæ eius voluntati
conformem; certus autem sum, quoniam vt, qui summa ipse Bonitas, & Benignitas est; loquetur pa- F
cem in plebem suam. illis omnibus, quos ipse Fideles seruos habet, qui sunt de plebe eius, de Domo illius, quæ est Ecclesia, quam acquisiuit sanguine suo, pacem offert, pacem donat, & gratiam suam, & illam, vt dixi, liberalissima manu effundit *in plebem suam:*

Et

A Et super sanctos suos: & in eos, qui conuertuntur ad cor. nam *gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco*. Rom.c.2.v.10. An non hæc est Domini Dei nostri profusa liberalitas?

V.10. Verumtamen (ad id, quod petebam, vt populo meo Iudaico *misericordiam suam ostenderet, & Salutare suum daret*, respondetur) B prope timentes eum salutare ipsius futurum semper, & permansurum; & quia tales timentes in eius Ecclesia reperientur; nam concinente etiam eiusdem Salutaris Dei Virgine Matre Sacratissima, *misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*. Luc.1.50. fiet etiam, & sequetur; vt inhabitet gloria, qui est ipse Christus Iesus Dei Filius Dominus, ac Saluator noster in terra nostra, quæ est eius Ecclesia inter Gentes fundata. Atque sic iuxta iusti Simeonis Canticum, & Prophetiam Dominus C Iesus est *lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis suæ Israel*. Luc.2.32. In tanta ergo bonorum, & gratiarum, quas Ecclesia Christi obtinuit plenitudine, manifestè apparet, quia

V.11. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi; idest, illa omnia tam multa, tam grandia, & magnifica, quæ fidelissimus in verbis suis Deus promiserat se facturum, eiusdem Domini infinita misericordia iam tandem executioni mandauit; atque sic factum est, vt hæc sum- D mæ Diuinæ pietatis decreta, quæ per tot sæculorum series differebantur, dum tandem opere ipso complentur, veluti sibi obuiént, & in vnam, eandemque viam conueniant *Misericordia, & Veritas*; dum misericordia Dei exequitur, quod eiusdem Veritas promisit. Ex hoc autem id, quod optabatur consecutum est, scilicet, quod iustitia, & pax osculatæ sunt. quod Psal. 71. 7. prædixeram; *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis*; id nunc obtentum est in Ecclesia eius: vitæ sanctitati, virtutumque exercitio studetur, & vacatur; ex quo pax E sequitur, quæ exsuperat omnem sensum; sic Isa.c.32.v.17. *Et erit opus iustitiæ pax*; de his ipsis Ecclesiæ temporibus prophetando dixit. Illud ergo indissolubile vinculum, quo hæc duo inter se colligantur S. Dauid expressit illo verbo, *osculatæ sunt*; se se inuicem scil. sunt amplexatæ: sicut prius dixerat, sibi *misericordiam*, & *veritatem* occurrisse: ita hìc permanet in eadem similitudine, dum illius occursus optatissimos effectus indicat (quod facit etiam versibus sequentibus vsque ad finem) & ait, ab illa vnica, & sola Dei misericordia, omnia illa, quæ tanto ante promiserat, complente, ortum, & originem habere illam iustitiæ, & sanctitatis, quæ F in Ecclesia Christi est, abundantiam. Itaque

V.12. Veritas de terra orta est: hoc loco per *veritatem* intelligit illam ipsam vitæ sanctitatem, virtutum, & bonorum operum exercitium; nam in his veritas est, & soliditas, vt in oppositis, vanitas est, & mendacium. Cohærenter ergo increpationi, quam supra Psalmo 4. proposuerat; *Filij hominum vs-*

V 2 *que-*

quequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? consentanee desiderio suo, & prædictioni paulò ante citati Psalmi 71. v.7. quod *orietur in diebus eius iustitia,* &c. loquens ait; quod tandem *Veritas de terra orta est*; & quidni tot irrigata cælestium gratiarum pluuijs fructus tandem suos attulisset terra? quandoquidem & iustitia de cælo prospexit: hoc loco, quia sic contextus fert, per *iustitiam* intelligenda est ipsa Dei *misericordia*, exactissimè adimplens ea, quæ promittit. Neque noua hæc est acceptio, sed frequens, & vsitata tam in Psalmis, quàm alibi: Psal.30.2. *In iustitia tua libera me*. Psal.50.16. *& exultabit lingua mea iustitiam tuam*. Isaiæ cap.56.1. *quia iuxta est salus mea, vt veniat, & iustitia mea, vt reueletur*, &c. sed quid opus est hanc acceptionem probare, quandoquidem eam ipsam S. Dauid se intelligere sequenti versu explicat, dum rationem adferens, & curnam in terra reperiendi sint eiusmodi abundantes fructus omnis bonitatis, honestatis, virtutum, sanctitatis, ait idcircò id futurum, A B

V.13. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Fructus autem, quem *Domino dante benignitatem, terra* nostra datura est, erit, vt iam sæpè dixi, *Iustitia*, vitæ sanctitas, & innocentia; & sic C

V.14. Iustitia ante eum ambulabit: quod Dominus cõmendabat; *ambula coràm me, & esto perfectus*, Gen.cap.17.v.1. id tandem iam fiet, quandoquidem *Iustitia ante eum ambulabit* (per *Iustitiam* intellige homines iustos, iustitiæ, & sanctitatis sectatores) & ponet in via recta, quam eius Vnigenitus docuit, qui via est, gressus suos; provt iam dictum est. D

PSALMVS LXXXV.

Inclina Domine, &c. E

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXV.

Oratio ipsi Dauid.



Ensus huius Tituli est, quod sub typo, & figura Dauidis, hanc orationem fundentis ob se à periculis, & persecutionibus multis à Deo liberatum, & bonis multis ab eodem donatum, proponatur nobis Dominus Noster Iesus Christus, qui vt Ecclesia erat caput, & quatenus homo, ob eam ita, vt vidimus, à persecutionibus liberatam, & tantis locupletatam donis gratias agit, & fauorem pro ea, atque propitiationem vlteriorem, imò perpetuam flagitat, vt sic destinatum sibi in omnes imperium obtineat, prout Versu 16. postulat; *da imperium* F

A *perium tuum puero tuo*, &c. Hoc esse Psalmi huius argumentum, præter cohærentiam, magis adhuc patebit ex text. ipsius Psal. explicatione. Non esse ad literam de ipso Dauid constat ex Versu 9. qui de ipso verificari non potest; nam ex eius liberatione siue à Saule, siue ab Absalone nunquam effectum, vt *omnes gentes venirent, & adorarent coràm Domino*, sed benè post liberatam Christi Ecclesiam, *Omnes gentes* (licet vt S. Aug. notat, non omnes homines) *venient*, si necdum ex singulis nationibus adhuc venerunt, & *adorabunt*, &c. Sed neque Versus 14. propriè Dauidi conuenit; nam *Synagoga potentium non quæsiuit animam eius*; quandoquidem B semper habuit partibus suis plurimos adhærentes, eosque è præcipuis, & potentioribus. Christo Domino omnia, absque vlla difficultate conueniunt. Id, quod solùm videtur aliquam facere est illa humilis precatio v. 1. 2. 3. sed facilè soluitur ex recepta S. Augustini sententia, quod scilicet; *Christus orat pro nobis, vt Sacerdos noster; orat in nobis, vt caput nostrum; oratur à nobis, vt Deus noster*. Itaque Christus, quod Æterno Patri suo placere optimè nouerat, humilitatem, mansuetudinem, & paupertatem suam exhibet.

C

PSALMVS LXXXV.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego. Multa passim tam in
D Psalterio, quàm in Isaia, maximè cap. 45. de Christi Domini humilitate, & paupertate, tanquam notis, & indicibus Regni eius distinctiuis.

Notandum autem, quod licet ipse exauditus fuerit, vel in ipsa Cruce; nihilominus hoc loco proponitur valdè consequenter orare, quia ipse Caput nostrum, seu Ecclesiæ est, & id vice eius, & pro ea facit; sic & hoc sensu pergit;

V. 2. Custodi animam meam, quoniam
E sanctus sum: Animam suam ipsam Ecclesiam, & Fideles, qui membra ipsius sunt vocat, & ipsi per eum Sancti, & Deo dicati, eiusque serui, qui omnes cum ipso suo Capite, dum vnum quid faciant, benè ait; saluum fac seruum tuum, Deus meus sperantem in te. Sic, & in hanc explicationem venit, quod 1. Cor. 3. 23. ait Apostolus loquens de vnione, quam cum Domino intimam habemus; *Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei*.

F V. 3. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: Iam quidem prioribus Psalmis Ecclesiam Christi vidimus misericordiam, & liberationem à persecutionibus fuisse cõsecutam; nihilominus hoc loco Christus repræsentat Patri Æterno illas etiam transactas, & quod illis durantibus (earum autem duratio exprimitur ly *tota die*) clamauerit in ipsis suis membris patientibus; iam tan-

tandem, vt facis, perge, & lætifica animam serui tui: Christus ratione humanitatis Dei seruus, vt sæpè in Isaia; sicuti Christus in membris suis persecutionem se pati, vel ex ipso cælo declarauit; ita etiam non dubium est lætificari eorum lætitia; lætifica ergo quoniam ad te Domine animam meam leuaui, non alium habens, qui auxiliaretur, & consolaretur. Quis verò alium vel quærat, vel habere velit? A

V.5. Quoniam tu Domine suauis, & mitis: & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Vt verò hactenus fecisti Domine, sic deinceps semper B

V.6. Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ. Memini Domine (quod in gratiarum actionem commemoro, te laudando, tibique benedicendo) C

V.7. In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me: meque in meis fidelibus ab illa benè longa *die tribulationis* persecutionum liberasti, & omnibus persecutoribus superiorem fecisti, victa, & prostrata toto terrarum Orbe Idololatria; ex qua tam insigni victoria, vel ipsis hostibus tuis iudicibus, & testibus constat manifestè, quia D

V. 8. Non est similis tui in dijs Domine, quos Nationes, & Populi Gentium colebant; & non est secundùm opera tua. Non est, qui par tibi sit, & æquari tibi possit in operibus admirandis, quæ fecisti, non tam in Mundi Creatione, sed in eius Conuersione per Fidei Prædicationem. En iam tandem E

V. 9. Omnes Gentes quascunque fecisti, venient ad te per Fidem; *credere enim oportet accedentem ad Deum*. Heb. 11. v. 6. & adorabunt coràm te Domine: & glorificabunt nomen tuum. agnoscent, confitebuntur, & prædicabunt omnes Gentes; non omnes homines; S. August. F

V. 10. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus. quod *tu es Deus solus*, agnoscent, & confitebuntur; atque ita in hac

ipsa

A ipsa Fide vitam æternam habebunt; cum *hæc sit vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Ioan.c.17.3. In hac Fide, quæ vera via est ad te,

V.11. Deduc me Domine in via tua; vice membrorum, & pro illis loquitur Christus eorum Caput; & ingrediar in veritate tua: sic deduc, vt ingrediar, vt ambulem in veritate tua; idest, vt benè P.Emm.Sà, in lege tua, quæ B docet veritatem: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. His verbis Christus facit officium soliciti Patris pro filijs; illis itaque à Patre suo cælesti prospera elargiri postulat, vt nihilominus illis non efferantur; *Lætetur cor meum*; ita, *vt timeat* semper *nomen tuum*; in humilitate, metu, & tremore tibi seruiant: gaudete in Domino semper; sed simul modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Hæc cautela necessaria erat in prosperioribus Ecclesiæ successibus, qui ipsi affluere incipiebant. Cæterum pro transactis C persecutionum procellis, & auxilijs à Diuina Maiestate in ipsis perceptis memorem se se Dómino, & gratum pro Ecclesia sua, & fidelibus exhibet;

V.12. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

D V.13. Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori. Hæc secunda pars Versus licet explicari possit de Limbo, vel Sepulchro, vnde à Deo erutus Christus, prout P.Emm. Sà notat; nihilominus maiori cum significatione, & connexione ad superiora dicetur, ea verba Christum loqui, non respectu sui, sed membrorum suorum, fidelium scil. E qui cum ex Gentibus, Idololatriæ, Satanæ, & morti mancipatis, conuersi essent, verè *eruti* erant *ex inferno inferiori*. In hoc ergo magna fuit Dei misericordia.

Præter hanc summi momenti, vt quæ animam concernebat, aliam etiam eximiam se percepisse fatetur, quando Dominus eum (pro Ecclesia sua, cuius Caput est, loquitur) de tam multis, ijsque crudelissimis hostibus, & persecutoribus, qui, vt vidimus, in vltimam perniciem, & exterminium Ecclesiæ conspirauerant, superiorem reddidit.

F V.14. Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga, omnem eorum multitudinem intelligit, potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt

te

te in conspectu suo. Non aduerterunt, se frustraneo labore contra me decertare, cum tu Domine esses auxiliator meus; A

V. 15. Et tu Domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax. qui hactenus tam potenter, tam misericorditer, & iuxta omnia promissa tua fideliter adiuuisti; perge porrò semper, & B

V. 16. Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum (quod promisisti te daturum Psal. 2. 8. *Gentes hereditatem, & possessionem terminos terræ*) puero tuo, Christo, & saluum fac filium ancillæ tuæ; ipsa est Beatissima Virgo Maria eius Mater, quæ inuenit gratiam apud Deum.

V. 17. Fac mecum signum in bonum, C subijciendo mihi Gẽtes, vt videant qui oderunt me, & confundantur: sic Isa. c. 26. 11. *videant, & confundantur Zelantes Populi.* Iudæi, & Gentiles obstinati. quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me.

In hoc Psalmo, vt vidimus, Deo Domino debitæ referuntur gratiarum actiones D propter beneficia præstita Ecclesiæ, de qua sermo prioribus duobus Psalmis fuerat, & statim sequenti futurus erat. Licet autem ipsius Ecclesiæ nomine hæc tota Laus Deo decantari potuisset; nihilominus conuenientius erat, vt eius Capitis, & Sponsi voce, ac nomine penderetur; præsertim quando eodem Psalmo S. Dauid valdè multa de Exaltatione ipsius Domini Iesu, ad quam sensim magis accedit, dicturus erat, prout fecit vv. 9. 16. 17. semper propositi sui, & promissi in vniuersali Psalterij argumento (Psal. 2. v. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*) memor. Hæc autem Domini exaltatio, quia, E vt innuitur, futura erat *super Sion montem sanctum eius*; idest in Ecclesia inter Gentes fundata, ideò fit, vt semper coniuncta sit cum eiusdem Ecclesiæ suæ progressionibus, propterea nihil mirum, si tam multus sit idem S. Propheta in eiusdem Ecclesiæ laudibus, & encomijs.

Ad Ecclesiam ergo redit, & quia supra dixerat, *Beatos esse, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te*. Psal. 83. 5. quia dixerat, *Benedixisse Dominum terram suam*, illam ipsam, eamque *daturam fructum suum*. Psal. 84. & hic versu 9. *Omnes Gentes quascunque Dominus fecit, venturas in eam, & adoraturas*, F *atque glorificaturas* ipsum; aliaque eiusmodi, quæ vt dixi, ita ad Dominum Christum eius Sponsum pertinent, vt nihilominus cum eximijs Ecclesiæ laudibus coniunctissima sint. Propterea hanc tantam eius excellentiam, & sublimitatem S. Dauid etiam Psal. 86. admiratur, & celebrat.

PSAL-


A

PSALMVS LXXXVI.

Fundamenta eius, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXVI.

B *Filijs Core, Psalmus Cantici.*



Ætissimus planè, licet breuis, est hic Psalmus, de dilectione, quam Dominus habet erga Ecclesiam suam: quæ quidem dilectio omnium bonorum ipsi collatorum, & multitudinis omnium Gentium in eam confluentium, & consequenter habitationis in ea *omnium lætantium*, cum sit causa; propterea *Psalmus Cantici* vocatur, & *Filijs Core* inscribitur ideò, vt non solùm gratulentur Eccle-
C siæ, in eaque lætentur, qui ex Iudęis iam in ipsa erant, verùm etiam, vt alij omnes, qui foris manebant, ad illam cum tam multis Gentibus accurrerent, futuri bonorum, & lætitiæ eius participes.

PSALMVS LXXXVI.

D

Fundamenta eius in montibus sanctis.

Itaque supposito, quod, sicut paulò ante dictum est, S. Dauid hìc ad literam, & intentum, quod habet, non loquatur de Templo, vel Sanctuario ædificando in monte Moria (nam id extra propositum, & connexionem esset; neque cum vnus mons Moria esset, qui cessurus erat in situm, & fundamenta Templi illius plurali numero appellasset *montes*: neque dixisset, *sanctos*, cum non Templum à monte, sed potius mons à Templo sanctitatem esset accepturus) hoc, inquam, supposito, aliud pariter consequitur, quod scil. cum de Ecclesia Christi illi sit sermo, dum
E ad eximiam eius excellentiam, sublimitatem, & celsitudinem declarandam ait; *Fundamenta eius esse in montibus sanctis*; ipsum neque de fundamentis materialibus, neque de montibus terrenis loqui; sed hæc vtraque spiritualiter accipere, & id solùm, & maximè velle ostendere Christi Ecclesiam non humanum, sed Diuinum esse inuentum, eamque inniti Sapientiæ Diuinæ æternis Decretis ita in tempore manifestandis, & executioni tradendis, vt nulla illis vis, aut potentia esset obstitura, sed infallibiliter, & immutabiliter essent euentura: quorum quidem immutabilitatem aptissimè exprimit per *montes sanctos*. Atque ita sicut supra
F cum ageret de victoria, quam Fidei Christi Prædicatio obtinuit de omnibus Mundi sapientibus, dixit, *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde*. Psal. 75. ita hoc loco ostensurus Ecclesiam Christi, nulla humana, vel ipsorum inferorum vi commouendam, vel de suo statu deijciendam, & conuellendam, significantissimè ait; *Fundamenta eius in montibus sanctis*; quasi alijs verbis diceret, id quod Gamaliel Actorum cap. 5. v. 39. aiebat; *Consilium hoc*,

cum *ex Deo* sit, ***non poteritis dissoluere illud, ne fortè & Deo repugnare inueniamini***. A
Firmissima ergo, & æternùm duratura Ecclesiæ firmitas, quæ fundamenta habet
in montibus sanctis, quæque ipsi Deo innititur. Erga illam Dominus beneuo-
lentissimam suam charitatem ostendit, dum

V. 2. diligit Dominus portas Sion, quæ est ipsa Christi Ec-

clesia inter Gentes fundata, Ecclesia vniuersalis ex omnibus Mundi Nationibus
in eam ingressis, & ingressuris conflata; & hanc eius vniuersalitatem S. Dauid ex-
pressit dicendo, ***diligere Dominum portas Sion***, quo modo loquendi, & ***portas*** com- B
mendandi, innuit; se de illa Noua Sione loqui, in quam ex omnibus Mundi par-
tibus pateret ingressus, & quæ ab Oriente portas tres, ab Occidente itidem, Sep-
tentrione, & Meridie totidem haberet; & in quam in nomine Sanctissimæ, &
Indiuiduæ Trinitatis ex omnibus illis partibus Mundi, quamplurimi essent in-
gressuri. Hoc ipsum postea expressius S. Ioannes Apoc.c.21.v.13. indicauit; li-
cet enim ipse illo capite de cælesti Ierusalem loquatur, & Ciuitate in quadro po-
sita, cui ***Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab
Occasu portæ tres***; id nihil obstat, quo minus dicamus, etiam Sioni, & Ierusalem C
militanti esse totidem portas; neque enim in illam cælestem admitti possent per il-
las iam dictas portas, nisi prius per easdem correspondentes illis cælestibus fuis-
sent in militantem introgressi: has ergo ***Portas Sion diligit Dominus***

super omnia tabernacula Iacob.

diligit plusquam omnia illa tabernacula carnalis Populi Israelitici
erecta in deserto, quamuis & illa adeò pulchra essent, vt in admira-
tionem raperent eum, qui ea intuens dicebat. ***Quam pulchra tabernacula tua Iacob,
& tentoria tua Israel***. Numerorum cap.24.v.5. D

Ex hac comparatione, & prælatione, quam S. Dauid facit Ecclesiæ Christi
omnibus Tabernaculis Iacob; cum notum sit ea Tabernacula in Castrorum me-
tatione à duodecim Tribuum Principibus ternario eorum numero quadrupli-
cato tendi solita ad quatuor Mundi partes; certum hinc indicium colligitur,
dum dixit; ***diligere Dominum portas Sion super omnia Tabernacula Iacob***; per ***portas***
voluisse significare illam, quam dixi, Ecclesiæ Christi vniuersalitatem omnium
Mundi populorum in eam confluentium. Neque hac de re dubium vllum su-
peresse potest, quando paulò ante dixerat Psal. priori v. 9. ***Omnes gentes, quas-*** E
cunque fecisti, venient, & adorabunt coràm te Domine: & glorificabunt nomen tuum.
Propter has ergo gentes venientes, & ingredientes, qui benignissimus, & mise-
ricordissimus est, ***diligit Dominus portas Sion***. O verè beata Sion tam fœcunda tot
filiorum Mater!

V. 3. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

quando vt primus post Christum eiusdē Dei Ecclesiæ, & Ciuitatis, & Dominici
gregis, Pastor D. Petrus verè dixit, Act.c. 4. v. 24. ***Et omnes Prophetæ à Samuel, &*** F
deinceps, qui locuti sunt annunciauerunt dies istos. Si reflectamus mentem ad ea
quæ vel ipse S. Dauid hactenus in suo Psalterio de Ecclesia Christi, tam multis
Psalmis, tam honorificè de ea dixit, & porrò adhuc maiora, & longè honorifi-
centiora est propositurus. Si ea inspexerimus, quæ ex Isaia ad mirificam eius
laudem è tam multis laudum fontibus producenda erunt, eiusque gloriam,
maie-

A maiestatem, & perpetuitatem declaratura, si inquam, ad hæc, & eiusmodi mentem aduertamus, planè simpliciter de Ciuitate Dei, quæ est Christi Ecclesia dictum dicemus; *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*.

Verùm licet hæc, quæ modo insinuaui, omnia in explicationem huius versiculi veniant, vt verè intenta à S. Dauide; nihilominus alia adhuc superest proximior, & consequentior explicatio, quod scilicet ideò dicat, *Gloriosa dicta esse de* illa *Ciuitate Dei*, non tam quia de illa Prophetæ tam multa, tamque honorifica dixerunt, quàm propter illa, quæ ipse S. Propheta Dauid Deo reuelante audi-
B uisset, de ea pronunciata fuisse; illa porrò erant sequentia, quod scil. Dominus dixisset;

V. 4. Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. Per Rahab, qui superbum scil. Regem significat, vt P. Emm. Sà, P. Lorinus, alijque consentiunt, significantur Ægyptij; quorum (vnà cum Babylonijs) cum Dominus se *memorem* futurum dicat, tanquam eorum, qui Diuinam eius Maiestatem nossent, & colerent;
C non est dubium significari hoc versu Gentium Conuersionem, vt ijdem Expositores consentiunt.

Hoc ipsum ergo, quod Dominus statuerat Ecclesiæ suæ tantam dare Gentium, Nationum, & Populorum diuersitatem, & vniuersalitatem, eidem Ecclesiæ gloriosissimum erat, neque illi quicquam honorificentius poterat contingere, quàm quod ita Vniuersalis, & verè Catholica futura esset, vt multis tom. 2. in Epistola ad Ianuarium D. Augustinus hanc ipsam eius excellentiam, & prærogatiuam celebrat. Imò & ipse Dauid, vbi proposuisset id, quod de ea dictum in
D Æterno Deitatis Concistorio inaudierat, & iam explicatum est, plenus admiratione, & simul repletus gaudio, & exultatione, ait,

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & Populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Est quasi diceret S. Dauid, (id quod postea Christus Dominus dicturus erat) *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ,*
E *duplo quam vos*. Matt. c. 23. 15. Non sic facient, quos Dominus missurus est, Fidei suæ, & Ecclesiæ Prædicatores, ipsi innumeram alienigenarum Gentium in Ecclesiam introducent multitudinem; Ecce *alienigenæ, & Tyrus*, quæ habitat in Corde maris Ethnici, ipsa Roma, *& Populus Æthiopum*, per quos, vt in Isaiæ cap. 18. v. 1. dicendum est, intelliguntur Idololatræ quæque Gentes; *hi*, inquam omnes in vnum gregem collecti, in vno ouili Ecclesiæ, sub vno Pastore degentes, *fuerunt illic*; sunt, & erunt. Nunquam sanè quid simile vidit Synagoga; sed neque vnquam aliud simile attentare sunt ausi peruersi sectarum inuentores,
F animarum occisores, ouium lupi rapaces, non parcentes gregi, Hæresiarchæ, vt ad Gentes Idololatras sectas suas promouerent. Certè Doctissimus Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ lib. 6. ait; ab omnibus simul Hæreticis, qui iam inde à Simone Mago primipilo ipsorum, innumera millia conficiunt, non tot Ethnicos ad legem Christi, qualemcunque ipsi fingunt, quot ab vno Diuo Francisco Xauerio ad Christum esse perductos; quia scil. ipsi numquam egerunt, vt Gen-

tes, seu quasvis animas ad Christum adducerent, sed vt ipsos Christianos peruerterent. A

Hæc ergo solius, & vnius Ecclesiæ Catholicæ Prærogatiua est; hæc eius est gloria, vt de ea singulis sæculis dicatur; *Ecce alienigenæ*, &c. *fuerunt illic*.

V.5. Numquid Sion dicet: Pergit S. Dauid in admiratione, & gaudio, quod de hac ipsa Ecclesiæ Christi gloria percipit, & eam veluti loquentem (vel quòd aliquando hoc, quod sequitur locutura sit) introducit; *nunquid Sion dicet:* idest; *nunquid* non *dicet Sion*, de qua loquor, quæ est Ciuitas Dei, habens fundamenta B in montibus sanctis, &c. nunquid sibi ipsi gratulando non dicet: Homo, & homo natus est in ea; idest, vt benè P. Emm. Sà, multi, seu plurimi nati sunt spiritualiter in ea per Baptismum. Addi debet, quod iuxta paulò ante dicta, *homo*, *& homo*, significet indifferenter quemcunque hominem, vndecunque, & è quacunque Mundi parte, & natione in eam sanctam Sionem Christi Ecclesiam venientem, nasci in ea, seu renasci ex aqua, & Spiritu Sancto; quia scil. ibi, vt Apostolus ad Colos. cap. 3. v. 11. loquitur, *non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, &* C *præputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber*, &c. Et hæc natiuitas tam multorum filiorum, quia summi gaudij, & lætitiæ futura erat ipsi Sanctæ Matri Ecclesiæ, propterea S. Dauid ait, & ipse ei veluti congratulans, & applaudens; *Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea;* subintellige vtique, dubio procul, omninò dicet, gratulabitur sibi, gaudebit, & lætabitur. Sic etiam quod ad propositum facit, S. Aug. de Symbolo ad Cathecumenos lib. 4. ca. 1. tom. 9. ait; *dum per sacratissimum Crucis signum vos suscepit in vtero S. Mater Ecclesia, quæ sicut, & fratres vestros cum summa lætitia spiritaliter pariet, noua proles futura tantæ Matris, quousque per lauacrum sanctum regeneratos veræ luci restituat, congruis alimentis eos, quos* D *portat, pascat in vtero, & ad diem partus sui lætos læta perducat*. Læta ergo perducit ad partum filios suos S. Mater Ecclesia, & sibi ipsi, vel eius voce quicunque alius ait, quod *homo, & homo natus est in ea*. Sed, quia duo membra, seu causas exultandi versus hic continet, repetendum est. Nunquid etiam dicet, seu ipsa Sion Ecclesia sibi; seu quiuis alius ipsi de felicitate adepta congratulans; & ipse fundauit eam Altissimus? omninò, & hoc de illa dicetur, quia hoc ipsum, quod eam Altissimus fundauerit, stabit nunquam interitura; crescet, bonis omnibus ditabitur: imò creuit, ditata est, dilatata in omnem terram. Quam magna hæc est *Altissimi* erga eam dilectio! Poterat ne plura ei præstare? Certè vnum adhuc (pergit S. Dauid, & cum eo Psalmum concludit) ei benignissimus Dominus, quod omnium maximum est beneficium contulit, & illud est; quod E

V.6. Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea. F

Multas huius versiculi expositiones adferunt Interpretes, quæ tamen, vt eas consideranti apud P. Lorinum, qui multas collegit, facilè patebit, non plenè explicant, & quænam tandem sint illæ scripturæ, seu id, *quod in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea*, se narraturum Dominus promittit; idque benefi-

ficij

A ficij loco ait se facturum. Est ne Dei seruo, omnis humanæ gloriæ contemptori, tanti pendenda memoria, quæ fieri de eo posset in scripturis Populorum, & Principum? Sed quod versiculus hanc non admittat explicationem, ipse sequentibus verbis indicat, dum ait, se in scripturis narraturum non quorumcunque Populorum, & Principum; sed ***horum, qui fuerunt in ea***; scil. Sion, de qua fuerat locutus, nati, vel renati per Baptismum.

Neque verò per *Scripturas* propriè Diuinæ Scripturæ intelligi possunt, quod Euthymius, & Nicephorus apud P. Lorinum volunt, quia esto illæ aliquo modo

B dici possent esse Scripturæ Principum Iudæorum, quia *ipsorum erat testamentum, & Legislatio*, vt Rom. 9. 4. ait Apostolus, non tamen dici possunt fuisse Scripturæ *populorum*, quia nunquam populorum nomine intelliguntur in Scriptura Iudæi, sed potius Gentes.

Deinde & hic, atque etiam in alijs eiusmodi expositionibus recurrit semper illa difficultas, quod dicatur Dominus, non quodcunque docturus, seu narraturus; sed notanter addit *horum, qui fuerunt in ea*: quæ verba relatiua sunt, vt dixi, & indicant sermonem esse de ijs, de quibus prius fuerat institutus; nimirum natis in


C Ecclesia.

Dicendum ergo est, Sanctum Dauidem hoc loco aliud non velle significare, nisi quod, secundùm supra à se dicta, valdè multi sint in Ecclesia per Baptismum nasciturі; quorum *populorum, & principum horum, qui fuerunt*, seu futuri sunt *in ea* multitudinem, seu nomina (aliquid simile est subintelligendum) *Dominus narrabit in scripturis*, habebit scripta in Libro Vitæ; siue, eos solus ipse numeratos habebit, & scriptos, sibique notos omnes. Hoc ipsum significare videtur phrasis; *Narrare in scripturis*; quasi scripto aliquid consignare.

D Deinde etiam loco *narrabit* D. Hier. & Isidorus à P. Lorino adducuntur habere, & vsurpare, *numerauit*, D. verò Basilius, & Theodoretus id referunt, ad ea quæ Christus Luc. 10. v. 20. dicebat, *gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. Ex quibus omnibus colligitur datæ Explicationis veritas, & quod S. Dauid non loquatur hic de futuro die Iudicij, vt vult P. Lorinus; sed de præsenti statu Ecclesiæ, in qua quia illi tantùm, qui in ea sunt, spem habent, quod eorum nomina *Dominus narrauerit in scripturis* suis, & *scripserit in cælis*, seu *Libro vitæ*; propterea ò Ecclesia Christi Sponsa Mater nostra dilectissima, quod supra Psal. 67. 18. de te

E dixeram; quod tu *Currus Dei* triumphalis *decem millibus multiplex, millia lætantium* essent in te: hic iterum repeto quod verè

V. 7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te, ob tam solidam lætitiæ causam, quia nomina eorum scripta sunt in cælis.



PSAL-

A

PSALMVS LXXXVII.

Domine Deus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXVII.

Canticum Psalmi. B

Filijs Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

VT prior Psalmus ad lætitiam fuit omnibus filijs Core in Christi Ecclesiam ingressis, ita hic sequens est ad luctum, sed illis tantùm, qui in sua perfidia, & obstinatione perseuerantes, vocantem Deum sequi neglexerunt, qui si sequerentur, & crederent, C esset ipsis etiam ad lætitiam, & *Canticum Psalmi*; propterea tanquam morbo perfidiæ laborantes, exprimuntur illo vocabulo, *pro Maheleth*, quod infirmitatem significat, *Filijs Core in finem ad respondendum*; quo indicatur, quod Psalmus iste eos concernat, qui illo obstinationis, & perfidiæ morbo laborant, eorumque infelicem sortem lugent; & quidem luctus hic hoc loco etiam tanquam ex opposito sequitur, posteaquam priori Psalmo conclusum fuit, quod in Christi Ecclesia, *sicut lætantium omnium sit habitatio*.

Neque verò hæc toties iterata Populi Iudaici à Deo deserendi deploratio, D vel inconueniens, vel superuacanea videri debet; quæ ob tam multa capita supra insinuata, ex charitate redundante S. Prophetæ pectore, quamuis alijs enarrandis intento, ex obuia quaque occasione suapte sponte prorumpebat; vt etiam apparebit sequenti Psalmo ex aliqua parte; ex toto verò Psalmo 89. lugebit eandem ipsorum ruinam.

Certè in eiusmodi rerum narratione, quæ multitudinem Gentium in Ecclesiam intrantem, & Iudæos extra eam, æterna morte pereuntes refert, nihil hoc frequentato luctu conuenientius, nihil huius argumenti materia sublimius, vt E constat ex tam multis, quæ de illa D. Paulus ad Rom. capp. 9. 10. 11. profundissimè pertractat. Quia ergo hæc materia magnam habet mysteriorum *sapientiæ, & scientiæ* Dei altitudinem; idcircò in huius Psalmi Titulo vltima pars est; *Intellectus Eman Ezrahitæ*, quo aliud non significatur, nisi quod huius materiæ penetratio magnam requirat sapientiam, & prudentiam, a quibus vir ille 3. Reg. 4. valdè laudatur.

Longè diuersa ab hoc, alij proponunt Psalmi huius Argumenta, quæ ad duo præcipua reuocantur; quod scil. de grauioribus agatur calamitatibus, quas F S. Dauid, vel ab Absalone, vel à Saule est passus; & quod sub earum typo Christi Passio proponatur. Sed contra priorem sententiam est, non improbando eam tamen, quod Dauidi non conueniunt, quę v. 9. & 19. dicuntur; habuit enim semper sibi, & partibus suis adhærentes, & amicos, neque longè ab eo facti sunt amici, & noti.

Secun-

A Secundæ verò obstat, quod non cohærenter, & consequenter hoc loco possit de Domini Passione tractari, cùm potius ea, quæ ad Christum attinent, vt Caput Ecclesiæ est, & hic Psalmus, & illum antecedentes, consequentesque læta omnia, & plena gaudijs, & gloria eiusdem Domini proponant.

Hæc, quæ dicta sunt, confirmantur ex Psalmi fine, qui, vt P. Lorinus benè obseruauit, absque vlla spe, & consolatione terminatur præter morem aliorum Psalmorum v. 19. *Elongasti à me amicum*, &c. (quid autem velit his verbis, dicetur in explicatione) præter morem, inquam, aliorum Psalmorum iste terminatur, B cum alij semper præsentissimam spem auxilij, & consolationis secum adferant. Sed hic quia non obtinebatur Iudæorum ruinæ, & exterminio remedium; propterea præcisa spe, luctuque ipso voces interrumpente, eo quod dictum est doloris sensu Psalmus finitur veluti interruptè. Sic ergo S. Dauid Populi sui perituri causam apud Diuinam Maiestatem, deprecando illa tanta subsecutura mala, perorat;

C PSALMVS LXXXVII.

V. 2. Dominus Deus salutis meæ, auctor, & largitor omnis salutis; in die clamaui, & nocte coràm te. non cesso causam hanc tantam apud te tractare; idcircò obsecro

V. 3. Intret in conspectu tuo oratio mea: in- D clina aurem tuam ad precem meam. Vrgeor, & compellor Domine misericordiam tuam implorare;

V. 4. Quia repleta est malis anima mea. sic, vt aliàs sæpè dictum est, suum Populum, eius Caput, & Rex pientissimus vocat; & vita mea inferno appropinquauit. non solùm morti, & E sepulchro, sed etiam verè damnatorum à te auersorum, & maledictorum loco.

V. 5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: illum damnatorum carcerem, ex quo non est exitus; factus sum sicut homo sine adiutorio, destitutus omnium ope, & auxilio, quando tu, qui solus potes, non adiuuas:

F V. 6. inter mortuos liber: liber officijs vitæ; idest, similis mortuis factus sum. Sic, & benè explicat P. Emm. Sà: esse autem hunc ipsum sensum intentum à S. Dauide patet ex sequenti parte versus; nam quasi se ipsum explicans, quod per superiora intelligere voluerit, se, siue Populum suum sic omni gratia, Dei donis, & auxilijs destitutum esse; vt quoad animæ statum non differrent à mortuis, ait, quod esset ille ipse Populus,

Si-

Sicut vulnerati dormiẽtes in sepulchris, quorum non es memor amplius: quod iacerent sicut interfecti, & occisi, in sepulchra proiecti, quos Dominus non restiturus esset vitæ, vel quos non cogitaret reddere vitæ priori: sic Dominus *non est memor*, cum non benefacit *amplius*. Et similiter, dum non experiuntur beneficam tuam manum, ò Domine, & ipsi de manu tua repulsi sunt: de illa manu tua repulsi sunt, quam aliàs dum aperis, imples omne animal benedictione; Notanter dixit Populum suum Iudaicum factum sicut vulneratos, seu occisos, ita *habitantes in sepulchis*, vt eorum Dominus *non esset memor amplius*; nam supra Psalmo 67. v.7. dixerat, esse alios, sed illos fortunatos, quos Dominus *educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris*. Hi autem, vt ibi dictum est, illi sunt, qui ad Christi fidem conuertebantur ex Gentibus. Mala ergo, & calamitates, quas gratia tua priuatus patior, ipsa A B

V.7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in vmbra mortis. planè in his versatur quoad animam infelix Iudæorum Populus; & quia in his tantis animæ miserijs tot elapsorum, & præterlabentium sæculorum spatijs reperitur; C

V.8. Super me confirmatus est furor tuus: nunquam tam diuturna fuit vlla afflictio, quæ illis ob alia scelera, & idololatriam D
aliàs à Deo inflicta fuit, quàm hæc, ob patratum Deicidium; ideoque & omnes fluctus tuos, pœnarum, tam corporalium, & temporalium, quàm spiritualium, & æternarum induxisti super me. Inter quas illa grauissima pœna fuit, & post quam aliæ omnes sunt subsecutæ, quod

V.9. Longè fecisti notos meos à me: Apostolos tuos, omnesque Discipulos, totamque Ecclesiam tuam procul à me amandasti ad E
Gentes docendas, atque sic verbum salutis, quod ad me missum fuerat, cùm ego damno meo, & nimia cordis duritie audire non sustinerem, illi, vt merebar, scil. Apostoli tui posuerunt me abominationem sibi. nã, proh dolor! *Contradicentibus eis*, scil. Iudæis, *& blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos* Paulus Act. 18.6. *Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam*. Exinde omninò *sanguis noster super caput nostrum*, omnia mala nos apprehenderunt; nam si populũ hunc meum considerem, in eo cuius vices lugeo; F

Traditus sum, idest, vt P. Emm. Sà, coniectus sum in mala, addendum, tanta, tam grauia, & multiplicia, & non egrediebar, vt egredi, meque explicare inde non possim. Et quia illa mala ipsas animas attingunt, earumque salutem æternam; propterea assiduè, & continuè lacrymando.

V.10.

A **V. 10. Oculi mei languerunt præ inopia,** iam me, & ipsæ lacrymæ deficiunt: sic, vt Isaiæ cap. 38. 14. videbimus, ob eamdem omninò causam Ezechias Rex dicebat; *Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.* Ita lugere didicerat à Sancto suo Parente, & Prædecessore Dauide, cuius pariter *oculi languerunt præ inopia*; vt qui optimè sciret æstimare damni, & malorum eiusmodi immensitatem, ad quam auertendam ait;

B **Clamaui ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.** Et ad iustam tuam indignationem, & iram placandam, cum te misericordem sciam, & nouerim operibus miserendi admirabilia tua opera te solitum esse condecorare. Ideò id vnum supplex Maiestati tuæ considerandum propono; si in his animæ malis, in hac morte nos relinquas,

V. 11. Nunquid mortuis facies mirabilia?

C *nunquid mortuis*, quos, sicut supra dixi, decreueris in morte animæ relinquere, *facies mirabilia?* vtique si in morte permanserint, non fient cum ijs illa tua mirabilia, quæ aliàs fieri in eiusmodi mortuorum suscitatione per gratiam tuam consueuerunt. **aut medici suscitabunt,** illi scilicet, qui potestate à te accepta remittendi peccata, missi sunt in Mundum vniuersum, poteruntne suscitare eos, quos tu peccatis suis mortuos iacere auxilio tuo destitutos reliqueris? **& confitebuntur tibi?** sic ad vitam suscitati? vti-

D que non fient hæc, si nos derelinquas; non sequentur illæ admirabiles suscitationes animarum ad vitam gratiæ tuæ, longè admirabiliores, & infinitis partibus præcellentiores, quàm sint corporum; non, inquam, hæc mirabilia fient, neque tibi hinc reddentur laudes. Et certè

V. 12. Numquid narrabit aliquis in sepulchro; sic permissus iacere in animç morte; **misericordiam tuam, & ve-**

E **ritatem tuam,** fidelitatem tuam in promissis, quibus pœnitenti veniam, & gratiam promisisti, eam non expertus, & consecutus, sed manens **in perditione?** quomodo illam deprædicabit?

V. 13. Numquid cognoscentur in tenebris illis magnis perfidiæ, obstinationis, infidelitatis, & tam multorum scelerum, quæ cum his coniuncta sunt, **mirabilia tua,** quæ vident, quæ laudant, quæ admiran-

F tur, & summis laudibus efferunt illi, quos admirabili lumine Fidei tuæ donas, & in seruos tuos, & Fideles recipis; **& iustitia tua in terra obliuionis?** Quomodo exactissima illa tua fidelitas, qua omnia, quæ promisisti per Prophetas, es executurus ad amussim cum tanto tam multarum animarum, & Gentium, quæ ad te conuertentur bono, cognoscetur *in terra obli-*

uionis? vbi nulla erit tui notitia, vbi non agnoscent *te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioan. 17. vbi, quia illorum tu beneficentissimus Dominus non recordaberis illis benefaciendo, degent etiam propterea *in terra obliuionis*. Propter hæc tanta, tam multiplicia, & in tam multa sæcula continuanda mala, non vnus, & solus Moyses, & Samuel, alijque serui tui, sed A

V. 14. Et ego ad te Domine clamaui: & mane oratio mea præueniet te: assiduè, magna instantia, tempestiuè, absque intermissione ad diuinas tuas fores pulso. Et quæso B

V. 15. Vt quid Domine repellis orationem meam: auertis faciem tuam à me? non exaudiendo me in eo, quod peto pro meo Populo. Et quoniam tibi pauperum, & humilium semper placuit oratio, recordare Domine, quia

V. 16. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea: etiam hæc verba cum sequentibus vsque ad finem sunt iuxta primarium S. Dauidis intentum secundùm argumentum nostrum: hoc pacto. Ad placandum illi Diuinam Maiestatem proponit eiusdem Populi statum miserum, quem ab ipso sui initio, & veluti *iuuentute* sua habuit in Ægyptiaca seruitute, in qua (vt etiam supra Psalmo 80. notatum fuit ex Exodi cap. 1. v. 14.) *Ægyptij eos affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus auris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur*. hunc ergo ipsum miserabilem, vilem, atque abiectum eorum statum Diuinæ Maiestati in mentem reuocat: pro qua sententia non solùm stat connexio, & consequentia antecedentium cum consequentibus, vt mox patebit; verumetiam D. Hieronymi lectio, quæ hoc loco habet, *ærumnosus ab adolescentia mea*; & aliorum, qui vt P. Lorinus recenset fusiùs interpretantur, *deficiens, fatiscens, vitam trahens* &c. quæ omnia cum data explicatione conueniunt, neque propriè de Christo, vel Dauide dici possunt; similiter reliqua pars Versus, exaltatus autē humiliatus sum, & cōturbatus: eidem Populo Iudaico apprimè quadrat, & omninò de eo primaria intentione, & significatione cum omnimoda connexione, & verborum antithesi dicta est hoc sensu, & tenore: Ita, vt dixi, ærumnosus fui, & vitam trahens in adolescentia mea; vbi autem exaltatus fui, & ad feliciorem statum perductus, exaltationem meam, si verè æstimare nouissem, non aliam habens maiorem, quàm quod post adoptionem filiorum, post gloriam, & testamentum mihi collatum, post legislationem, & obsequium, & promissa, post Patres, etiam ipse Christus ex ijs ad me missus fuerit, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Rom. c. 9. Vbi, inquam, tantopere *exaltatus* fui, quia in quo consisteret exaltatio mea, & tempus visitationis meæ non cognoui; exinde *humiliatus sum*, non de virtute humilitatis loquitur, quæ exaltat, & pacem tribuit; sed de vilitate; idest longè, quàm vnquam ante fuissem, vilior, miserabilior, ærumnosior redditus sum,

C D E F

& con-

A *& conturbatus* propter mala, quæ in pœnam non agnitæ, sed spretæ, & contemptę meę felicitatis, & visitationis mihi acciderunt. Nam postea, heu nimium quantum!

V. 17. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.

V. 18. Circumdederunt me sicut aqua to-
B ta die, circumdederunt me simul. Nota nimium sunt, populi Iudaici mala, quibus premitur. Vltimum, & maximum, & fons aliorum omnium est; quia

V. 19 Elongasti à me amicum, & proximum; & notos meos à miseria. Illum verè Amicum, qui seruos suos Amicos suos
C facit; illum meum Proximum, non solùm quia est de Patribus meis secundùm carnem; sed etiam Proximum propter eximia charitatis, & misericordiæ opera, quę omnibus impendit; illum, inquam, Christum scilicet, culpa mea perdidi; elongatus ipse est à me, dum ad Gentes transijt; & vnà cum ipso etiam *noti mei*, eius Apostoli, & Discipuli abierunt à me, me derelicto in miseria.

Verùm nunquid S. Prophetæ Dauidi diutiùs in luctu versandum erat, & non potius continuanda illa, quæ lætissima de Ecclesiæ Christi felicitate inchoauerat? Omninò illa ipsa continuat in Psalmo sequenti.


D

PSALMVS LXXXVIII.

Misericordias Domini, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXVIII.

E *Intellectus Ethan Ezrahitæ.*



HOc Psalmo S. Dauid de Christi sui Regno, eiusdem Exaltatione, & Regni eius perpetuitate altiore, lætiore, atque etiam fæcundiore stylo differit, & decantat, collectis in vnum rebus compluribus, de quibus postea fusiùs in particulari consequentibus Psalmis acturus est. Psalmus igitur iste, & longus est, & mysterijs abundat. Et initio quidem sicut illa fuerant, quæ Psalmis 83.84.85. & 86. per-
F tractauerat, læta omnia, & gaudijs plena annunciat vsque ad vers. 38. Inde verò vsque ad finem ita omnia horrifico plena horrore sunt, vt quonam pacto cum prioribus coniungi, combinarique possint, vix appareat. Idcircò propter hæc intellectu difficilia, quæ Psalmus continet Titulum habet; *Intellectus Ethan Ezrahitæ*; quo nihil aliud significatur, nisi quod ad illum intelligendum sapientia non inferior illa requiratur, qua Ethan vir ab ea laudatissimus 3. Reg. 4. fuit præditus.

Et sanè hic Psalmus ob sui sublimitatem quantum exercuerit Rabbinorum humi repentia ingenia, notat P. Lorinus, dum R. Abenezra testimonium recenset asserentis, neminem se ex suis inuenisset, qui Psalmum istum, iuxta inchoatum sensum, de gratiarum actionibus continuando, decenter exposuerit; quandoquidem subijci videtur contradictio; quod *irritum Deus fecerit pactum suum*. Refert etiam, valdè sapienti cuidam in Hispania Rabbino, Psalmum istum visum esse planè durissimum, propterea quod grauissimas aduersus Deum contumelias contineret; ita vt nec eum legere, nec si ab alio legeretur, audire posset. Subiungit, & benè, idem P. Lorinus; *Quid mirum? adhuc velamen in oculis Hebraeorum est*. A B

Quonam autem pacto hic ipse Psalmus fatiget etiam ipsorum Catholicorum Patrum, vel Expositorum ingenia, aduerti facilè potest ex ijs, quæ ipse Pater Lorinus in Titulo, & Argumento eiusdem proponit. Nam id, quod ipse ait, ***Argumentum Psalmi ad literam videtur mixtum ex rebus, quæ pertinent tum ad Dauidem ipsum, tum ad populum, quem præuidet futurum captiuum in Babylone, tum ad prædictionem, & postulationem venturi Christi, qui dictæ captiuitati, & alijs malis remedium adferat***, &c. hoc, inquam, cum bona rerum connexione, & consecutione consistere non potest; cum nulla in prioribus, vel etiam hoc ipso Psalmo de Babylonica captiuitate mentio facta fuerit, vel fiat; neque de malis, quæ totum genus humanum premunt, mentio coherenter fieri potuisset. C

Ad propositam ergo rerum, & Psalmorum cohærentiam, & consequentiam attendendo, statuendum est cum D. Augustino, & Eusebio, alijsque Patres, quos ipse P. Lorinus citat, ad literam hunc Psalmum esse de Christo.

Iam autem quia hoc nimis vniuersale est, neque hinc apparet, quonam pacto cum prioribus, & sequentibus cohæreat in hac vniuersalitate. Vlterius dicendum est, Sanctum Dauidem, provt supra inchoauerat, & progressus fuerat, hìc denuò progredi; & primò quidem *Misericordias Domini cantare*, seque eas in æternum cantaturum promittere, eò quod ea, quæ ipse de Messia ex stirpe suo nascituro promiserat, qui dominaturus esset omnibus Gentibus, fidelissimè esset executurus, & porrò etiam videret iam executioni tradita. Hoc totum explicat Versibus 2. 3. 4. 5. D

Versibus 6. 7. & 8. indicat ipsos Sanctos Apostolos, quorum opera pro Messia ipso exaltando Dominus erat vsurus.

Versibus 9. 10. 11. 12. vsque ad Versum 20. mirabiles effectus, qui consecuti sunt Prædicationem Apostolorum, multæ Conuersiones animarum ex omnibus Orbis terrarum partibus, aliaque ijs coniuncta narrantur; atque illa ipsa, quæ in multorum Psalmorum eiusmodi materiam continentium decursu dicta sunt, & quæ porrò dicenda in sequentibus Psalmis supersunt, pulcherrimo artificio, quo sicut aliàs supra vidimus, & iam dicta tam multa vnit, & dicendis viam aperit, hìc in his versibus quodam quasi compendio concluduntur, maximè Ecclesiæ bona, & futura in ea vitæ sanctitas, & Domini eximij fauores. E

A Versu 20. sub suo Dauidis nomine, illum ipsum Christum Domini secundùm carnem Filium Dauid, esse Dei Filium, v. 27. constitutum à Deo Regem, & vniuersorum Dominum, immortalem, inuincibilem, æternum, eiusque semen, thronum, idest Ecclesiam semper duraturam in sæculum sæculi, pronuntiat; id quod facit vsque ad versum 38. inclusiuè. F

Hæc omnia, quorum pleraque etiam superioribus Psalmis, provt occasio fere-

re-

A rebat, recensuerat, hoc Psalmo tanquam *misericordias Domini* (& verè tales omninò sunt) decantat vsque ad dictum Versum.

At verò, quia ab hoc eius Regno æterno, Throno magnificentissimo, Dominio vniuersali extorres, & alieni reddebantur, & se ipsos faciebant, vel facturi erant Iudæi; id pro more, & iuxta affectum suum vehementer deplorat, inchoando lugubrem cantum, seu planctum suum versu 39. *Tu verò repulisti, & despexisti*: per repulsionem, etiam supra, Populi Iudaici reprobationem intelligit. Per id autem quod sequitur, *distulisti Christum tuum*, significatur, id non accidisse Iudæis B (quod tamen ex ipsorum bono fuisset vel maximè, & in quod omnia bonorum ferebantur desideria) vt scilicet ipsi essent, qui Messiam ad ipsos venientem exciperent, eumque amplecterentur, sequerentur, & illi inhærerent; sed (proh dolor!) cum sibi ipsum tantum bonum è manibus vt elaberetur, essent passuri, factum est, vt ad Gentes se, Ecclesiamque suam transferret, & in sera solùm Mundi tempora, posteaquam multitudo Gentium fuerit ingressa, illis etiam Sol ipse iustitiæ sit tandem ad Mundi occasum oriturus; quam tantam dilationem, vt par est, S. Propheta deflet, *distulisti Christum tuum*.

C Iam verò quid ad sequentem Versum 40. aliosque subsequentes dicemus? planè ita oppositi prioribus versibus de perpetuitate throni, testamenti, & reliquis videntur, vt inde & Rabbini putauerint contradictiones, & aduersus Deum contumelias Psalmum hunc continere; & nostrates Expositores in tam varias abierint sententias de calamitatibus captiuitatis Babylonicæ; de totius Mundi miserijs, &c. sed, saluo meliori iudicio, plana omnia, & consequentia hìc sunt, si sic explicentur.

Aduertendum est, dum dicit, v. 40. *Euertisti testamentum serui tui*, non loqui- D tur de Testamento, seu fœdere iacto cum Dauide, seu cum eius Filio Domino nostro Iesu Christo, sed de testamento, quod pepigerat cum Moyse, qui in Domo Dei fidelis fuerat; sed seruus, vt notabat Apostolus Heb. c. 3. v. 5. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota Domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus verò tanquam Filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus*. Hoc testamentum vetus, prout ipse Moyses Deuter. cap. 32. ipsis prædixerat, & protestatus fuerat, euersum est, & *commota fuere superluminaria cardinum*, vt Isaiæ c. 6. vers. 4. ad hoc ip- E sum propositum dicetur: & sic hoc ipso sensu dicitur: *profanasti in terra sanctuarium eius*; & reliqua, planè auditu terrifica, quæ sequuntur vv. 41. 42. 43. 44. 45. & 46.

Post quorum terribilium enumerationem S. Dauid ad pientissimam & commiserationem, & orationem se se conuertit vv. 47. & 48.

V. autem 49. respiciebat horrendam illam mortem animæ, quam Populus suus factus à Christo alienus erat subiturus.

Reliqua patebunt ex Psalmi explicatione.

F Hoc argumento Psalmi benè percepto, Sanctus Dauid ipsum Psalmum sic orditur.

Cum omni meo luctu, quem mihi Populi mei futura desolatio causat, habeo etiam vnde alia ex parte vehementer exhilarer, eò quod Diuina Bonitas illius vnius Populi iacturam tanto tam multorum Populorum, Nationum, & Gentium fœnore, vt sepè dixi, sit compensatura. Itaque

PSAL.

PSALMVS LXXXVIII.

A

V. 2. Misericordias Domini in æternum cantabo. Licet hæc ad futuram Beatitudinem applicari possint, nihilominus, ex S. Prophetæ intento, sunt de præsentibus, quas in eius Ecclesia accipimus Domini misericordijs, quas ait se in æternum cantaturum, quia ipsę Domini misericordiæ erant perpetuò in eadem Ecclesia continuandæ, propter quam earum perennitatem, ait, B

In generationem, & generationem annunciabo veritatem tuã, fidelitatem in promissis prestãdis, & exequẽdis, in ore meo. Cantandæ planè tuæ misericordiæ, deprædicanda pleno ore tuo fidelitas;

V. 3. Quoniam dixisti: quia statuisti, decreuisti, & vtique fiet, quod & factum cernimus; dixisti, inquam, & decreuisti hoc, quod sequitur; C In æternum misericordia ædificabitur in cælis: Etiam hìc de misericordia non in alia vita Beata prestanda, sed in hac præsenti in Ecclesia communicanda, & perpetuanda loquitur; nam cur ibi ædificetur in æternum, idest, ita vt perpetuò duret misericordia, quò nulla ingredi potest miseria? sed hìc prorsus necessaria continua ædificatio misericordiæ, vbi perpetuæ, sibique semper succedentes sunt miseriæ. Neque mouere debet illud expressum additum *in cælis*; D nam per hoc astruitur potius sententia, quam dixi (& qua vtitur S. Dauid, vt phrasi sua solita) per *Cælos* Apostolos intelligi: itaque est, atque si diceret: quando, sicut decreuit, Dominus miserit Cælos suos, qui sint eius Ecclesiæ fundamenta; *tunc in æternum ædificabitur misericordia* in ipsis; & sic, simul præparabitur veritas tua in eis. per eosdem, eorumque opera, & prædicatione complebis, ò Domine, tua promissa. & quidni hoc facias? qui dixisti,

V. 4. Disposui, pepegi, testamentum, fœdus scil. nouum, prout supra Psal. 49. dictum est, E electis meis, cum electis meis illos assumendo, alios reijciendo; iuraui Dauid seruo meo, id quod sequitur;

V. 5. vsque in æternum præparabo semen tuum.

F

Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam. Prout Archangelus Gabriel Beatissimæ Virgini dixit; Christo Domini, Filio Altissi-

A tissimi, Dei, & Mariæ Vnigenito Dominus *dedit sedem Dauid Patris eius*, Luc. c. 1. vt ex eius stirpe sit Rex æternus, provt ei iurauerat, *& regnet in Domo Iacob in æternum, & regni eius non sit finis*. *Semen* ergo Christi (qui ideò est, & dicitur Filius Dauid secundùm carnem, quia est Filius Mariæ de domo, & stirpe Dauid oriundæ) *vsque in æternum*, vsque ad Mundi finem *præparatur*; *& ædificatur* regia eius *sedes*, quam habet regnando in suis fidelibus, & per suos Vicarios Pontifices Romanos, legitimos D. Petri primi sui Vicarij successores sibi inuicem hìc succedentes, & vsque in finem successuros. Hæc tam fausta, & fortunata, quæ fieri
B decreuit Dominus ita fient; siue hoc pacto executioni sunt mandanda;

V. 6. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: Missi Apostoli in Vniuersum Mundum prædicabunt Euangelium, & cum eo annunciabunt *mirabilia tua*: quorum quidem confessio, & annunciatio, te Domino cooperante, & sermonem eorum confirmante efficacissima erit ad permouendum, & conuertendum audientium corda ad Fidem; **etenim veritatem tuam,** iungendum cum priori verbo *confitebuntur*, proponent, annunciabunt,
C prædicabunt, palàm facient, te nunc *in Ecclesia Sanctorum*, quæ est Christi Ecclesia, adimplere quod per Prophetas tuos promiseras, quod est vnà cum mirabilibus tuis confiteri *veritatem tuam* **in Ecclesia Sanctorum.**

Vi ergo Diuini tui Verbi, & mirabilium tuorum, quæ cum Euangelio prædicabunt, quàmcitissimè, & præter omnem opinionem in vnum cogent illam ipsam Ecclesiam Sanctorum; opus nimirum hoc, erit non humanum, sed omnipotentis
D dexteræ tuæ per eos, vt dixi, operantis.

V. 7. Quoniam, quis in nubibus æquabitur Domino: in ijs nubibus, de quibus supra Psal. 67. 35. dixi, sitam esse magnificentiam, & virtutem Domini, qui sunt ipsi Sancti eius Apostoli, & Fidei Prædicatores, quos ipse veluti nubes cælestis doctrinæ aquis plenas, quibus arentia, & sterilia hominum corda irrigant, & fœcundant; *quis in ijs æquabitur Domino?* quæ alia virtus præter diuinam posset eos idoneos ad illa
E præstāda reddere? quis **similis erit Deo in filijs Dei?** In eiusmodi Filijs suis, qui *spiritu* eius *aguntur* (Rom. 8. 14.) planè admirabilem se Dominus ostendit, patrando per eos illa, quæ omnem vim, & operationem humanam excedunt: nimirum ipse est;

V. 8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: propius accedit S. Dauid ad illa explicanda, quæ supra omnem
F humanam operationem per Apostolos, & Fidei suæ Prædicatores est executus; ipse, ait, est Deus, qui *in consilio sanctorum*, subintellige, iam operi, & executioni mandato *glorificatur*; nam actualis glorificatio supponit illam *consilij sanctorum*, per quod, seu propter quod *glorificatur* executionem. Quodnam ergo illud consilium, per cuius executionem Dominus *glorificatur?* Illud planè, quod supra Psalmo 19. v. 5. S. Dauid Sanctis Apostolis ad Romanam Vrbem

bem

bem expugnandam proficiſcentibus precabatur, vt quàm feliciſſimè ſuccederet; A
Tribuat tibi ſecundùm cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet: id poſteaquam iuxta optata ceſſiſſet; quidni hoc Pſalmo, quo deductis pulcherrima, & conſequentiſſima ſerie rebus ad Chriſtum, eiuſque Eccleſiam ſpectantibus ad hæc lætiſſima tempora *miſericordias* Domini ſe cantaturum promiſit; quidni, inquam, hoc Pſalmo, & Verſu, & in ſermonis contextu, qui id planè requirebat, ſe ſe ad ſuperiora reflectens, ſua tam ardentia deſideria iam optatum ſortita fuiſſe exitum, gaudeat, & exclamet? *Deus, qui glorificatur in conſilio ſanctorum*: Iam opere hoc perfecto, & Roma Ethnica Fidei Chriſti iugo ſubiugata, magnus, & terribilis ſuper B
omnes, qui in circuitu eius ſunt. Inde, vt à Capite, Mundi Arce, & corde agnitus eſt Deus magnus, & terribilis ab omnibus Mundi Populis, Gentibus, & Nationibus, eiecto, & conculcato vano Dæmonum, & Idolorum cultu: quis rem hanc tantam, tantæ molis, iam tandem perfectam non admiretur?

V. 9. Domine Deus virtutum quis ſimilis C
tibi? cum plurima, & infinita ſint, quæ diuinam tuam virtutem manifeſtant, hinc tamen ex conuerſa ad Fidem, vt dixi, tuam Roma apertiſſimè conſtat, quia potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. conſtat, quia *potens es Domine*, dum illa occupata, *veritas tua*, expulſa Idolorum vanitate, & falſitate, tu ipſe ab omnibus Mundi Gentibus agnoſceris, & coleris. Concordat cum hac explicatione P. Emm. Sà, qui; *& veritas tua in circuitu tuo*; reddit; *per omnia tuam potentiam, & maieſtatem oſtendis*. D
Verè; nam ab illa obtenta de Roma Ethnica victoria toti Orbi, ò Deus, iam innotuit; quia

V. 10. Tu dominaris poteſtati maris, ſuperbię, vt S. Hier. tumori, ſeu elationi maris, non tam elementaris, & materialis, cui terminum poſuiſti arenam; quàm maris Idololatricæ impietatis, quæ inſtar maris Mundum operuerat vniuerſum: illi, inquam, ſuperbiæ illius maris te imperare poſſe oſtendiſti; motum autem fluctuum eius etiamſi ſæuiſſimis perſecutionum procellis per nam in Eccleſiam, & tuos Fideles eſtuet, notum eſt, quia tu mitigas illum eumdem motum fluctuum. Imò E

V. 11. Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum. Romanum Imperium, neſcium vlli poteſtati cedere, *tu humiliaſti*, deiecisti, tibi, Fideique tuæ ſubijciendo, *ſicut vulneratum* non valentem vltra pugnare, atque conſiſtere: quo debellato facilè deinde reſiduos F
alios in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Reges, Principes, Populosque Idololatras eidem Fidei tuæ adiungendo, & fideles efficiendo diſperſiſti, & perdidiſti. Quod autem per *ſuperbum* intelligatur Imperium Romanum etiam ſupra vidimus, & fauet huic expoſi-

A positionis hìc datæ lectio Hebræa, quæ pro, *superbum*, habet, *Rahab*, quæ vox non solùm *Ægyptum*, sed etiam *superbum* significat: qui Titulus Romanis Ethnicis maximè est conueniens.

Quidquid igitur operati sunt Apostoli, Fideique Prædicatores: quidquid Ecclesia tua obtinuit, quidquid prosperorum successuum habuit, à te, ò Domine, id totum acceptum est; atque ita;

V. 12. Tui sunt cæli ipsi Apostoli, & Prædicatores Fidei, iuxta sæpiùs dicta de illis loquitur;

B & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fundasti; ipsam Ecclesiam, eiusque omnem magnitudinem, & amplitudinem tu fundasti: etiam per hæc Ecclesiam intelligit, iuxta ea, quæ supra Psal. 23. v. 1. dixerat: nam aliàs inconsequens, & inconnexum, & paruæ significantiæ esset, hìc de materialibus cælis, & terra agere. Similiter dum pergit, & ait;

C V. 13. aquilonem, & mare tu creasti: per Septentrionalē, & Australem plagam (hanc per mare designatam, illam per Aquilonem) S. Dauid intendit ostendere, Diuini fuisse fauoris, & gratiæ quidquid Ecclesia propagationis acquisiuit, siue in Septentrionem, siue in Meridiem. similiter

Thabor, & Hermon, ille cum sit mons Iudeæ ad Occidentem, hic ad Orientem; Oriens, & Occidens, seu quidquid Ecclesia in Oriente, & Occidente habet fidelium,

D in nomine tuo exultabunt. Nam verè solùm

V. 14. tuum brachium cum potentia hæc fecit. In simili agnitione diuinorum auxiliorum S. Propheta Isaias ait, cap. 26. 12. *omnia opera nostra operatus es nobis*. Sed pergit S. Dauid, & potentis Domini brachij expertus opem rogat;

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera

E tua. Eam confirmari ad ipsius Domini exaltationem postulat; est etiam sensus; sic *firmetur*, &c. vt *exaltetur*, &c. etiam supra Psal. 67. 29. vbi felices successus, & progressus Ecclesiæ proposuisset, petit; *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*. militantibus magna semper opus est solicitudine, & vigilantia. Et verò etiam, ait S. Dauid, in Regno tuo, quæ est ipsa Ecclesia militans;

V. 15. iustitia, & iudicium præparatio sedis

F tuę. Thronus, & Regni tui sedes, quam in Ecclesia habebis, stabilietur iustitia, & æquitate; tuiq; Fideles, qui te Regem suum adorabunt, & colent, omni iustitiæ, & vitę innocentię studebunt. Atq; vt iam sup. Ps. 71. 7. dixi, quod in diebus Regni tui *orietur iustitia, & abūdātia pacis*. itē Ps. 84. 14. quod *iustitia ante te ambulabit; & ponet in via gressus suos*; ita nūc quia auditu iucūdissimū est, idipsū repeto; qđ scil.

Misericordia, & veritas præcedent faciem

tuam. Ecclesia Sponsa tua, & quos in ea habueris, dediti erunt, & vacabunt misericordiæ operibus; tanquam, qui à te misericordiam maximam consecuti sunt, & quotidie eam consequuntur. Superata deinde semel Idololatriæ, & peccatorum vanitate, totos se virtutum,& Diuini tui cultus exercitijs impendent. quid optabilius terreno homini, quam vitam hanc cælestem degere? ò verè A

V. 16. beatus populus qui scit iubilationẽ; qui nouit felicitatem, gaudium, & beatitudinem hominis in vitæ integritate, & innocentia, atque in sanctorum operum exercitio consistere. B

Hic populus, quem ego beatum tam sæpe pronuntio, & quem talem ipsa experientia facit, solummodo tui Fideles sunt, qui te sequuntur, & amant. omninò

Domine in lumine vultus tui ambulabunt. sic illi, te bene fauente, atque gratia tua illos illuminante pergent cum plena pace, & cordis iubilatione tibi seruire;

V. 17. & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua, in misericordiæ, & miserationis tuæ auxilijs, & donis, & per tua merita, siue per tuam iustitiã remunerantẽ ipsorum opera, tua dona; exaltabuntur. O benignissimum in seruos suos Dominum! sic prorsus quia misericordissimus, & beneficentissimus es, illis facies; C

V. 18. Quoniam gloria virtutis eorũ tu es: quia omni alieno, atque humano spoliati auxilio, te vnico, & solo adiutore sibi congaudent; & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Omnis virtus,& fortitudo nostra sita est in diuino tuo fauore,& gratia (ait hìc, & sequenti Versu S.Dauid, *nostrum*,quia de eorum est numero fidelium, de quibus loquitur.) Promptum ergo,semperque paratum beneplacitum, gratiam, & fauorem Domini nos eius fideles consequimur; D

V. 19. Quia Domini est assumptio nostra: & sancti Israel regis nostri. Quia cum ipse peculiari Titulo sit Dominus, sit Sanctus Israel (totius scil. Israelis,qui repromissionem vitæ æternæ habet) sit Rex noster; ipse, inquam, peculiari etiam cura suscepit nos tuendos, adiuuandos, & protegendos. E

Hæc omnia, quæ hùc vsque S.Dauid, *misericordias Domini* cantando, locutus est, vt reflectenti se super illa patet, tanquam præsentem Ecclesiæ felicissimum statum, dilatationem, amplitudinem, perfectionem, sanctitatem, eiusque perpetuitatem, & quam à Domino Sponso suo habet; perpetuam protectionem, valdè claris, & significantibus verbis exhibent. F

Iam ab hoc versu progreditur ad ostendendum illa, quæ hùc vsque exposuerat, fuisse iam olim à Deo reuelata, & promissa, id quod ipse S.Dauid pulcherrimo, & ordinatissimo artificio facit in eum finem, vt Domini Iesu Christi sui maie-

sta-

A statem, & gloriam, quam suscepit deprædicandam, & in Psalterio suo decantandam, exactius proponat; quamuis deinde hæc ipsa clarior tantæ Maiestatis, & tanti boni, quo priuandi erant Iudæi, notitia, ipsi, pro more, causa, & occasio sit multorum gemituum, & lacrymarum, provt in Argumento Psalmi dictum est, & patebit magis in textus explicatione. Itaque sic ipse pergit; & quæ inceperat, continuat; Quæ hactenus dixi;

V. 20. Tunc iam olim illa ipsa locutus es, ò Deus, reuelasti in visio-
B ne sanctis tuis, Prophetis, ait P. Emmanuel Sà, alijque; nihil autem prohibet, quominus etiam alijs seruis suis illa ipsa reuelauerit; imò dicendum omninò est, iam *tunc* ab ipso Mundi initio, illa, quę Patres acceperant, Deo ipsis reuelante; posteris fuisse per traditionem communicata. Quæ verò ad nostram Doctrinam, & consolationem scripta sunt, Rom. c. 15. 4. licet de ijs, quæ ad Christum spectant, etiam Sibillæ multa habeant, atque etiam Numerorum cap. 24. præclarissimum sit Balaam enunciatum; nihilominus hoc loco S. Dauid potissimùm loquitur de reuelationibus rerum Noui Testamenti,
C quas fecit Deus Prophetis Sanctis, & insignibus seruis suis, vt Adamo, Noe, Abrahamo, & quidem Iacob Gen. c. 49. Ioseph, Gen. 50. Moysi, Exodi 15. item Deuteron. 32. & 33. Debboræ, Iudicum c. 5. Annæ, 1. Reg. c. 2. In his omnibus Prophetijs, provt S. Dauid hoc loco insinuat, plurima, eaque pulcherrima adferuntur de rebus Christianis nostris, siue ad Ecclesiam Christi spectantibus testimonia. Hoc loco satis est, id solùm dixisse, quod sicut S. Dauid ait; ea, quæ *Tunc locutus* fuit Deus *in visione Sanctis* suis compendio aliquo omnia simul collecta, fuerint sequentia; nam S. Dauid
D cum Domino loquens pergit; & dixisti: Posui adiutorium in potente; idem est, atque id, quod Beatissima Virgo, & Mater *potentis* Dei Vnigeniti, Luc. 1. v. 51. dixit, *Fecit potentiam in brachio suo*. Statuit Deus auxilium generi humano perdito adferre per Incarnationem Vnigeniti Filij sui, & exaltaui electum de plebe mea. Hunc autē, quem ad hanc supremam, & planè Diuinam dignitatem euehere constituit, voluit *electum de plebe sua*, de illa scilicet Tribu, & stirpe, quam ipse Dominus, quia dile-
E xit, suam vocat; illa autem erat Domus, & familia Dauid, quam plebis humili nomine nuncupat; quia quando ex semper Immaculata Virgine Maria, Dei Vnigenitus carnem assumpsit, re ipsa Dauidis Domus, & Familia, valdè pauper, & vilis erat. Quod his verbis Dominus hoc expresserit, se ipsum explicat;

V. 21. Inueni Dauid seruum meum: Christū suum, Dominus, Dauidem vocat; quia secundùm carnē Christus Filius Dauid; oleo sancto meo, Sanctissimi Spiritus vn-
F ctione, vnxi eum, præ participibus suis; vt qui est Vnigenitus à Patre, plenus gratiæ, & veritatis. Sic Deus Pater de Christo, quatenus homo est, ait; *vnxi eum*, & Regem constitui, & ad debellandum fortem armatum roboraui, ita vt sit futurus inuincibilis;

V. 22. Manus enim mea auxiliabitur

ei : & brachium meum confortabit eum. A

V. 23. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Quandoquidem, vt vidimus, ad literam hic sermo est de Christo, & agitur de eo confortando ad pugnam; per, *inimicum*, qui hoc versu dicitur *nihil profecturus in eo*, non iam mysticè, vt vult P. Lorinus, sed literaliter, & iuxta intentum S. Dauidis intelligitur ipse hostis tartareus: de quo, licet Iob. c. 41. 24. dicatur, quod; *non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret*; nihilominus cum Christo *nihil proficiet inimicus*, &c. & vt ipse Christus Ioannis cap. 14. 30. dicebat, *venit Princeps Mundi huius, & in me non habet quidquam*. Et hunc ergo inimicum, & alios hostes suos Christus debellaturus est. B

V. 24. Et concidam à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam. C

V. 25. Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. omnia sunt clara.

V. 26. Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius. Dominium habiturus, non solùm physicum, & reale in mari, & fluminibus Mundi meterialis; sed etiam in ijsdem spectatis moraliter; sicut supra dixerat v. 10. *Tu dominaris potestati maris*, &c. Dominium hoc, & potestatem eius in vniuerso Orbe etiam supra Psal. 71. 8. prædixerat; *& dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*. D

Et quid nō debitū huic tāto, & tam admirabili Regi? de quo ait Pater Æternus; E

V. 27. Ipse inuocabit me Pater meus es tu: Ipse me proprio, & suo iure, & verè appellabit Patrem suum, *Pater meus es tu*: quatenus Deus ego; ait P. Emm. Sà. nam Filius est Deus de Deo, consubstantialis Patri, &c. Deus meus, & susceptor salutis meæ, quatenus homo. Dominus ergo Iesus, provt Apostolus Heb. 1. 5. *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium?* Pergit S. Dauid, & quod ad summam eiusdem Domini sublimitatem spectat, ait, Patrem æternum de ipso statuisse: F

V. 28. Et ego primogenitum ponam illū,

scil.

A scil. inter Filios, & electos, & heredes gloriæ. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Rom. 8. 29. & ad Ephesios cap. 1. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, &c. & versu 5. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum*; hoc ergo est; *Primogenitum ponam illum*; excelsum præ regibus terræ; vt cui *data est omnis potestas in cælo, & in terra*. Matt. 28. 18.

B In ipso cælestis Pater ita sibi complacuit, vt æternùm sit hæc sibi de eo complacentia duratura.

V. 29. In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum, fœdus meum, & quod vtrinque est pactum, fidele, stabile, ipsi erit immutabile, perpetuum. Nam

C V. 30. Et ponam in sæculum sæculi semen eius: & thronum eius sicut dies cæli. quod supra v. 4. & 5. tanquam rem præsentem proposuerat, hic prophetatam ostendit regni Christi perpetuitatem.

Verùm, quia semen eius, & thronus futurus erat in hominibus, qui eius Fidem erant amplexuri, & vt homines fragiles non semper in bonitate permansuri,
D sed ad peccata declinaturi; hanc eorum malitiam ait non obfuturam perpetuitati regni, & throni Christi, sed ipsam iuxta peccatorum exigentiam puniendam; & interea Ecclesiam eius, quæ est regni eius thronus & sedes, vsque in finem Dei misericordiam experturam.

V. 31. Si autem dereliquerint filij eius (qui filij fuerant, & esse debuissent; Diuina Bonitas etiam eos, qui mali sunt, filios appellat, & vt filios
E tractat) legem meam: & in iudicijs, præceptis, meis non ambulauerint.

V. 32. Si iustitias meas; S. Hier. cæremonias, non Legis antiquæ; sed sancta vitæ Christianæ instituta; profanauerint: & mandata mea non cu-
F stodierint.

V. 33. Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum. Castigationem, virgam, & verbera, quibus Christianorum peccata Deus punit, nimium quantum experimur! Quantæ Christia-

næ

næ olim, & vsque nunc regiones sub iugo Turcico gemunt! Quàm multæ, quod longè luctuosius est, conscientia neglecta, naufragauerunt à Fide, & inseruerunt se erroribus inextricabilibus! His tamen non obstantibus seruauit semper, & conseruat, quod promisit Dominus; A

V. 34. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo; à Christo suo non aufert misericordiam, quando sanctam Ecclesiam Catholicam eius Sponsam in omnibus aduersitatibus protegit, & conseruat immunem ab omni errorum labe; sic Dominus promisit, & sic fideliter præstat, & ait; neque nocebo in veritate mea; idest, vt benè P. Sà, non fallam fidem datam. B

V. 35. Neque profanabo testamentum meũ; illud scil. fœdus suum cum ipso Filio; quod notanter supra v. 29. dixerat, futurum *fidele ipsi*, quia non ita futurum erat cum testamento, seu fœdere, quod pepigerat cum seruo suo, scilicet Moyse, vt mox dicetur: & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita; idest illa non mutabo; etiam hìc subintelligitur, vel subinferri potest; non fore irrita, & mutanda quæ cum Filio; sed culpa partis irrita, & mutanda quæ cum seruo fuerant compactata. Quantam firmitatem! quantam immobilitatem habent quæ sunt cum Filio! C

V. 36. Semel iuraui in sancto meo, Chal. nomine sancto meo, idest per me; per memetipsum; si Dauid mentiar, cum impossibile sit Deum mentiri, multò minus Dauid suo mentietur. Igitur D

V. 37. semen eius in æternum manebit.

V. 38. Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, stabilis erit, & æternus, sicut Sol, & sicut luna perfecta in æternum, sicut Luna plena; & huius rei, & promissionis de hac perpetuitate testis in cælo fidelis, ipse Dominus, qui & sponsor. E

Hæc, quæ vsque hùc de Domini Iesu Christi summi, & æterni Regis Maiestate, eiusque Regni felicitate, perpetuitate dicta sunt, adeò sunt grandia, & magnifica, vt ea iure meritò omnibus eiusdem tanti Regis fidelibus seruis, & subditis inęstimabilem conferant dignitatem, eorumque animos indicibili lætitia compleant. F

Verùm, quia ab hoc eius Regno æterno, throno magnificentissimo, Dominio Vniuersali, reliquisque omnibus innumeris eius bonis alieni futuri erant Iudæi, vt in Argumento Psalmi dictum est; id Sanctus Dauid pro more, & affe-

A affectu suo deplorat deinceps vsque ad finem Psalmi. Itaque ait,

V. 39. Tu verò repulisti, & despexisti: distulisti Christum tuum. provt in Argumento dictum.

V. 40. Euertisti testamentum serui tui. Itidem ibidem dictum quomodo intelligatur.
B profanasti in terra Sanctuarium eius. Cæremoniæ legis, & statuta, quæ summæ ante venerationi erant, nunc omnia vana, & profana. quomodo autem euerterit, & profanauerit, idest permiserit Dominus euerti, & profanari, atque illam euersionem in pœnam peccatorum ordinauerit, explicat sequentibus verbis;

V. 41. Destruxisti omnes sepes eius, omnia ab eis præsidia tam spiritualia, quàm corporalia tollendo, quibus tanquam vinea à sepibus,
C & muro muniebãtur, & custodiebantur; posuisti firmamentum eius formidinem. Qui prius robore militari erant maximè insignes, postea redditi vecordes, & imbelles. ideò consecutum est, vt sic destitutos

V. 42. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.

D V. 43. Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius. In his pœnis infelicis Populi Iudaici describendis S. Dauid concordat cum Moyse Deuteronomij cap. 32. 30. *Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugient decem millia? nonnè ideò, quia Deus suos vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* Vt supra dixi, qui prius bello, & armis potentes erat, postea ijs nihil profecerunt, quia tu, ò Deus, illud quod eis
E conferre solebas,

V. 44. Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello. Si miser ille populus accisis viribus omnibus spiritualibus (de quibus Versu 41. dixerat) & temporalibus, seu militaribus, de quibus deinceps, ad extremum properauit interitum, atque ita

F V. 45. Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius in terram collisisti. P. Lorinus ad hunc versum; *Destructa, detracta, negata, dicit, ornamenta, & decora regia, splendorem, cultum, mundum, maiestatem, dignitatem, amplitudinem; sedem item, soliumque, ac thronum, de quo promiserat Deus fore*, vt dies *cæli, vt Solem, & Lunam perfectam in æternum, deiectum ac euersum.*

sum. Sic ipse; verùm ex supradictis constat, hæc non referri ad illum thronum, seu sedem, quę est Filij; sed serui; atque ita vera, legitima, & consequens huius Versus explicatio est hæc, in quam consentiunt, & conspirant Aiguanus, Lyranus, Rickelius, & Caietanus citati ab eodem P. Lorino, quod scil. Iudæi priuandi essent cæremonijs, & statutis Legis, Templo, Sacrificijs, Sacerdotio, Baptismatibus, aspersionibus, & reliquis omnibus, in quibus carnalis ipse populus sitam suam, quæ afforis erat, munditiem arbitrabatur; atque ita hæc omnia attingit prior pars Versus; *Destruxisti eum ab emundatione*: sed non hìc substitura erat eorum calamitas, sed (quod Diuini cultus ruinam, & exterminium consequi solet) subsecuta omninò est Regni ipsorum totalis euersio absque vlla spe futuræ aliquando ipsius reparationis. Hanc ergo Regni ipsorum nunquam reparandam euersionem significantissima similitudine expressit vitrei, seu testacei vasis magno impetu in terram proiecti; *& sedem eius in terram collisisti*: quod ita comminuitur, *sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea*: prout Isa. cap. 30. v. 14. hanc ipsam supremam eorum vastationem, & Regni euersionem prophetabat. Sic ergo

A B C (marginal section letters)

V.46. Minorasti dies temporis eius: Populi olim dilecti, & inclyti, & perfudisti eum confusione.

Vt Versus hic intelligi possit, obseruanda sunt illa, quæ in cap. 10. v. 23. Isaiæ dicenda sunt supra illud, *consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*. Vbi ostendetur per *consummationem abbreuiatam* intelligi eos paucos bonos, quos Dominus ad Aduentum suum, & Prædicationem ex Iudæis reperit, & in seruos assumpsit, D cæteris in obstinatione sua, & infidelitate remanentibus à se proiectis, & exterminatis. Dum igitur ait hoc loco S. Dauid, *Minorasti dies temporis eius*; idem est, atque si diceret. Assumptis Dominus paucis, quos inter Iudæos reperit, bonis, qui tanquam semen relicti fuerunt, ne vniuersa illa Gens, *vt Sodoma, & Gomorrha* (Isa. cap. 1. v. 9.) periret; reliquis ablatum est Regnum cælorum, Lex, Prophetæ, & Sacerdotium, neque vltra relicti sunt illis amplius dies Gratiæ, & tempus merendi; & sic *minorati sunt illis dies*, seu *abbreuiati*; quandoquidem collectis paucis illis, alij omnes in desolationem, excidium, & exterminium traditi sunt; tradi- E ti, inquam, sunt in desolationem, & exterminium non qualecunque, & ad breue tantùm tempus, sed vsque in finem Mundi duraturum; atque etiam sic *perfusi sunt confusione*.

De hac ipsa Iudæorum malorum, atque obstinatorum desolatione tam diuturna, nec non de illa (quam dixi) *abbreuiatione*, quæ facta est in collectione, & assumptione paucorum bonorum, qui inuenti sunt de Gente illa, & generatione praua, & peruersa, loquebatur ipse Dominus Iesus, Matth. c. 4. v. 22. cum diceret, *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi*: F quibus verbis, supposito quod loquatur de excidio Ierusalem (quod certum est ex contextu S. Matth. eodem capite) nihil aliud significare vult, nisi quod ex Isaia dicebamus, scil. Iudæos eò vsque peruersitatis circa Christi tempora, postq; eius in cælos Ascensionem, & Apostolorum Prædicationem peruenisse, vt nisi Dominus illos paucos suos Apostolos, & Discipulos ex illis collegisset,

& ipsi

A & ipsi postmodum alios pauculos Iudæos, dum adhuc cum illis morarentur, conuertissent ad Christi Fidem, atque sic illam eorum quasi infinitam multitudinem non redegisset in paucorum illorum collectionem; & sic *consummationem abbreuiatam* (re omni ad paucos redacta) fecisset; funditus omnes perijssent, atque exterminati fuissent; siue non fieret vllus ex illis saluus; quod est *non fieret salua omnis caro*; idest nullus homo saluus fuisset de Iudæis; nam de ijs loquitur, & de desolatione per Romanos ijs adferenda.

Similis planè, & per omnia concordans sensus est illorum Isa. c. 1. v. 9. verborum
B *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen*, quod fuerunt pauci Apostoli, Discipuli, & Fideles collecti ex Iudæis, *quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*; provt paulò ante dictum fuit.

In hac ergo *minoratione, & abbreuiatione dierum* Populi illius Iudaici, & seueritatem suam, & simul benignitatem Dominus ostendit; hanc erga eos, quos collegit, illam in eos, quos dereliquit: cuius quidem seueritatis grauitas, atque acerbitas ex eo vel maximè capite ponderanda est; quod, vt paulò ante dicebam, illa eorum desolatio, & exterminium, non ad breue tantùm aliquod tempus,
C sed vsque ad Mundi finem erat duraturum. id quod S. Dauid optimè aduertit, & propterea etiam amarissimè deflet;

V. 47. Vsquequo Domine auertis in finem: faciem scil. tuam à nobis, nos deserendo, neque nisi in finem Mundi spem reconciliationis pro vniuerso Populo ostendendo? exardescet sicut ignis ira tua? iusta vindicta tua, quam sine animi perturbatione ob peccata infers, exardescet
D sicut ignis omnia vastantis, & populantis absque spe extinctionis?

Et quia hæc iusta in eos Dei vindicta, ignis instar, non in res solùm temporales ipsorum, sed ipsas etiam animas desæuitura erat; idcircò ad deprecandum nouo, eoque valdè potenti vtitur argumento S. Dauid.

V. 48. Memorare quæ mea substantia. Hic non tam vitæ suæ, seu Populi sui (nam pro eo causam agit) vitæ breuitatem, quæ tanquam nihilum est, proponit Domino considerandam, quam optat, vt Dominus
E meminerit, eos omnes ortos esse de massa per peccatum originale damnata, &, vt supra Psal. 50. v. 7. dixerat, in iniquitatibus conceptos fuisse; & insuper de peccatis, quæ superaddiderunt ipsi originali supramodum deprauatos esse; vt, inquam, hæc Dominus meminerit efflagitat: quasi diceret; si Populo meo tam misera, tamque per omnia ex corrupta substantia consistenti gratiam tuam deneges, quomodo subsistet? quis stabit? quis saluabitur? Actum dubio procul est de salute omnium; propterea, ò Deus, vt salues; *Memorare quæ mea substantia*; quàm infirma, quàm corrupta, quàm praua illa sit, recordare, vt adiuues, vt propities;
F ris; alioquin perituri sumus omnes. quomodo autem id misericordissima tuæ pietatis viscera sustinebūt? nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? vt sine suo salutis æternæ frustrentur, & excidant permittes? qui optima voluntate tua antecedente vis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Verum quidem est, quod Deus non vanè constituit hominem; quem, vt Ecclesiasticus c.15.14. ait, *ab initio constituit, & reliquit illum in manu consilij sui:* nihilominus tamen, *Adiecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata seruare conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi,*&c. Propterea quia S. Dauid probè nouerat, populum illum suum in desolationis illius diuturnitate destitutum gratia Dei, & auxilijs, consilio suo prauè vsurum; neque præcepta seruaturum; neque ad aquam manum porrecturum; neque bonum,& vitam illi placituram; propterea,inquam, ac si conclamatum omninò esset (& planè erat) de omnium similium salute; eaque non tantùm temporali (nam hæc non tantam,vt in Argumento Psalmi breuiter notatum fuit, requisiuisset complorationem) exclamat;

V.49. Quis est homo qui viuet; notanter ait, *viuet*,idest eo tempore, posteaquam *minorati* fuerint *dies* Populi Iudaici; & non videbit mortem? & effugiet mortem, non iam corporis(nam hac statutũ est omnibus hominibus semel mori)sed animæ: eruet animam suam de manu inferi? non tam de sepulchro, quàm de ipso damnatorum loco, æternis supplicijs destinato? Quis,inquam,sic destitutus gratia Dei, & auxilijs non morietur peccato, quod est mors animæ? eripietur ab inferno, qui est pro pœna peccati? subintellige nullus omninò. Hoc autem tam grande, & tam inæstimabile malum est; vt idcircò S. Dauid denuò in has voces prorumpere cogatur;

V.50. Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut iurasti Dauid in virtute tua?

Hoc loco S. Dauid nullo modo dicit, violatam esse Fidem à Deo datam, seu non seruatum fuisse iuramentum sibi præstitum; id enim impium, & blasphemum foret; sed tantùm ad tantorum, & æternorum malorum, in quæ Populus suus incursurus erat, acerbitatem ingemiscens, omni animi submissione, & misericordię Diuinæ spe fretus reuocat Domino in mentem ipsas eius misericordias, quibus ipse motus iam inde ab initio *iurauerat Dauid seruo suo, vsque in æternum præparabo semen tuum*, vt supra dixerat v.5. Licet autem vir Sanctus minimè dubitaret, pacta sua, & promissa seruaturum omninò, & adæquatissimè, atque cumulatissimè ijs satisfacturum sciret, fidelem Deum in verbis suis, effecturumque iam prænosceret, vt re ipsa in Christo Domino, eiusque fidelibus vsque ad finem Mundi futuris, *semen ipsius præpararetur*; nihilominus hoc loco vrget, & instat, vt promissio illa compleretur iuxta id, quod eius verba communi acceptione significabant, quibus Filio suo Salomoni, semini eius, successoribus eius secundùm carnem, atque adeò illis ipsis Iudæis videbatur Regnum æternum promitti. Vtrumque nimirum Populum Christo suo Regi in vnum cupiebat coniungi, & ad fidelem populum Christianum, qui deputatur in semine totis affectibus postulabat accedere carnalem suum Iudaicum. Hoc ergo solùm, & vnicum intelligebat cum diceret; *sicut iurasti Dauid in veritate tua*. Quapropter etiam huic loco, & textui

A textui applicanda est illa supra in Argumento citata Regula Diui Pauli, desumpta ex Rom.cap.9.6. & dicendum sicut est explicatum. *Non autem quod exciderit verbum Dei*; quod fieri non potest; sed sicuti ipse sapientissimus Gentium Doctor D.Paulus accuratissimè modum loquendi, & verba Diuinæ Scripturæ obseruans, (*in Isaac vocabitur tibi semen*) dubij difficillimi (quod scil. qui per repromissionem sunt, deputentur in semine, ijque veri sint Israelitæ) resolutionem inuenit; ita eadem opera, arte, & sapientia nos instruxit, quod ea, quæ tam hoc Psalmo, quàm quæ 2.Reg.7.12. dicuntur de filio, & semine Dauidis, esse intelligenda de Christo.

B Atque hæc quidem omnia ita planè se habere, ipse S. Dauid verbis sequentibus non obscurè ostendit; nam quemadmodum dixi, dum altum suspirans quæsijsset; *vbinam essent misericordiæ antiquæ Domini, sicut sibi iurauerat in veritate?* statim (nihil omninò dubitans eas perfectissimè complendas, & nihilominus iuxta demerita sua Populum Iudaicum puniendum ablatione ipsius Messiæ) subiungit;

V. 51. Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum: id opprobrium erat ipsa pœna, qua propter peccata ipsi quidem priuabantur Messia, qui verè erat tota ipsorum gloria; Gentes verò felici quadam commutatione, vt dictum est in Argumento Psalmi, ipsum suscipiebant; quod opprobrium tanquam rem summè sibi acerbam, & toleratu difficillimam, vt verè erat, ait S. Dauid; (quod continui in sinu meo) & id opprobrium erat, multarum gentium; idest, quod passim omnes Gentes ipsis (tanquam impijs Christi Regis Deicidis) meritò obijciebant, & exprobrabant,

D vt statim explicat;

V. 52. Quod exprobrauerunt inimici tui Domine: per *inimicos* intelligit ipsas Gentes, quæ antea, & respectu Iudæorum, quando amici Dei erant inter inimicos censebantur; quod exprobrauerunt commutationem Christi tui. Ne noua videatur explicatio ista, quam posui, exprobratæ Iudæis

E *commutationis Christi*, notandum obiter est, quod P. Lorinus inter multas horum duorum Versuum explicationes, quæ tamen cohærentes, & consequentes, vt eas legenti patebit, non sunt, vnius meminerit, quæ cum data aliquo modo concordat, dum ait; *Is, quem vocant Hieronymum, exprobratam Iudæis cōmutationem vult, cum se ab illis migraturum diceret ad Gentes, et relinquendam ipsis terram eorum desertam*. Sic ergo dicendum est, *exprobratam* Iudæis *commutationem* illam fuisse; quamuis aliqua ex parte etiam ab ipsis Iudæis exprobratam fuisse dici possit illam commutationem; sic Act. c. 6. 13. D.Stephanum accusabant, quod

F *homo iste non cessat loqui verba aduersus locum sanctum, & legem; audiuimus enim eum dicentem: Quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*. Tandem S. Dauid, qui hoc Psalmo promiserat, se *misericordias Domini cantaturum*, easque maximas, atque innumeras, eas quidem ille, prout audiuimus, cecinit; sed tamen ex occasione illa Testamenti euersi, ad lamentationes, & deprecationes digressus, prolixum hunc Psalmum finit, &

terminat, petendo à Domino exaudiri in ijs, quæ supra dixerat, maximè circa A
minorationem, & completionem dierum, & commutationem impediendam.

V. 53. Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat. Verùm rei, pro qua deprecabatur, grauitate exigente pientissimum S. Regis animum, non hisce potuit ipsam suam orationem terminare, sed toto Psalmo sequenti; sumpto principio ab ipsis postremis iam explicati Psalmi verbis eam continuat pro re eadem; nam in ea summa
rerum omnium vertebatur. Prius tamen Argumentum Psalmi est examinandum. B


PSALMVS LXXXIX.

Domine, refugium, &c.

C

Titulus, seu Argumentum Psalmi LXXXIX.

Oratio Moysi hominis Dei.



Oc Titulo Psalmus hic inscribitur, non quod hunc Psalmum Moyses composuerit, sed quod ex affectu consequente ea, quæ proximè in illa secunda parte Psalmi prioris dicta sunt, & ad Moysem D
pertinebat, etiam hæc, quæ hoc Psalmo dicuntur ab ipso Dauide, censeantur dici, veluti in persona Moysis, omnium mortalium mitissimi, & sint maximè conuenientia commiserationi, & pietati, quam ipse homo Dei Moyses, tanquam Dux, & Legislator, erga suum Populum habuit: & hoc vult Titulus; *Oratio Moysi hominis Dei.*

Pulcherrima porrò hæc est, vt reliquæ eiusmodi, ad Deum placandum, & deprecandum Oratio.

Primò ostendit S. Dauid pro Populo suo perorans, eos non ad alium, quàm ad E
ipsummet Dominum habuisse refugium. VV. 1. & 2.

Secundò, Argumento ducto à pietate Domini, eiusque voluntate, vt conuertantur filij hominum, instat pro venia. VV. 4. 5. 6.

Tertiò, Grauitatem pœnæ ipsis infligendæ ponderat, & expauescit. VV. 7. 8. 9. cui exponendæ, & deprecandæ deinceps immoratur, provt patebit ex Psalmi Explicatione: pro qua illud potissimùm prænotandum est, quod

V. 10. dicitur, *de diebus annorum nostrorum*, quod *in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octuaginta*; spatia illa non esse intelligenda physicè; si qui- F
dem in Dauide, & Salomone, & alijs Regibus, quanta ætatum diuersitas? & *Moyses centum, & viginti annorum erat, quando mortuus est.* Deut. cap. 34. v. 7. sed secundùm ibi dandam explicationem.

His præsuppositis, S. Dauid perculsus acerbitate rerum impendentium Populo suo, prædictarum secunda parte prioris Psalmi, sic pro eo orat.

PSAL-

A

PSALMVS LXXXIX.

Domine, refugium factus es nobis: non nisi tu ipse, & quidem Patribus nostris omnibus refugium; factus es nobis, nō à paruo tempore, sed
B à generatione in generationem; vt proinde neque nobis, aut posteris nostris alius, ad quem confugiamus præter te superſit; neque vllus alius præter te, ò Domine, vel aptus, vel potens, atque sufficiens sit ad conferendum asylum, seu refugium, quia omnes præter te infirmi sunt, defectibiles, temporales, & ex se se minimè permanentes, sed continuò in suum nihilum, vnde à te extracti, tendentes; at verò tu

V. 2. Priusquam montes fierent, aut forma-
C retur terra, & orbis, à sæculo, & vsque in sæculum tu es Deus. Cùm talis, tantusque sis, cum sempiternus tu, semperque sis mansurus, sicut à sæculo es; obsecro te, atque obtestor;

V. 3. Ne auertas hominem in humilitatem: noli permittere, vt gratia tua destitutus populus meus (ipsum enim sub vnius
D hominis miserabilis, & deficientis nomine intelligit, vt etiam supra Psal. 48. v. 13. & 21.) in antiquam suam vilitatem, & abiectionem reuertatur, & pereat: id, quod tu, ò Domine, tantò promptiùs facies, quantò etiam salutis hominum amantior, tuamet ipse sponte etiam, & dixisti: Conuertimini filij hominum: inuitasti homines ad pœnitentiam, & promisisti peccatorum veniam. Idcircò etiam, ò Domine, perge semper esse refugium nostrum, neque permitte, vt tempus aliquando sit, quo gratia tua populus meus destitutus
E pereat;

V. 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præterijt. quia ætatis, & temporis nostri spatia, quantumvis prolongata, & extensa, tam nihilominus illa breuia, & angusta sunt, vt etiam *mille anni* apud te, qui æternus es, & æternitatem inhabitas, instar diei vnius sint, non præsentis, & præter-
F currentis, sed præteritæ, de qua nihil, & ne momentum quidem superest.

Quæcunque ergo spatia temporis (etiamsi illa longissima fuerint) populo meo concesseris, si nihilominus illa ipsa terminanda, & finienda aliquando ita sunt, vt illi à gratia tua excidant, omnia erunt, vt dies, quæ preterijt,

Et custodia in nocte,

V. 5.

V. 5. quæ pro nihilo habentur, eorum anni A
erunt. dum ait, *eorum anni*, oſtendit S. Dauid ſe loqui de Populo ſuo, prout dictum eſt. Deinde quia totus eſt in proponenda, & deploranda temporis breuitate, quæ Diuino Decreto ſtatuebatur illi Populo, poſtquam ipſis tempus gratiæ non erat futurum, in vnam veluti diem complectendo, & concludendo vniuerſum tempus, quod tempori Legis, & Synagogę fuerat conceſſum, ſeu concedendum, ait, ſibi, ſeu Populo ſuo in ea vna die id accidiſſe, & de toto illo tempore dici verè poſſe; B

V. 6. Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat; per hoc eorum *mane* intelligit prima illa Legis, & Synagogæ tempora, quibus ipſis Dominus plura, & maiora Diuinæ ſuæ Beneficentiæ, Protectionis, & Liberalitatis munera exhibebat, ſiue in liberatione de Ægyptiaca ſeruitute, ſiue in commoratione in Deſerto, ſiue in occupatione Terræ promiſſionis; de his, & ſimilibus per quandam veluti conceſſionem, & piam Domini erga eos indulgentiam dicatur, *Mane ſicut* C
herba, &c. at verò creſcentibus deinde peccatis ille ipſe Populus, qui vernans, & floridum *mane* habuerat, iuſta Dei ſententia, & punitione, veſpere decidat, à Gratiæ, Fidei, & Populi Dei ſtatu; ab illo ſuo virore, & flore, non completa adhuc die, ſed *veſpere decidat*; caſus hic factus, *propter incredulitatem fracti ſunt, & ceciderunt*, prout loquitur Apoſtolus Rom. 11. 20. quem conſecuta eſt *induratio*, ſeu obſtinatio, & aridi[illegible] maximè in rebus ſpiritualibus, & diuinis; induret, & areſcat. Heu! quantum malum eſt hoc; quia ſic cecidimus, ſic D
induruimus, ſic aruimus.

V. 7. Quia defecimus in ira tua; qua iuſtas pœnas pro peccatis noſtris exegiſti, defecimus, & in furore tuo turbati ſumus. hoc loco ſicuti *ira*; ita etiam *furor* eſt iuſta, & tranquilla vindicta, quam Dominus de peccatis eorum ſumpſit; nihil etiam vetat, quo minus iuxta phraſim S. Dauidi ſolitam, qua per *iram*, & *furorem* in pluribus, vt vidimus, Pſalmis denotat tempus, quo per Fidei E
Prædicationem peccata, & Idololatria erant deſtruenda, & conuertendæ ad Chriſti Fidem animæ; nihil, inquam, vetat, quominus etiam hoc loco dicamus, S. Dauidem deplorare hoc Verſu, quod tunc ipſi *defecerunt*, quando alij adeò proficiebant; ſed prior explicatio magis eſt ad eius mentem; nam verè de ira punitiua Iudæorum peccata loquitur etiam verſu ſequenti, dum ait;

V. 8. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, vt ſcil. eas veluti ante oculos habens, iuſtis caſtigationibus plecteres; dum enim ignoſcit, proijcere dicitur poſt tergum peccata: F
ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui. coniungitur cum *poſuiſti*, & intelligitur poſitum ſæculum *in illuminatione*, &c. qua peccata omnia viderentur, & punirentur, vt ſit illuminatio ad pœnam, non ad gra-

A gratiam; id, quod etiam vox, *vultus Domini*, indicat, qui accipitur de pena, vt supra Psal. 33. v. 17. *Oculi Domini super iustos*, &c. *Vultus autem Domini*, &c. scil. iratus, & pœnas de peccatis exigens *super facientes mala, vt perdat*, &c. Fuisse, vt dixi, *illuminationem vultus* ad pœnam, etiam sequens Versus confirmat; nam ait;

V. 9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: luget, quod dixi, defectum dierum gratiæ, qua ipsis subtracta æstimandi erunt, tanquam si defecissent, & ad nihilum redacti fuissent;

B & in ira tua defecimus. Postque illam exclusionem nostri à gratia tua,

Anni nostri sicut aranea meditabuntur.

Hæc phrasis est similis illi, qua Psal. 21. 32. dicitur, *Annunciabitur Domino generatio ventura*; idest audiet de Domino. Sic ergo, & hoc loco ait S. Dauid; posteaquam à gratia tua deserti fuerimus; *anni nostri sicut aranea meditabuntur*, nos ipsi toto, quo viuemus tempore studijs nostris, curis nostris, operibus omnibus, &
C laboribus imitabimur araneas, & aranearum studia, opera, industrias, & labores, eruntque omnia nostra inutilia; frustra euiscerabimus nos. Illud autem tempus, quod nobis concedetur adhuc benè merendi, Deoque placendi, antequam hi aranearum anni aduenient, si quis quærat quantum, quantisque spatijs sit extendendum? respondeo, quod angustissimis planè sit coarctandum terminis; nam

V. 10. dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Versus hic, licet de temporalis vitæ humanæ spatijs
D loqui videatur; itaque passim explicetur; nihilominus attenta totius Psalmi connexione, & consecutione dicendum, provt in Argumento notatum fuit, quod scil. S. Dauid ex primario suo intento pergat loqui, & declarare, quod spatia illa temporis, quibus adhuc seruandi erant Iudæi in gratia vsque ad Messiæ tempora, sint valdè angusta, & paucorum annorum instar (v.g. septuaginta) sint futura.

Si autem in potentatibus octoginta anni.

E Illud autem modicum temporis adiecti, quo per Aduentum Messiæ, eiusque, & Apostolorum eius Prædicationem colligendi erant illi, qui ex Iudæis expectabantur ad conuersionem; futurum tanquam si vniuersim omnis Iudæorum ætas ad octoginta annos extenderetur. Videnda dicta in Argumento, & rationes huius datæ expositionis; sicut & illius, quod sequitur; & amplius eorum labor, & dolor.

Atque hanc, quæ hìc insinuata est, veram, legitimam, & à S. Propheta intentam Expositionem esse, illa ratio causalis, quæ ab eodem Sancto redditur, ostendit;
F dum ait, idcircò ad hæc breuissima spatia redactam fuisse nostram Synagogam, post quæ perpetuus *labor, & dolor* ijs, qui in ea fuerint, futurus est.

Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur. Pro eorum sententia, qui priora ad literam intelligunt, & volunt dicta fuisse de ætatis hominum spatijs, multiplices adferun-

runtur huius verſiculi expoſitiones, vt; Quod ex diuino illo vellere manſuetudinis prouenit, ne diutiùs patiamur incommoda fractæ, deuexæ, decrepitæque ſenectutis. Quod poſt 70. annos, & 80. cum venerit Domini manſuetudo, & dies nobis mortis ingruerit, non iudicabimur iuxta meritum, ſed iuxta clementiam, & quæ putatur correctio eſſe, eruditio eſt, & doctrina. Et hæc eſt S. Hieronymi. Huic oppoſita ſententia eſt, quæ eſt Græcorum, & Nyſſeni, qui nectunt hæc verba ſequenti verſiculo, & volunt breuitatem, & ærumnas vitę cenſeri nō tam caſtigationem, quam manſuetudinem propter grauitatem, multitudinemque delictorum noſtrorum, quibus longè maiora, & diuturniora ſupplicia debentur. Alij per manſuetudinem volunt intelligi non virtutem moralem, ſed corporis curui, ac ſenilis debilitatem, quæ attingenti ſeptuageſimum, aut octogeſimum annum aduolat de repente. Alij manſuetudinem morum, vitijs, & ira deferueſcentibus, quæ iuxta Philonem aduenit nona annorum hebdomade. Has, aliasque eiuſmodi Expoſitiones adfert P. Lorinus, quæ tamen, vt eas conſideranti patebit, neque debita conſequutione connectuntur cum prioribus verbis, *& amplius eorum labor, & dolor*; (quæ etiam verba in eorum ſententia ſatis per ſe, & decrepitam ſenectutem, & mortem illi coniunctam ſignificant, neque vlteriori egent explicatione ſequentium verborum) neque explent vim, & ſignificationem illius cauſæ, quæ adfertur; quare ſcil. poſt expletos ſeptuaginta, & ad ſummum octoginta annos *amplius eorum*, quod ſuperfuturum eſt, *labor, & dolor* futurus ſit; *quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur*: Similiter ipſa verba, *ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur*, in citatis explicationibus à propria, & connaturali ſignificatione non abſque quadam violentia abſtrahuntur. Et tandem cum ſequentibus etiam Verſibus non eſt cohærens, & conſequens connexio in prędictis explicationibus; nam ſi Diuinæ manſuetudinis, & gratiæ eſt per mortem liberari à moleſtijs decrepitæ ſenectutis, quæ ipſa morbus eſt; cur ingemiſcat, & exclamet S. Dauid? *Quis nouit poteſtatem iræ tuę?* &c. quomodo deinde roget; *Dexteram tuam ſic notam fac?*

Propter hæc, aliaque eiuſmodi conſequentiæ, & cohærentiæ ſermonis, quæ requiritur, valdè obſtantia, (cæterum adductas explanationes, & alias ſi adſint Sanctorum Patrum optimas eſſe cenſendo, & cum omni reuerentia amplexando) dicendum eſt: Sanctum Dauidem non tam ſpatia, & tempora ætati hominum deſtinata, quæ tam varia ſunt, etiam poſt tot ſæcula, ipſa noſtra ætate, quæ ſera Mundi ætas videtur; non, inquam, illa voluiſſe prefigere, & eorum breuitatem deplorare, quæ quidem ſpatiorum vitæ humanæ breuitas, iam poſt propalatam ſanctorum, & apertam per Dominum Ieſum ad cælum viam, potius acceptabilis eſt, & optanda; non, inquam, hæc, ſed quæ Populi ſui Iudaici conuerſioni, & expectationi eorum ad Fidem, & ſalutem erant deputata, & deſtinata valdè breuia, quia finienda, temporum ſpatia voluiſſe proponere, & vt priori etiam Pſalmo fecerat, & ab ipſo initio huius præſentis Pſalmi continuauerat, eadem ipſa primaria ſua intentione deplorare intendiſſe, quia ſcilicet illis finitis *amplius eorum labor, & dolor* erit omnibus, qui de illo Populo in ſua obſtinatione pèrmanſuro ſuperuixerint.

Et quidem *labor, & dolor*, afflictio, & calamitas, miſeriæ tam corporales, & temporales, quàm ſpirituales, & ſempiternæ eos idcircò ſunt excepturæ; *Quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur*: quia ad nos quidem miſſus eſt, prout promiſſus

A missus fuerat, Messias, ipsa scil. Benignitas, & Humanitas Saluatoris nostri Dei; verùm quia non suscipietur à nobis, tantum abest, vt eius aduentu adiuuandi, & subleuandi simus, quin potius inde vel maximè *& corripiemur*, non iam, vt filij, sed vt serui, ijque peruersi, & læsæ ipsius Diuinæ Maiestatis rei, è domo eius, & vinea eijciendi, introductis in eam in locum, & sortem, & hereditatem nostram Gentibus: *Vide ergo*, ait S.Paulus Rom. 11. 22. *bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate*. Tremenda certè in eos Dei seueritas! propter quam exclamat consequentissimè S.Dauid.

B

V. 11. Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam

V. 12. dinumerare? Horribilis planè est vindicta, quam Deus sumpsit, & adhuc exigit de Iudæorum peccatis; nulla alia animum eius acerbitatem, & diuturnitatem considerantem

C adeò suspensum, & attonitum detinet: etiam Diuo Paulo ob eam, *incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius*. Rom. 11. 33. *Quis nouit potestatem iræ tuæ*, &c. vt populus olim electus, cuius erat Testamentum, & Legislatio, & promissa, &c. derelictus à Deo ipsi amplius non placeat; vilis, abiectusque apud omnes sit, & perditionis æternæ hæres? Propter hæc tam tremenda eos consequentia mala, S. Dauid, quod supra priori Psalmo 88. v. 50. rogauerat, vt Dominus misericordias suas sibi promissas, etiam cum salute Populi sui carnalis adimpleret, etiam hìc rursus obsecrat, dum ait;

D Dexteram tuam sic notam fac; sic, vt dixi, non reiectis, & à te derelictis Iudæis; sed illis simul cum Gentibus ad tuam Fidem, & gratiam assumptis, *Dexteram tuam*, Christum tuum, Vnigenitum, qui est brachium, & dextera tua, sic, inquam, *nota fac*; quod quidem tibi, ò Deus, facere facillimum erit, si ipsos Iudæos carnales incrassatos, & obstinatos in sua perfidia, facias bonos esse, & eruditos corde in sapientia, vt sint docibiles Dei, vt Euangelio acquiescant, &

E credant, sintque eruditi corde, qui incircumcisi sunt corde; eruditi, inquam, *in sapientia, non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur*, sed in *Dei sapientia in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula, &c.* 1. Cor. 2. 7. quæ sapientia est ipsum Euangelium. In eo *fac eruditos corde*, etiam Iudæos, ne in sua obstinatione perseuerantes pereant. Ne igitur in ea permaneant, gratia tua illos respiciendo,

V. 13. Conuertere Domine vsquequo? sic à te

F auersi, & obstinati in quem vsque finem sunt mansuri? *Conuertere Domine*, & deprecabilis esto super seruos tuos, propitiationem, & veniam apud te obtineant, tam ego, quàm alij serui tui Prophetæ, alijque iusti, qui pro ipsis Diuinam Maiestatem tuam deprecamur; siquidem & ipsi, pro quibus preces fundimus, inter seruos tuos censentur.

Et certè si prima nostra, seu nostræ Synagogæ tempore respiciamus, omnes nos primis illis nostris temporibus, & veluti illo primo *mane* nostro A

V. 14. Repleti sumus mane misericordia tua, tam multa, tamque varia beneficia percipiendo; & exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris, quibus nos protectione tua, & gratia custodiebas, & conseruabas, vbique, & in omnibus nostri curam misericordem, & planè paternam gerendo; tunc quando tu nobiscum eras, B

V. 15. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala. Tunc, inquã, ipsa verbera, ipsa flagella tua, & castigationes, quibus nos puniebas, dulcia nobis, & suauia erant, quia Te, licet punientem, & castigantem, Patrem tamen habebamus. Ne ergo vnquam contingat, vt & flagella sentiamus, & tamen Te auersum à nobis habeamus, & planè non habeamus, obsecro, ò Domine, C

V. 16. Respice in seruos tuos, & in opera tua: illos ipsos Iudæos, & eorum Patres, & Prophetas tibi intuendos propono, qui serui tui sunt, & opera tua; & dirige filios eorum. per continuas generationum successiones eorum curam, quam semel assumpsisti, gere. Sicque nobis fauendo, & gratia tua protegendo, & conseruando, D

V. 17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige, scil. vsque in finem. Nam instat pro auertendo illo summo malo futuræ eorum à Deo derelictionis. E

PSALMVS XC.

Qui habitat, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XC. F

Laus Cantici Dauid.

HIs, quibus occasionem dederat pars vltima Psalmi octogesimi octaui, interiectis, atque cum ea, quam vidimus, connexione, & cohærentia expeditis, S. Dauid pergit in eo, quod fusiùs eponendum sibi proposuerat, Christi sui Regno, thro-

A throno, & exaltatione in Ecclesia sua iam propagata, dilatata, & stabilita Psalmis suis, & Canticis celebrandis. Et quidem hoc Psalmo Nonagesimo, antequam ad eiusdem Ecclesiæ partam tranquillitatem, & felicitatem declarandam descendat; quod mox facturus est, aptissimè prius proponit hanc hoc Psalmo contextam *Laudem Cantici* ab Ecclesia vsurpandam in gratiarum actionem, quod in se, in Ministris suis, & fidelibus omnibus promissum Dei auxilium tam abundè, & cumulatè fuerit hactenus experta;& porrò etiam deinceps confideret, idem prorsus in se, suisque experturam in laboribus, & difficultatibus, quæ in animarum
B Conuersione supererant, tolerandis.

Ad hanc Diuini adiutorij, & iam præstiti commendationem, & exhibendi spem, & fiduciam in nobis excitandam, S. Dauid tam aptis vtitur argumentis, tanta verborum emphasi, vt vel sola ad prosternendos hostes, & confirmandos fidelium Christi ea recitantium animos aduersus omnes quorumcunque hostium incursus sufficiant. Propter hæc omnia, & quia simul hoc Psalmo proponitur pientissima Domini erga Christi fideles protectio, ob quam cum gaudio Laus Deo datur; ideò Psalmus inscribitur; *Laus Cantici*.

C Christi ergo Ecclesia, seu Dauid, aut Christus eius, & cuiusvis Fidelis, qui in ea reperitur, nomine, de præteritis persecutionibus, & ingentibus difficultatibus superatis sibi in eo, cuius ope, & adiutorio vicerat, & superaturam etiam deinceps confidebat, congratulans ait;

PSALMVS XC.

D V. 1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, sicut ego hactenus; nam supra etiam Psal. 45. 6. promissum fuerat. *Deus in medio eius, non commouebitur; adiuuabit eam Deus mane diluculo*; *qui*, inquam, *habitat* & sedem suam, stationem, & tabernaculum in eo figit, qui Altissimus, potentissimus, & super omnes est, is in protectione Dei cæli commorabitur; vt P. Lorinus ait, tutò inter præsentis vitæ pericula versabitur; & pro secura
E mansione, habitaculo, arce, habebit protectionem Dei, qui cælum peculiari quodammodo incolere dicitur, nullo non in loco existens, extraque locum omnem, quàm potest infinitè imaginatio nostra vagari; eo quod emineat potentia super cunctos, quotquot finguntur, vel dicuntur dij, & omnem vim creatam in immensum exuperat; nec minus imò absque vlla comparatione longè magis suos celet, ambiat, tegat, protegat, quam vastissimus cæli globus, alia intra se, suumque complexum comprehendat.

Fusior huius versus, & ad mores pertinens explicatio apud ipsum videri po-
F test; hoc satis in ordine ad connexam consequentem explicationem.

Ad fiduciam, provt par est, de Deo concipiendam, necesse est habere conceptum de Diuina eius potestate, & maiestate, immensa, & inæstimabili. Item & de ineffabili eius pietate, & benignitate erga sibi fideles seruos. Illam priori versu efficacissimè, per *Altissimum*, & *Deum Cæli* exprimit; hanc versu sequenti.

A
V. 2. Dicet Domino eiusmodi in ipsum fidens eius seruus, fretus fiducia de ipsius Benignitate, & Pietate; susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, ter repetita Pronominis possessiui voce illam, quam dixi, fiduciam filialem, & plenam amoris indicat. quid ergo? *si susceptor meus* est, vtique sperabo in eum; pergam, vt hactenus, sperare in eum.

B
V. 3. Quoniam ipse liberauit me; sic, vt dixi, Ecclesia, & Fidelis quisque recolit acceptum Conuersionis Beneficium ad Fidem, de Mundi, carnis, & Satanæ seruitute, vanitate, insidijs, & fraudibus victoriam, quod est, de laqueo venantium, liberatũ fuisse; & à verbo aspero. S. Hieronymus exponit verbum turbulentum; & propriè iuxta vim Græci vocabuli significat hæreticorum doctrinam, vt P. Lorinus ostendit, qui multas alias ad mores spectantes huius versus explicationes adfert. Ad mentem, & intentum S. Dauidis est, in persona Ecclesiæ, & cuiusvis Fidelis gratulari sibi, quod Dei ope erepti fuerint de vana sæculi conuersatione, de carnis prudentia, & sapientia, de Idololatriæ erroribus, & superstitionibus, de pseudochristorum, & pseudoprophetarum seductionibus, &c. C

V. 4. Scapulis suis obumbrauit tibi: & sub pẽnis eius sperabis. Alludit ad Moysis Canticũ, Deut. 32. 11. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*; scil. sicut aquila; hìc sola similitudo est, non vero res ipsa, vt volebant Anthropomorphitæ, qui Deo humana membra tribuebant. Alia etiam similitudine ostendit protectionem Dei erga nos. D

V. 5. Scuto circumdabit te veritas eius. per *Veritatem* hoc loco, non solùm, vt aliàs sæpe, intelligenda est Dei fidelitas, in promissis suis adimplendis infallibilis, & exactissima; verùm etiam ipsa Fidei nostræ sanctæ veritas, certitudo, immobilitas, & ipse Dominus Iesus, Verbum Patris, *plenum gratiæ, & veritatis*. Ioan. c. 1. v. 14. Nam, vt benè hoc eodem loco P. Lorinus, cum vita nostra sit militia, & vniuersa vanitas omnis homo viuens, opus idcircò est veritatis circumdantis scuto aduersus Antagonistam mendacij Patrem, qui mendacio primo fefellit parentes, quemadmodum, & ipse in veritate non steterat, læseratque peculiari quadam ratione, Personam secundam, cui veritas attribuitur; & quam idcircò, vt propriam vindicaret iniuriam, decuit incarnari, &c. Ipse (ait Chrysostomus) protegit, & circumdat, vt vndique nos paratos inueniat, & clausos, vt omnes aditus sensus nostri scuto veritatis tegantur. E F

Hæc plana est, & expedita huius versus explicatio, cui etiam ipse Apostolus per omnia concordat, Rom. 7. 14. & 15. vbi cum dixisset; *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* subiungit; *gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*; & mox deinde capitis sequentis initio, concludit; *nihil ergo nunc*

dam-

A *damnationis est ÿs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundùm carnem ambulant.*
Sic ergo fidelis quilibet Christi seruus scuto veritatis circumdatus, totusque
protectus & tectus; non timebis à timore nocturno. multæ etiam huius versiculi partis, & consequentis in eadem re versus sunt expositiones; breuitatem, cum
connexione cohærente sectanti, satis est insinuare; S. Dauidem hic solum intendere significare Christi fidelem, neque vanis minis, aut fictis hostium terriculamentis perterrefaciendum, quæ timores nocturni dici possunt, qui non tam à re
B ipsa, quàm ab ipsa apprehensione hominis, & rerum horridarum imaginatione
fiunt, & vanum timorem incutientes vexant, & cruciant; non, inquam, *timebit*
eiusmodi *à timore nocturno*; sed neque à rebus re ipsa nocentibus, vt

V. 6. A sagitta volante in die, apertè, & palàm illata damna, pœnas, & vulnera; neque à negotio perambulante in tenebris, neq; occultis insidijs, & fraudibus, seu blanditijs
C nocere tentantes timebit; neque ab incursu, & dæmonio meridiano; neque tormentis, & ipsa morte sæuientes, formidabit. Sic ipse Dominus multis, & sæpiùs suos animabat, Luc. 12.
Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his qui occidunt corpus, &c.

Planè adamantinos seruos suos facit Dominus Iesus; (vide dicta supra Psalmo
28. versu 2.) Ad hunc Psalmum, & locum, quo de fortissima Domini erga fideles suos agitur protectione allusisse videtur S. Ioannes Apocal. c. 14. vbi etiam ipse agit, quonam pacto sese ipsos Christi fideles ad constantiam hortarentur;
D *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicÿ eius, & adorate eum,*
v. 7. Deinde etiam minas ijs intentans, qui non starent, subiungit. *Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei*, &c. v. 10. *Per bestiam* autem, &c. vti optimè P. Alcazar, ea omnia intelligit, quæ Fidei Sanctæ, & Prædicationi Euangelij Mundus opponebat, quæ vtique, & plurima erant, & magnam in multis, qui in veritate, & Dei adiutorio non stabant, stragem edebant. Et quidni multi cederent timori nocturno, sagittæ volanti, occultis fraudibus, apertæ hostium violentiæ?
E Certè, quod luctuosum quidem est, sed quod simul protectionis Diuinæ magnitudinem, & protectorum Fidelium felicitatem ostendit in hac hostium pugna; Tu quidem qui protectus es non timebis: tamen

V. 7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; exprimuntur hìc luctuosi casus multorum, & strages animarum, quas hostis infernalis tam multis nocendi ar-
F tibus edere solet: ad te autem non appropinquabit.
Immunis tu eris;

V. 8. Verumtamen, vt æstimare scias ex infelicitate eorum, qui hosti cedent, & tentationibus succumbent, felicitatem tuam; oculis tuis considerabis: & retribu-

tio-

tionem peccatorum videbis. nam, vt dixi, omninò bibent *de vino iræ Dei, & cruciabuntur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.* Hanc peccatorum retributionem considerans, & inspiciens horrescit omninò animus; & solam, atque vnicam Dei gratiam agnoscens, quod non cum tam multis ceciderit, sed scuto veritatis circumdatus, à vanitate liberatus, in veritate steterit, ait exultans, & in Deo Iesu suo gaudens; A B

V. 9. Quoniam tu es Domine spes mea: eiusque hæc veritatis, pietatisque verba excipiens S. Dauid, conclusurus, seu properans, vt concludat Psalmum hunc, ait, quod omninò, sicut initio dixerat, ex eo, vel ideò, quia Altissimum, ò Ecclesia, & quiuis in ea Fidelis Christi seruus, posuisti refugium tuum; inde sequetur, quod C

V. 10. Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. & causam addit;

V. 11. Quoniam, cum omni iam dicta protectione, & defensione, quam tui habet, insuper ipse Altissimus Angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis: per omnes vias, non tam vias, seu itinera intelligit, quàm ipsas actiones, opera, conuersationes, agenda, disponenda, tractanda; ipsum omnem vitæ nostræ cursum de mandato Dei custodiunt Angeli: *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* Apostolus Heb. 1. 14. Curam ipsi suam, ministerium, solicitudinem, & operam cùm semper in omnibus, tum vel maximè vna singulari in re erga nos impendent, quod scil. D E

V. 12. In manibus portabunt te, tanquam rem sibi commissam, valdè charam, pretiosam, & simul valdè fragilem portabunt in manibus, tuebuntur, & protegent; ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum: ne impingas, lædaris, & cadas offendendo, & impingendo ad lapidem, non materialem, (nam quæcunque eiusmodi offensio, vel læsio non tanti ea est momenti, vt hanc tantam cautelam, & mentionem, quæ hoc loco de lapide potius, quàm re alia fit; & tam singularem Angelorum curam exigat) sed mysticum, qui est Christus. Ne in hunc lapidem offendas, omninò cura maxima habenda est; *Propter quod*, ait D. Petrus 1. suæ c. 2. v. 6. *continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt adifican-* F

A *ficantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, hisque offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.*

Ipse Christus de se ipso, illam terribilem protulit ad Pharisæos, sententiam, Matt.21.44. *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur; super quem verò ceciderit conteret eum,*

Atque hic diligenter aduertendum est, quod licet per *offensionem* in hunc *lapidem*, & offendentis in eum casum, confractionem, & contritionem primò, & præcipuè denotentur ij, qui increduli sunt in eum; nihilominus etiam illi propriè, &
B per se dicuntur in illum ipsum offendere, qui sanctissimas eius Leges vitæ prauitate, & malitia transgrediuntur, & contemnunt. Nam, vt D. Paulus Heb.10.28. argumentatur, & terret; *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur; quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Hoc, inquam, D. Pauli testimonium clarè probat, etiam ipsis malis Christianis imminere exitium, si sanctæ vitæ operibus Fidei non correspondeant. qua in re dubium superesse nullum potest, quan-
C do constat ex Matt.c.25.v.41. & quinam futuri sint illi, quos horrifica illa sententia, *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* confringet, & conteret. custodiat ergo nos, & portet fidelissima Angelorum custodia, ne fortè offendamus ad lapidem. Si ab offensione, & lapsu immunis fueris;

V. 13. Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem.

D Sic re ipsa Luc.10.19 ait Dominus; *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit:* plures easque accommodatissimas huius versiculi expositiones cum morales, tum mysticas adfert P. Lorinus, & alij.

Ex his omnibus iam proximè & supra toto Psalmo dictis constat; tam multis, tam varijs, tam grauibus hominem exponi tentationibus, aduersitatibus, internis, & externis, latentibus insidijs, & apertis incursibus, vt meritò terrere quemlibet possent, & pusillo, atque concidente animo reddere; propterea tam sæpe
E supra Diuini adiutorij, certæ protectionis, liberationis, & victoriæ de omnibus subsecuturæ promissis, animos ad spem, atque fiduciam erexit. Et tandem noua ad Psalmi finem, Dei nomine, promissione facta, eosdem corroborat, & confirmat.

V. 14. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

F Prædictis quidem malis cum pressus fuerit, & afflictus;

V. 15. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso

sed benè fidat; nam si mox eum liberari non expediuerit, sed permanere in tribulatione; & ego

sum

fum in tribulatione; mira Dei benignitas! suo deinde,atq; opportuno pro ipsius salute,& gloria mea tempore A
eripiam eum: & glorificabo eum; vt qui humiliatus, spretus, & contemptus antea erat, etiam in hac vita exaltetur.

V. 16. Longitudine dierum replebo eum; longęuitatem dabo, vt plenus dierum, & quidem, quos in animi pace, & tranquillitate, virtutum, & bonorum operum profectu sempiternam coronam sibi B iugiter augendo traducat. Item hic etiam promittit, se Ecclesiæ suæ daturum post persecutiones pacis, & tranquillitatis valdè diuturna tempora, quibus licebit Deo vacare, cum summa animi iucunditate, gaudio, & vtilitate. quod hic promittit, deinde Psal.92. 5.exhibet, vt videbimus; & ostendam illi salutare meũ. primò, proximè, & immediatè promittitur Christi Fideli stanti, & speranti in Domino communicandam in hac vita eiusdem Christi Domini notitiam, in qua est vita æterna. Nam Ioan.c.17.3. *Hac est autem vita æterna, vt cognoscant te solum* C *Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; in quo suo salutari Sanctissima eius Mater, & Domina nostra *exultauit*, Luc.1.47. Deinde, vt benè P.Lorinus, secundùm Anagogen transfertur ostensio salutaris ad communicationem Visionis Dei, quam appellant Theologi Beatitudinem formalem. Atque hæc satis, properantibus ad Psalmi sequentis expositionem.

PSALMVS XCI. D

Bonum est confiteri, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCI.

Psalmus Cantici, In die Sabbati.



PSalmo 90.finito, quia alij deinceps Psalmi sequentes omnes (si vnum E excipiamus CI.qui luctum, & lamentationem, vt videbimus, continet) lætitia, gaudio, & exultatione pleni sunt; propterea hoc loco statuitur Psalmus 91. qui reliquorum summam quandam comprehendit illam ipsam lætitiam, gaudium, exultationem, & quæ ex his consequitur Dei laudem, & benedictionem. propterea Titulum etiam competentissimum habet; *Psalmus Cantici, In die Sabbati*. quasi dicat, Psalmus hic & Canticum est; in vtroque excellentissimum, qua voce, & cantu, qua instrumentis musicis pangendum: est enim *In die*, & pro *die Sab-* F *bati*, quando scilicet Dei Ecclesia tranquillitatem post diuturnas Persecutiones est consecuta. Hoc posito Argumento, connexio elucet, & consequentia, quam in aliorum Argumentis certum est minimè nos reperturos. Non in Rabbinorum sententia, qui volunt agi hoc Psalmo de Creatione Mundi & adferunt figmentum de Adamo, qui obtenta peccati sui venia die Sabbati, prę lætitia prorupis-

A rupisset in verba similia primis huius Psalmi. Illos meritò reijcit P. Lorinus; neque tamen illud, vel illa, quæ ipse statuit eidem Psalmo Argumenta stant cum connexa, & cohærente Explicatione; scil. quod *Christi, vel Dei decantentur misericordia, potentia, iustitia; tum verò etiam agatur de Iudicio, pœnis, præmijs, quando ad similitudinem Sabbati requies, & vacatio erit ab omni cura præsentis vitæ, istiusque Mundi: denique etiam mentio fiat de Lege Euangelica, cuius censeatur status senectuti, & Sabbato similis*. Hæc ipse ex sua, & aliorum sententia. Verùm vt hæc & similia attingi in hoc Psalmo ipsemet lubens consentiam; nisi tamen ordo aliquis B inter illa constituatur, & dependentia ab alijs iam præmissis ostendatur, non possunt tam multa aptè inter se, & cum prioribus connexè, cohærenter, & consequenter connecti.

At verò si id, quod in prioris Psalmi Argumento dictum est, obseruetur, quod scil. illo Psalmo Nonagesimo S. Dauid antequam ad declarandam Ecclesiæ Christi partam tranquillitatem, & felicitatem descenderet, voluisset prius proponere *Laudem Cantici*, quam ipsa Ecclesia vsurparet in gratiarum actionem, quod sibi, Ministris suis, & fidelibus suis filijs omnibus promissum Dei auxilium, seu adiuto- C rium fuisset experta hactenus, atque etiam deinceps consideret se experturam, sicut certè re ipsa, vt vidimus, toto illo Psalmo egit: si, inquam, hoc obseruetur, & simul si reflectamus nos eodem ipso Psalmo sæpiùs factam *Altissimi, Dei Cæli, Altissimi refugij* mentionem, nec non clausulam illam Psalmi recolamus, qua Dominus promittebat Ecclesiæ se *ostensurum salutare suum* (communicando fidelibus in ea eiusdem notitiam, vt dictum est:) tum verò post hæc omnia nihil consequentius erat, quàm, vt hic sequens Psalmus 91. inscriberetur, *Psalmus Cantici, in die Sabbati*; quia scil. (vt dictum est) Psalmus hic insignem Dei Laudem, qua voce, & D cantu, qua etiam instrumentis musicis decantandam continebat; & quidem *In die Sabbati*; posteaquam scil. Dei Ecclesia requiem tandem, & tranquillitatem Dei adiutorio, in quo habitauerat, post multas, & tam diuturnas persecutiones fuisset consecuta; eique iam liceret publicè Diuinum cultum exercere, suaque Sacra palàm, iam nemine contradicente, posset proponere.

Ad hæc omnia, si (vt planè est necesse) attendatur, nihil conuenientius, atque etiam consequentius reperiri poterat, quàm vt S. Dauid, deinceps etiam de lætissimis ad Ecclesiæ Christi felicitatem, eiusdemque Domini Iesu eius Sponsi exal- E tationem pertinentibus rebus tractaturus cum esset, hunc Psalmum plenum lætitia, & quodam breui compendio res illas fusiùs postea, atque vberiùs explicandas continentem, proponeret, atque in has voces prorumperet; Iam tandem posteaquam Dei adiutorio deuicta sunt tot mihi obstantia mala, &c.

PSALMVS XCI.

F **V. 2. Bonum est confiteri Domino:** æquum est diuinis laudibus vacare; **& psallere nomini tuo Altissime,** in cuius adiutorio habitando vici. Confiteri, inquam, tibi, & psallere æquum est,

V. 3. Ad annunciandum mane misericor-

diam tuam. Vt vbique annuncietur, promulgetur, & deprædicetur diuinæ Benignitatis tuæ auxilium, quod mihi præstitisti, quod quidem est ipsa misericordia tua, qua me *mane*, tempestiuè, & opportunè præuenisti, & adiuuisti. Supra Psalmo 45.6. promittebat Ecclesiæ: *adiuuabit eam Deus mane diluculò*. Iam auxilium experta cum sit, vtique vult confiteri, & psallere *ad annunciandum*, vt annuncietur, sciatur, & constet vbique sibi verè, re ipsa impensam à Domino *misericordiam*; & veritatem tuam per noctem: & quod iuxta tua promissa non deserueris per *noctem*, & in nocte persecutionum. Hoc totum planè bonum, & optimum est confiteri, & psallere, & efficere, vt annuncietur; A B

V.4. In decachordo; idest decem chordarum instrumento; psalterio; & psalterio; & hoc proprium, & distinctum instrumentum fidicinum est, quod si peritam sortiatur manum, nulli alteri harmoniosi soni amenitate cedit. Videri de hoc, alijsque instrumentis Musicis potest P. Athanasius Kircherus Soc. Nostræ in sua Musurgia lib. 6. de Musica Instrumentali: item lib. 2. cap.4. de Musica Antiqua, Instrumentisque Hebræorum, & qualia illa fuerint. Pergit S. Dauid. cum cantico, in cithara. Res hæc tam grandis est, tamque digna omni gratitudine, vt propterea S. Dauid isto modo loquendi exundantem animi sui, & Ecclesiæ Christi, cuius nomine hæc dicit, lætitiam expresserit; & addit; hæc omninò, vt dixi, tanta solemnitate, tanta lætitia annuncianda sunt; C

V.5. Quia delectasti me Domine in factura tua. *Facturæ* nomen, vt benè obseruat P. Lorinus, propriè significat opus ex compositione, & arte factum. Verùm supposito, quod supra dictum est, non esse Sancto Dauidi hoc Psalmo sermonem de Mundi Creatione; non ad hanc *facturæ* vox refertur; sed quod Diuus Augustinus vult, ad illud Dei opus, quod inter omnia primatum tenet, & est, opus multiplicis gratiæ Dei; siue vt D. Petrus 1. suæ Epist. c.4.v.10. loquitur, *multiformis gratiæ Dei*, quæ est in Christi Ecclesia. In hac, quæ verè est Domini factura se propriè, & primariò delectatum, ait S. Dauid, idque, vt patet, & ex sequentibus statim verbis magis constabit, immediata sacri textus consequentia infert; similiter & de illis ipsis non tam naturæ, quàm gratiæ operibus primò, & per se ait; & in operibus manuum tuarum exultabo. Sic supra Psal. 8. vidimus, quod etiam de his ipsis operibus loqueretur, cum diceret v. 4. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*, &c. Licet enim admirabilis, & pulcherrima Mundi fabrica quemlibet eam attentè (vt Sanctus meus Pater Ignatius faciebat) intuentem mirificè, & vsque ad liquidissimo gaudio plenas lacrymas recreet; licet vt Eccl. c.43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius* sit, *& species cæli in visione gloriæ*; nihilominus tamen longè maiorem, neque vllo modo cum illa, quę inde percipitur comparandam exultationem habent ea gratiæ opera, quæ Dominus Iesus *plenus gratiæ, & veritatis*, Ioan. cap.1.v.14. operatus est, & vsque modò in Ecclesia sua sancta operatur. D E F

Eo-

A Eorumdem pulchritudine, multitudine, dignitate, pretio, admirabilitate non tantùm recreatus, sed etiam veluti extra se raptus S. Dauid exclamat;

V. 6. Quàm magnificata sunt opera tua Domine: quàm magnifica, quàm excellentia! quàm captum omnem meum excedentia! & statim seipsum explicans, quod de illis gratiæ, non autem naturæ operibus loquatur, ait; nimis profundæ factæ sunt co-

B gitationes tuæ. Quæ verba nullo modo diceret, si de operibus naturæ loqueretur; licet enim admiranda etiam illa, & omninò omnipotentiæ Dei, & quæ ipse solus efficere poterat, sint opera; non tamen illa tanta, & plus aliquid significante, emphasi verborum fuissent celebranda; *nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*: *nimia illa cogitationum*, seu consiliorum Dei *profunditas* ad gratiæ Dei, electionis, prædestinationis, & reprobationis, aliaque eiusmodi opera per se, & de communi Sacræ Scripturæ phrasi spectant, eaque respiciunt, vt constat ex ijs, quæ tam sæpè D. Paulus, nunc ad Ephesios c. 1.

C v. 8. loquitur, vocando *Diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ.* aliàs etiam eadem Epistola cap. 2. v. 7. ait, quod Dominus nos *conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu, vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Capite autem 3. v. 8. *Mihi*, ait, *omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi.* Et hæc quidem omnia ad gratiæ Dei planè multiformis opera, & inuestigabiles diuitias Christi, eiusque Sanctæ Nouæ Legis, seu Euangelij

D pertinent; in quibus illa deinde magis particularia planè magnifica opera Domini, & *nimis profundæ eius cogitationes*, & consilia inclusa sunt, vt puta beatitudinis, & felicitatis, quæ sita est in paupertate; Vitæ Beatæ, & æternæ, quæ continetur in mortificatione; perfectæ libertatis, quæ est in obedientia, & sub suaui Christi iugo; honoris, & sublimitatis, quæ est in sui contemptu, & humilitate; sapientiæ, & virtutis, seu fortitudinis, quæ est in Cruce Christi, quam Mundus stultitiam, & infirmitatem æstimat. De his, alijsque eiusmodi cum hoc versu planè per omnia concordans Ecclesiasticus cap. 24. 39. ait, *A mari abundauit cogitatio eius, & consi-*

E *lium illius ab abysso magna.* Iam verò si quis transeat ab his ad alia, quæ ad prędestinationem, & reprobationem pertinent, tum verò mente planè attonita necesse est hærere, & suspicere illam *Altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles vias eius.* Rom. cap. 11. v. 33. De his omnibus, vt manifestè patet, plusquam de quibusvis alijs (licet cætoroquin etiam admirandis) naturæ operibus plena verborum significatione dicitur, *Quàm magnificata sunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.*

In horum numerum, vnum adhuc planè admirandum cum iam dictis Dei opus

F restat recensendum, quod etiam in Sanctissimi Prophetæ Dauidis animo, cum hæc diceret, altè insedisse, dubium nullũ esse potest, vt ex sequentibus verbis, & versibus mox apparebit. Illud verò est, quod inexpectato planè rerum euentu, & pręter omnem hominum mundanorum opinionem Ecclesiam suam victricem effecerit, & triumphantem de Roma Ethnica, & Idololatria toto Orbe debellata. Hæc Romæ, & Romani Imperij tam felix, quàm obstupescenda in res tam remo-

tas, diſparatas, atque omninò contrarias commutatio, de qua iam tam multa va- A
rijs locis in Pſalterij huius decurſu fuere inſinuata, digna planè eſt, ob quam, qui eam benè ponderauerit, exclamet; *Quàm magnificata*, &c. Neque dubium eſſe poteſt, eam ipſam Sanctum Dauidem penitiſſimè vidiſſe coniunctam cum ſupra iam explicatis Diuinæ Gratiæ operibus. De his ſimul vnitis, & acceptis loquens verſu ſeq. ait;

V. 7. Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc. Hæc, quæ dixi magnificè grandia, & excellen- B
tia opera Dei; *nimis profundas eius cogitationes*; *facturam* eius omni ſapientia, & arte elaboratam *Vir inſipiens non cognoſcet*, &c. Nam *animalis homo*, qui carnis affectibus ducitur, *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi*: videntur illi eſſe ſtultitia, ait D. Paulus 1. Cor. 2. 14. & ſupra cap. 1. 18. dixerat, *Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt*. Eiuſmodi ergo Gratiæ, Dei Vocationis, Fidei, Euangelij, Eccleſiæ opera *Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus*, Mundi amator, & ſectator, *non intelliget hęc*; licet alioquin
ſatis accurati, & perſpicaces ſint in ſcrutandis, & intelligendis naturæ, & Mundi C
operibus; *inuiſibilia enim ipſius à creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur*: Rom. 1. 20. deberent illi quidem eo lumine, quo, quæ facta ſunt, conſpiciunt, aſſurgere ad inuiſibilia illa; ſed quia minimè id faciunt, propterea *ſunt inexcuſabiles*; *Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc*: illa opera, quæ ſupra dixi; ſed neque animum ad illa reflectet, quæ modo dicturus ſum; quod ſcil.

V. 8. Cum exorti fuerint peccatores ſicut D
fęnum: & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.

Vt intereant in ſæculum ſæculi:

V. 9. tu autem altiſſimus in æternum Do- E
mine. Quod ſupra dixeram, S. Dauidem inter magnifica Dei opera verſaſſe animo ſuo etiam præcipuum illud, Eccleſiæ nimirum victoriam de Roma Ethnica, & vniuerſa Idololatria, hìc incipit ſe ſe explicare, dum ait; quod ſtultus, & inſipiens Mundi amator tam remotus ſit à percipiendis illis longè ſublimioribus, & intellectu difficilioribus Dei operibus, vt etiam illa, quæ patentia, & manifeſta ſunt, præ nimia mentis cæcitate ſit ignoraturus; ſcilicet, quonam pacto, *Cum exorti*, poſteaquam *exorti fuerint peccatores* habentes in hac vita dominium, & gloriam ad inſtar fęni, virentis quidem, ſed infirmi, debilis, & mox ex- F
ſiccandi, *& apparuerint*, in imagine, & figura pertranſeunte, *omnes, qui operantur iniquitatem*; non, inquam, ſciunt illi inſipientes, & ſtulti; quod eorum peccatorum *ortus* in ſimilitudinem *fęni*, & ad inſtar vmbræ futurus ſit, & paulò poſt interiturus, & finem habiturus talem, vt nunquam amplius ſit redintegrandus; *Vt intereant in ſæculum ſæculi*. Ita planè, quia, vt de hac ipſa re loquens Iſaias c. 40. v. 6.

& ad

A & ad hunc S. Dauidis locum alludens ait; *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* tam Synagogæ, quam Romæ Ethnicæ, & Idololatriæ flos cecidit (pluribus de hoc in illud Isaiæ Caput, & versum) flos, inquam, ille eorum cecidit, nunquam surrecturus, quia illi quidem sic orti, & facti sunt, *Vt intereant in sæculum sæculi*. Sed quid de te, ò Altissime, in cuius adiutorio ego habitaui, & commoror? *Tu autem altissimus in æternum Domine*; scil. permanes, & permansurus es: sic Isaias eodem cap. 40. v. 8. *Verbum autem Domini nostri manet in æternum*. Hac posita Altissimi Domini sui æternitate, sibi ipsi

B de tanto bono ab eo pariter sibi communicando Ecclesia congratulans, ait;

V. 10. Quoniam ecce inimici tui Domine, qui, sicut supra dixi, sunt peccatores, Iudæi obstinati, infideles Idololatræ: quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem:

C illi quidem quàm celerrimè perituri sunt, & dispergendi. At verò ego, qui prius multis premebar persecutionum angustijs, non solùm non deficiam, sed

V. 11. Et exaltabitur sicut vnicornis, supra omnem aliam potestatem, & præeminentiam humanam, cornu meum; mea potestas, & spirituale Dominium exaltabitur; idque non ad breue aliquod, & angustis definitum terminis tempus, sed ad vltimam vsque senectutem, & Mundi ætatem est per-

D duraturum, & tunc etiam futura est; & senectus mea in misericordia vberi: Deo semper meum florem, vigorem, & fructum conseruante in misericordia non sterili, sed vberi, atque gratiarum, & bonorum operum fructibus abundante. Planè certa, & infallibilia sunt eius promissa; nam

V. 12. Et despexit, vidit, vt P. Em. Sà, oculus meus ini-

E micos meos; vidit illos dissipari, disperdi, & perire: & in insurgentibus in me malignantibus; & de ijs, qui maligno, & nocendi cupido insurgebant contra me animo, audiet auris mea; subintellige eorum punitionem, siue, vt Chald. habet, *audiet* vocem confractionis eorum. Et quando, sicuti supra dicebam, peccatores exorti fuerint *sicut fœnum*, vt vix orti, mox intereant; è contra

F V. 13. Iustus; subintellige quiuis, qui in me fuerit (Ecclesiæ sunt verba, siue in eius nomine, & persona) vt palma florebit, quæ viret semper firma, fortis, diuturna, fructu dulci: sic illi: sicut cedrus Libani multiplicabitur. Etiam hac cedri similitudine, quę procera est, odore suaui, ligno imputrescibili, & quibus plenus erat Libanus, ostenditur iustorum in Ecclesia perpetui-

tas,

tas, & multitudo. Planè cùm extra illam omnia arida, sterilia, & virtutum, atque bonorum operum, vitæque sanctitate infœcunda sint, in ea sola, qui fuerint A

V. 14. Plantati Cælestis Patris manu; nam *omnis plantatio, quam non plantat ipse, eradicatur.* Matth. 15. 13. plantati, inquam, in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt. & præterea illam (hæc domus Dei, quæ est eius Ecclesia) habebit benedictionem, quam dixi V. 11. quod scilicet, eius *senectus in misericordia vberi,* quod filij eius, & fideles, & florebunt diutissimè, & felicissimè, & B

V. 15. Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi, idest, sicut Vgo, & alij, qui senectam Ecclesiæ sic sumunt; vt scil. quò illa longiùs procedet tempore versus Mundi finem, futurum sit, vt numerus etiam eò magis crescat fidelium, potissimùm prædestinatorum, & ipse reliquiæ Israel tandem saluæ fiant; & benè patientes erunt, C

V. 16. vt annuncient,

Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo. Hæc quæ sequuntur, & quibus Psalmum hunc claudit S. Dauid, explicantur iuxta literam, & mentem eiusdem illa, quam P. Lorinus ait, esse vulgarem applicationem ad Ecclesiam (dicendum bona eius venia, licet vulgarem, veram tamen, D & legitimam explicationem, & non applicationem solam) vt scil. illa, etiam in sua *senecta vberi*, multa propagetur prole opera Prædicatorum, qui summo animi, corporisque vigore, & patientia summa, benè affecti, ac dispositi suum id munus exequantur: & in se experti iustitiam, & bonitatem Dei, tanquam ex abundantia cordis, eam in alios eructent. Subiungit deinde P. Lorinus (quod & verum omninò est, & prædictam omnem explicationem confirmat) scilicet, consentire Psalmi huius finem principio, vbi dicebatur, *Bonum* esse *confiteri*, *& psallere ad annunciandum misericordiam*, *& veritatem Dei*. Prorsus semper, & vbique annuncianda, & deprædicanda maxima Dei erga Ecclesiam *misericordia*, *& veritas*. Ideò pergit, prout sequenti Psalmo apparebit. E

PSALMVS XCII.

Dominus regnauit, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCII. F

Laus Cantici ipsi Dauid in die ante Sabbatum, quando fundata est terra.

IAm pro Psalmi huius Nonagesimi secundi explicatione connexa, & consequente, licet illa, quæ iam in Argumento eiusdem dicta sunt, sufficere possent ad

A ad viam aperiendam ad eiusdem Psalmi perbreuem quidem, sed rebus, & mysterijs refertissimum contextum explanandum; nihilominus tamen priusquam literalem, quam prætendo primariò, ac per se fuisse intentam à S. Dauide subijciam Expositionem, propter ea, quæ ab alijs longè diuersa ponuntur eidem Psalmo Argumenta, necessitas incumbit ostendere, quàm illa infirmo nitantur fundamento, & omninò videantur non posse subsistere.

§. I.

Itaque illi Expositores, qui Literæ Grammaticali inhærentes, rem, quę figurato, metaphorico, & longè altiori stylo dicta est, acceptant, & explanant, prout & quantum sola ipsa verba sonant ex Psalmi huius Titulo, qui est; *Laus Cantici ipsi Dauid in die ante Sabbatum, quando fundata est terra*; ex Titulo, inquam, hoc eiusmodi eliciunt Argumentum; vt videlicet hoc Psalmo contineatur Dei Laus pro Mundi Creatione, ac etiam pro recreatione; ita P. Lorinus.

Verùm huic positioni manifestè repugnat ipse Titulus, quandoquidem *Terra* non est fundata *in die ante Sabbatum*; sed in principio creauit Deus Cælum, & Terram. Neque responsio, quam ad hanc obiectionem reddit idem Pater, quod scil. fundatus possit dici firmatus, vel præparatus Orbis habitabilis *in die ante Sabbatum*; quia eo die conditi sunt habitatores ipsius, in qua totius Operis pulcherrimi, & firmissimi consummatione constitit quanto decore, quantaque fortitudine, seu potentia Deus præcinctus esset: hæc, inquam, responsio non satisfacit, neque obiectionem tollit; nam de *die* Titulus agit, quando *fundata est Terra*.

Quod autem S. Dauid, seu qui Titulos Psalmis præfixit, & Sancta Mater Ecclesia, quæ sic notatos illos nobis legendos offert, velit; nos ijs, prout iacent insistere, & non ad alia, quæ non continent pertrahere, apparet tam ex priori Psalmo (qui notanter, inuariatè, &, vt vidimus, consequenter valdè, & connexè inscriptus fuit; *In die Sabbati*) quàm ex sequenti, qui inscribitur; *Quarta Sabbati*; cui sua etiam est, vt patebit, consequentissima significatio. Itaque solum, & satis est pro hoc Psalmo ad intelligendum quid contineat, obseruare, quid sibi velit, *Dies ante Sabbatum, quando fundata est Terra*.

§. II.

Præterea ponere pro Argumento Psalmi, quod illo peculiariter commendetur Diuinæ potentiæ magnitudo, in eo, quod separauerit Deus ab aquis terram, E & hanc immobilem conseruet, & illis in mari mirabilem motum tribuat. Item quod per illa Versus 3. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt*, &c. commendetur gubernatio Dei, & potentia, qua mirabiliter commouerit è loco suo aquas in locum vnum, quod non absque ingenti sono factum est; & quod S. Dauid ex his concludat in fine, exhibendum Deo cultum honorabilem, quod adeò fide digna testimonia ediderit, cum in alijs rebus, tum in dictis duabus. Hæc, inquam, pro Psalmi huius Argumento ponere, & statuere tamquam rem Psalmo hoc contentam, & primariò, ac per se à Sancto Dauide intentam, nullo modo, vel debemus, F vel possumus; nam ipse dum Psalmum magnifica illa clausula concludit; V. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; quis audeat eam transferre ad edita, seu data à Diuina Maiestate testimonia de separata terra ab aquis, de his non absque ingenti sono in vnum collectis, de illa mirabiliter, & immobiliter collocata? Licet hæc omnia ex sacris literis constent; nihilominus tamen agi de longè maioribus indicant illa *Testimonia* Dei *facta nimis credibilia*. Quid? quod S. Dauid ipse

se

se statim explicat, & quonam illa testimonia pertineant indicat, dum subiungit; *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum*. Nonne superiori Psalmo ostensum est illum versum 5. *Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*; fuisse de operibus, non naturæ, sed gratiæ? quantò magis hic de ijsdem agi, certum est, quando dicitur ea Deus testatus, & credibilia nimis facta eius testimonia? Per hæc tamen minimè nego, quod supra in Præuijs, & Prænotatis fixum firmumque constitutum est, Sanctum Dauidem, vt in alijs plurimis, vt vidimus, Psalmis etiam hic vti hisce pulcherrimis rerum naturalium, & admirabilium symbolis, non, vt ea nobis declaret; sed vt ijs, & illucescente ex illis lumine, quæ à Deo ipse illuminatus de Christo suo, eiusque Ecclesia didicerat, nobis consequenter in Psalterio suo exponat, & ad laudandum Deum rerum tam admirabilium operatorem inuitet. A B

§. III.

Huius veritatis vis tanta est, vt ipsemet P. Lorinus ea conuictus fateatur; quod *Sub hoc typo videtur agi de regno Christi, sub quo prius agitatus conquieuerit orbis vniuersus; frustraque contra illum Regem Gentes, & Populi, ad Fluminum, atque Marium similitudinem, impetum fecerint; quia perpetuò stabit cum Regia, seu cum Regno suo: describi porrò videtur potentia, & decor Christi, quæ sibi per mortem comparauit, vel Ecclesiæ contulit. Euasit ille immortalis, adeptus est omnem potestatem in cælo, & in terra: acquisiuit sedem in cælo, iudicandique dignitatem: Ecclesiam fundauit, & propagauit cum sanctitate*. C

Ex his omnibus, licet quædam aliter deducenda, & explicanda sint; constat tamen tam P. Lorinum, quàm omnes alios, quos ipse sequitur, quoad rem ipsam, planè venire in sententiam pro Argumento Psalmi supra posito.

§. IV. D

Iam, quoad modum omnia cum cohærentia, & consequentia explicandi; Obseruandum est, quod ibidem dictum fuit, à Sancto Dauide priorem Psalmum 91. *Bonum est confiteri Domino*, &c. propositum fuisse tanquam præuium quoddam compendium rerum lætissimarum ad Ecclesiæ pacem, tranquillitatem, & felicitatem, nec non ad Domini Iesu eius sponsi exaltationem pertinentium, atque idcircò etiam Psalmo Titulum fuisse appositum *Psalmus Cantici, in die Sabbati*, scil. obtentæ quietis, & tranquillitatis Ecclesiæ cantandus.

Hoc fundamento, seu compendio posito rerum deinceps lætarum decantandarum; subiungit deinde Psalmum hunc nonagesimum secundum, etiam tanquam aliud principium ad eximias Christi Regis, iam exaltati, & Regnantis Laudes subsecuturas; nam, vt quàm optimè Glossa obseruauit; *Psalmus hic Christi laudes plenissimè, licet breuibus verbis, continet*. E

Atque ideo, quia tanquam quoddam aliorum principium præmittebatur, factum est, vt sortiretur Titulum *Laus Cantici ipsi David, in die ante Sabbatum, quando fundata est terra*. cuius particulæ cum iam supra sint explicatæ, hic solùm attendendum, quod illa vltima eius pars; *In die ante Sabbatum, quando fundata est terra*, declaret, non terræ materialis fundationem, quæ tunc non est facta; sed mysticæ; idest Ecclesiæ, quæ omninò tunc accidit, accipiendo scilicet pro *Die ante Sabbatum*, non solùm Incarnationem, Passionem, & Mortem Saluatoris, neque solùm sextam Mundi ætatem, sed totum illud tempus, & quo ipse Dominus in carne, salutem operatus est in medio terræ, & quod inter summas, acerbissimasque Ecle- F

cle-

A clesiæ persecutiones pertransijt, totum hoc spatium fuit, & vocatum est; *Dies ante Sabbatum* mox subsecutæ quietis, quando fundata est Terra. Ecclesia Christi stabilita apud Gentes.

Tunc tandem, vt ibi dictum fuit, S. Dauid lætitia pro hac Terræ viuentium fundatione, & quæ cum illa inseparabiliter coniuncta est Christi Domini sui exaltatione exultans, in hæc plena emphasi, & significatione verba prorumpit;

B

PSALMVS XCII.

V. 1. Dominus regnauit: deuicta Roma Ethnica, superatis Romanorum Imperatorum persecutionibus, subactis, & subiugatis suaui Fidei eius iugo Gentibus Idololatris, *Dominus regnauit*; & qui prius in suis fidelibus persecutiones, ærumnas, mortes, exilia, proscriptiones, in remotissima quæque loca, & in ipsas terræ cauernas relegationes patiens, lacerato, rubro sanguine, & infecto vestimento, & in-
C dumento vtebatur, nunc tandem decorem indutus est. Et qui prius (quando sic Fidelium, & Ecclesiæ eius bonum, & vtilitas exigebat, & obstantium rerum magnitudo, quæ superanda erat, infirmitatem) in membris suis patiens, visus est infirmus; nunc tandem indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se: factus omnibus superior, & de omnibus victor, ac triumphator. Hæc explicatio, quia per omnia concordat cum illa, quam in Isaiæ cap. 63.
D vv. 1. 2. 3. &c. adferam, inde confirmatur, & se se inuicem hi sacri textus confirmant; nam etiam ibi apparuit Dominus *formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, cuius prius (dum scilicet eius Ecclesia, significata per indumentum, & vestimenta eius, pateretur persecutiones) erat *rubrum indumentum eius, & vestimenta eius sicut calcantium in torculari*; vt ibidem explicabitur. Vterque S. Propheta pulcherrimo, & consequentissimo ordine tunc hæc proponunt, quando de Christi Domini gloria, & exaltatione agunt, superatis iam plenè persecutionibus, & Ecclesia in pace constituta. Tunc *Dominus regnauit, decorem indutus*
E *est*; siue apparuit *formosus in stola sua*; *indutus est Dominus fortitudinem*; siue visus est *gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Quam eius inuincibilem fortitudinem, & quæ eius hostibus summo terrori esset, & certæ victoriæ, S. Dauid valdè notanter expressit, dum addidit; *& præcinxit se*. Per hanc præcinctionem vestimentorum vtique antea defluentium, & minus corpori applicatorum, & præterea per superinductionem armorum (quæ duo præcinctio importat) illam, vt dixi, eius inuictam fortitudinem, & certam de hostibus victoriam indicat, quam tunc obtinuit, quando se *præcinxit*; quando statuit finem persecutionibus Ecclesiæ impo-
F nere; tunc veluti vestimenta defluentia corpori applicuit, superinductis armis, quod vt fieret, planè hoc ipso militari loquendi modo tanto ante postulabat Sanctus ipse Propheta Dauid supra Psal. 44. 4. vt scilicet per Fidei Prædicationem vinceret omnia obstantia, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*. quod hic factum esse gaudet; quia Dominus *præcinxit se*; ibi, vt fieret petebat; similiter quia inchoati sui sermonis, & rerum dicendarum cum cohærentia, & consequen-

tia requirebant; ibi tanquam rem futuram flagitabat; *Specie tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna*. hic autem tanquam præsentem, & obtentam celebrat speciem Domini Christi sui; *Dominus regnauit, decorem indutus est*, &c. Quod autem, & vnde nobis signum, quod *Dominus* regnauit, quod decorem indutus est, quod indutus fortitudinem, quod præcinxit se? Inde omninò certò constat; A

Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Per *firmatum orbem terræ* (simili planè phrasi illi, quam supra Psal. 23. in hac ipsa re posuerat) intelligit S. Dauid Ecclesiam Christi apud Gentes fundatam, pace, & tranquillitate donatam, & absque *commotionis*, & translationis periculo, cui Synagoga exposita fuit, vsque ad finem Mundi duraturam. B

Itaque cum S. Dauid hanc causam reddat exultationis, & gaudij sui, quod *Dominus regnauerit*, &c. quia scil. *firmauit orbem terræ*, &c. dicendus est intendisse loqui primariò, & per se non de materiali orbe terræ, sed de mystico iam dicto, qui est eius Ecclesia, vt supra fecerat illo Psal. 23. dum diceret; *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum*, &c. *Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum*. Deinde cum Sancto Dauidi, neque in prioribus Psalmis, neque in hoc ipso vel mens, vel animus esset Diuinam Regiam Maiestatem celebrandi ob dominium, quod in res omnipotentia sua factas habet; sed potius ob regnum, quod in animas hominum obtinuit, incongruenter ab hoc regno ad illud fieret transitus; *etenim firmauit orbem terræ*, &c. maximè quia sufficienter iam supra ipse Sanctus Dauid se se declarauerat Psal. 44. ad quodnam regnum inuitaretur Dominus, cum ei diceret; *prosperè procede, & regna*; quod scil. aliud non esset futurum, quàm posteaquam per Fidei eius Sanctæ Prædicationem, *sagittis illius acutis, populi sub illo cecidissent*. v. 6. Hæc quæ hìc dicuntur, confirmabuntur per omnia ab ijs, quæ sæpiùs in Isaiam dicenda sunt de Christi per Fidei Prędicationem aduentu ex ipsiusmet Domini Iesu testimonio, Matt. cap. 24. v. 27. quod sicut *fulgur*, &c. idest toto orbe gloriosus futurus esset; id ipsum ipse Dominus Ioannis cap. 17. 5. petebat per Fidem, qua Deus esse agnosceretur, *clarificari*, *Clarifica me tu, Pater* (quod idem est, vt benè P. Em. Sà, fac cognoscar Deus esse) *apud temetipsum claritate, quam habui priùs, quàm Mundus esset apud te*; idest, intelligant homines gloriam, quam habeo apud te; id quod per Fidem obtinendum erat, vt paulò post subiungit v. 21. *Vt credat Mundus, quia tu me misisti*. & v. 23. *& cognoscat Mundus, quia tu me misisti*. Manet igitur omninò, quod *Dominus regnauit*, &c. quia iam Mundum Fidei suę subijciendo *firmauit orbem* Ecclesię suę. Modo planè, & ordine admirabili, ò Domine, hoc regnum obtinuisti in tua Ecclesia; nam C D E

V. 2. Parata sedes tua ex tunc: *in die* scilicet *ante Sabbatum*, per Incarnationem tuam, & mortem Crucis, atque etiam per ingentes, & valdè diuturnas persecutiones, quas Ecclesiam tuam voluisti sustinere, tibi *ex tunc*, omnia hæc complectendo (vt supra dixi) fuit *parata sedes tua*, siue solium, quod in ea possideres; non quod non ante Rex ipse non esses, qui es *Rex sæculorum*; & verè **à sæculo tu es** Rex ęternus, & omnem Regiam Maiestatem, & claritatem habuisti apud Patrem, *priùs, quàm Mundus esset*. Ioan. c. 17. 5. F

non,

A non, inquam, idcircò *ex tunc parata sedes tua*, sed solùm, quia sic dispositum fuerat, vt Regnum tuum capesseres per Crucem, & mortem, non solùm à te obitam; sed etiam per eam, quam tui fideles, tot annorum spatio, inter sęuissimas hostium Fidei tuæ persecutiones cum tormentis, & morte erant tolleraturi, & certè dum animum ad illas iam transactas reflecto,

V. 3. Eleuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem suam. Quando Fidei tuæ Prædicatoribus obsistendū,

B & contra ipsum impetum fluminum maximorum, quibus Mundus Idololatriæ subiectus inundabat, variarum concupiscentiarum, carnis, mundani fastus, vanæ eloquentiæ, prudentiæ, & sapientiæ carnis, falsarum superstitionum, Principum idololatrarum, & tyrannorum sæuitiam, populorum furorem, quando, inquam, contra ipsum eiusce modi fluminum impetum progrediendum erat, proh! quantum *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam*; quot obiecti obices! quot excitati tumultus! quot insurrexerunt contradictiones! Cum hac

C explicatione concordant illa, quæ sæpius de fluminibus hac significatione acceptis ad mentem S. Prophetæ dicenda sunt, in Isaiam maximè cap. 18. Itaque *eleuauerunt vocem* contradicentes Euangelio, eique resistentes; neque hoc solùm, verùm etiam in persecutiones, proscriptiones, cædes, & mortes exarserunt;

V. 4. Eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum; idest præ vocibus, & præter voces (illum scilicet

D strepentem, sonantem, murmurantem fluminum magno impetu descendentium sonitum, quo populorum cōtradictiones suscitatas ad nouam, & superstitionibus, ac sceleribus Idololatricis è diametro oppositam Euangelij Doctrinam, intelligit) præter illas, inquam, contradictiones, quæ similes erant concitatarum multarum aquarum tumultuoso sonitui; insuper etiam *eleuauerunt flumina fluctus suos*; idest sæuitum fuit in Euangelij præcones, & Christi fideles tormentis, & cædibus. Mirum, & obstupescendum est, quàm magnæ, quàm horrendæ fuerint toto Gentilitatis mari in Christi Ecclesiam excitatæ tempestates! fuere planè

E Mirabiles elationes maris; sed etiam in ijs pacandis, componendis, & solo nutu suo, & voce tranquillandis planè extitit mirabilis in altis Dominus. quando, qui paulò ante sæuientibus in Ecclesiam fluctibus, & eam vix non operientibus visus est dormire; mox (figuram quamdam huius illa tempestate præferente) surgens, *imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*. Matth. 8. 26. Propterea dici omninò debet, quod sicut promiseras, sic per omnia, ò Deus,

F V. 5. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis; illa, inquam, testimonia, & promissa, quibus Fideles tuos *in Mundo pressuram quidem habituros, sed*, simul etiam dixeras, *confidite ego vici Mundum*. Ioan. c. 16. 33. Item illud, quod; *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis*. Matth. 24. 27. Quam Domi-

ni prædictionem, & promissionem intelligendam esse de ipsius per Fidei Prædica- A
tionem, eiusdemque per eamdem manifestationem, & in toto Orbe expulsis Idolatriæ tenebris susceptionem, & in Isaia sæpiùs, & hìc supra ostensum est. Eiusmodi ergo Domini testimonia, quæ ad futurum tranquillum Ecclesiæ eius statum dicta fuerant, vt etiam illud Matth. vltimo; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*. eiusmodi, inquam, non solùm à Christo, & Apostolis, sed etiam à Prophetis, vt hìc, & in Isaia videbimus, sæpissimè pronunciata *Testimonia, credibilia facta sunt nimis*; rebus ipsis fuere abundantissimè, & cumulatissimè comprobata. Verè, provt supra Psal. 47. v. 9. *Sicut audiuimus, sic vidimus, in Ciuitate Domini virtutum*, &c. idem hìc dicit, & confirmat S. Dauid, *Testimonia tua*, &c. Propterea rebus sic omni ex parte confirmatis, & adimpletis, & tantis, quæ promiseras Ecclesiæ tuæ communicatis donis, iam tandem **domum tuam,** quæ est ipsa Ecclesia, **decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.** Omni illo, & continuato, quod in multa sæcula extendetur tempore, quo ipsi publico, & pacifico cultu Diuinitatis tuæ frui, & multa pace gaudere licebit, in bonorum operum exercitio, & Diuinę eiusdem Maiestatis tuę obsequijs, & sanctitati consequendæ vacabit. B C

Hic S. Dauid hoc vltimo Versu pręmittit, & insinuat id, quod plurimis deinde Psalmis circa, & vsque ad ipsum Psalterij sui finem pertractaturus est; & pulcherrimum, feliciссimum, sanctitati, atque cultui Diuino planè addictum, & vacantem Sanctę Christi Ecclesię statum est propositurus. Neque verò diutius rem hanc iucundissimam aggredi differt, sed inchoatã, statim sequenti Psalmo prosequitur. D

PSALMVS XCIII.

Deus vltionum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCIII.

Psalmus ipsi Dauid, Quarta Sabbati. E



E priori eius parte constat, ita inscribi, eò quod ad Christum dirigatur: de altera eius parte sententia magis recepta, etiam à P. Lorino, est, illam particulam, *Quarta Sabbati*, nihil aliud significare, nisi diem, qua Psalmus hic recitari solebat. Varios pro hac sententia citat, qui apud ipsum videri possunt. Verùm bona ipsorum pace, quod etiam supra notatum fuit) de ratione Tituli est significare id, quod Psalmo continetur; hoc autem non fit, dicendo, quod Feria 4. solitus fuerit cantari. Neque ratio vlla apparet, cur hic potius Psalmus, quam alij ea die recitandi assignentur. Si latens aliquod mysterium congruentię pro ea potius, quàm alia Feria subfuisset, id certè S. Mater Ecclesia non ignorasset, & inter Psalmos Ferię 4. reposuisset, quod tamen constat minimè factum. F

Neque valet, quod Eusebius addit, significari posse etiam quartum Mensem. Neque

A Neque vllam rationem mysticarum à quaternario numero desumptarum (qui eas apud P. Lorinum examinauerit) satisfacere sibi inueniet, quod ad propositum attinet, de Titulo, faciente ad consequenter connexam, & cohærentem explicationem Psalmorum; nam alio in genere propriæ eruditionis sua est, & magna, quam & ipse veneror, Sanctorum Patrum, & virorum in sacris literis eruditorum auctoritas in eruendis mysterijs, etiam ex ipsis Numeris.

Ex illis ergo Tituli interpretationibus (quas non esse iuxta intentam à S. Propheta significationem paucis ostendi, & mox magis apparebit) cum P. Lorinus,
B alijque forment hoc Argumentum Psalmi; scilicet, quod illo doceamur patientiam, constantiamque in aduersitatibus, expectando diuinam *vltionem* de superbis, & impijs, præsertim exteris, tyrannis, &c. constat, non esse per omnia adæquatum eius Argumentum; licet aliqua eiusmodi non negem Psalmo hoc contineri; sed quæ longè alia deductione indigeant, vt benè ordinatèque intelligantur.

Itaque inhærendo cohærentiæ, & consecutioni, atque connexioni rerum omnium, & antecedentium, & consequentium, vt patebit;

C Dicendum est, secundam partem Tituli huius Psalmi, quæ est; *Quarta Sabbati*, nobis significare; Psalmo hoc memoriam quandam contineri, & proponi, quæ similitudinem, & proportionem habet cum rebus à Deo Opt. Max. gestis *Quarta Sabbati*; quod scilicet, sicut ipse ea Feria 4. Solem, & Lunam, luminaria magna, Cælo fixit, & conspicua reddidit; ita etiam hoc Psalmo tali ordine, & loco (sibi per omnia conuenientissimo) posito memoria contineatur, & celebretur Christi Domini, eiusque Ecclesiæ, eos per Solem, & Lunam significando, & innuendo, quod ipsi pariter post deuictas persecutiones toti orbi terrarum il-
D luxerint, & vt luminaria illa splendidissimè apparuerint. Cum hac explicatione per omnia concordat Propheta Habacuc, qui ad literam illud cap. 3. v. 11. *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo*, &c. de Christo, & Ecclesia intelligit. Deinde in Apocalypsi, & Isaia frequentissima est hæc acceptio.

Et quandoquidem priori Psalmo inceperat S. Dauid eximijs gaudijs incedere, eò quod *Dominus regnauerit*, &c. exposuerat breuiter superatas persecutiones, & *elationes maris*; *testimonia Dei credibilia facta nimis*; & *Domum eius sanctitudinem decere in longitudinem dierum* dixerat; quidni eandem materiam continuet? Om-
E ninò, id facit, & ita aptè, ordinatè, atque efficaciter, vt totus hic Psalmus sub Ecclesiæ Christi persona, seu eius nomine, atque etiam eius capitis, qui Christus est, verissimè pronuncietur, quodam quasi gratulatorio sermone, parta nimirum iam sibi, factaque vndique pace, atque tranquillitate.

PSALMVS XCIII.

F V. 1. Deus vltionum Dñs: Deus vltionum liberè egit. quasi dicat; Id quod Dominus Ecclesiam suam, & Fideles tam dirè, & diu pati permisit, & voluit, non iam infirmitatis, & impotentiæ, siue paruæ erga eam benignitatis, & beneuolentiæ, sed propriæ, & liberæ electionis suæ, & prouidentiæ fuit; *liberè* id totum *egit*, quia ipse cum sit

sit *Deus vltionum Dominus*, sed talium vltionum, quæ benignissimam eius misericordiam cum vindicta, quam de peccatis sumit, coniunctam semper habent; ipse, inquam, *Deus vltionum* talium ad Fidelium suorum peccata purganda, ad fortiùs radicandam, & martyrum sanguine, qui est Christianorum semen, latius propagandam Ecclesiam suam, talibus vsus est, & tam diuturnis persecutionibus; atque adeo *liberè egit*. A

Hanc veram esse, & omninò intentã à Sancto Dauide fuisse huius versiculi declarationem, ostendit planè similis, & in hac ipsa materia, modus loquendi apud D. Isaiam capite 63. v. 2. & 3. etiam in priori Psalmo citato; nam ibi ipse proponit factam fuisse Christo Regi *in stola sua* iam tandem *formoso* eiusmodi interrogationem. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* quorum verborum sensus est, & cur ita sæuas persecutiones, & cædes permisisset Ecclesiam suam tolerare? & statim respondet; *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*; idest, id mea planè voluntate, & dispositione effectum; non verò quod Gentium vires, vel furor præualere potuerint; totum hoc S. Dauid duobus illis verbis expressit *liberè egit*. B

Iam verò, quod vterque Sanctus Propheta de *vltione Domini*, illa valdè misericorde, iam paulò ante dicta, loquatur; valdè clarè S. Isaias prosequens illa, quæ de *calcatione torcularis* dixerat, ostendit; dum ipsius Domini voce ait, v. 4. *Dies enim vltionis in corde meo; annus Redemptionis meæ venit*; cum alijs multis ibi explicandis; & cum illa plena lætitia clausula, quam facit v. 7. *Miserationum Domini recordabor*, &c. C

Nullum dubium est, etiam sic intellexisse Sanctum Dauidem; & non tam in peccatores sceleratos, quàm in sibi dilectam Ecclesiam exercitas vltiones retulisse; id quod illo versu dicit magna non solum emphasi, sed etiam lætitia: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit*: Sed peractis iam, & transactis his vltionibus, finitis, terminatisque cum tanto fructu Ecclesiæ persecutionibus; D

V. 2. Exaltare qui iudicas terram: Regni tui, throni, & exaltationis tuæ, ò Christe, qui constitutus es Rex, & Iudex viuorum, atque mortuorum, tempus aduenit; tu iam *exaltare*, & regna: redde retributionem superbis.

Tempus est, vt ij, qui Orbi dominabantur, tyrannidem, & sæuissimas persecutiones, & cædes in tuos exercebant, Romanorum Principes, & Imperatores, ipsaque Roma Ethnica, Potestate illa, & Principatu, & Dominio priuentur, & ad te & in Ecclesiam tuam illa Potestas, & Dominium transferatur; & qui prius illam sibi subijciebant, eidem illi subijciantur. Hanc pariter explicationem esse ex mente S. Prophetæ colligitur ex ijs, quæ sæpè de Romanis, hactenus varijs Psalmis, maximè 23. 67. &c. dicta sunt, vbi pro recepta Sacræ Scripturæ phrasi, vt in Isaia toties ostendetur; per *superbos* Romani Ethnici veniunt, vt etiam infra Psal. 118. Cum hoc ipso modo loquendi per omnia concordat S. Ioannes Apocal. c. 18. de eadem Roma, & Romanis Ethnicis loquens, dum ait, *reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis*. & *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum: quia in corde suo dicit; Sedeo regina: & vidua non sum: & luctum non videbo. Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur*. quæ omnia ad reddendam, & redditam retributionem Romæ spectant; E F

A ctant; eaque omnia P. Alcazar sapientissimè de ea explicat. Sed quod nullum omninò dubium esse possit, à Sancto Dauide hìc intellectos fuisse Romanos, clarè probatur ex eo, quod ipse Psalmo 136.v.8.similibus planè, & expressioribus verbis ait, *Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*, vbi sermonem esse de Roma; & de dicta retributione constabit. Item connexio, quam hæc explicatio cum prioribus habet, & etiam cum statim sequentibus id ipsum confirmat; nam nullis magis, & veriùs, quam Romanis conueniunt ea, quæ S. Dauidem ad petendum de ijs sumendam retributionem
B (quæ tamen, & ipsa ordinata esset ad ipsorum salutem) permouebant; & sunt;

V. 3. Vsquequo (diuturnitatem temporis indicat, quo Romani Imperatores continuarunt Persecutiones) peccatores Domine: vsquequo peccatores gloriabuntur:

C V. 4. Effabuntur, & eloquentur iniquitatem: obsistebat Euangelio mundana sapientia, & errorum suorum, & infinitarum sectarum, & superstitionum Idololatricarum dogmatis; Videndum Notatum 5. præuium de Romana Vrbe. loquētur omnes, qui operantur iniustitiam? Neque hæc satis, sed insuper;

D V. 5. Populum tuum Domine humiliauerunt: & hereditatem tuam vexauerunt.

V. 6. Viduam, & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt. omnia hæc plana sunt, & ex prioribus consequenter intelliguntur.

E V. 7. Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Sensus est, quod illi ideò in Christianos tanta sæuitie debaccharentur, eo quod sibi persuasissent, eorum Deum non videre, neque intelligere, quæ ipsis fiebant; licet enim sæpè manifestissimis miraculis illis opitularetur, permittebat tamen passim, vt oues occisionis cædi; pronissimum proinde erat Gentibus insipientibus dubium, & cogitationem oriri, quod aut *non videret Dominus, neque intelligeret Deus Iacob*; aut certè illos videretur de-
F seruisse, aut habere exosos. Verum non est hoc vel sufficiens, vel quidquam valens ad id putandum argumentum;

V. 8. Intelligite insipientes in populo, hæc quę dicam; & stulti aliquando sapite. Nihil horum est eorum, quæ cogitastis; non est,

quod

quod Deus Iacob non videat, aut non intelligat ea aduersa, quæ eius populus tolerat; nam A

V.9. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? ipse est eorum Deus, qui vires, potentias, & organa hominibus præstat ad audiendum, & videndum; quo igitur pacto ipse non magis audiat, & videat, atque etiam quomodo non ipse magis intelligat omnia, quæ fiunt? Quod autem Christianos, & tanquam charos sibi fideles, seruos, & filios habuerit; & nihilominus affligi tantopere permiserit, quid mirum? Nam qui *passim* omnes omninò Mundi nationes, & populos iuxta peccatorum, quæ committunt quantitatem, multitudinem, & grauitatem varijs pœnis, & flagellis castigat, & plectit; quidni, etiam sibi charissimos filios erudiat, & puniat? B

V.10. Qui corripit gentes, non arguet: Hoc volunt hæc verba, & sunt ad querelarum, & obiectionum solutionem; atque in hoc ipso sensu etiam verba sequentia sunt intelligenda; qui docet hominem scientiam? Nam significant; quidni Dominus, qui corripit Gentes, arguat, & castiget etiam filios? quando ipse est, qui *scientiam*, instinctum, & zelum ad faciendi communicauit, & indidit omnibus hominibus; *quis enim filius, quem non corripit pater?* Heb.c.12.7. Sed nimirum C

V.11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. S.Paulus 1.ad Cor.3.20. *Dominus nouit cogitationes sapientium*, vertit; quo ostenditur, quàm errarent, & errare, atque hallucinari soleant homines, qui aliàs sapientes in rebus Mundi huius habentur; dum de rebus diuinis, spiritualibus, & ad salutem pertinentibus loquuntur, & cogitant. D

Licet ergo Christiani, quod ad ea, quæ extrinseca sunt, & præsentem tantùm vitam attingunt, *miserabiliores*, vt Apostolus loquitur 1.Cor.15.19. *essent*, & sint de facto *omnibus hominibus*, propter illa tam multa à quibus necesse est eos hinc quidem abstinere, inde verò sustinere; nihilominus tamen, in iusto rerum siue felicium, siue infelicium pondere, & æstimatione, *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt*, & errant; nam re ipsa, quantumcunque extrinsecè fuerit afflictus, & pressus, verè est E

V.12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. quia *tanquā filijs nobis offert se Deus*, quis autem, vt paulò ante dicebam, *filius, quem non corripit pater?* Beatus omninò ille, quem tu *Domine erudieris, & de lege tua*; licet *de lege tua*, non partem aliquam, sed vniuersam legem Domini totam intelligat; nihilominus indicat illam Domini Iesu legem, quæ est Crucis, & abnegationis, quæ est disciplinæ Christianæ: & sanctitatem omnem ostendit; Beatus quem docueris; in eum enim F

A enim beatissimum finem omnis hæc tua eruditio, & doctrina tendet, vt sit Beatus. Præterea inde fiet;

V. 13. Vt mitiges ei à diebus malis: Vt refrigerium eis præstes à concupiscentiarum malarum ardoribus, & ab innumeris peccandi illecebris, & periculis, quæ in Mundo sunt, liberes. Sic D. Paulus Ephesios c. 5. 15. hortabatur; *Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Circumspectè agendum esse admone-
B bat, vtendumque opportunitatibus benè operandi, quia dies essent pleni malis, & periculis, maximè peccandi; à quibus Dominus fideles suos liberat immissis varijs flagellis, quibus eos ab amore Mundi, & mundanorum separat. Atque etiam ipsimet, de doctrina eius edocti, *carnem suam crucifigunt cum vitijs, & concupiscentijs*; hoc pacto *mitigatur* homini *à diebus malis*; qui quidem duraturi sunt in hoc Mundo tam diù, donec fodiatur peccatori fouea: donec veniat interitus (hunc S. Hier. per *foueam* intelligit) peccatoris. Quia ergo continuò foditur
C hæc peccatori fouea (mali enim in Mundo, à quibus exerceantur boni, semper futuri sunt) effodienda tandem ad finem Mundi; tunc autem sicut illis æternus superest interitus, sic iustis salus sempiterna.

V. 14. Quia non repellet Dominus plebem suam: licet eam varijs pœnis castiget, & affligat, non tamen illam *repellet*, vel reprobabit; & cum illa ipsa plebs eius sit eiusdem Domini hereditas;
D & hereditatem suam non derelinquet: sed illi semper assistet, eamque gratia sua adiuuabit;

V. 15. Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium: quamdiù Euangelij gratiæ tempus durauerit, quod erit vsque ad finem Mundi, & ipsum diem Iudicij. Longè diuersas alij adferũt huius loci explicationes: ad ponendam hanc moueor ex eo, quod reperiam per *Iustitiam* ab ipsomet Domino Iesu iudicatũ fuisse illud ipsum tempus
E sui in carnem aduentus; sic enim ait Ioannis c. 16. 8. *Cum venerit* Paraclitus *arguet Mundum de iustitia*, & quid per eam significare vellet, explicans subiungit; *de iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.* Si ergo Sanctissimi Spiritus officium fuit, & est, *arguere*; idest conuincere Mundum *de iustitia* (intellige omnem vitæ sanctitatem, & perfectionem, quam Dei Filius, factus homo homines docuit) dubio procul *iustitiæ* tempus idem est, quod & Euangelij, & Gratiæ Iesu Christi Domini nostri: quo toto tempore, & sæculorum, quibus illa duratura est, serie *non repellet Dominus plebem suam, & hereditatem suam non derelinquet;*
F *quoadvsque* tandem *iustitia*, illud Euangelij, Gratiæ, & Sanctitatis acquirendæ acceptabilissimum tempus, *conuertatur in iudicium*, terminetur, & concludatur iudicio extremo, quando, *Deinde finis, cum* Dominus *tradiderit regnum Deo, & Patri*, &c. *vt sit Deus omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. 24. 28. & qui iuxta illam: qui autem felicissimi illi futuri sunt? qui iuxta illam, & ex parte iustitiæ, & Euangelij Gratiæ, & Regni illius æterni

Ee he-

heredes inueniendi sunt? solùm illi sunt, omnes, qui recto sunt corde. Quis igitur ad A
tantum, & tam magnum malorum, & impiorum hominum, qui æternùm perituri sunt, numerum non cohorrescat!

V. 16. Quis consurget mihi aduersus malignantes? opem mihi adferendo, vt eos ab æterno interitu, quò properant, auertam? aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? vt eos ab eius B
operatione, quæ æternam illis mortem allatura est impediam? Proh dolor! tanta est iniquorum hominum in Mundo multitudo, tanta illecebrarum, peccatorum, & malorum exemplorum vis, vt (Dauid, vel Ecclesia pro membris suis loquitur)

V. 17. Nisi quia Dominus adiuuit me: & ipse malo- C
rum exemplo in peccatorum via, & præcipitia abreptus; paulo minus habitasset in inferno anima mea. & ipse cum illis perijssem. Verùm quod fuit gratiæ tuæ, & misericordiæ,

V. 18. Si dicebam: Motus est pes meus: si quando fui in periculo cadendi; misericordia tua Domine adiuuabat me. Et verè tanta, & tam magna fuit misericordia tua erga me (quod D
sequitur in Ecclesiæ persona, seu eius nomine vniuersim loquitur S. Dauid, innuens illa, quæ passa fuit ex dispositione diuina, & cum eximio suo profectu fuisse ab illa tolerata) vt verè fateri cogar, quod

V. 19. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo: quos sustinui persecutionum tempore, in quibus immittendis tu *Deus vltionum Dominus liberè egisti*, (hanc enim materiam continuat S. Dauid) etiam post- E
modum (quod modo experior) tempore pacis, & tranquillitatis mihi concessę eadem mensura, consolationes tuæ lætificauerunt animā meam. Proinde qui de persecutionibus, & tribulationibus meis non, vt par est, benè cogitabas, qui Deum meum, vel non videntem, & intelligentem mea aduersa, vel mei oblitum, meque auersantem, mihique contrarium propterea esse opinabaris, & consequenter vitam me in eius Lege infelicissimam ducere arbitrabaris; F

V. 20. Numquid, idcircò tu huius sententiæ, & opinionis, seu erroris eras, vel etiamnum es, quia adhæret tibi sedes iniquitatis: qui, quia cum ijs partem, & societatem habes, qui iniqui sunt, & mali; & propterea quod gustare non possis, & percipere,

quis,

A quis, quantusque sit bonorum in Lege Dei nostra seruanda gustus; **fingis**, formas tibi, & imaginaris **laborem in præcepto?** in Lege scil. eiusdem Domini opinaris esse omnia aspera, & intolerabilia. Sic explicatur satis difficilis hic Versus. Neque verò etiam inde argumentum desumi potest, quod labor sit in eius præcepto ex eo, quod Dominus sæpè fideles seruos suos permittat opprimi, & perire à vi, & potentia suorum aduersariorum; quia ipse, vt dixi, tanquam vltionum semper cum pietate, & misericordia coniunctarum Dominus eas admirabiliter in
B bonum ipsorummet seruorum suorum, qui eas patiuntur, ordinat; & ipsi quidem eorum hostes;

V. 21. Captabunt in animam iusti, occasionem, viam, & modum ei nocendi: atque etiam sæpè **& sanguinem innocentem condemnabunt.** Verùm quid deinde? Ecce post tot meorum cædes, strages, & lanienas (ait Ecclesia, siue Dauid eius nomine, concludens Psal-
C mum hunc, & materiam, provt eam inchoauerat, & prosecutus fuerat) ecce, inquam, mihi quidem, & suis fidelibus Dominus,

V. 22. Et factus est mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adiutorium spei meæ. Alijs verò nostris persecutoribus;

D **V. 23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum: & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.** Sicut & fecit; propterea quid aliud superest, nisi vt iam plena pace parta exultemus Domino? Ita sanè.

E
PSALMVS XCIV.

Venite, exultemus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCIV.

Laus Cantici ipsi Dauid.

F Totus quantus, quantus est, læta quædam est Ecclesiæ Christi, obtenta illa pace, & tranquillitate, de qua proximo Psalmo dictum est, ad Dei Laudes adhortatio, & inuitatio, à qua Psalmus sortitus est nomen *Inuitatorij*, ad Laudes scil. Deo Domino decantandas, quas etiam ipse Psalmus cum plena cordis lætitia, iubilo, & sancto Dei timore, ac reuerentia Diuinæ eius Maiestati exhibet. Hoc ipsum certè consequebatur, vt quod iam inde

ab initio tot votis petitum fuit, Psal.23. vt illi Orbis Ethnici, & Vrbis *Principes attolerent suas portas, & introiret Rex gloriæ*. & Psal. 45. *arcu contrito, & confractis armis*, tandem liceret *vacare, & videre, quoniam ipse esset Deus, exaltatus in Gentibus, & exaltatus in terra*. & Psal. 71. *adorarent eum omnes Reges terræ*, &c. *& tota die benedicerent ei*. Has, inquam, aliasque eiusmodi innumeras, plenasque omni expectatione, & desiderio promissiones decebat tandem optatum suum effectum sortiri; id, quod abundantissimè completum fuit hoc Psalmo; qui propterea inscribitur, *Laus Cantici ipsi Dauid*; eò quod Christo Deo, ac Domino suo Ecclesia laudis Canticum cum exultatione concinat. A B

Pro huius Argumenti positione, & expositione non tam suffragatorem, quàm omni exceptione maiorem habemus Auctorem ipsum Sanctum Apostolum Paulum, qui ex occasione, qua in Epistola ad Heb.cap.3.& 4. huius Psalmi Versuum 8.9.10. & 11. meminit, simul apertè statuit Psalmi Argumentum, & contentum esse illam requiem, seu Sabbatismum, quam cum Iesus filius Nun, siue Iosue non potuisset conferre Populo illi Israelitico, Dux noster, Deus, ac Dominus Christus Iesus contulit populo suo Christiano, cui, vt populo Dei, Sabbatismus hic relinquebatur, & in quem Sabbatismum, seu requiem per Fidem charitate formatam in ipsum Dominum Iesum est introeundum; & sic *festinandum ingredi in illam*, siue hanc ipsam *requiem*; nam S. Paulus, vt apertè ex toto eius discursu, & argumentatione constat, loquitur de requie, quam per Fidem in Christum credentes in ipsum consequuntur. C

Deinde ipsa S.Mater Romana Ecclesia hoc ipsum esse Psalmi huius Argumentum facto ipso ostendit, quando in Diuino Officio pro die Epiphaniæ Domini Psalmum hunc in Tertij Nocturni initium magna celebritate, atque iteratis exultationis, & adorationis vocibus decantandum reseruat, præter morem Diuini Officij, cui præmitti potius solet, & ob id *Inuitatorium* vocari. Hoc autem in Epiphaniæ Officio quod non seruet, non alia subest causa, nisi quod illa die sit Solemnitas Conuersionis Gentium ad Christum, quæ Conuersio cum sensim fuerit facta, & eiusdem prænuntius sit hic Psalmus, non initio, sed postquam ostendisset collectos fuisse, & in Ecclesiam ingressos Gentiles (quod maximè fit Psalmis Primi, & Secundi Nocturni, in quibus ex professo agitur de Vocatione Gentium ad Fidem, & sunt Psalmi 28.45.46.65.61.85. quibus tandem expeditis hunc Psalmum cum gaudio subijcit, sciens optimè idipsum obseruasse S. Dauidem ordinatissimo suorum Psalmorum ordine, vt cum tunc solùm proponeret, cum iam in Christi Ecclesiam Gentes passim toto terrarum Orbe ingressas, eamque tranquillitate gaudentem erat descripturus, quod hìc facit. D E

Totus Psalmi contextus cum hoc Argumento explicatu facilis est, maximè quia difficiliorem eius partem, à v. scil.8. S.Paulus citata Epistola ad Heb. cap.3. & cap.4. explicat ad literam, & S.Dauidis intentum.

§. I.

Hic solùm adhuc necesse est ostendere, quod ipse D. Apostolus, quando de *requie*, & *Sabbatismo* loquitur, primariò immediatè, & per se loquatur de præsenti Ecclesiæ Christi statu, & non per anagogen, de vitæ futuræ requie, & Sabbatismo, quod P. Lorinus supponit; idque facilè est existimare propter affinitatem, imò identitatem vocum, quibus etiam illa, quæ speratur, & est felicissima alterius vitæ Beatitudo *requiei*, & *Sabbati* nomine nuncupatur. Cæterum, F

quod

A quod S. Apostoli Pauli, dum ad hunc nonagesimum quartum S. Dauidis alludit, mens, & primarium intentum fuerit, exprimere, & declarare id ipsum, quod Psalmista hoc Psalmo fecerat; præsentem scilicet Ecclesiæ Christi statum felicissimum, qui est certa ad aliam æternam felicitatem via; ex pluribus eiusdem Apostoli sententijs, & pronunciatis, quæ in ijsdem eiusdem Ep. ad Heb. capitibus facit, planè clarè innotescit. Notetur itaque primò, quod (vt illa capita attentè legenti constabit) S. Apostoli intentum sit, ea quæ Israelitico Populo tendenti in terram promissionis contigerant, conferre cum ijs, quæ Christus præsenti Ec-
B clesiæ suæ concessit; atque his nostris, cum ipsorum rebus collatis, nostra, vt manifestum facit, præferre. Proinde statim ver. 5. cap. 3. ait, quod *Moyses quidem fidelis erat in tota Domo eius, tanquam famulus* &c. *Christus verò tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei, vsque ad finem firmam retineamus*. Notetur; quod *fiducia, & gloria spei*, sit ipsa spes nostra, innixa fidei nostræ, in qua gloriamur, quæ vtique sunt præsentis temporis. Hoc posito, vt fideles Christi animet ad *retinendam vsque ad finem firmam hanc fiduciam, & gloriam spei*, tanquam opportunissimo vtitur exemplo antiquorum Is-
C raelitarum, qui eò quod obdurassent in deserto corda sua, non obtinuerunt promissam terram, & requiem, & quia de re simili cum Psalmista hoc Psalmo loquebatur de Ecclesiæ scilicet Christi felicitate, illis ipsis eiusdem verbis vtitur, & ad fugiendam cordis duritiam, & incredulitatem illorum, ne, & ipsi hoc suo felicissimo statu priuentur, adhoratur; *Quapropter*, pergit ipse v. 7. *sicut dicit Spiritus Sanctus; Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, &c. & mox v. 11. *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo*, &c. Et hæc de præsenti sunt statu.

D Deinde capite 4. à v. 6. ait, quod ideò quia *ij, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quandam, Hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est; Hodie si vocem eius audieritis*, &c. *Itaque* (infert) *relinquitur Sabbatismus Populo Dei*; hic autem Sabbatismus vtique situs est in illa die, quam paulò ante dixit; quod *iterum terminat diem quandam, Hodie*; hoc autem *Hodie*; est ipsum presens tempus nostrum, siue Ecclesiæ Christi præsens status; nam ipse Apostolus supra cap. 3. v. 13. ait; *adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur*
E *quis ex vobis fallacia peccati*. Pergit, & adhuc multo clariùs ostendit, se loqui de præsenti Ecclesię statu, & tempore, dum rationem reddit, ob quam ita solicitos nos esse deceat per singulos dies: *participes enim*, ait, *Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*.

Quid autem sit, *participes Christi nos effectos* esse, optimè, & ad rem, quæ dicitur explicat P. Em. n. Sà, dum ait; idem esse, quod participes gratiæ Christi, seu corporis Christi mystici, factos. *Initium* autem *substantiæ eius*, &c. *retinere*, est,
F *fidem*, per quam incipimus subsistere spiritualiter, conseruare; quo nihil clarius.

Quod autem Sanctus Apostolus persistat in hac literali, & immediatè intenta significatione *Requiei*, & *Hodie*, præsentis temporis; neque anagogicè hos versus huius Psalmi exponat; etiam inde manifestum redditur, vnde eum magis ad anagogen transire, possemus arbitrari; nempè quando cap. 4. v. 3. ait. *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus*: sed etiam hæc verba se intelligere de præ-

sen-

senti Ecclesiæ statu declarauit; dum statim ante dixerat; *Etenim & nobis nunciatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus Fidei.* Fidem ergo requirit, quæ vtique ad præsentem statum pertinet. A

§. II.

Quid verò ad id dicemus? quod Versu 10. cap. 4. ait; *Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Nonne hic apertè indicat, se loqui de requie vitæ futuræ? Neque hic de ea loquitur, licet, vt initio insinuaui, propter vocum affinitatem, & identitatem de illa loqui videatur; sed omninò perstat in eadem acceptione *requiei*, pro statu pacato, & tranquillo, B quo in Ecclesia Christi degentes perfruuntur; quod sic probatur; nam de illa *requie* loquitur, de qua Dominus *iurauit, si introibunt in requiem meam*; de illa loquitur *requie*, in quam *superest introire quosdam in illam; & ij, quibus prioribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem*; vt ipse explicat versu 6. sed hæc est illa, pro qua *iterum terminat diem quemdam Hodie, in Dauid loquendo*, &c. illud autem *Hodie*, vt paulò ante vidimus, est præsentis temporis, & Ecclesiæ *requies*. Et quod hanc *requiem*, quæ in Christi Ecclesia est, intellexerit, dum dixit, C quod, *qui in eam ingressus est, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* ipse S. Paulus, se ipsum statim sequentibus verbis explicat, dum concludens hortatur v. 11. *Festinemus ergo ingredi in requiem illam*, quam dicimus secundam, siue pro qua iterum terminatus, & destinatus est dies quidam, Hodie; *vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* Fidem ergo, & Fidei Christianæ, vt supra dixerat, pro hac *requie* exigens opera, de præsenti loqui conuincitur requie.

§. III.

Id, quod potissimùm contrariæ sententiæ Auctores mouit ad arbitrandum, Sancto Paulo sermonem esse de vitæ futuræ, & beatæ statu, fuit; quod ipse claris D verbis dicat, quod, *qui ingressus est in requiem eius, requieuit ab operibus suis; sicut à suis Deus.* non autem apparet, quomodo, qui per Fidem in Christi Ecclesiam ingreditur, dici possit per talem ingressum, tanquam in veram sibi paratam requiem, requieuisse ab operibus suis; siquidem vel maximè Christi fideles plurimis Christianis operibus, mortificationis, orationis, charitatis, misericordiæ, &c. exercendis obligantur.

Verùm hæc pietatis Christianæ opera minimè obstant, quo minus Fideles Christi per Fidem in requiem Ecclesiæ ingressi, pace illa, quæ exuperat omnem E sensum perfruantur; quandoquidem collocata iam in tuto animæ salute, & liberati de manibus inimicorum suorum (qui sunt peccata, & Mundus cum concupiscentijs eius) seruiunt Deo suo in sanctitate, & iustitia omnibus diebus suis sine timore.

Ad hoc propositum de mira pace, quæ à Christi fidelibus acquiritur per mortificationis, & virtutum Christianarum exercitium, quàm verissimè, & sapientissimè P. Ludouicus Alcazar noster explicat illud Apocal. c. 14. 13. *Et audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam* F *dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Quod autem S. Ioan. loquatur de ijs, qui per mortificationem quotidie in diuinis obsequijs moriuntur, & mortui sunt sibi, & Mundo, versu priori, 12. scil. se ipsum explicat, dum ait; *Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & Fidem Iesu.* Concordat ergo locus hic & cum Apostolo, & cum Psalmista, vt qui

in-

A ingressus est in *requiem*, quam de præsenti filijs suis, & Fidelibus offert Ecclesia, & ipse requiescat à laboribus suis.

Hoc posito, quod necesse erat præmittere, ne in Explicatione, quam consequenter connexam prætexímus, interruptionem D. Paulus facere videretur, cum ipsam potius mirum in modum connectet, & firmet; hoc, inquam, posito, ad Psalmi breuem, & iam ex his ipsis expeditiorem redditam Explicationem veniendum est.

Vnum tamen prius non omittam insinuare, quod non solùm ipse D. Aposto-
B lus eiusdem omninò mentis, & sententiæ cum S. Dauide existat, illum pro se, in eadem re, & proposito suo citando; verùm etiam, quod eidem materiæ, quàm Sanctus Dauid hoc Psalmo proponebat insistendo, penè per omnia simili exhortatione cum eodem vtatur. Nam posteaquam ex occasione verborum S. Dauidis circa finem Psalmi huius propositorum tam multis, vt vidimus, de *requie* Christi fidelibus præparata differuisset; tum demùm concludit; *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ*, &c. id, quod Sanctum Dauidem obseruauerat ipso Psalmi initio fecisse, sic;

C

PSALMVS XCIV.

V. 1. Venite exultemus Domino: iam antea S. Dauid varijs in Psalmis ad exultandum Deo Christi fideles inuitauerat, vt Psal. 32. *Exultate iusti in Domino*, &c. Psal. 67. 4. *Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei*. Psal. 80.
D *Exultate Deo adiutori nostro*, &c. verùm tunc id veluti incidenter, & ad alia properando, compendio quodam faciebat; nunc id præstat ex professo, suo loco, & immoraturus exultationi, lætitiæ, iubilationi, non solùm hoc Psalmo, sed etiam pluribus consequentibus. Quam benè Sancta Mater Ecclesia Fideles suos, quos nouit abdicasse à se ipsis quidquid mundani amoris erat, & terrenis omnibus siue diuitijs, siue voluptatibus nunciũ remisisse, ad exultandum Domino vni, quo solo ditissimi, & felicissimi effecti sunt, inuitat. Vbi mera *tribulatio, & angustia est in omnem animam hominis operan-*
E *tis malum*; nos effecti gens sancta iubilemus Deo salutari nostro, *quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ, & erexit cornu salutis nobis*, &c. Luc. 1. 68.

Si cunctis in communi fidelibus, tam magna suppetit exultandi, & iubilandi materia; quàm immensus fuerit Beatissimæ Virginis Regis Regum, Dei, ac Domini nostri Matris gaudij, exultationis, & iubili Oceanus! quis capiat quantum *exultauit Spiritus* eius *in Deo salutari*, quem suum, tam proprio, tam singulari Titulo nominabat! Luc. 1. 47. Cum hac *Venite, exultemus Domino*, &c.

F V. 2. Præoccupemus faciem eius in confessione, S. Hier. pro confessione habet; gratiarum actione; P. Lorinus ait, rectè Caietanus notat; non innui, quod præueniantur beneficia diuina; sed vt antequam accusemur ingratitudinis, persoluamus laudes, & gratias quamprimùm Deo, deinde pariter idem P. Lorinus optimè ait; non potest simpli-

pliciter Deus præueniri, tamen aliqua eiusdem beneficia, iam ab ipso præuenti, A
orando præuenire possumus. Plura ex varijs apud ipsum videri possunt. & in psalmis iubilemus ei. Hinc ad causas, & motiua exultandi, & in Psalmis iubilandi descendit; & illa sunt, quæ nobis res supradictas in mentem reuocant; quæsita scilicet per Fidei Prædicationem Domini Iesu Exaltatio, & totius Mundi Conuersio, & subiectio per Fidem eidem facta in eius Ecclesia; itaque *Venite, exultemus*, &c.

V. 3. Quoniam Deus magnus Dominus; B
semper ille quidem, quoad se, talis; sed iam quia per Fidem agnitus est, qualis, quantusque esset; & quod verè esset Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes deos. Nomine Deorum hoc loco, vt benè notat P. Lorinus, possunt intelligi Dęmones; tum quia Gentes putant eos veros Deos esse; tum quia vel inuiti subsunt Dominio, & imperio Dei. In Psalterio Romano additur: quoniam non repellet Dominus plebem C
suam: quo non solùm Fideles animantur ad orandum ex eo, quod repulsam non sint passuri; sed etiam illa maxima causa exultandi, quam priori Psalmo v. 14. dixerat; *quia non repellet Dominus plebem suam: & hereditatem suam non derelinquet*; provt scilicet fecit cum Synagoga. Alia additur exultandi causa.

V. 4. Quia in manu eius sunt omnes fines
terræ. Cum gaudij, & exultationis spiritualis motiua adferantur ob Christum Deum, ac Dominum exaltatum, vt dictum est per Fidei Prædicationem, & Mundi Conuersionem, & subiectionem ipsi in eius Ecclesia factam, dubio procul, dum exultandum, & iubilandum dicit, *quia in manu eius sunt omnes fines terræ*, de hac ipsa spirituali, quoad Fidem, eidem Domino facta subiectione loquitur: hìc factam esse exultat; quando supra Psalmo 64. vt fieret, eodem planè loquendi modo ardentissimè postulabat v. 6. *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè*. & v. 9. *Turbabuntur Gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis, exitus matutini, & vespere delectabis*. E
provt ibi dictum; neque solùm omnes fines terræ in manu eius sunt, sed etiam & altitudines montium ipsius sunt. Similiter per altitudines montium ex intento S. Dauidis intelligi debent Reges, Monarchæ, & alij Principes huius sæculi, Christo Regi Regum subiecti; inter quos maximè alti, & conspicui fuerunt ipsi Romanorum Principes.

V. 5. Quoniam ipsius est mare: Vniuersa Gentilitas, seu Mundi F
mare, quod prius Idololatria, & vitijs, atque sceleribus turbatissimum erat, iam *ipsius est*; per ipsum pacatum, & tranquillitate donatum; & ipse fecit illud; vt scil. tale esset. Sic etiam Ecclesiasticus cap. 43. v. 26. hoc ipso maris symbolo hanc rem exprimit: *In sermone eius siluit ventus, & cogitatione sua placauit abyssum, & plantauit in illa Dominus insulas:*
vt

A vt dicendum est in particulari illius Capitis explicatione etiam literali, & intenta ab eodem Ecclesiastico, sicuti hìc à S. Dauide. Quid enim magnum, & non antea notum dixisset, si tantùm Mare, quod materiale est, esse ipsius Domini pronunciasset? Præterea, quæ sermonis fuisset connexio? quæ tanta causa exultandi,& iubilandi? Possunt, non diffiteor, (id, quod Apostolus Rom. 1. 20. ait) *inuisibilia ipsius à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas*; & magnum habent humanę mentes ex his motiuum laudandi Deum; verùm cum necesse sit dicere, quod ipse Apostolus mox
B subiungit; ex eo, quod homines per illa ad Deum glorificandum non assurgant, reddi propterea eos *inexcusabiles*, & consequenter cessare omnem exultandi, & iubilandi causam. At verò, si (quod re ipsa verissimum est) Sanctus Dauid dicatur, primaria sua intentione sub illis verborum symbolis, & metaphoris id expressisse, quod diximus; quid dixit, quod non maximè connexum, consequens, & simul auditu iucundum, exultatione, & iubilo dignum, & pariter Maiestate, & magnificentia Domini plenum sit? Eodem modo id, quod sequitur, & etiam eximiam offert exultandi cau-
C sam, intelligendum est; & siccam manus eius formauerunt; quod scilicet (vt S. Bruno apud P. Lorinum) intelligatur Ecclesia, quæ sitiat doctrinam verbi Dei, & reddita sit formosa per gratiam, atque in virtutibus, & bonis operibus conspicua, quæ prius in Adam erat deformata. Opus Dei stupendum, quod *Orbem terrarum*, Ecclesiam suam, *super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum*. Psal. 23. & quod *in abysso plantauit Insulas*. Ecclesiastici citato c. 43. v. 26. Hisce de causis iam à me assignatis, & ob eas, quas adhuc subijciam, pergit S. Dauid, & ait denuò,

D

V. 6. Venite adoremus, & procidamus: & ploremus ante Dominum;

stat cum exultatione fletus seruorum Dei, quibus lacrymæ iucundiores sunt gaudijs theatrorum; & lacrymas non solùm pœnitentia, sed gaudium etiam, & exultatio cient; ideò autem hìc additur, vt simul *ploremus ante Dominum, qui fecit nos*; quia, vt benè notat P. Lorinus qui fecit nos, præter communem rationem cuiuis homini ad imaginem
E Dei facto, & quod opus manuum suarum Deus non despicit; sed solus reficit ipse, qui fecit eum, qui ex se deficit; vt ait D. Aug. *faciendi* verbo insinuatur benefacere, ac singulari beneuolentia, fauore, liberalitate prosequi, ornare, decorare, insignire beneficijs: atque ita dum S. Dauid monet, vt *ploremus ante Deum, qui fecit nos*; vult, vt *seruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia*. Heb. 12. siue vult, vt *cum metu, & tremore salutem nostram operemur. Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Philip. c. 2. 13. agnoscentes nos nihil posse sine gratia illius; ideòque timentes, ne desimus gratiæ illius. Hoc ip-
F sum (vt exultemus Domino cum tremore, quod hìc solùm insinuauerat illa voce, *qui fecit nos*) clariùs adhuc exprimit sequenti

V. 7. Quia ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.

Ff Simul

Simul tamen cum hac humillima ſubiectione noſtri præſtanda eiuſdem Domini A
noſtri Maieſtati, à quo toti, & in omnibus dependemus, proponit ſpectanda iam tanquam præſentia magna illa bona, quæ Eccleſiæ ſuæ, & fidelibus communicauit, dum nos *populum paſcuæ eius, & oues manus eius*, quas ſcilicet ipſe regat, & paſcat, appellat. Supra varijs Pſalmis ea attigerat; *fructum frumenti, vini, & olei ſui*. Pſal.4.8. *Edent pauperes, & ſaturabuntur*. Pſal.21.27. *Replebimur in bonis domus tuæ*.64.&c. nunc in eorum poſſeſſione conſtituti ſumus, *nos populus paſcuæ eius*, &c. Nunc, quod in Iſaiæ cap.32. v.14. *Gaudium onagrorum, paſcua gregum*, ſunt Gentes in Eccleſiam Chriſti ingreſſæ, maximis illius bonis fruuntur. Sed ne tanta bo- B
na adepti altum ſaperent, ſed timerent, valdè accommodato S.Dauid ad Chriſti fideles in officio continendos vtitur exemplo antiquorum Iſraelitarum carnalium, qui in deſerto duræ ceruicis, & increduli, atque inobſequentes Deo cum eſſent, perierunt; neque in promiſſam terram ſunt ingreſſi. Itaque ne quid ſimile vobis contingat, admoneo, & hortor;

V. 8. Hodie, dum durat tempus acceptabile, & dies ſalutis, ſi vocem eius audieritis, ad Fidem vocantem vos; & vocatos ad eam, etiam poſtmodum C
ad condigna Fidei dignitati, & vocationis ſublimitati opera exequenda incitantem, nolite obdurare corda veſtra; ſicut *ſi vocem eius audieritis*, Sanctus Apoſtolus citata Epiſt. ad Heb.c.3. ait; attendite, *ne fortè ſit in aliquo cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo viuo*; vel certè *ne obduretur quis ex nobis fallacia peccati*; attendite, inquam, ne vos ad Fidem conuerſi geratis,

V. 9. Sicut in irritatione ſecundum diem D
tentationis in deſerto: vbi tentauerunt me patres veſtri: immediatus ſermo erat ad Iudæos, & ideò ait, *patres veſtri*, ſicut Pſal.77. v.8. *Ne fiant ſicut patres eorum generatio praua, & exaſperans*. ſic etiam hoc loco eos fuiſſe oſtendit, de quibus ait Dominus; probauerunt me, & viderunt opera mea. ſunt experti Domini & miram benignitatem, & potentiam, & ſeueritatem, ſeu pœnas etiam, E
atque flagella. Item periculum, ſiue explorationem fecerant de me, dubitantes an eſſem cum eis; cum tamen vidiſſent opera mea tam admirabilia: ideo puniti; nam

V.10. Quadraginta annis offenſus fui; vbi in Pſalterio Romano eſt, *proximus*; ſignificat proximum ad puniendum, ſiue ſtatim adfuiſſe cum pœna infligenda; atque etiam ſi voluiſſent, cum adiutorio adſerendo: generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde. F

V. 11. Et iſti non cognouerunt vias meas: vt iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

A meam. Hæc satis explicat D.Paulus, dum interrogat; *quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem*. Motus, quem ex hoc exemplo excitare intendebat S. Dauid in animis Christi fidelium est ille ipse, quem S.Paulus indicauit, quando ex his omnibus conclusit,& intulit, cap.4.v.1. *Timeamus ergo, ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius* (quam scilicet offert, & promittit Dominus) *existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis annunciatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non*
B *admistus Fidei ex ijs, quæ audierunt*. Verùm Sancto Dauidi, postea quam res lætissimas enarrare est aggressus, hæc pauca ad Fidelium cautelam, & quò eorum lætitia, & exultatio esset stabilior, satis fuit insinuasse ad finem huius Psalmi. Prosequitur lætitiam Psal. seq. 95.


PSALMVS XCV.

C
Cantate Domino, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCV.

Canticum ipsi Dauid,
Quando domus ædificabatur post captiuitatem. (1. *Paral*. 15.)

D



Itulus hic indicat, quodnam sit Psalmi Argumentum, & contentum. Vt eò melius intelligatur, repetenda sunt ea, quæ ad Argumenta, & Titulos Psalmorum 28. & 29. sunt dicta; nam maximè Titulus Psalmi 29. magnam habet affinitatem cum huius Psalmi Titulo. In eo differunt; quod ille non omnia læta, hic vniuersa *Cantico nouo*, & gaudijs plena, atque triumphis contineri denotet. Quæ verò illa? An dicemus cum P. Lorino, alijsque, ad literam esse (vt
E videtur ipse Titulus insinuare)siue de Tabernaculo,quod extruxit Dauid,siue de Tẽplo,quod ædificauit Salomon,& alij post captiuitatem restaurarunt? Sed contra, quia pleraque omnia, quæ toto hoc Psalmo dicuntur, nullo modo cuiquam illarum rerum ædificationi conueniunt.Tunc nullo modo,quoad externum apud homines cultum, erat *magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis super omnes Deos*. v. 4. Idololatria passim toto Orbe, & apud ipsos Israelitas dominante. Tunc à Tabernaculo, & Templo, eorumque sacrificijs arcebantur Gentes; hìc inuitantur; *patriæ Gentium*; *tollite hostias, & introite in atria eius*, &c. Tunc, nun-
F quam *commota est à facie eius vniuersa terra*, neque *dictum in Gentibus, quia Dominus regnauit*. v.10. neque ea contigerunt cum pleno verborum sensu, quæ reliqui versus tam patheticè exprimunt.

Ex his,alijsque similibus,quæ etiam supra ad illos Psalmos 28.& 29.dicta sunt, & propter hactenus visam in Psalterio concordantiam, & cohærentiam Titulorum, Argumentorum, & rerum omnium Psalmis contentarum, quæ maximum

est pro veritate argumentum, dicendum est, quod Titulus hic, *Quando domus ædificabatur post captiuitatem*, nullo modo ad literam, & ad mentem S. Dauidis sit, vel de Tabernaculo, vel de Templo siue ante, siue post captiuitatem Babylonicam extructo; sed Christiana omninò respiciat, ipsamque Christi Ecclesiam denotet, vt vidimus florentem, atque gaudentem post diuturnas persecutiones, maximè Romæ toleratas, cum tanto animarum, & Gentium ex toto terrarum Orbe conuersarum lucro. Ad illa quidem, quæ Iudaica sunt, alluditur; quia, vt aliàs dictum est, figuram quandam habuit illa Babylonica captiuitas Iudæorum cum illo tempore persecutionum, quas Ecclesia Christi sustinuit Romæ, & Templi post illam ædificatio cum Christi Ecclesiæ statu pacifico post Romanas persecutiones, vt etiam infra Psalmo 136. dicetur: nihilominus S. Dauid, & cum ipso Sancta Mater Ecclesia Titulo illo, quem recipit, allusionem tantùm ad illa esse indicat, rem autem omnem ad Christi Ecclesiam pertinere. Ideò fit, vt cum in Synagogam relata cum veritate explicari non possint; de Ecclesia tamen Christi intellecta, secundùm quod dictum est, omnia illa, quæ Psalmo continentur, aptissimè, & cum omni veritate explicentur, vt patebit. Et certè hæc tantummodo, quæ in Christi Ecclesia post persecutiones acciderunt, digna erant altissimo illo Sancti Prophetæ stylo, illa eius & verborum, & symbolorum emphasi, & eloquentia, quæ in hoc, alijsque sequentibus Psalmis se se produnt, & manifestant. A B C

Licet verò tam Sanctus Dauid, quàm reliqui Prophetæ nobis sub rerum symbolis altissima sua mysteria declarent; quod tamen eorum interpretatio non mystica, sed literalis sit; dum ex cohærentia, antecedentium, & consequentium connexione, & iuxta verborum proprietatem, & veritatem ea ostenditur esse ad eorum mentem, & intentū, sat multis in Præuijs Capitibus, & Notatis ostensum fuit.

Proinde ob hanc ipsam rationem dicendum est, non mysticè, quod P. Lorinus etiam admittit, sed omninò literaliter S. Chrysostomum, Eusebium, aliosque Latinos Expositores referre hunc Psalmum ad Ecclesiam, eoque modo S. August. lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 24. explicare hunc titulum de destructa Idololatria, & ædificata vera Religione per Christum; & quam Hermes prænuntiauit dolendo, prænuntiasse nostrum Prophetam gaudendo, de medio scilicet tollendam Idololatriam. Cuius maximi Patris, & Doctoris sententia omni ex parte firmat explicatum Psalmi Argumentum. D

Difficultatis tamen aliquid suboriri videtur ex ipso Titulo sic explicato de Ecclesia Christi fruente iam publica pace, tranquillitate, & Diuino cultu palàm proposito; nam hoc pacto extructa potius, atque omni ex parte perfecta ostenditur hæc Dei Domini nostri domus; Titulus verò ait, *Quando ædificabatur*, &c. quod viam potius, & tendentiam ad perfectionem significat, & non rem iam perfectam. Sed ad hoc facilè respondetur, quod cum hæc extructio non materialis sit, sed spiritualis, non lapidum, sed animarum, tunc vel maximè illam ædificationem, & extructionem viguisse, quando toto Orbe, nemine prohibente, Fides Christi, Dei verbum, Sanctissimum Missæ Sacrificium, Sacramentorum frequentia, Diuinæ Laudes, omnisque Dei cultus palàm proponebantur, & exercebantur; nam verè, vt S. Aug. serm. 20. de verbis Apostoli, *Domus Dei cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur, &c.* E F

Hoc Psalmi huius Argumentū idcircò paululū fusiùs exposui, quia hinc lux nō modica ad intelligenda aliorū proximè subsequētiū Psal. Argumenta deriuatur.

Nunc,

A Nunc, vt ad huius Psalmi Explicationem veniamus, illa iam dicta anteceden-
tium, & sibi inuicem connexorum, se seque consequentium notitia habita, tam
clarè ipsa Sacri Textus verba suapte sponte in Explicationem veniunt, ipsaque
se se aperiunt, & manifestant, vt quod D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 28. de Osee
prophetia, qua Gentes ad Christi Fidem esse vocandas, dixit, etiam de hoc S. Da-
uidis Psalmo, alijsque huiusmodi permultis pronunciare possim, scil. *Hoc si ad-
huc velimus exponere, eloquij Prophetici obtundetur sapor.*

Itaque *quando domus*, quæ est Christi Ecclesia, *post captiuitatem* illam, idest per-
B secutionum à Romanis illatarum oppressionem, *ædificabatur*, Conuersione Gen-
tium, quæ toto Orbe fiebat, intrantibus passim vbique populis ex Idololatriæ er-
rorum, & vitiorum tenebris in admirabile lumen Fidei, Sanctus Dauid Christo
Ecclesiæ Sponso, Domino, ac Deo suo, necnon & ipsi Ecclesiæ, atque Fidelibus
eius omnibus congratulans, eos sic hortatur, & animat;

PSALMVS XCV.

C

**Cantate Domino canticum nouum: can-
tate Domino omnis terra.** Iuxta primarium S. Prophetæ in-
tentum est, quasi diceret, quod
postea D. Petrus 1. suæ Epistolæ c. 4. ad eosdem Fideles ex Gentibus conuersos
dicebat: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini, quia qui
passus est in carne*, qui Christo scilicet confixus Cruci, & commortuus illi est, *de-
D siyt à peccatis: vt iam non desiderijs hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in
carne, viuat temporis. (Cantate Domino canticum nouum) sufficit enim* (pergit D. Pe-
trus) *præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam*. Simili planè mo-
do D. Paulus ad Ephesios c. 4. 21. & 22. *In ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu, de-
ponere vos secundùm pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur se-
cundùm desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum
hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis*. Hoc pla-
nè pacto iubet *cantare canticum nouum* Domino omnem terram, eius incolas, &
E inhabitatores in Christi Ecclesiam ingressos; & quia, quod ingressi estis, & quod
possitis cantare hoc canticum nouum, quod iam à tot sæculis non audiebatur in
terra, maximum est Dei erga nos beneficium.

**V. 2. Cantate Domino, & benedicite no-
mini eius:** & quia in nomine Vnigeniti eius Domini Nostri Iesu Christi
salutem consecuti estis, cum non sit aliud nomen, in quo nos
oporteat sal-
F uos fieri; **annunciate,** prædicate laudando, gratias agendo, & quan-
tum in vobis est, exemplo, & verbo alios ad
eum in-
uitando; **de die in diem,** quotidie, incessanter, indefessè, & *donec aspi-
ret dies* æternæ vitæ, *& inclinentur vmbræ*,
(Cant. cap. 2. vers. 17.) diei huius, & vitæ mortalis; *annuntiate*, inquam,
salutare eius.

V. 3.

V. 3. Annunciate inter Gentes gloriam A
eius, Dei salutaris, Verbi Patris, cuius gloria omninò est tanquam *Vnigeniti à Patre*, nam verè ipse est Dei Patris Vnigenitus, *plenus gratia, & veritatis*, Ioannis c. 1. 14. annunciate in omnibus populis mirabilia eius. Quid non est admirabile in Domino Iesu? in quo, quia omnia admirabilia sunt, debuit vocari *nomen eius, Admirabilis*, Isa. c. 9. 6. Omnia, quæ ipse Admirabilis fecit, dixitque, planè admirabilia sunt; & hæc vos Fideles, qui ea audistis, & didicistis, B *annunciate in omnibus populis mirabilia eius*. Dum ea narraueritis videbunt omnes, & dicent;

V. 4. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Nam ipse fortem armatum vicit, Principem Mundi huius Dęmonem cum suis satellitibus eiecit foras. Et quid mirũ si Dominus sit terribilis super omnes deos? C

V. 5. Quoniam omnes dij Gentium dæmonia: ipse autem Dominus, ac Deus Maiestatis est, quem *Dæmones contremiscunt*, Iacob. c. 2. 19. quid mirum si illis terribilis est, quando eos *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos?* 2. Petri c. 2. 4. & locum illum, ignemque æternum parauit *Diabolo & Angelis eius*, & hominibus malis, Matt. c. 25. v. 41. Dominus autem cælos fecit. illam cælestem patriam, Fidelibus D suis bonis daturus est.

Præter hanc explicationem, aliam adhuc Versus hic, & valdè propriam, magisque consequentem habet, quod scilicet S. Dauid quando ait, *Quoniam omnes dij Gentium Dæmonia*, significet illas abominationes, & immunditias, quibus Gentes habentes Dæmonia pro dijs seruiebant, & vt paulò ante dicebam ex 1. Petri c. 4. *ambulabant in luxurijs, desiderijs, vinolentijs, commessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus*. Et D. Paulus de Gentibus adhuc idololatriæ deditis vniuersim loquens ad Ephes. c. 4. 19. ait, *qui desperantes, semetipsos tradiderunt im-* E *pudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis*, &c. quia nimirum omnes dij Gentium Dæmonia, eaque immunda. *Dominus autem*, qui magnus, qui laudabilis, qui terribilis est super eos, *Cælos fecit*, non solùm materiales illos, quos oculis intuemur lucidos, Stellis ornatos, mundos, splendentes, pulchritudine, & maiestate conspicuos; sed etiam alios spirituales, qui sunt ipsa eius Ecclesia Sancta, & qui eam sanguine suo fundarunt S. Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, alijque Fideles, qui omnes vocati sunt in sanctificationem, & sunt gens sancta, qui, si aliquando tenebræ fuerunt, nunc autem *lux in Domino*, & vt ad Philip. c. 2. v. 15. sunt *sine* F *querela, & simplices filij Dei sine reprehensione, in medio nationis praua, & peruersa: inter quos lucent sicut luminaria in Mundo, verbum vitæ continentes*. En, quod nihil omninò prohibet, cur non eiusmodi homines cælos vocemus.

Dum ergo Sanctus Dauid dijs Gentium Dæmonibus opponit Dominum, *qui fecit Cælos*, insinuare omninò voluit hanc vitæ sanctitatem, & puritatem, ad quam Fide-

A Fideles suos vocat; vt, quod Rom. 6. v. 22. de omnibus dicatur; *Nunc liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Rom. c. 6. 22. Quod omninò id significare intenderit, sequenti statim versu indicat, dum eidem rei, & sensui insistens, ait;

V. 6. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius: quod est quasi dicat; non est Deus noster, vt dij eorum; *Vos autem non ita didicistis Christum*, ait Apostolus Ephesijs c. 4. & Christia-

B nis conuersis D. Petrus 1. suæ c. 4. 4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.* Non, inquam, sic Deus noster; sed qui ad illum venit, & in eius Ecclesiam ingreditur, necesse est, vt abneget impietatem, & sæcularia desideria, peccata detestetur, & ab illis liberetur; sicque animæ pulchritudinem acquirat: nam *confessio*, cum Dei laude, Diuinæ eius Maiestatis, & Bonitatis, nec non propriæ vilitatis, agnitio; huius detestatio (quam consequitur animæ *pulchritudo in conspectu eius*) illi grata & accepta sunt; vt ea esse solent, quæ ante con-

C spectum collocamus; sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione eius. In eius Ecclesia, quæ est locus sanctificationis eius, qui eum laudare volet, glorificare, & magnificare, sanctitati necesse est omninò studeat, & sanctus sit.

Huic tanto, tamque bono Domino, qui vos ditare maximis bonis intendit; vt scil. *liberati à peccato, & serui* illi *facti, habeatis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Rom. 6. 22. huic, inquam,

D V. 7. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam, & honorem:

V. 8. afferte Domino gloriam nomini eius, ad eum veniendo in eius Ecclesiam ingrediendo. Ita omninò facite, ò patriæ, ò familiæ, ò Tribus, & nationes Gentium, & populorum.

E Tollite hostias, & introite in atria eius: S. Hier. leuate. Chal. habet, portate hostias, idest munera; sed quæ? P. Emm. Sà, ex eo, quòd Hebræum *Minchah*, pro *hostias* ponatur, quod erat esculentum, & poculentum munus, ait, per id velle quosdam intelligi Eucharistiam. Veram omninò hanc interpretationem, & iuxta intentum S. Prophetæ esse existimo; nam supra Psalmo 21. v. 26. vidimus quanto desiderio expeteretur, & expectaretur Sanctiss. Eucharistia, dum in persona Domini diceret; *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Ibi autem ex S. Aug. explica-

F tione, diximus per vota intelligi Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini, id quod verum esse colligitur ex versu sequenti, nam statim subijcit; *Edent pauperes, & saturabuntur.* & v. 30. *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram*, quod de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento omninò verificatur, quod prius adoratur, quam sumatur.

Deinde Psalmo 49. dum Dominus reijceret, & se aboliturum diceret Sacrificia

cia Antiquæ Legis, simul etiam promittebat, & veluti constituebat, v.14. *Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua*; quæ post peccatorum Confessionem, quæ est *sacrificium laudis*; sunt ipsa Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini. Videantur ibi dicta. Psalmo 67. v.4. hortabatur; *Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia*. quasi indicando Sacratissimam Mensam Altaris Dominici. Psalmo 71. 16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium*, &c. esse etiam de Sanctissimo Sacramento diximus. Itaque si his, alijsque quamplurimis Psalmis prioribus Sanctissimæ Eucharistiæ meminit; quidni etiam hoc Psalmo, in quo exultantem Ecclesiam proponit, adhortetur? *Tollite hostias, & introite in atria eius*, vt scil. ingressi in Ecclesiam participes fiant Sanctissimæ Eucharistiæ. Genebrardus, & Aiguanus apud P. Lorinum, aiunt, *hostias* pluraliter dici ob duplicem consecrationem. Addit ipse, & benè, propter omnes rationes quorumlibet sacrificiorum longè præstantiori modo in illo Sanctissimo Eucharistiæ, seu Missæ Sacrificio contentas. Sed quid significatur per *atria*? per *atria* Ecclesiæ particulares intelliguntur; vt tamen indicet, in ijs tantùm, quæ Ecclesiæ Christi vniuersali, quæ est S. Romana Ecclesia, subiectæ sunt, *hostias* offerri, & sacrificium, ait,

V. 9. adorate Dominũ in atrio sancto eius.

In Ecclesia scil. Catholica, Romana, Vna, Sancta, Apostolica. Hoc ideò dici (P. Lorinus ait) admonent ferè omnes.

Commoueatur à facie eius vniuersa terra:

S. Dauid desiderio æstuans, quò supradictorum bonorum participes fierent omnes patriæ Gentium; vt canticum nouum cantaret omnis terra; vt sanctitatis pulchritudine omnes animæ condecorarentur; vt hostias in atria eius afferrent, &c. optat, vt vi Diuini eius Verbi *commoueatur à facie eius*, ad hæc, quæ dixi præstanda, & obtinenda, *omnis terra*.

V. 10. dicite in Gentibus, constet iam tandem Gentibus, & vbique Gentium promulgetur, sibique congratulando sciant; quia sicut supra Psalmo 92. dixi, Dominus regnauit.

In Psalterio vetere, ac Romano additur, *à ligno*; & benè notat P. Lorinus, quod toto tempore, quod intercurrit inter octauam Paschæ, & Pentecosten in commemorationem victoriæ Crucis Christi pro versiculo cantatur in matutinis, & vespertinis horis: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno*. Licet autem P. Ribera Noster in Habacuc 3. n.9. & 10. sentiat LXX. Interpretes, de suo id addidisse, nihilominus P. Lorinus (cum quo & ego) propendet magis in sententiam, quæ Iudæis adscribit malitiosam mutationem in textu Hebræo: quod autem omninò intercesserit hæc malitiosa mutatio, seu omissio in textu Hebræo, constare potest, & colligi ex eo, quia non solùm Sancti Patres valdè multi illam Iudæis exprobrant; sed etiam quia videtur fuisse stylo, & phrasi S. Dauidis consentanea; si enim ipse supra Psal. 67. 5. dum quodam quasi compendio restringebat ea omnia, quæ ad Domini gloriam, & exaltationem, atque ad Ecclesiæ eius progressiones in Fidei prædicatione, & spiritualibus bonis faciendas, valdè clarè insinuabat, & hortabatur; *iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi*: quo, vt vidi-

A vidimus, celebrabat eiusdem Domini triumphum, & regnum à morte, & per mortem in Cruce obitam obtinendum; si, inquam, vel tunc, rei huius tam clarè meminit; quidni etiam hoc loco, dum ex professo de Domini sui regno, & fusiùs loquitur, dixerit, *quia Dominus regnauit à ligno?*

Iam verò S. Dauid, sicut supra Psalmo 92. vbi primò omnium solennissimè promulgauerat, ***Dominus regnauit***, statim huius suæ promulgationis, & regni Domini sui rationem, causam, indicium, & experimentum subiunxit; ***Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur***; ita hìc id ipsum tanquam rem momenti maximi

B ijsdem penè verbis repetit, causam scilicet, indicium, & experimentum, quod verè ***Dominus*** regnauerit à ligno esse hanc;

Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: Sicuti igitur ibi ostensum est, id non materialem Orbem terræ, sed ad spiritualem, Ecclesiam scil. ipsius, ita fundatam, & stabilitam, vt permansura sit, pertinere; ita planè dicendum est, hoc ipsum hìc repeti, quod dubio procul summo Christi Regis, eiusque Ecclesiæ est honori, &

C magnificentiæ. Ipsum autem verbum, *correxit*, significat rem ante destructam, & perditam, reparatam postea, & redintegratam, & quidem per eiusdem Domini Regis Crucem, *quia* ipse *regnauit à ligno*. Cum hac explicatione planè concordat D. Paulus ad Eph. c. 1. 9. & 10. dum ait Dominum ***notum*** nobis fecisse ***Sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo: in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso***. Sic correcto, & instaurato Orbe, permansuro in ea correctione, & instauratione, neque vnquam eius Ecclesia aliò trasferenda, vel vnquam de-

D situra, ***iudicabit populos in æquitate***; dum ipse regnabit, & quoadvsque; futurum autem est, vt semper regnet; iudicabit populos in æquitate. Pro horum verborum explicatione, licet iam supra dicta in Præuijs Notato 6. §. 4. sufficerent; nihilominus tamen, vt constet eorum certitudo, & veritas, hìc subijcio, quæ etiam pro ijs ipse P. Lorinus benè notat, ea non sumi pro rigida, & exacta, flectique nescia rectitudine; præsertim si agatur de regimine huius temporis; sed de benignitate iudiciorum, æquitate legum, facilitate regiminis, in quo nihil sęuum, atrox,

E durum, tyrannicum reperiatur: præterea de æquabili munerum distributione absque acceptatione personarum, simul cum ordine, atque subordinatione conuenienti, & admirabili diuersitate mediorum, quibus liceat rectà ad pietatem, atque ad virtutes incedere, ac demùm ad felicitatem peruenire. Hæc ipse, & omninò benè; nam S. Dauid agit de Regno Christi huius temporis, quod in Ecclesia sua habet, & vbi in iam explicata *æquitate iudicat populos* suos fideles.

De hac iudicij Domini Regis nostri æquitate etiam supra sæpiùs S. Dauid varijs Psalmis, eam maximopere optando, est locutus, maximè Psalmo 66. 5. Hìc

F gratulatur id optatissimum tempus aduenisse: ibi dictum est iudicij æquitatem, Regni Christi, & Ecclesiæ eius tempore hac in re præter reliqua consistere, quod obseruetur in ea id, quod Apostolus Rom. 6. 19. præscripsit; ***Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem***. Non igitur hìc de vtroque iudicio, scilicet etiam vltimo, & vniuersali loquitur S. Dauid, vt aliqui volunt, & cum

quibus consentit P. Lorinus; sed solùm de iudicio iam explicato. A

Similiter etiamsi in Psalterio Romano, & apud Cassiodorum, & Arnobium addatur, *& gentes in ira sua*; non propterea hæc verba referuntur ad superbos, & iniquos, qui portionem cum Diabolo, pœnasque perpetuas sortientur; sed in sensu priori, de *ira*, qua Dominus Gentium peccata destructurus erat; adeò, vt defecturi essent peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint tales (quod est iræ, & vltionis Dei misericordissimæ proprium, vt sæpè dictum est) intelligenda sunt.

Hanc verò explicationem hoc loco intentam esse à S. Dauide non solùm antecedentia omnia, quæ lætissima fuerunt; sed etiam consequentia, quæ prioribus B sunt conformia, eandem esse comprobant: nam sequitur, quòd, quia sic *Dominus regnauit*, quia sic *indicabit*.

V. 11. Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: digna planè causa ob quam Orbis vniuersus lætetur, & exultet; quando homo, propter quem omnia facta sunt, qui destructus, & perditus fuerat, tam misericorditer reparatur, & saluatur, & quando- C quidem cum ipso pariter, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, instaurantur; omninò *lætētur cæli, & exultet terra*, &c. etiam propter id, quod sequitur lętandum est; nam

V. 12. gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt. Cum hactenus S. Dauid exponendis rebus spiritualibus intentus fuerit, non est putandus hic transire ad temporalem camporum fœcunditatem; sed ea tanquam symbolo vtens, ostendit, quòd Regni Christi pacifici tempore in eius Ecclesia futuræ sint toto terrarum Orbe aliæ Ecclesiæ parti- D culares, & hominum Religiosorum cœtus, qui instar camporum, seu agrorum benè exculti erunt, & fructibus, atque fœcunditate abundabunt; sicuti etiam supra Psal. 64. 12. dixerat, *Benedices coronæ anni benignitatis tuę, & campi tui replebuntur vbertate*. Et quid mirum si campi exculti, & omnia, quæ in eis sunt, exposita agricultoris industrię, Soli, pluuijs, &c. sint vbertatem tantam habitura? quando etiam

Tunc exultabunt omnia ligna siluarum.

Ipsæ incultæ nationes, ipsi populi barbari, & homines infructuosi, & steriles, *tunc* E *exultabunt*; culturæ patientes erunt, eamque suscipientes fructum ferent.

Quod S. Dauid per *ligna siluarum* eiusmodi homines voluerit significare, colligitur ex simili phrasi idipsum exprimente Canticorum 2. 3. *Sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios*. Sed vnde lignis siluarum tanta, tamque fortunata mutatio?

V. 13. à facie Domini, quia venit: intellige non de aduentu eius ad iudicium vniuersale; nam tunc non erit fructuum faciendorum tempus; F sed de aduentu Domini per Fidei Prædicationem, quæ Ecclesia, iam in pace constituta, propalam vbique terrarum fiebat: quoniam, iam tandem, post tot sæculorum persecutiones, venit iudicare terram. sicuti dicebam, &, iterum quia auditu iucundissimum est, repeto; quod eo, quem dixi modo

Iu-

A Iudicabit orbem terræ in equitate, & populos in veritate sua. *In veritate*, fidelitate, iuxta liberalissima sua promissa eos adiuuando, & saluando *iudicabit*.

PSALMVS XCVI.

B
Dominus regnauit, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCVI.

Huic Dauid. Quando terra eius restituta est.

C EX his, quæ ad tam copiosam animarum conuersionem, ad tam multiplicia, tamque eximia Ecclesiæ Christi bona, nec non ad Domini Regis Christi sui Iesu gloriam, & exaltationem pertinebant, S. Dauid adeò liquidam percipiebat voluptatem, vt eam nequiret vnius, alteriusve Psalmi propositione demonstrare; idcircò etiam hunc Psalmum inscribit; *Huic Dauid; Quando terra eius restituta est*. Idest, eidem Christo Domino, quando Mundi Nationes, & Populi, per Idololatriam ab eo abstracti, *restituti sunt*, per eorundem ad Fidem Conuersionem, subintellige, etiam Psalmus iste applaudit. Proinde totus exultans, illud suum velut Intercalare
D applausus Carmen denuò ingeminat, *Dominus regnauit*.

Hoc autem esse Psalmi huius Argumentum probatur ex Apostolo ad Heb. c. 1. vbi de Christo Domino Nostro explicat Versum 6. huius Psalmi: *Adorate eum omnes Angeli eius*. Reliqua Argumenta non subsistere, ipse Psalmi contextus ostendit, vt sunt reditus Dauidis post persecutiones, vel Saulis, vel Absalonis in Patriam; eiusdem Dauidis Regis victoria aliqua insignis de hostibus reportata; primus Christi aduentus in carnem; eiusdem secundus ad iudicium aduentus. Hæc & similia, neque Titulus, neque Psalmus continet. Vbi autem in con-
E textu Psalmi quædam sunt, quæ ad Iudicium extremum videntur pertinere, ea ad literam hìc non esse de eo, sed de aduentu Domini Nostri per Fidei prædicationem, & animarum ad eam Conuersionem, non solùm sup. Not. 6. pluribus ostensum est, sed etiam id ipsum clarissimè manifestat ipsemet hic Psalmus, dum post illa verba, quæ aliqua accommodatione ad iudicium extremum referri possunt; v. 5. *montes sicut cera fluxerunt*, &c. subiungit v. 6. *Annunciauerunt cæli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius*. quæ vtique sunt de Prædicatione Apostolorum, quæ tunc non fiet.

F

PSALMVS XCVI.

Dominus regnauit, exultet terra: lætentur

insulæ multæ. Nulla alia maior exultandi, & lætandi causa hac ipsa, A
quod *Dominus regnauit*; vt etiam prioris Psalmi initio dictum; quomodo non exultet terra, & insulæ non lætentur, quod Dominus regnauerit, & regnet? quandoquidem si respicias id omne, quod eius felicissimo regno non subijcitur, reperies, quod

V. 2. Nubes, & caligo in circuitu eius: meræ obscuritas, meræ tenebræ errorum, & vitiorum sunt extra eius regnum; (videantur dicta Psal. 17. à. v. 9. at verò in toto eius Regno iustitia, & iudicium correctio se- B
dis eius. S. Hieronymus correctionem sedis eius firmamentum vocat. Breuiter sicut supra dictum est, quod *Etenim correxit orbem terræ*, &c. intelligatur de instauratione facta per Christum perduratura vsque in finem; sic hoc loco ostenditur, quod Thronus Christi Regis Domini Nostri sit fundatus, & stabilitus in rectitudine, in bonitate, iudicij æquitate, vitæ sanctitate, subditorum eius pace, quiete, bonis perpetuis; hæc enim omnia complectitur *iustitia, & iudicium*. Exultet ergo terra, & lætentur insulæ multæ, quotquot hanc felicitatem C
consecutæ sunt, vt Regno Regis huius Optimi Maximi subijci meruerint.

Verè si quis se se reflectat supra illam tetram caliginem, supra densas illas tenebras Gentilitium, & idololatricarum superstitionum, quæ terram, & insulas tenebant obrutas, planè obstupescet, neque facilè capiet, quomodo potuerint illuminari. Sed nimirum

V. 3. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Ille, qui *venit mittere* D
ignem in terram, & voluit, vt accenderetur, Luc. 12. 49. voluit pariter, vt per Apostolorum suorum igne Sanctissimi Spiritus sui accensorum prædicationem ignis ille Doctrinæ suæ Euangelicæ *præcederet ante se*, & illuminando cæcas Gentilium mentes, eosdemque *inflammaret in circuitu*; Gentiles ijdem *inimici* vocantur, quoadvsque eidem Domino, qui veritas est, longè ab eo errantes non subijciuntur.

Cum Sancti Dauidis tota ferè huius Psalmi locutio symbolica sit, talem pariter conuenit esse eius explanationem; & quidem literalis illa erit, quæ eius intentum E
primarium attinget. Illud autem esse hoc ipsum, quod subijcimus, rerum omnium cohærentia, & consequentia ostendunt.

S. quoque Ambrosius citatur à P. Lorino, volens S. Dauidem hoc loco loqui de igne, de quo paulò ante Dominus Luc. 12. 49. loquebatur, quem ignem ipse vocat, *non consumptorem bonorum; sed bonæ voluntatis auctorem; qui aurea Dominicæ Domus vasa meliorat, fœnum verò consumit, & stipulam; ac sæcularia omnia, Mundi voluptate concreta, pariturasque opus carnis exurit; & flammigerat etiam in ossibus Prophetarum*, &c. Hi omnes Diuini ignis effectus necessarij erant ad Mundi F
conuersionem, & verè eos operatus est Dominus ad Apostolorum, aliorumque Successorum eorum Prædicationem. De illa ergo est Sancto Dauidi sermo hoc versu; fuisse de illa etiam versus sequentes comprobant; nam sic

V. 4. Illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit,

A dit, & commota est terra. S. Augustinus, & alij Latini (ait hoc loco P. Lorinus) spectant in ijsdem Apostolis fulgorem miraculorum, qui ex illis tanquam ex vili, & prius contempta, nebulosa, obscuraque prodit nube. Omninò hi admirabiles erant Christi Fidei, signis, & prodigijs contestatæ, effectus, quos vidit, & ***commota est terra***; subsecutaque est vbique Gentium, Gentium ad Fidem conuersio; quinimò ipsi

B V. 5. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini: non solùm summa, quæ obstabant obstacula, & difficultates sublata sunt; sed ipsi Romæ Ethnicæ Montes, Principes eius, atque Imperatores, vi Fidei Christi cesserunt, & sicut ***cera fluxerunt à facie Domini***, diuina eius virtute superati; atque ita cessit superata à facie Domini omnis terra. Nam posteaquam qui maximè obstabant Prædicationi Euangelij, & quos proinde ad hunc ipsum locum alludens S. Isaias Propheta optabat, vt defluerent

C montes; ***Vtinam***, &c. ***à facie tua montes defluerent***; cap. 64. v. 1. posteaquam, inquam, vt optabatur, illi ***montes sicut cera fluxerunt à facie Domini***; tum enimverò quasi sublato omni obice,

V. 6. Annunciauerunt cæli iustitiam eius: sicut supra sæpiùs, & maximè Psal. 18. dictum est, per ***Cælos*** intelliguntur Apostoli, & qui Apostolico munere fungentes prædicauerunt Christi Euangelium; per ***iustitiam*** verò, sicut etiam supra sæpè notatum est, hoc loco intelligitur Dei ve-

D racitas, & fidelitas in promissis exequendis, quæ coniuncta est cum eximia eius liberalitate, & misericordia. Item significatur illa Regni eius æquitas, de qua priori Psalmo, & aliàs: hæc ergo omnia ***Cæli annunciauerunt***; & ad tam expectatum nuntium Fidem Christi sibi propositam amplectentes, Viderunt omnes populi gloriam eius; eius scil. Domini, quem cæli annunciauerunt, Gloriam, Maiestatem, & Diuinitatem agnouerunt. Sic omnia plana sunt, & consequentia. Verùm qui symbolicam hanc locutionem pro literali, &

E primariò intenta à S. Dauide non admittunt, ij cum P. Lorino coguntur dicere, quod S. Dauid hoc versu redeat ad ignem, sulphur, grandinem, fulgura, resque alias terrificas, de quibus antea meminerat, & quas vindex Deus pluere visus est de cælis in impios, vt hac ratione tanquam voce præconum, testari, ac promulgare censeantur ***cęli iustitiam ipsius***, &c. Sed hæc terrifica, & coacta videntur; & non concordant, neque cum Psalmi initio; quomodo enim sic, ***exultet terra***, & ***lætentur insulæ multæ?*** neque cum Versus eiusdem fine; nam quandoquidem ***viderunt omnes populi gloriam eius***, nihil horroris, & terribilitatis habuit illa cælo-

F rum annunciatio. Deinde benè vrget Aiguanus, quod iuxta Isaiæ c. 26. 10. ***Non videbit impius***; sed ***tolletur***, ***ne videat gloriam Dei***. Tandem hæc explicatio non cohæret cum versu sequenti; nam Iudicij extremi tempore Idololatria non vigebit, vt probabitur in Isaiæ cap. 34. à Versu 10. & deinceps; quomodo ergo Sanctus Dauid de eo tempore loquens diceret; v. 7. ***Confundantur omnes, qui adorant sculptilia***, &c. At verò in allata explicatione, præterquam quod cohærent omnia cum

cum antecedentibus, etiam cum consequentibus dici nihil conuenientius poterat, quàm, vt posteaquam per Fidei Prædicatores tanquam terrestres quosdam cælos, *lucentes sicut luminaria in Mundo*, *verbum vitæ continentes*, Philip. c. 2. 16. fuisset populis, & nationibus Mundi Fides Christi annunciata; eamque illi amplexi, agnouissent eiusdem Domini Iesu Maiestatem, & Diuinitatem; dici, inquam nihil conuenientius poterat, quàm, vt tandem A

V. 7. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulacris suis. B

Iam enim ***viderunt omnes populi gloriam eius***; iam agnoscunt, & prædicant, quod ipse Dominus Iesus Christus sit Dei Vnigenitus, plenus gratiæ, *&* veritatis; ideò ***confundantur***, &c. Et id quidem cur non benè, & meritò faciant populi omnes, vt spretis, & proiectis, atque conculcatis ***sculptilibus***, & mutis ***simulacris suis***, illum solùm Dominum, ac Deum adorent, & colent? quandoquidem Deus Pater cælestis mandat ipsis etiam Angelis;

Adorate eum omnes Angeli eius. S. Paulus ad Heb. 1. 6. ex C

his verbis Christi Domini nostri Diuinitatem probat; & ex eo, vt in Psalmi Argumento insinuaui, ostenditur, S. Dauidi sermonem esse hoc Psalmo de Christo. Quod autem sit de Christo non ad Iudicium vniuersale venturo, sed, provt hactenus dictum est, veniente per Fidem suam, illuminantem, conuertentem, & saluantem animas, ipse S. Apostolus eiusdem Epist. ad Heb. cap. hoc ipsum S. Dauidis testimonium allegando, claris, & distinctis verbis ostendit, & docet; nam ait de Patre; ***Et cum iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ dicit. Et adorent eum omnes Angeli eius.*** Sensus horum verborum verus, & qui ab illa difficultate (& quandonam scil. ***iterum introductus sit Vnigenitus Dei in Orbem terrarum?***) facilè expedit, ille est, quem paucissimis adfert P. Emm. Sà; quod scil. intelligatur, non quod ***iterum introducatur Vnigenitus in Orbem terrarum***; sed quod Pater æternus, quem prius dixerat, dixisse de Filio, ***Filius meus es tu***, &c. de eodem ***iterum*** dicit, cum ***introducit***, &c. idest cum de eiusdem Filij sui in Mundũ aduentu loquitur. Quod autem S. Apostolus de aduentu eius per Fidem in Mundum, & non ad iudicandum Mundum loquatur, provt etiam S. Dauid, clarè apparet ex toto illo capite ad Hebræos, vbi ne mentio quidem fit extremi diei Iudicij, sed omnia de præsenti Ecclesiæ statu dicuntur. Hæc ergo omnia, quæ ad magnificam, & supremam omnium gloriam Domini Iesu spectant; D E

V. 8. audiuit, & lætata est Sion. ipsa eius Sponsa Ecclesia.

Et exultauerunt filiæ Iudæ, tam particulares quæque animæ fideles, quàm Ecclesiæ ipsæ Populorum, & Nationum eidem vniuersali Sioni, Ecclesiæ Catholicæ subiectæ ***exultauerunt***, hæc de Domino Iesu audientes; quod scil. ipsi data esset omnis potestas in cælo, & in terra, ipseque esset constitutus Iudex viuorum, & mortuorum, Caput Ecclesiæ Deus, ac Dominus hominum, & Angelorum; F

exultauerunt **propter** hæc, & similia **iudicia tua Domine:** de his enim loquitur iuxta

soli-

A solitam sibi phrasim, qua ait, Dominum *iudicare populos*. Et confirmat, seseque ipsum explicat S. Dauid, quod Filiæ omnes Iudæ *propter* hæc *iudicia Domini* exultauerint; nam subiungit; ideò exultasse,

V. 9. Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super
B omnes deos. Planè lætata est Sion, S. Mater Ecclesia, & cum ea omnes aliæ eius *Filiæ*, quando quod tantis votis exoptabat cum Dauide; *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua*. Psal. 56. 12. vidit, & dicere potuit; *Quoniam*, &c. *nimis exaltatus es. Nimis*, vt benè notat P. Lorinus (qua particula Interpres noster vtitur) non vitiosum excessum significat; sed rei magnitudinem admirabilem, ac propè infinitam. Ne in hac Fidelium exultatione propter Domini exaltationem aliqua eis subrepat vana extollentia; & vt ipsi Altissimo, qua par est, humilitate, & sanctitate seruiant, admonet omnes;

C V. 10. Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos. Noueritis omnes, Dominum odisse malum, amare sanctos, eosque solitum esse liberare, communicareque iustis sua bona.

D V. 11. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. sic agendo

V. 12. Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

E

PSALMVS XCVII.

Cantate Domino, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCVII.

F *Psalmus ipsi Dauid*.


ON potest inter angustos paucarum laudum cancellos recludi Domini Iesu gloria; ideò nouum Canticum, & nouam, licet cum prioribus coniunctam, laudandi materiam præscribit Sanctus Dauid Domino Christo suo.

PSAL-

A

PSALMVS XCVII.

Cantate Domino canticum nouum: propria horũ verborum significatio posita est supra Psalmi 95. initio: vult ergo S. Dauid, vt Christi Fideles persistentes in vitæ sanctitate, & innocentia, ad quam vocati sunt in Christi Ecclesiam ingressi, perseuerent in lætitia, gaudio, & cantico, memores, & in otiuũ ad hęc habentes, quia mirabilia fecit. Etiam illo Psalmo 95. v. 3. iubebat, *annunciari in omnibus populis mirabilia eius*. Ibi quia statim progressus fuerat ad id, quò potissimum suus eum affectus incitabat, scil. ad ostendendum, *Quoniam magnus Dominus*, &c. qui ea mirabilia operatus fuerat; hic persistit magis ijs ipsis mirabilibus, quæ tantùm summatim attigerat, non quidem omnibus, sed eorum saltem præcipuis particulariter recensendis. Inter quæ primum, & quod alia consequuntur illud est, quod B

Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius; C idest, vt benè P. Lorinus, (licet enim in Argumento Psalmi differat; tamen in contextu passim concordat) Christus potentia propria, & per se ipsum solus saluauit, fuitque sufficiens sibi ipsi ad saluandum populum suum; sic Isaiæ c. 59. v. 16. *saluauit sibi brachium suum*. Etiam sensum hunc verba illa recipiunt, *saluauit sibi* populum ad obsequium proprium, & vt peculiarem populum suum: & sic Basilius, & Theodoretus legunt *sibi*, quod Deus pro sua benignitate mortalium vitam suum ducit emolumentum. D

Hoc autem loco Sanctus Dauid non tam salutem illam immediatè per Crucem, & mortem Domini Dei Vnigeniti partam, quam illam hanc consequentem per Fidei eius prædicationem toto Orbe factam, obtentamque intelligit; hoc enim inter mirabilia cantanda fuit maximum. Sic etiam Isaias c. 25. cum dixisset, *Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, &c.* deinde veluti insinuans quænam illa essent, subiungit; *Super hoc laudabit te populus fortis, Ciuitas gentium robustarum timebit te*. quæ de conuersione Gentium, & ipsius Gentium Dominæ Romæ dicta fuisse, ostendetur. Etiam ea, quæ sequuntur, ostendunt sermonem esse de illa salute allata Mundo per Euangelij prædicationem; nam planè constat, quia *saluauit sibi*, &c. siquidem E

V. 2. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suã. Dominus, ait Apostolus Rom. 10. 12. *diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim, quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit*. vt igitur possent inuocare, & salui esse; *Notum fecit Dominus salutare suum*, per Prædicationem Euangelij; quia autem prædicatus est Christus, & hic Crucifixus; Christus, inquam, Crucifixus, qui est Dei virtus, & Dei sapientia; simul eadem prædicatione *in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam*. per *iustitiam* intelligendo proprium Iustitiæ Diuinæ attributum, quod maximè in prædicatione Christi Filij Dei pro Mundi peccatis F

catis

A catis crucifixi, & mortui, maximè innotuit; sed etiam cum ea viscera misericor-
diæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto; & verè

V. 3. Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.

Ad hunc Versum benè ait P. Lorinus, quod Deipara videtur in
Cantico suo hinc mutuata Versum illum; Luc. 1. *Suscepit Israel puerum suum re-
cordatus misericordiæ suæ.* Id omninò ita est, & ex hoc ipso, quod Beatissima Vir-
B go ad hunc Versum alluserit, constet de veritate Argumenti Psalmi huius supra
positi.

Itaque tam S. Dauid, per *Domum Israel*, quàm ipsa Beatissima Deipara per
Israel puerum intelligunt non illum Israelem carnalem; sed eum, qui per repro-
missionem est, qui sunt omnes Dei electi toto Orbe dispersi, & per Fidem in vnam
Domum, seu in vnum Christi corpus colligendi; id quod quando factum est per
Fidei Prædicationem vniuersalem, & Gentium toto Orbe in Ecclesiam ingres-
sum, meritò dicitur Dominus *recordatus misericordiæ suæ, & veritatis suæ*, quia id
C quod misericorditer promiserat, fideliter est executus. Atque ita felicissimè fa-
ctum est, vt sicuti ipsa Dei, ac Domini Nostri Iesu Christi Mater, ac Virgo Maria
cum meritissimo Patre suo Dauide in Cantico suo, & præsentem Dei *misericor-
diam*, & veritatem magnificabat; & mox eandem *à progenie, in progenies* diffun-
dendam prædicebat; factum, inquam, est, quod omnino

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

Omnes terminos terræ vidisse salutare Dei, res tanta est, & tam solidæ
D lætitiæ causa; vt propterea S. Dauid (intimè penetrans ingens illud,
& infinitum bonum tam multarum animarum ex omnibus terminis terræ colli-
gendarũ salutis æternæ, in Dei viui Beatifica visione æternùm perennatura con-
stitutum) vt, inquam, propterea S. Dauid reliquis omnibus Versibus, vsque ad fi-
nem Psalmi, & ipse totus lætitia subsiliat, & alios omnes ad eandem inuitet:

V. 4. Iubilate Deo omnis terra: cantate,
E & exultate, & psallite.

V. 5. Psallite Domino in cithara,

ex multiplicitate, & multitudi-
ne instrumentorum musicorum, quibus vult, & mandat psalli Domino, non so-
lùm magnitudo lætitiæ, quæ capienda est, colligitur; sed etiam eadem opera ex
affinitate, proportione, & similitudine, quæ eadem instrumenta habent cum re-
bus spiritualibus, docemur qualisnam, & cuiusmodi esse debeat gaudium no-
strum; vtique non carnale, sed spirituale; non in Mundo, sed in Deo; non in vani-
F tatibus, & voluptatibus; sed in sensuũ, & carnis mortificatione, **in cithara, & voce psalmi.**

V. 6. In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Hæc ad mores, & spiritum applicare, cuique facilè erit; præcipuũ S. Pro-
phetæ Dauidis intentum est Christi fidelibus omnibus in eius Ecclesiam

congregatis,ipsique toti Ecclesiæ eius ostendere, quàm magnam, & inexplicabilem habeant causam lætandi. A


Iubilate in conspectu Regis Domini. Eius siquidem grati estis aspectui,& in conspectu eius moramini,& degitis,qui est *Rex Dominus*, quo nihil maius, aut melius est; ideò *iubilate*.

V. 7. moueatur præ lætitia,& exultatione, mare,& plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo. B
Ad omnes siquidem peruenit *salutare Dei*, in quo salutem possunt sempiternam consequi.

V. 8. Flumina plaudent manu; hoc loco per *flumina* (quæ per illam similitudinem, *plaudentium manu*, significantur præ reliquis omnibus maius habitura gaudium) intelligere possumus cum Procopio, & Cyrillo Alexandrino viros sanctos,& Doctores, qui doctrina, & vita irrigant alios; id quod esse iuxta C
mentem S.Dauidis colligitur ex Psal.64.v.10. *Flumen Dei repletum est aquis*, vbi dictum est intelligi viros Apostolicos, & Fidei Prædicatores, concordante Isaia c.59.19.qui de eadem re loquens, eadem vtitur similitudine, *Et timebunt, qui ab Occidente,nomen Domini, & qui ab ortu Solis,gloriam eius: cum venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit*. Fluuius magnus S. Paulus Doctor Gentium, quàm plauderet, frequentissimè ipse testatur in suis Epistolis, dum Fideles vocat *gaudium suum, & coronam suam*. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium,aut corona gloriæ? Nonne vos*,&c.1.Thess.2.19.Eiusmodi ergo *flumina plaudent manu*; D
simul montes exultabunt; etiam per montes intelligendi sunt viri in Ecclesia vitæ sanctitate, & dignitate conspicui, qui sicuti multis pro animarum salute laboribus onerantur; ita de earum conuersione,& in vita, atque perfectione Christiana profectu, singulare gaudium percipiunt, idque hac de causa

V. 9. à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram, illo suo benignissimo, optabilissimo, & vtilissimo sæpiùs iam explicato iudicio, quo E

Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate.



PSAL.

A

PSALMVS XCVIII.

Dominus regnauit, irascantur, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCVIII.

B

Psalmus ipsi Dauid.



Anctus Dauid totus in Domini Christi sui Regno magnificando intentus, vt iuxta desideria sua, quæ priori Psalmo proposuerat, *omnis terra illi iubilaret, exultaret, psalleret in cithara*, &c. iterum hoc Psalmo Summi ipsius Regis magnificentiam, & Maiestatem planè Diuinam, Regnum, ac Dominium illius in omnes homi-
C nes exponit. Atque exemplo adducto, & comparatione facta rerum Christaniarum præsentium cum antiquis figuris, & vmbris; illasq. his longè, vt par est, præferendo, Christi fideles omnes ad præstandum ipsi tanto Regi Deo, ac Domino cultum, & obsequium omne in omni sanctitate, & iustitia exhortatur; ideòque Psalmum inscribit, prout supra; *Psalmus ipsi Dauid*. Itaque Sanctus Dauid cordis sui lætitiæ, quam ob pacificum, & opulentum Domini Christi sui Regnum, eiusdemque in eo exaltationem, & gloriam percipiebat, finem, & terminum veluti nesciens imponere; denuò exclamat;

D

PSALMVS XCVIII.

Dominus regnauit: quia verò (vt priori Psalmo dixerat) *flumina* quidem plausum editura manibus, & montes *exaltaturos* ipsi Regi non dubitabat; dubium tamen magnum, & timor rationabilis erat, ne inferioris gradus, & perfectionis communioris ho-
E mines fideles suo, vt non par esset, officio fungerentur, eos potissimùm hic extimulat Sanctus Dauid, **irascantur populi:** Cassiodorus, & Rikelius, nec non & ipse P. Lorinus explicant de ira salubri, qua insurgant populi contra vitia sua, eaque vindicent. Certè S. Dauid loquitur iuxta affectum, & desiderium suum, quod expresserat Psal. 4. vbi *quoniam mirificauerat Dominus Sanctum suum*, imperabat; *irascimini, & nolite peccare*; v. 5. Hæc explicatio in connexissimam consequentiam venit: præ alia, quæ ait Dominum regnasse, quicquid obstiterint tam Synagoga, quàm Gentilium plurimi; du-
F dum enim celebrata est de ijs superatis victoria. Deinde Sanctus Dauid omnibus sequentibus Psalmi huius versibus ad sanctitatem, & opera Christianis digna fideles excitat; ergo & hic idipsum facit; quid enim ab insultatione, siue Iudæis obstinatis, siue Infidelibus Gentium populis facta transiret ad Fideles commodi? Hos ergo solos, quod operæ pretium, & necessarium erat, vt dictum est, extimulat, vt quia *Dominus regnauit, irascantur populi*. Vt omninò ad irascendum, & ad

detestanda, & eliminanda peccata impellat, Domini regnantis Maiestatem proponit, & ait, *Dominus*, qui *regnauit* ille ipse est, qui sedet super Cherubim; hic Sanctus Dauid Domini Iesu Diuinitatem expressit, allusione facta ad Arcam, sicut infra magis explicabit. Est ergo sensus, quod cum constet, Deum sedisse super Cherubim, seu Propitiatorium, & vsum fuisse Arca, tamquam scabello pedum suorum, ille ipse, & non alius modò in Ecclesia sua regnet, & propterea dignum, atque conueniens sit, vt *irascantur populi*, & moueatur terra, terreni homines, ad illum adorandum, & colendum debito tanto Regi, & Deo cultu. Nunc enim A B

V. 2. Dominus in Sion, in Ecclesia sua, quod non fuit in Synagoga, magnus: & excelsus super omnes populos. Propterea in tam felici Regno, & statu subditi omnes tui agnoscant felicitatem suam;

V. 3. Confiteantur nomini tuo magno: quoniam terribile, & sanctum est: eodem sensu hæc explicanda, quo dictum est supra, Regem scil. nostrum Christum colendum esse vitæ sanctimonia, & integritate; nam C

V. 4. & honor Regis; si cuiusque, qui benè regere velit, quantò magis huius Regis nostri cælestis? iudicium diligit; amat, & vult, quod iustum, bonum, & sanctum est. Et quia de omnibus vniuersim Regibus dictum est; *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius*. Prou. c. 25. 5. nemo hoc Rege nostro Sanctior: verè qui Sanctus Sanctorum es; D

Tu parasti directiones: Hier. fundasti æquitates. Chald. præparasti rectitudinem. P. Em. Sà; dedisti præcepta recta: per ipsum *erunt praua in directa, & aspera in vias planas*. Luc. cap. 3. 5. iudicium, & iustitiam in Iacob tu fecisti: illius vitæ sanctę, & innocentis, quæ in spirituali Iacob Ecclesia reperitur, auctor, & operator est ipse Dominus. Hunc versum totum explanat S. Paulus ad Titum c. 2. v. 11. & 12. dicendo, quod *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo*, &c. Ita omninò; hac vitæ bonitate, & sanctitate omnes, qui estis eius fideles, & serui, E

V. 5. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est. Ad excitandos omnes Christi Fideles, vt in illa eximia vitæ sanctitate Dominum Regem suum exaltent, hoc versu vtitur argumento desumpto à cultu, qui exhibebatur Arcæ; & inde argumentatur, quod si ipsa ex eo, quod contineret Legis Tabulas, Virgam Aaron, F

quæ

A quæ fronduerat, manna, supraque haberet Propitiatorium, Tabulam scil. auream sustentatam à Cherubim; si, inquam, illa propterea (& etiam, quia Dominus dicebatur sedere super Cherubim, & ipsam habere veluti scabellum pedum suorum) adorabatur, multò magis, ait S. Dauid, vos Christi Fideles *exaltate Dominum Deum nostrum*, Dei scil. Vnigenitum, quem Regem, ac Dominum habetis; *& adorate scabellum pedum eius*, ipsam Sacratissimam eius humanitatem (de hac enim hìc est sermo cum illa allusione ad Arcam) quoniam hoc eius scabellum *sanctum est*; de quo dicitur Luc. 1. 35. *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius*
B *Dei.* & ad Coloss. c. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* & v. 9. & 10. *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Hinc Sancti Patres, quos plures, & fusiùs citat P. Lorinus, desumpsisse videntur breuem illam, & dilucidam explicationem difficultatis illius, quæ oritur propter *adorationem* exhibendam *scabello pedum eius*; nam Sancti Ambrosius, & Augustinus, cum nihil adorandum præter Deum doceant, neque *scabellum pedum Dei*; prout de terra dicitur; dicunt carnem Christi censeri terram, & scabellum, & adorari in Christo, quia non est diuisus Christus, sed vnus; nimirum ob vnam hypo-
C stasim. Sic & S. Leo dicit, & Verbum in homine, & hominem in Verbo adorandum. Plura videri possunt apud P. Lorinum: ad connexionem hoc satis est, quod S. Dauid hoc loco à minori argumentetur ad maius, & pergit in eodẽ argumẽto:

V. 6. Moyses, & Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui inuocat nomen eius: sensus est; si viri hi primarij, quos tanquam Principes, & capita in cultu
D diuino procurando enumerat, cum alijs, & ipso toto populo bono, qui censentur inter eos, *qui inuocant nomen eius*; si, inquam, ipsi cum præsentiam suam Dominus per Arcam demonstraret.

Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos. resumendum est; si ipsi, ita in diuinis eius obsequijs exacti, & accurati erant; quando Dominus

E V. 7. in columna nubis loquebatur ad eos. Si ipsi, qui boni erant;

Custodiebant testimonia eius, & præceptum, quod dedit illis. quod sequitur est in parenthesi, & Deum alloquitur, quod & verè

V. 8. Domine Deus noster tu exaudiebas
F eos: Vnigenitus Dei est *Dominus Deus noster*; ipse dicitur exaudiuisse eos, quia Verbo Domini, & Sapientiæ eius adscribuntur ea, quæ cum ipsis facta fuerunt; Deus tu propitius fuisti eis; nunc quidem parcendo eorum sceleribus; interdum etiam ea seuerè castigando; & vlciscens in omnes adinuentio-

nes

nes eorum. Si,inquam, hæc illi,& beneficijs prouocati, & flagellis coerciti,futurorum bonorum vmbras tantum habentes,illum tamen cultum Domino præstiterunt: vos ò Christi Fideles ipsa bona, ipsam veritatem, ipsum Dominum habentes multò magis, A

V.9. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, qui est eius Ecclesia, in qua estis, quoniam sanctus Dominus Deus noster. B

PSALMVS XCIX.

Iubilate Deo, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi XCIX. C

Psalmus in confeßione.



IN hunc finem exultandi, & adorandi, laudandi, & benedicendi Dominum Deum nostrum Sanctus Dauid omnibus Christi fidelibus, sic in monte Sancto eius congregatis, Psalmi huius, quem vocat; *In confessione*; paucos versus; sed, vt D. Augustinus ait, magnarum rerum grauidos proponit. Psalmi Argumentum,& Titulus est; *Psalmus in confessione*. Hoc titulo significatur, quod Psalmus hic sit in gratiarum actionem, siue pro laude, & ad laudem Dei, siue ad confitendum, & laudandum Dominum. Ex quo colligitur eius Argumentum non aliud esse, quàm Deo Domino Christo laudem,& confessionem referre ob beneficia accepta, maximè illa, quæ prioribus Psalmis recensita fuere, Conuersionis scilicet, & Vocationis Gentium ad Fidem eius sanctam, & ingressus in eius Ecclesiam, quibus effecti noua creatura, populus acquisitionis, gens sancta,&c: *populus eius, & oues pascua eius*. v.3. D E

Ita omninò, ad hæc eiusmodi beneficia primariò respicere Sanctum Prophetam, & non vniuersim ad omnia creationis, gubernationis, protectionis, &c. vt volunt aliqui, bona rerum hactenus dictarum cohærentia persuadet, & vis sacri textus. Propterea fatentur vel ipsi Rabbini de suo Messia, Psalmum hunc vaticinari;fore,vt ei confiteantur omnes Gentes,& ipse recipiat eas, iuxta vaticinium illud aliud Isaiæ cap.45.v.24. *quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua*. Quod sanè eorum testimonium suo modo manifestat veritatem Argumentorum tam huius, quàm aliorum præcedentium Psalmorum; siquidem omnia connexa sunt, & ab inuicem dependentia. His ita notatis magno cordis sui iubilo exclamat S.Dauid; F

PSAL-

A

PSALMVS XCIX.

V. 2. Iubilate Deo omnis terra; omnes Gentes, ex omnibus Mundi partibus in eius Ecclesiam, vt hactenus supra dixi, & celebraui, adductæ, *Iubilate*; seruite Domino in

B lætitia: nam verè *gloria, honor, & pax omni operanti bonum.* Rom. 2. 10. & pax multa, & pax Dei, quæ exultat in cordibus, ea exultare faciens, & exuperat omnem sensum. Sancti, Seruorum Dei Duces, ac Patres, Religionum Illustrissimarum Institutores, penè omnes, filijs suis lætitiam in Dei seruitute vnicè commendarunt. Hugo admonet, ne lætitia sit dissoluta, quia Deo iubilatur; ne superba, quia seruitus exigitur.

Introite in conspectu eius, in exultatione.

C non de ingressu in Tabernaculum, vel Templum loquitur, sed de introitu in Ecclesiam sanctam, per Fidem: planè bono, lætoque animo esse iubentur, qui sic ingrediuntur ad Dominum, futuri deinceps eius serui, & habitaturi in Domo eius, in qua ipse est in medio eius; de Christianorum lætitia sic loquitur D. Petrus 1. suæ Ep. cap. 1. *quem* scil. Iesum Christum, *cum non videritis diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata: reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* quis non exultet, & ob præsentia animæ bona, & ob mox obtinendam salutem? Nihil autem mirum est,

D si ex fide, & dilectione in Dominum Iesum Christum tam inenarrabilis, & glorificata lætitia oriatur; nam

V. 3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: quem Dominum, & Regem habemus, ipse & Deus est omnipotens, misericordissimus, benignissimus. Hac Fide Diuinitatis suæ ipsemet Dominus erigebat suos Apostolos, Ioannis c. 14. 1. *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.* Ne autem hinc, quod tantum Dominum, tam-

E que diuitem, & liberalem in omnes, qui inuocāt illum habeamus, vanitate aliqua extollamur, & alta sapiamus; sciendum pariter est, quod ipse fecit nos, & non ipsi nos; non tam, & solùm, vt homines essemus; nam de Creatione primariò non loquitur S. Dauid; sed multò magis de reparatione, & instauratione per Conuersionem, & Vocationem in Ecclesiam suam, *ipse fecit nos*, vt essemus *genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; *ipse fecit, & non ipsi nos.* Præterea, vt tantis bonis in eius Ecclesia ditaremur, & fieremus

F Populus eius, & oues pascuæ eius; ipse est auctor, qui de se ait, Ioan. c. 10. 9. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Itaque, ò Populi, ò Gentes, & Nationes,

V. 4. introite portas eius in confessione; per Fi-

dem

dem in Dominum Iesum Christum, *introite portas eius* Ecclesiæ sanctæ, in confessione introite; *quia* (Rom.c.10.v.9.) *si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, &c. Hæc autem Fidei confessio præteritorum peccatorum detestationem, vitæ emendationem, dilectionem in Dominum Iesum, & bonorum operum operationem coniunctam habet; propterea qui sic portas introierunt, deinde ijs dicitur, vt inhabitent atria eius in hymnis: & plena cordis lętitia confitemini illi. A B


Laudate nomen eius. O qualem! quàm bonum! & quàm suauem Dominum habemus! Ecce! (& nescio, an de eius bonitate, & suauitate dici aliquid maius possit)

V. 5. Quoniam suauis est Dominus; ideò ex hac causa, & origine bonitatis, & suauitatis eius infinitæ sequetur, quod erga nos fideles suos, suamque Ecclesiam duratura sit in æternum misericordia eius, benè, vt cępit, nobis faciendo; & vsque in generationem, & generationem veritas eius, fidelissimè omnia, quæ promisit, exsoluendo. Ex his ipsis fontibus anima illa semper immaculata Sanctissimæ Genitricis Dei Mariæ clementissimæ Dominæ, Aduocatæ, & Matris Nostræ pientissimè argumenta inexhausta magnificiendi Diuinam Maiestatem desumpsit, quia scilicet, *Misericordia eius à progenie in progenies*, &c. *sicut locutus est*, &c. Luc. 1. Sunt ergo Versus hi pauci, magnarum, vt initio dictum est, rerum grauidi, non solùm quia iam explicata grandia mysteria continent, verùm etiam quia dicta supra pluribus Psalmis compendio quodam restringunt. C D

Nunc ad Centesimum deueniendum est Psalmum, qui ita Secundam Psalmorum Quinquagenam terminat, vt initium det Tertiæ.







PSALTERII DAVIDICI CONCORDATI PARS QVARTA.



IN PSALMVM CENTESIMVM, Et in Tertiam Psalmorum Quinquagenam PRÆFATIO.

A *His ab Ecclesia, eiusque Fidelibus persolutis laudibus Christo Regi suo; dum eam nihilominus S. Dauid deinceps etiam nobis propositurus est, vt pace, tranquillitate, & publico diuino cultu gaudentem, opportunum hunc locum esse iudicauit, vbi ipsum Dominum Christum eius Sponsum, quem ab initio Psalmo 2. v. 6. dixerat* constitutum super eam (*quæ est* mons Sion Sanctus eius) *Regem; &, quem etiam*
B *tam multis iam præcedentibus Psalmis*, regnantem, *celebrauerat, vt vidimus; opportunum, inquam, hunc locum esse iudicauit, vbi eum etiam loquentem introduceret, & (quod ibi promissum fuerat)* prædicantem præceptum eius, *Psal. 2. v. 6. (quod fieri post regni adeptionem debebat) eundem Summum Regem nobis proponeret. Hoc ergo facit hoc Psalmo, loco, vt dixi, & opportunissimo, ob rerum hactenus dictarum cohærentiam, & con-*
C *uenientissimo, ob progressum in Psalmis factum vsque ad Numeri Centenarij perfectionem.*

Quod autem ea, quæ hoc Psalmo dicuntur, de Christo sint, ipsique conueniant, Titulus indicat, qui est; Psalmus ipsi Dauid.

Quod vero etiam illa, quæ Psalmo toto dicuntur, veluti in Christi Persona

dicantur, patet ex ipso textu; nam cum plena veritate à nullo alio Rege, præterquam Christo, dici possunt; qua etiam sola ratione argumenta eorum, qui Psalmum hunc, vel ad Iosiam, vel ad Dauidem ipsum literaliter referunt, non posse subsistere, ostenditur. Quis enim Regum aliorum semper in via immaculata? *quis* perambulabat semper in innocentia cordis? *quis, cui nunquam adhæserit cor prauum? quis potuit* disperdere de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem? A

Quod autem de Christo, & in eius Persona vniuersa, quæ Psalmus habet aptissimè, verissimèque dicantur, constabit ex eius explicatione. Ad hanc sententiam accedunt Valentia, & Treuetus; quatenus volunt, altius hæc transferri ad perfectionem cuiuslibet Christiani, atque ad Christum ipsum. B

Qui verò volunt, duplicem hoc Psalmo attingi Aduentum Christi, ex eius explicatione patebit, id in eo non tractari.

Quod autem maximè facit ad hactenus propositam in Psalmis connexionem, & cohærentiam; valdè C

Obseruandum est, hoc Psalmo Centesimo, ita à Christo Rege, ac Domino nostro, quæ ad ipsum omni iure, & proprietate pertinent, proponi; vt simul ea ipsa, quæ dicuntur, sint Summa quædam Capita, & Compendium, seu Argumentum Vniuersale dicendorum sequenti Tertio Quinquagenario Numero Psalmorum, planè seruata semper proportione, & symmetria cum primo, & secundo Quinquaginta Psalmorum ordine. Nam sicuti subinde in eorum decursu statuebat quosdam Psalmos, qui aliorum essent Capita, & summatim res dicendas proximè sequentibus Psalmis continerent (quod mirificè seruit, & exigitur ad connexionem seruandam, & ostendendam) ita, & hoc loco idipsum obseruat. Cum hac tamen differentiâ, quod (iuxta rerum, quæ hic pertractantur, & tractari vltimo hoc Psalmorum ordine debent, exigentiam) ea se deinceps propositurum, & decantaturum ostendit hoc Psalmo, quæ in Domo sua, quæ est Ecclesia perpetuò reperiri, vigere, atque florere debent status nimirum felicitatem, bonorum abundantiam, vitæ innocentiam, à malis separationem, virtutum exercitium, perfectionis, & sanctitatis studium; & consequenter perpetuam animorum lætitiam. D E

Hæc ipsa ferè sunt, quæ postea fusius pulcherrimo ordine exponuntur.

Quod autem Psalmus eiusmodi rerum Capita summatim contineat, statim inspicienti illum ostendetur. Nam, sicut alias dictum est, quandoquidem Christi Regis, ac Domini Nostri gloria, & exaltatio ex decora, perfectaque eiusdem suæ Ecclesiæ constitutione, perfectione, atque integritate eximium acceptura erat splendoris incrementum; idcircò S. Dauid, his, quæ supersunt Psal- F

A *Psalmis Mysteria, & Laudes in eum finem dirigit, vt Christo Iesu suo, atque etiam nobis* exhibeat Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed, vt sit sancta, & immaculata. *Ephes. c. 5. v. 27.*

Propterea hunc ipsum pulcherrimum eius statum, & verè Vnam, Sanctam, Catholicam, Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, eiusq; omnes filios, & ministros, pro graduum, ac munerum differentia, omnes bonos, sanctos, ac Deo B *dilectos in ea exultantes, & Dominum continuis laudibus celebrantes, S. Dauid tanquam si felicitatis ab eadem Ecclesia obtentæ tempori corpore præsens coextitisset (nam spiritu præsens aderat) Psalmis pulcherrimis, sensu, mysterijs, & lætitia plenissimis, eandem, vt viuis coloribus, exactissimè expressit.*

Neque verò, vt res tanti momenti exigebat, omisit ipse sæpius, etiam in præcedentium Psalmorum decursu, agere, vt vidimus, de eadem Christi Ec- C *clesia; sed quia Persecutionum, quibuscum colluctantem ipsam proponebat, crudelitas, Fidei propagatio, Idololatriæ destructio, Gentium conuersio, Populi Iudaici obstinatio in sua perfidia, & ob eius ruinam, & exterminium luctus, aliaque eiusmodi eius animum in varia, nunquam tamen ad aliena euariantem, distrahebant; minus poterat, plenè, vt voluisset, in id, quod maximè optabat, & quod cùm tam semper optata, intentaque Christi sui gloria coniunctissi-* D *mum erat, se se explicare, atque extendere.*

Nunc tanquam sereno cælo, & patente campo, ac mari, quàm lætissimè, latissimèque excurrit: quamuis, quod dixi lætissimè, non ita semper omni ex parte excurrat. Nam etiam in hoc vltimo Psalmorum ordine, licet moderatiùs, & parciùs, in aliquos tamen prorumpet gemitus, & lacrymas, quas altissimè eius cordi infixus erga perdendum Populum suum Iudaicum amor, more solito illi exprimet, idque non ita multò post, persoluto scil. hoc ipso Psalmo, quem ex- E *plicandum aggredimur.*

Itaque Iesus Christus Dei Filius, Dominus, ac Rex noster, constitutus, *vt dictum est,* Rex super Sion montem Sanctum Ecclesiæ, prædicare *incipit* præceptum Domini; *Psal. 2. v. 6. siue ea, quæ in eadem Ecclesia sua volet ipse obseruanda fidelibus suis subditis proponere. Cum autem, vt supra in Psalmi 85 Argumento ex D. Augustino insinuatum sit; quomodo Christus, re-* F *spectu diuersorum, oretur à nobis, & oret ipse in nobis, & pro nobis. Hoc Psalmo, non tam orans, quàm, vt Caput Ecclesiæ, & vt Dilectissimus Dei Vnigenitus, qui ardentissimo Zelo Patrem suum cælestem glorificare contendat, tanquam Leges sanciens introducitur, iuxta primarium, ipsique soli debitum officium. Ipse ergo ita ad Patrem loquitur;*

A

PSALMVS C.



Isericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Duo hæc Diuinæ Maiestatis attributa, Misericordia, & Iudicium, siue Iustitia, seu Veritas, ita frequenter celebrata hactenus sunt in varijs Psalmis, vt dici possit, *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*; & quia hoc ipsum postremi Psalmi prioris verbis commendabatur; quod, *Quoniam suauis Dominus; in æternum misericordia eius, & vsque in generationem, & generationem, veritas eius*; Christus Dominus ab his ipsis orditur, hoc sensu, quod quandoquidem ipse, vt Caput Ecclesiæ in se, & membris suis, tota Ecclesia, tam eximiam esset expertus Domini misericordiam, & iudicium, seu veritatem, fidelissimè dando quæ liberalissimè promiserat; ita ait, & ipse cum meis totaque Ecclesia; *Misericordiam, & indicium cantabo tibi Domine*; idest celebrabo, & vbique semper deprædicabo misericordiam, quam mecum fecisti; & quia cum ea etiam iudicium tuum, siue veritatem, & fidelitatem commendasti; simul etiam ego, vt fidelis sim in cultu tuo, vt in veritate, sanctitate, & innocentia vitæ ambulem (vt caput Ecclesiæ pro membris loquitur) adlaborabo; quod autem hoc intellexerit per *iudicium*, statim explicat, non tantùm sequenti, sed etiam omnibus alijs Psalmi Versibus; & certè si in applausibus, qui summo huic Regi Nostro iam inde à Psalmo Nonagesimo secundo huc vsque dabantur, frequentissimè insinuabatur, quantopere ipsi cælesti Regi placeret confessio, pulchritudo, sanctitas, canticum nouum, &c. si dicebatur, quod diligeret iudicium, parasset directiones, &c. quidni, & ipse hæc eadem approbet? Omninò ait, *iudicium cantabo*, &c. quod qualè sit futurum, explicat;

B

C

D

Psallam,

V. 2. & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Etiam hic, & deinceps, Christus, vt Caput Ecclesiæ loquitur, & ait; *quando venies ad me Domine*; futurum ponitur pro præsenti, & supponit, quod iam venerit iuxta promissa; Ioan. c. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; *quando* ergo *venies ad me*, quando optatissimum illud tempus aderit, quo, vt nunc est, præsentiam tuam, gratiam, & fauorem tuum mihi, & Fidelibus tuis communicabis, vt facis; tunc *intelligam*; S. Hier. erudiar *in via immaculata*, in via perfecta; dabo operam perfectioni, P. Emm. Sà. Etiam Versu 6. meminit *vitæ immaculatæ*. His locis, votis, & præceptis correspondet Psalmus 118. *Beati immaculati in via*. reliquis Versibus alij Psalmi proportionati, quoad materiam; nam, vt dictum est in Argumento Psalmi, Psalmus hic, summam quandam continet totius Tertiæ Partis Psalterij. Sed pergit S. Dauid in Persona Christi.

B

E

Perambulabam in innocentia cordis mei,

in

A in medio domus meæ. Licet S. Hier. & Chald. Interpres habeant, *ambulabo*; nihilominus standum Versioni nostræ; nam illo verbo præteriti imperfecti temporis significat nullo non tempore ambulasse, seu semper ambulasse, & ambulaturum in se, & suis *in innocentia cordis sui, in medio domus suæ*, quæ est Ecclesia Sancta Catholica; quæ enim, & vbi extra eam innocentia, & sanctitas?

V. 3. Non proponebam ante oculos meos

B rem iniustam: S. Hieron. habet non proponam; sed dicendum, vt prius: facientes præuaricationes odiui. quàm sæpè, quàm multis, & quàm vehementibus, & asperis verbis Dominus per se, & seruos suos Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Doctores, & Pastores animarum arguit, prohibet, minatur, reprehendit, & detestatur iniquitatem! ex quo mira est malorum Christianorum insania, dum tot sibi contradicentibus, & paratis sibi tot pœnis, nihilominus peccant. En quid adhuc dicat Dominus;

C Non adhęsit mihi

V. 4. cor prauum: non fuit mihi familiare, seu amicum cor, quod prauum esset; prauum quidem, & inscrutabile est cor hominis, sed quod potest diuina eius gratia rectum fieri: praui ergo homines procul sunt ab eo: & declinantem à me malignum, hominem scilicet recedentem à me, seu dissimilem mei in vita, & moribus;

D non cognoscebam: non habui inter amicos, & notos. Id clarè ipse Dominus Iesus, Luc. 13. 26. & 27. testatur. *Tunc incipietis dicere manducauimus coràm tè, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis, nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis.*

V. 5. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Chald. habet, loquentem lingua triplici contra proximum suum. Detrahens dicitur lo-

E qui lingua triplici, quia se, audientem, & proximum lædit.

Superbo oculo, & insatiabili corde; seu, vt Hier. latum corde, quales auari sunt, & ambitiosi; cum hoc non edebam. Chal. habet; habitabo.

V. 6. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant

F mecum: Fideles sunt, qui veraces sunt, & opera veritatis faciunt; eos Dominus domesticos, familiares, & conuiuas habet: primi, & maximi fuere S. Apostoli, de quibus Luc. c. 22. v. 29. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo.* Ministros etiam tam sacri Altaris sui, quàm mysteriorum suorum, & verbi, tales desiderat. ambulans in via immaculata hic mihi

mini-

miniſtrabat: Grauem atque admodum ſeueram Legem ſtatuit verſu ſequenti; A

V. 7. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non direxit, non habuit proſperè, in conſpectu oculorum meorũ. quàm multi loquuntur iniqua, & Chriſtianos ſe eſſe putant, & cum Chriſto partem habituros. B

V. 8. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: per hos, omnes quidem intelliguntur peccatores, ſed præſertim, & præcipuè Iudæi, de quibus omnium primò pœna ſumpta fuit, & diſperſi, eiecti, & perditi de Ciuitate Domini, quæ eſt Ieruſalem eius dilecta Eccleſia. Deinde per peccatores, *qui in matutino interficiendi ſunt*; ſcil. tempeſtiuè & cito, veniunt Hęreſiarchæ, quos Dominus tempeſtiuè, & citò, ſeu in matutino ſuſtulit, licet expectando correctionem ad tempus differret pœnam æternùm duraturam: maximè contra eiuſmodi peccatores opus eſt vigilantia, vt illis è medio ſublatis, vt diſperderem de ciuitate Domini, quæ eſt Eccleſia, omnes operantes iniquitatem. & quæ non iniquitas cum hæreſibus oritur? Vniuerſim Dominus Ieſus Rex, atque Saluator omnium hominum peccatorum oſor eſt, atque vindex, quandoquidem, vt Apoſtolus ad Titum c. 2. 14. loquitur, *dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*. & quia norat hoc eſſe deſiderium, & voluntatem, quam Dominus hoc Pſalmo, tam multis expreſſit, ſubiungit; *hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* C D

PSALMVS CI.

E

Domine exaudi, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CI.

Oratio pauperis.
Cum anxius fuerit, & in conſpectu Domini effuderit precem ſuam.

F


SIc, vt vidimus, iam explicato Pſalmo, Ieſu Chriſti Domini Noſtri diſpoſito Regno, & conſtitutis, ſancitiſque Legibus, quæ ſeruandæ in eo eſſent, S. Dauid eiuſmodi felici rerum maximarum hoc vltimo Quinquagenario Pſalmorum numero pertractandarum exordio, ſubiungit *Orationem pauperis. Cum anxius fuerit, & in conſpectu Domini effuderit precem ſuam.*

A *suam*. Quæ quidem *oratio* importuna, nec opportuno loco posita videri posset, nisi & *Pauperis esset*, qui sibi (quod pauperes assolent) opportunitatem importunitate laudabiliter faciunt; & eiusmodi Pauperis, qui vnà cum paupertate etiam anxius existebat.

Itaque causa, cur tam citò Psalmo priori, vt vidimus, lætissimo subijciatur hic mœstus, est, quia cum S. Dauid ex lata, & promulgata à Domino sententia didicisset; quod *non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*, &c. & eadem lege, atq; sententia teneri videret *cor prauum*; *hominem detractorem*, *superbum*, omnem-
B que alium peccatorem obstinatum, quorum è numero tam multi erant futuri de Populo suo, & notabantur per *dispergendos de Ciuitate Domini*, V. vlt. infelicem proinde eorum sortem dolens, Orationem hanc proponit, quam ita composuit, vt ipsis ad remedium, & præsentissimum Antidotum seruire posset; ne, vel è beatissima illius magni Domini Domo eijcerentur, vel, vt eiecti, in eam denuò per pœnitentiam reciperentur: quæ causa est, cur etiam S. Mater Ecclesia eodem S. Spiritu edocta inter Pœnitentiales Psalmum hunc reponat, & vsurpet.

Animaduertendum autem est, ita hoc Psalmo S. Dauidem se se luctui impen-
C dere ob dictam causam illorum è populo suo, qui è Christi Domo, & consortio eijciendi erant, vt mox consolationem admittat à V. 13. incipiendo ob Ecclesiam fundatam inter Gentes, propagatam, protegendam, & vsque in finem conseruandam.

Atque hoc quidem pacto S. Propheta se se, & ad lætitiam, & ad propositum horum Psalmorum institutum pulcherrimo artificio transfert. Quod autem de illis omnibus illo iam dicto compendio inclusis S. Dauid agat, à V. illo 13. incipiendo; & quod illis Versibus maximè difficilibus 26. 27. 28. de Ecclesiæ perpe-
D tuitate, & perennitate tractet, patebit magis ex ipsa Expositione illorum Versuum.

Hæc, cùm ita sint, constat hoc Psalmo non solùm proponi, veluti formulam precatoriam pro Paupere; idest pro eo, qui non solùm sit inops à facultatibus externis, sed quamlibet etiam aliam calamitatem patiens in animo, aut in corpore, quod asserit P. Lorinus;

Neque tantùm pro se ipso Dauid (siue cùm Saulis, siue cùm Absalonis pateretur persecutionem, aliamve qualibet molestiam) neque pro alijs etiam, qui aliquid eiusmodi paterentur, edidit hunc Psalmum, quod Euthymius docet. Ne-
E que tantùm editus est pro captiuis in Babylone, quod sentiunt Diui Basilius, Chrysostomus, & Theodoretus. & placet Bedæ, & Lyrano, qui simul volunt contineri eodem Psalmo Gentium vocationem, & salutem. Ratio ab his Auctorum vijs recedendi, prima maximèq. vrgens, & compellens est; quia in illis sententijs non seruatur connexio, & cohærentia consequens. Deinde Psalmus longè plura continet, quàm sint illa. Item magis emphatica, & plus significantia, quàm prædictis rebus conueniant. Tertia, ipsi Dauid non conuenit V. 5. quod *oblitus sit comedere panem suum*, Quarta, Captiuitati Babylonicæ illa verba Versus 14. *Tu exur-*
F *gens misereberis Sion*, &c. propter quæ, vel maximè putatur Psalmus illa continere, literaliter non conueniunt; nam non ex eo, quòd ab illa liberati fuerint, factū fuit, quod Versu 16. prædicebatur; quod scil. cum misereretur Dominus Sion, *Timebūt Gentes nomen tuum, & omnes Reges terræ gloriam tuam*. Quinta, Hoc Psalmo S. Dauid se refert ad illa, quæ aliquibus alijs superioribus Psalmis dixit, illaque clarè insinuat; hoc autem non sequitur in positione propositorum hic Argumentorum.

Manet

Manet ergo quod positum est argumentum, ex cuius penè sola suppositione; A
& notitia in valdè suauem, plenè significantem, connexam, & consequentem explicationem veniunt omnia, quæ toto Psalmi contextu dicuntur. Nam auditis, vt dictum est, quæ Rex *constitutus super Sion montem sanctum* suum Dominus Iesus ferebat, præceptis, & Legibus inuiolabiliter obseruandis; quod *non habitabit in medio Domus meæ, qui facit superbiam*; quod *interficiendi essent in matutino omnes peccatores terræ, & dispergendi de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem*; Cum, inquam, hæc eius tam seuera edicta omnium primo, & maximè Populum Iudaicum attingerent, S. Dauid non dubitat, imò (ob amorem, quo in illum fertur) etiam compellitur, antequam ad vlteriora progrediatur ipse initio B
Tertiæ suæ Psalmorum Quinquagenæ, quod in alijs etiam sæpissimè facit, inserere *Orationem Pauperis* à se primò dictæ, & ab alijs etiam, qui mysterium illud Deo reuelante penetrarent, dicendæ; tunc, *Cum anxius fuerit*, quod necesse erat sequi ad notitiam tam luctuosi casus; *& in conspectu Domini effuderit precem suam* ad malum tam grande auertendum. Itaque conspectui Domini se se sistens, ait;

PSALMVS CI. C

V. 2. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

V. 3. Non auertas faciem tuam à me: & nunc quidem, D
ò Domine, neque à me, neque à seruis tuis, quos modò in Synagoga charos habes, faciem tuam non auertis: tempus illud perhorresco, quando auertes. obsecro, in quacunque die tribulor; etiamsi illa in longissima secula extendatur; inclina ad me aurem tuam. quod hoc inhæreret animo Sancti Prophetæ ipse se explicat, subiungens,

In quacumque die inuocauero te; anxius sum, quia aliquando nobi- E
scum non eris; aliquando à nobis faciem tuam benignissimam auertes; quin potius, *in quacunque die inuocauero te*, velociter exaudi me: non hic sensum terminat S. Dauid, & propterea neque Vulgata puncto hunc Versum finit; sed causas, & motiua illis omninò similia, quæ supra Psalmo 89. attulerat, etiam hic profert; & sunt; Vitæ, & annorum maxima breuitas. Itaque sic ait; fiat obsecro, vt semper exaudias;

V. 4. Quia defecerunt sicut fumus dies F
mei: si illi dies, quos nobis concessisti, vt gratia tua, fauore, & beneuolentia vti, & gaudere possimus, terminandi aliquando sunt; tam breues illi sunt, vt ego eos iam defecisse deplorem; *defecerunt, & quidem sicut fumus dies mei*; suos vocat, quia populi sui causam, tanquam suam agit, vt supra sæpè dictum est. Et vis est in eo, quod ait, eos dies *defecisse tanquam fumum*; idest, non solùm valdè

citò,

A citò, sed etiam cum multa rerum cælestium obscuritate, inter multos rerum aduersarum dolores, qui, vt fumus cierent lacrymas, in multa peccatorum caligine. Sic propter eiusmodi exclamat D. Augustinus *. O dies! si dies. vbi enim dies auditur, lux intelligitur. Nam inficit atrore, atque tenebris fumus.*

Quod verò S. Dauid illa similitudine præter celeritatem, qua defecisse dies suos ingemiscebat, voluerit etiam ea, quæ dicta sunt ex S. Aug. significare, id ipse ostendit sequentibus eiusdem Versus verbis, dum persistens in illa fumi similitudine, ait,

B & ossa mea, sicut cremium, idest, vt id, quod tostum, aridum, & frixum est, aruerūt. Per *ossa* verò, vel peccatorum, vel afflictionum, & aduersitatū igne, & fumo arefacta intelligit omnia, quæ prius Synagogæ erant robora, & vires esse perdenda. Vide dicta supra Psal. *6*. v. 3. Psal. 33. v. 21. Psal. 41. v. 11.

V. 5. Percussus sum, vt fœnum quod aliàs ex se caducum, & fragile est; accedente autem iusta à te immissa percussione, seu afflictione, & calamitate, quid nisi vt fœnum humi proiectus iaceo? de populo suo, vt reliqua, intelligit, maximè quod sequitur,

C & aruit cor meum: facta est mortalis infirmitas mea, quæ ipsum cor fontem, & principium vitæ occupauit; quod ideò *aruit*, quia oblitus sum comedere panem meum. Cùm certum sit, hoc loco Sanctum Prophetam de mystico pane loqui, vt & de spirituali ariditate, & extinctione cordis, aptissimè per illum intelligitur (quod & Chald. habet) *Lex Doctrina* vtiq; illius Euangelicæ, de qua ipse Dominus Ioan. c. *6*. 32. 33. *Non Moyses dedit vobis pa-*

D *nem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cęlo descendit, & dat vitam Mundo.* & vers. 35. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me non sitiet vnquam.* Hunc panem non Dauid; sed quia Populus Iudaicus oblitus *fuit comedere*, deplorat Dauid, quia *aruit cor meum*; idest vitam perdidit meus Populus. Nihil autem vetat, imò ardentissimo eius in eos amori valdè consentaneum est, vt etiam ipsum populum *cor suum* vocet. Et quidni cor suum vocet? cuius vices, & desolationem ita dolet, vt dicat; quod

E V. 6. A voce gemitus mei adhęsit os meum carni meæ: vsque ad pallorem, & maciem, vt ossa cuti adhærerent, deflebat. Supra Psalmo 37. eadem eorumdem de causa *rugiebat a gemitu cordis sui.* Nil mirum pro omnibus tantùm doluisse, qui pro vno Absalone tantùm luxit. Pergit ipse, & sequentibus omnibus Versibus gemitus sui tam vehementis causas quasi assignans ait;

V. 7. Similis factus sum pellicano solitudi-

F nis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

V. 8. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Horum trium animalium volatilium, eorumque valdè vilium, & abiectorum comparatione (nam

B per

per Pellicanum cum Haimone, & Caietano, ipso Dauide id insinuante, intelligitur auis multa macie obsita, desertum incolens, quam Caietanus ait, esse Cygno similem, naturali macie semper afflictam; quia tenso intestino per viscera, quicquid escarum accipit, sine aliqua discoctione transmittit, vnde fit, vt adipe proprio minimè farciatur: (reuocatur autem in dubium ab Auctoribus, quos complures citat P. Lorinus de vulneratione sui ipsius, & pullorum suscitatione, quam hæc auis faciat:) horum, inquam, volatilium vilium, dictæ Pellicani, *Nycticoracis*, quæ S. Hier. est Bubo. Chal. Noctua, & *Passeris* in tecto habitantis comparatione, S. Dauid, non tam se, quàm populum suum à Deo derelictum, in sua desolatione talem, & similem illis auibus futurum expressit; vilem scil. abiectum, nullius nominis, dignitatis, aut gradus: & propterea se ex tam miseri eius status conditione, & commiseratione iustam gemendi, & dolendi causam habere. Et verè, quod non tam de se, quàm de Populo suo, tamquam se ipso, loquatur; & quod illam eorum abiectionem, contemptum, & vilitatem defleat, ostendit Versu sequenti. A B

V. 9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei. Non nisi semel S. Dauidi à Semei fuit exprobratum; Iudæis verò tota die, quæ vsque nunc durat; exprobratur à Gentibus, qui inimici eorum dicebantur; & qui laudabant me; scilicet prius inclyta natio Iudæorum erat; postea aduersum me iurabant; idest prout in Scholio græco est, quod citat P. Lorinus, *me execrationem, siue iuramentum execratorium faciebant*. vt scil. ad dictorum, & promissorum confirmationem sibi imprecarentur; sim vilior, vel infelicior Iudæo. conuenit cum supra dictis; quod Iudæi dati sint *in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis*, &c. Psal. 43. 15. quæ omnia de illo populo vniuersim sumpto omninò verificantur, de Dauide minimè. Sic etiam de ipso populo, quia vbique Gentium spernitur, deridetur, affligitur, conculcatur, & vt iam dixerat, est execrationi, propterea idem S. Dauid in eius persona, ait; C D

V. 10. Quia cinerem, intellige contemptum illum, & abiectionem, &c. tamquam panem manducabam propter assiduitatem, & continuationem miseriarum; & potum meum cum fletu miscebam. Et hæc quidem omnia in illis patior; E

V. 11. A facie iræ, & indignationis tuæ, propter iustam tuam iram, & indignationem; quia eleuans; idest, sicut, qui deiecturus in terram aliquid, quò illud validiùs, & irreparabiliùs frangat, in altum eleuat; sic allisisti me: atq; adeò ita confractus sum, vt nequeam reparari: simili phrasi, & similitudine vsus fuerat supra Psal. 88. 45. *& sedem eius in terram collisisti*. pergit. Sicut ergo dicebam, & huc vsque deploraui, & deprecando tantum malum auertere à populo tuo conatus sum, etiam supra Psal. 89. si aliquando gratia tua destituendi sumus; licet rei huius infaustissimæ executio, & Tragœdiæ nostræ infelicissimæ finis post ali- F

A aliquot sæcula differendus sit; tanta nihilominus celeritate sæcula illa, & anni transcurrent, vt dicere meritò possim, quòd vel iam de facto

V. 12. Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui. Sic quidem, Ego (in Populo meo Iudaico, & Synagoga) *sicut fœnum*, omni gratiæ tuæ succo, & virore destitutus, *arui*; quia arescam, & finem viuendi tibi, ô Deus, accepi, quia aliquando, & non ita multò post accipiam; sic quidem ego;

B V. 13. Tu autem Domine in æternum permanes; & quæ hec est, & quàm amara, omni morte durior separatio! Planè S. Dauid illa antithesi, *Tu autem*, &c. hanc separationem omni dolore plenissimam eodem, quo illam affectu supra Psalmo 89. expresserat, vt ibi dictum est, etiam hìc repetit. Hinc verò, quod Populus quidem Iudaicus aruerit, & deciderit; *Dominus autem in æternum permaneat*; vnà cùm hoc ipso ob hanc separationem intimo doloris sensu diserte ponit, quòd propter hanc eorum C defectionem nihil ipse Dominus æternus immutauerit de Decretis suis, & pactis, seu Testamento suo, quod cum seruis suis pepigit; & ita ait, sicut Tu in æternum permanes; ita & memoriale tuum in generationem, & generationem. Translato tuo Memoriali (quod est Testamentum, seu Ecclesia eius ad Gentes) ibi est permansura *in generationem, & generationem*.

Simili planè modo D. Paulus Rom. 9. posteaquam magnam suam tristitiam, & D continuum cordis sui dolorem exposuisset propter hanc ipsam Iudæorum, quam ipse iam factam deplorabat, & præsentem inspiciebat, subiungit; nihil per hoc de promissis diuinis immutatum, seu imminutum fuisse; *Non autem quod exciderit Verbum Dei*, quod fusiùs ipse probat, *non enim omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ*, &c. sed filij *promissionis æstimantur in semine*. Sicut ergo tu *Domine in æternum permanes*; ita *& memoriale tuum*, vt dixi, *in generationem, & generationem*.

Neque verò timendum est, ne Dominus huius sui Memorialis, & Testamenti sui, quod habet cum Ecclesia obliuiscatur; quinimò promptissimo, & benignissi-E mo vultu;

V. 14. Tu exurgens, licet affligi ad tempus permissurus sis ipsam Ecclesiam tuam, postmodum tamen, velut *exurgens* ad auxilium illi adferendum, misereberis Sion (de noua Sione loquitur, quæ est Christi Ecclesia, vt dictum est sæpè, & maximè Psal. 64.) eique auxilium adferes, quia iam trāslata ad Gentes Ecclesia, eò etiā se se tua gratia, fauor, & beneficentia effundēt;

F quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Hoc planè significat hæc fausta repetitio *temporis; quia venit tempus*; scil. illud *acceptabile, illi dies salutis*, de quibus D. Paulus 2. Cor. 6. c. 2. Item ad Gal. 4. 4. *At vbi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum*, &c. & ad Ephesios c. 1. vocat, *dispensationem plenitudinis temporum*. Cum hac explicatione concordant Caietanus, qui Hebræum *hheth* nomen cuiuslibet temporis vertit *testifica-*

tionem; ideſt tempus, quod Prophetæ de aduentu Meſſiæ teſtificati ſunt; Campenſis, qui *definitum terminum*; S. Hieron. *pactum*; id ſcilicet, quod pertinet ad Meſſiam. Et ex ſignificatis contentis in voce Hebræa, quæ adducit P. Lorinus ferè omnia conueniunt datæ explicationi; quod venerit *tempus Euangelij gratiæ*; nam ſignificat indictum, ſeu certum, atque conſtitutum locum, vel tempus; item ſolemnitatem, concilium, conuentum, Eccleſiam, Sanctuarium, Sacrificium ipſum, Tabernaculum, caſtra, teſſeram militarem, teſtimonium, quæ omnia quadrant tempori gratiæ Euangelij. *Tempus* ergo *miſerendi Sion*, vt dictum eſt, Eccleſiæ inter Gentes fundandæ, & *quia venit tempus eius*, provt eſt explicatum, S. Dauid ex eo colligit; A B

V.15. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur. P. Lorinus, & qui ſupponunt in Pſalmi Argumento contineri, & tractari de Captiuitate Babylonica hunc Verſum explicant, quòd S. Dauid probet iam planè adueniſſe tempus, vt exurgens Deus miſereatur Sion, reuocetque captiuos illùc; quoniam hi, Dei videlicet ipſius inſtinctu, ac veluti monitu, & denunciatione tacita, quod miſereri velit, & ſoluere captiuitatem, paratos ſe, promptoſque ſentiunt, cum ſingulari quadam voluptate, atque alacritate ad Sionis reficiendas ruinas, deiectoſque lapides excitandos, &c. Nehemias, & Zorobabel præcipui hac in re fuerunt. Intelligunt etiam Hebræi per hos *Dei ſeruos*, Darium, Cyrum, Artaxerſem, & Principes alios, qui conceſſerunt remiſſis in patriam Hebræis, Templum, atque Ciuitatem reficere. Sic P. Lorinus, qui etiam poſtrema ſua verba (approbando illam Hebræorum extenſionem) confirmat ex eo, quod Iſaiæ c.44. Deus appellet Cyrum Paſtorem ſuum, & Chriſtum, qui omnem voluntatem ipſius completurus eſſet. Hanc ergo explicationem ipſe, alijque illius cum eo ſententiæ literalem eſſe, & ad primarium S. Prophetæ intentum ſupponunt. C D

Verùm longè aliud hactenus dicta dicere cogunt. Nam initio Pſalmi inſinuatum eſt, quod huic explicationi non conueniat id, quòd mox ſequitur; nimirum, futurum, vt *timerent Gentes nomen Domini, & omnes Reges terræ gloriam eius*, tunc, cùm *placerent ſeruis Domini lapides eius* Sionis, *& terræ eius miſererentur*. De alia ergo Sione erat ſermo Sancto Dauidi, quando nihil eorum factum eſt in reparatione illa Templi, & Ieruſalem poſt captiuitatem Babylonicam: quomodo enim tunc timuerunt gentes nomen Domini? &c. ſi gentes tunc, vel maximè infeſtabant Hebræos reædificantes Templum, & Ieruſalem. Neque tunc, illis reparatis, verum fuit, quod S. Dauid ex ædificatione Sion tanquam certum futurum prædicit; *Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua*. V.17. nequaquam eſt viſus in gloria tunc Dominus; vt mox ex S. Aug. patebit. Deinde ſi Verſus 14. *Tu exurgens miſereberis Sion*, &c. & ex cohærente, & connexa, conſequenterque deducta explicatione Sacri Textus Pſalmi, & ex adductis pro ea ibidem teſtimonijs oſtenſus eſt pertinere, & intelligi debere de Chriſti Eccleſia, ſtatu, & Lege Gratiæ, & Euangelij; quomodo ab ea S. Dauid tam repente, & ex abrupto tranſiret ad Sionem reædificandam poſt captiuitatem Babylonicam, quando neque antecedentia, neque conſequentia illi conueniunt? E F

Hæc omnia licet ſatis conſtent, nihilominus confirmat D. Auguſtinus de Ciuitate

A tate Dei lib. 18. c. 45. dum ait; *Posteaquam gens Iudæa cepit non habere Prophetas, procul dubio deterior facta est, eo scil. tempore, quo se sperabat, instaurato Templo post captiuitatem, quæ fuit in Babylonia, futuram esse meliorem. Sic quippe intelligebat Populus ille carnalis, quod prænunciatum est per Aggæum Prophetam, dicentem: Magna est gloria Domus istius nouissimæ, plusquam primæ. Quod de nouo Testamento dictum esse paulò superius demonstrauit; vbi ait apertè Christum promittens: Et mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus.* Et paulò post subiungit: *Propter hoc ergo nec Prophetas ex illo tempore habuit illa Gens, sed multis cladibus afflicta*
B *est ab alienigenis Regibus, ipsisque Romanis: ne hanc Aggæi Prophetiam in illa instauratione Templi opinaretur impletam. Templumque ipsum repletum fuit sacrilegis superstitionibus Gentium* sub Antiocho Rege Syriæ.

Hæc, quæ tantus Doctor sapientissimè dicit, confirmant, & conueniunt cum paulò ante dictis à S. Dauide, quod cum verè re ipsa post reædificatam Sion, & instauratum Templum non *timuerunt gentes nomen Domini*; *neque omnes Reges gloriam eius*; *neque visus ipse Dominus sit in gloria sua*; de illa locutus non fuerit. Quia verò ex similitudine locutionis, *miserendi*, *ædificandi*, *Sionis*, *lapidum*, quæ
C tam antiquæ, quàm Nouæ Sioni conueniunt, Sanctus Dauid agnoscebat posse præberi in hoc Psalmo suo occasionem accipiendi vnam pro altera; idcircò ad euitandum hoc errandi periculum se ipsum Versu 19. explicat, de quanam Sione hæc ipse dixerit: *Scribantur hæc in generatione altera*, indicando, quod non ad Iudæos, siue antiquam Synagogam illa spectarent; sed ad Christianos, & Nouam Christi Ecclesiam, *& populus, qui creabitur laudabit Dominum*, & his verbis se ad illa, quæ supra Psal. 21. v. 32. dixerat, refert. *Annuntiabitur Domino generatio ventura: & annuntiabunt cæli iustitiam eius, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*
D ibi autem de Gentium vocatione ad fidem est sermo; ergo & hìc.

His, hoc pacto ostensis, & confirmatis, Versus illius 15. *Quoniam placuerũt*, &c. explicatio connexa, & consequens hæc est. Ex eo animaduerti, & colligi; aduenisse *Tempus miserendi Sion*, Ecclesiæ Christi, & illius inter Gentes fundandæ, & propagandæ; V. 15. *Quoniam seruis tuis*; Sanctis Apostolis, & Discipulis tuis, *placuerunt lapides eius*; Nouæ scil. Sionis inter Gentes fundandæ, qui quidem lapides erant ipsi Gentiles, quos hortabatur D. Petrus 1. suæ cap. 2. v. 4. vt ad Dominum Christum *accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo*
E *autem electum, & honorificatum; & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis.* Et sanè, vt paulò ante citatus D. Aug. loquitur; *Talibus electis Gentium Domus Dei ædificatur, per Testamentum Nouum, lapidibus viuis, longè gloriosior, quàm Templum illud fuit, quod à Rege Salomone constructum est.*

Neque mirum *placuisse seruis* Domini tales *lapides*, quando & ipsi Domino eorum placuerunt, à quo præceptum habebant ad eos proficiscendi, & ipsos Domui Dei superædificandi: cui ipsi præcepto dum obsecundantes erunt; *& terræ eius* destinatæ, scilicet ædificationi Nouæ Sionis, Ecclesiæ Christi, *miserebuntur*,
F multis, & innumeris, maximisque laboribus sese exponent pro Gentium vbique Terrarum conuersione; sicque illud sequetur;

V. 16. Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. &

V. 17. Quia

V. 17. Quia, provt dictum est, ex illis electis Gentium omnium lapidibus ædificauit A
Dominus Sion, consequetur, quod etiam Dominus Noster Iesus Christus glorificabitur in vniuersa terra; & videbitur in gloria sua, exaltatus, & glorificatus in Ecclesia sua Sancta; de hac enim eius gloria, & exaltatione est sermo. Vt tales, tamque optatos, & prosperos successus daret Fidei, & Euangelij sui Sancti Prędicationi;

V. 18. Respexit in orationem humilium: B
& non spreuit precem eorum; Fidelium scilicet seruorum suorum, qui in Ecclesia Filij sui erant plurimi, & sanctissimi (quales admodum paucos habuit Synagoga maximè tempore Captiuitatis Babylonicæ) orationes respexit, &c. Itaque non de his; sed de illis; non de Sione Synagogæ; sed Ecclesiæ Christi hæc esse, & dicta hactenus, & textus ipse suapte sponte in explicationem veniens comprobant, non mysticè, sed literaliter, & iuxta primarium S. Dauidis intentum. C

Ad illud, quod adferebatur ex Isaiæ c.44.& 45. de Cyro, quod non repugnet ipsum posse censeri inter seruos Dei, quibus dicuntur placuisse Lapides Sionis, eò quòd ipsum Dominus, citatis capitibus, vocet; *Pastorem suum*; *& Christum*: in explicatione eorundem capitum apparebit, nihil inde colligi, quod hanc explicationem possit infirmare, sed multa, quæ eam potius confirment, & roborent; neque enim S. Isaias, qui in tam multis cum S. Dauide, vt hactenus vidimus, conuenit; ibi ab eo dissentit: verùm modo pergendum est in Psalmi huius explicatione, quæ satis ex se constat, quod non sit de antiqua Sione, vel Templo reædificandis. Et certè, vt nulla hactenus eam argumenta probassent, talem eam esse, ipse S. Dauid declarat; dum mandat (ad dubium omne, & errandi occasionem tollendam) vt hæc, quæ dixit, ad illam alteram generationem pertinere, non verò ad hanc præsentem, scil. Iudaicam, intelligantur. D

V. 19. Scribantur hæc in generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. provt supra explicatum est; Populus Christianus hic est: non Iudaicus, qui iam creatus erat. Ipse P. Lorinus, licet initio hunc versum explicet de Iudæis, qui futuri erant tempore illius reædificationis Templi, & Ierusalem post Captiuitatem Babylonicam; nihilominus, vi, & claritate textus inductus; subiungit, id quod Hugo asserit, & Lyranus, Remigius verò innuit; scilicet Sanctum Prophetam Dauidem Dei veluti nomine, & auctoritate iubere, vt Apostoli, & Euangelistæ literis mandent, quæ cognouerint de Vniuerso Redemptionis opere, de Gestis, & Doctrina Christi, ne successores tam necessariarum, & præstantium ac diuinarum ignoratione rerum laborent, &c. Qui *populus creandus* dicitur ob *renouationem in nouam creaturam*; vt Paulus 2. Cor.5.17. loquitur; & *vt sit initium creaturæ eius*; quod scribit Iacobus cap.1.18. primitiæ, præstans, & Princeps creatura; vel quæ incipiat esse noua quædam, ac spiritualis creatura; non vetus, & carnalis, vt erat populus Hebræus, generatio E F

prior,

A prior, mala, praua, peruersa, adultera, incredula, Prophetias de Christo recipere noluit. Hæc ipse; qui etiam pro hac ipsa re adfert supra citatum versum vltimum ex Psalmo 21.

Quod autem hæc omnia non mysticè, sed literaliter dicta sint, probatur; Primò quidem ex eò, quod ipsemet P. Lorinus obseruat, quod Diuus Augustinus, alijque Latini notent, dictum fuisse, scribenda illa populo, non qui creatus est, sed qui creabitur, vt intelligatur prædici populus, quem vocauit Apostolus *nouam creaturam*, 2. Cor. 5. 17. & spectat ad Nouum Testamentum, & recreatur,
B siue regeneratur per gratiam, cuius productionem aliqui creationem appellandam censent. Secundò, ea quæ hunc Versum sequuntur non generationi, & Populo Iudæorum; sed Gentium, & Christianorum Populo, atque Ecclesiæ Christi Vniuersali conueniunt, pro tempore, quo liberata à Persecutionibus publica pace, tranquillitate, & cultu diuino vti, fruique potuit; Tunc enim sicut supra dixerat, quod *exurgens Dominus miseraturus esset Sion* V. 14. sic modò eidem prorsus sermoni suo insistens, ait;

C **V. 20. Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.**

qui prius ob persecutionum immanitatem, si fieri posset, videri poterat oblitus Ecclesiæ suæ, *aspexit* tandem;

V. 21. Vt audiret gemitus compeditorum: vt solueret filios interemptorum.
D de Christianis passim vbique terrarum vexatis fame, exilio, carceribus, cædibus loquitur. Iudæi in captiuitate Babylonica mitiùs sunt habiti; proinde tanta verborum emphasi eos Sanctus Dauid minimè prosequeretur. Deinde cum certus terminus annorum præfixus esset illi captiuitati Babylonicæ, non poterant de ea cum plenitudine significationis, temporis diù expectati, quam continent, intelligi illa verba versus 20. *Quia prospexit de excelso sancto suo* &c.

Sed neque optatissimus ille, atque vtilissimus effectus, quem habuit benignis-
E simus aspectus Domini super compeditorum gemitus, & filios interfectorum consecutus est apud Iudæos, sed apud Christianos; scil. quod ideò eos Dominus aspexerit,

V. 22. Vt annuncient in Sion nomen Domini; & laudem eius in Ierusalem.
id iam ex dictis supra ad v. 14. & 15. ratione, & D. Aug. auctoritate constat. Et certè si id totum, quod Iudæi, Ba-
F bylone reduces, in vno Palæstinæ angulo, cum vnius Templi, & Vrbis reparatione ad nominis Domini laudem fecerunt, conferatur cum eo, quod in Christi Ecclesia, post persecutiones respirante, Christiani toto Orbe præstiterunt, illud, vt res minima, & ferè nihili deprehendetur. Non ergo de Sion illa, & Ierusalem antiqua; sed de noua S. Propheta loquitur; de illa scil. in qua supra Psal. 64. prædixerat, quod *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ieru-*

Ierusalem, quæ est Christi Ecclesia. Quod hoc non mysticè, sed literaliter, & A
ex primaria sua intentione intelligat, ipsemet declarat, dum versu sequenti explicat, qualis, & quanta laus Diuino nomini esset in Sion, & Ierusalem danda; nimirum, quod non esset futura exilis aliqua ab vno aliquo bellis exhausto, & in diuino cultu semper languente, & claudicante populo; sed,

V. 23. In conueniendo populos in vnum, & reges, vt seruiant Domino.

Cum fuerint congregati in vnum. Sic S. Hier. & Chaldęus. B
Hoc non nisi in Christi Ecclesia factum est, vt *populi, & Reges conuenirent in vnum, vt seruirent Domino, vt annunciarent in Sion* hac sancta *nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem*. Hæc omnia planè, feliciter, & simpliciter iuxta omnem verborum sacrorum veritatem peracta in Ecclesia. Quando autem hactenus dictorum explicationem omninò benè, connexam, sibique per omnia correspondentem vidimus; etiam eorum, quæ sequuntur Dominus dignabitur sensum ostendere; illa quidem difficiliora sunt. sequitur quod

V. 24. Respondit ei in via virtutis suæ; C

ex pluribus, quæ ab Expositoribus adferuntur horum verborum expositionibus, cum nulla explicationi huic connexæ, & consequenti inseruiat, hanc esse existimo; quod scil. S. Dauid his verbis persistat in illo planè admirabili benigni Diuini aspectus effectu, & dicat; quod efficere, vt *in conueniendo populos in vnum*, vt populi, & Reges gentium congregarentur in vnum, vt seruirent Domino, & annunciarent in Sion nomen Domini Iesu Dei Vnigeniti, & laudem eius in noua Ierusalem; hoc, inquam, opus efficere fuerit proprium Diuinæ illius omnipotentiæ; quod quidem tantùm, tamque magnum, atque admirandum opus, *Respondit ei in via virtutis suæ*; ipse illud peregit, provt *in via* in ratione Diuinæ Prouidentiæ suæ disposuerat; vi, & potentia virtutis suæ omniscíæ, & omnipotentis, illud exequendo. D

His dictis, vbi Sanctus Dauid se ipsum à suo luctu, cum quo Psalmum hunc cęperat, solatus iam satis fuisset per illa prospera, quæ euentura erant Christi Ecclesiæ, & quę à versu decimotertio incipiendo, hactenus exposuerat; vbi, inquam, se ipsum solatus iam satis fuisset, vnam adhuc, alteramvè prioribus in Psalmi initio propositis similem aspirationem lugubrem pro populo suo Iudaico inserit; & ex ea mox ad conclusionem Psalmi, cum quadam prius dictorum recapitulatione, & dicendorum etiam Psalmo sequenti insinuatione, vt patebit, pertransit. E

Lugubris aspiratio hæc est. Cum illud tantùm opus de quo dixi, *In conueniendo populos, &c.* effecturus sis populo Christiano, qui creabitur, & Nouæ Sioni, & Ierusalem, quæ ædificabitur, ò Domine, **Paucitatem dierum meorum,** qui mihi, Populo meo, & Synagogæ promerendæ adhuc apud te gratiæ, & salutis supersunt; **nuncia mihi.** heu! quàm illi exiles sunt, & breues! Obsecro Domine, si misericordiam pro meo populo inueni; F

V. 25. Ne reuoces me in dimidio dierum

meo-

A meorum: ne rapias; S.Hier.ne tollas;Chald.habent;vel etiam simpliciter; *ne reuoces me*, ad antiquum scil. statum, in quo eram, cum tu *nostri non dominareris*, vt dicit Isaias cap.63. 19. *neque inuocaretur nomen tuum super nos:* ne, inquam, nos tunc deseras, quando adueniente gratiæ tuæ, & Euangelij Pacis Tempore, quasi ad dimidium dierum meorum perueniam, post quod, cum reliquis tuis Fidelibus operandum primò, & progrediendum mihi cum gratia tua, apud te, in Ecclesia tua esset. (Huc allusit, & hoc ipso sensu dixit Ezechias, Isaiæ c. 38. 10. *Ego dixi: in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*. vt ibi
B pluribus.) Itaque, ò Deus benignissimè, fac, vt & nos apud te permaneamus in generationem, & generationem anni tui; temporis nimirum illius continuati vsque ad finem Mundi, qui est annus ille, cuius *corona* supra Psal.64.12. dixi te *benedicturum*, quem Ecclesiæ Vnigeniti Filij Tui concedes, & Fidelibus in ea futuris, & *in generationem, & generationem* sibi inuicem vsque ad finem Mundi successuris.

Planè ita constituisti, ò Deus, & ita infallibiliter fiet. Sequentibus tribus ver-
C sibus infallibilitatem durationis Ecclesię Christi vsque ad finem Mundi proponit, & confirmat, quod supra versu 13. dixerat; quod, *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem, & generationem*; sic ergo denuò hanc durationem confirmans, ait,

V. 26. Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

D V. 27. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur:

E V. 28. tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. His versibus ex comparatione ad ea, quæ firmissima sunt, & immutabilia, confirmatur perpetuitas, & infallibilitas perdurationis Ecclesiæ, & Diuinæ gratiæ, & protectionis cum ea semper permansuræ. Similiter, & de eadem prorsus re, & ad hunc versum alludens ait Isaias cap.51. v.6. *Leuate in cælum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habi-*
F *tatores eius sicut hæc interibunt: Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet*. Vtrobique propositiones sunt, non assertiuæ corruptionis, desitionis, interitus, rerum harum (quas constat æternùm duraturas) sed quodammodo conditionales, quod scil. citiùs illa, seu prius desinerent, quàm quod Dominus Ecclesiæ suæ spopondit. Ex hac autem comparatione, quam faciunt S.Prophetæ Dauid, & Isaias his locis (quibus simillimus est illa ipsius Domini Nostri

C Luc.

Luc.21.v.25.*Cælum,& terra transibunt,verba autem mea non transibunt*) ex hac, in- A
quam,comparatione supponunt ipsi ea, quæ in illa adducunt, esse, & futura per-
petua. cuius earum perpetuæ durationis illa est causa, quam vir doctissimus, &
sanctitate maximè insignis P. Leonardus Lessius Societatis nostræ assignat in au-
reo illo suo Libello de Quinquaginta Nominibus Dei cap.6. quia scilicet, *Deus,
suo potentissimo, assiduo, & immutabili influxu, quo omnia creat, & conseruat, est cau-
sa, cur Mundus, Angeli, & homines in æternum sint permansuri, & duraturi, vnà
cum statu gloriæ, vel damnationis*. Et cap.28. *Hinc fit, vt nulla res, in quam Deus
statuit suum influxum continuare, possit perire, aut vi vlla interimi. Porrò hic in-* B
*fluxus nihil est aliud, quàm quædam continuatio creationis, vel operatio creationi
æquiualens*. Sic ipse.

Non ergo, quæ initio Dominus fundauit, terra, & Cæli *peribunt*, aut *ve-
terascent*, aut mutabuntur, vt intereant, & corrumpantur; sed prius illa perirent,
veterascerent, & interirent, quàm tu, & ea, quæ promisisti Ecclesiæ. Sic Psal-
mistam hoc loco explicari, & intelligi debere probatur ex eo, quod D. Paulus
ad Heb.c.1.ad confirmationem illius ex Psal.44.*Thronus tuus Deus in sæculum sæ-
culi: virga æquitatis virga regni tui*; ad confirmationem, inquam, huius senten- C
tiæ,qua Christo statuitur thronus in Ecclesia perpetuò duraturus,ipse D.Apostò-
lus adducit hos versus huius Psalmi 101. ergo,& ipse supponit, hæc ipsa stabilia,
immutabilia, & perpetuò duratura; alioquin ea non assumeret ad rei immobilis,
& perpetuæ confirmationem. Illa ergo verba *peribunt, interibunt, veterascent,
liquescent, mutabuntur* cum addito, vt dictum est, intelligenda sunt, & compa-
ratione quadam, & conditione; quod prius illa *perirent*,&c. quæ tamen sunt per-
petuò duratura; nam ex illo Dei decreto Genesis cap. 8.v.22. *Cunctis diebus ter-
ræ, sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hiems, nox, & dies non requiescent*; D
Cæli verò vnde hæc dependent habent, & habituri sunt illum Dei influxum,
quo posito, nulla vi desinere, vel interire possunt.

Ad illud autem, quod D.Petrus secundæ suæ Epistolæ cap. 3. v. 10. ait; *adue-
niet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò
calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur*,&c. & v. 12. *Cæli
ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent*, &c. respondetur; eiusmodi
verba *transient, soluentur, tabescent*; intelligenda esse de renouatione eorum, &
purgatione, & de Cælis aereis, vt P.Emm. Sà optimè explicat; quod si hæc pur- E
gatio, & renouatio etiam ad superiores Cælos, vt ipse inclinat, se se esset exten-
sura; nihilominus ex hoc nihil contra dicta probari posset; quando ad eorum ve-
ritatem satis est, quod illa vsque ad finem Mundi, seu *cunctis diebus terræ* sint
duratura; & quamuis purganda, & renouanda, nunquam tamen sint peritura,
& interitura.

Fortè in hac Diui Petri auctoritate fundamentum habet illa sententia, seu opi-
nio Magistri sententiarum in 4. Dist. 48. l. e. quod post peccatum primi parentis
lux Solis, Lunæ, aliorumque siderum reddita sit minor; in resurrectione verò F
accepturus sit Sol mercedem sui laboris, quia septempliciter lucebit absque vi-
cissitudine diei, noctisque; sed hæc alijs.

Ad nostrum propositum satis est ostendisse, à S. Dauide hæc fuisse assumpta
ad declarandam Ecclesiæ Christi perpetuitatem, & quod prius illa perirent;
quàm anni eius, quibus Dominus eam diliget,& proteget, deficerent. Proinde
cum

A cum hac etiam Ecclesiæ futura perpetuitate (id quod sæpè repetit, quia ad maximam Fidelium consolationem, & Ecclesiæ dignitatem spectat) Psalmum concludit.

V. 29. Filij seruorum tuorum habitabunt: subintellige in ea, de qua prius sæpius locutus fuerat Sione, & Ierusalem noua; cuius ipse Dominus *exurgens* esset *misserturus*, & cuius *lapides placuissent seruis eius*, & in quam *conuenturi erant populi in vnum*, *& Reges vt seruirent Domino*;
B eam, inquam, illis omnibus congratulans, ait S. Dauid, quod Filij *seruorum tuorum*, Apostolorum scil. aliorumque Christi Discipulorum, & successorum eorum *habitabunt in ea*; & quod nos experimur, & qui nos Sanctæ Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Filij sequentur experturi sunt, & semen eorum in sæculum dirigetur. Hoc, quia planè ingens, incomparabile, & inæstimabile bonum est; propterea S. Dauid sequenti Psalmo in Domini benedictiones totus effunditur.

C

PSALMVS CII.

Benedic anima, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CII.

D

Ipsi Dauid.



Ipsa læta, & festiua prioris Psalmi conclusio ad benedicendum ipsum omnium benedictionum fontem Dominum Iesum excitauit S. Dauidem hoc Psalmo verè benedictionibus, & benedictionum fontibus, seu causis earum, plenissimo. Psalmus ergo inscribitur; *Ipsi Dauid*. Illi autem Domino, ac Deo nostro Christo decantandus est à quolibet Fideli ipsius seruo, & maximè illis, qui Gentilitatis erroribus, & peccatorum tenebris desertis, in admirabile Fidei, & Ecclesiæ eius lumen perducti sunt; quod quidem
E beneficium longè maius est, quàm dum *Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israel voluntates suas*. quod ait V. 7. huius Psalmi in hunc ipsum finem beneficij ostendendi, seu intendens ostendere ea, quæ cum Moyse, & antiquo illo carnali Israele contigerunt, fuisse horum spiritualium beneficiorum in Christi Ecclesia obtentorum figuras, quas proinde etiam frequenter, nullum alium ob finem, in alijs Psalmis vsurpat. quod hìc prænotasse sit satis, ne putetur S. Dauid ad ea, quæ dudum reliquit, redire. Et obseruandum adhuc est, quod S. Dauid maximè memor eorum,
F quæ Psalmo Centesimo proposuerat Christo futura cordi; inter quæ primum illud erat, *Psallam, & intelligam in via immaculata*, &c. eorum, inquam memor, hoc Psalmo (post illas interpositas breues lamentationes pro Populo suo Iudaico, & resumptam lætitiam ob Ecclesiæ bona, & Fidelium Christi felicitatem) agit de *via illa immaculata*, quam Christi Fideles se consecutos gratulantur, ipsique Domino, cuius gratia illam adepti sunt, benedicunt; nunc quidem singuli, velut sin-

gillatim, & soli, cum Domino loquentes; aliàs verò, veluti vnitis vocibus, & A
benedictionibus, ipsum laudantes; prout eximij alicuius gaudij, & congratulationis tempore inter concordes vnius familiæ homines fieri consueuit. Et quoniam verba, quæ S. Dauid hìc profert, sunt pro ipsorum Christi Fidelium affectu, & gratitudine, Spiritu Sancto, qui ad eiusmodi ardentes gratitudinis affectus impellit plena, eoque dictante concepta, quod supra ex D. Aug. notaui, maximè hoc, & sequentibus ferè Psalmis cauendum est, ne fusiore explicatione eloquij Prophetici (affectui potissimùm inflammando destinati) obtundatur sapor. Idcircò ea solum insinuabo, quæ propositæ explicationi connexæ ostendendæ B
necessaria sunt; ijs enim positis, alios eosque vberrimos sensus ipsa Diuina verba in legentium, & ea psallentium animos infundent.

PSALMVS CII.

Benedic anima mea Domino, quæ iam de tenebris translata es in admi- C
rabile lumen; quæ degis in atrijs, tabernaculis, Domo Domini, &c. gratias age, & lauda Dominũ; & omnia, quæ intra me sunt, subintellige, benedicant, nomini sancto eius. per *omnia, quæ intra me sunt*; non solùm intelliguntur omnia viscera, omnes animæ vires, & potentiæ eius; sed hìc S. Propheta innuit, quod supra Psalmo 44. v. 14. dixerat; *omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*; scil. sicut Ecclesiæ Sanctæ diuitiæ, & bona sunt, non temporalia, & in externis sita; sed spiritualia, & in internis animæ bonis; D
ita cuiusque Fidelis, qui proinde externis perituris valere iussis, ditatus autem internis, æternisque magno animi sui gaudio ait; *& omnia, quæ intra me sunt*, &c. sed ne quis putet ea, quæ intra me sunt, me ita dixisse, *intra me esse*, quasi ea mea essent; ea, cuius, & à quo illa sint, ostendo;

V. 2. Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius. *retributiones eius* sunt ea, E
quæ ipse tribuit, dona, & beneficia.

Prima, & aliorum omnium fundamentalia Dei dona, & beneficia sunt, quod peccatores iustificet;

V. 3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. de animæ infirmitatibus loquitur, & illas maximi æstimat, qui ita cum anima sua F
loquitur eamque ad benedicendum Dominum excitat. Sic benedic eum,

V. 4. Qui redimit de interitu, non iam mortis tēporalis, & primæ; sed æternæ, & secundæ; vitam tuam: qui coronat te in miseri-


cor-

A cordia, & miserationibus. hoc pulcherrimo verbo; *coronandi*; duo vel maximè ostenduntur; vnum quidem, quod Dominus seruorum suorum, quos à peccatis mundauit, animas mirificè exornet: alterum, quod nunquam cessantibus, sed se se subsequentibus semper donis, & gratijs suis, quæ sunt eius misericordia, & miserationes, continuò eos locupletet; quæ seq. versu clariùs insinuat;

V. 5. Qui replet in bonis desiderium tuũ:

B hic confirmat, quod supra promiserat Psal. 83. v. 13. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia:* quomodo autem Dominus repleat in bonis desiderium seruorum suorum, quos iustificauit; aptissimè aliàs etiam citatus D. Paulus ad Rom. c. 6. v. 21. & 22. explicat; vbi cum Gentilibus ad Fidem Christi conuersis patenter ostenderet, eos ex carnalis vitæ desiderijs, & operibus, quæ in gentilitia superstitione, & impietate secuti fuissent, nullum fructum, sed potius conscientiæ remorsum, & erubescentiam, atque animæ mortem retulisse; opponit è conuerso; *Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.*

C renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua; idest sic replendo in bonis desiderium tuum, & faciendo fructum in sanctificationem; *sicut aquila* mutatis pennis iuuenescit, & viuacitatem, vigoremque acquirit; sic & tu. Hæc omnia, ò anima mea, ipse facit, & faciet;



V. 6. Faciens misericordias Dominus: &

D iudicium omnibus iniuriam patientibus. Hic Versus, vt cũ prioribus sit connexio, non generaliter intelligi debet, quod Dominus faciat misericordiam, & iudicium omnibus quomodocunque iniuriam patientibus, sitque eorum vindex, & iniuriarum vltor; sed ad rem præsentem loqui dicendus est S. Propheta, & insistere inchoato sermoni, quod Dominus gratia sua iniquitates, & peccata Fidelium suorum remittendo, eosque diuinis suis donis exornando, *faciat eis misericordiam; & iudicium* illud suum solitum exerceat, eos à peccatis

E liberando, & in statu gratiæ, in quo benefactis possint maleacta compensare, collocando, ab *iniuria*, & damno, quæ propter peccata paterentur (nam verè hęc sola hominibus nocent) eos plenè eximat, & vindicet.

Hæc omninò primaria intentione consequenter intendit significare S. Dauid, & quidem hoc loco ostendit, fidelissimum Dominum ea præstare, quæ supra se largiturum suis Fidelibus promiserat; nimirum Psalmo 71. v. 14. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum*, quod modò facit, *faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus*, per iniquas eiusmodi peccatorum exa-

F ctiones, à quibus ipse liberat seruos suos gratia sua. Non sic olim in lege scripta sub Moyse agebatur; quia tunc Dominus solùm, & præcisè;

V. 7. Notas fecit vias suas, Diuinam suam Legem, præcepta, & mandata, Moysi, filijs Israel voluntates suas. ostẽdit illis quidnam ab eis exigeret;

geret; cæterùm ea omnia exequendi facilitatem, & gratiam eis non provt nunc A
contulit; *quia Lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Ioan.1.v.17. Sic breuiter cum connexione explicatur hic verſus: pro quo illa omnia faciunt, quæ S.Paulus toto cap. 7. ad Romanos fusè diſſerit de inefficacia Legis ſcriptæ ad viuendum ſanctè, quia vt ipſe ait v. 12. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum*. &, *Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*. v. 14. propterea quia in ſtatu gratiæ, & Euangelij, *gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*; qua adiuti, non ſolùm poſſumus, ſed etiam facilè, & iucundè ſeruamus diuina mandata: hinc verè patet, quod ſit B
erga nos ſuos Fideles;

V.8. Miſerator, & miſericors Dominus: longanimis; tandiù nos expectando ad pœnitentiam, & conuerſos recipiendo; & tãtis donando; multum miſericors. Sic etiam verſum ſequentem, ait P. Lorinus, Sanctum Chryſoſtomum (fortaſſis occurrens Origeniano errori de finiendis aliquando damnatorum pœnis) diſertè docere intelligere C
Dauidem de præſenti ſæculo;

V.9. Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. patet ita intelligere S. Dauidem ex contextu hactenus explicato; nam, vt dictum eſt, Fideles, qui in eius Eccleſia ſunt, ſibi gratulantur, quod cum peccatores eſſent, iuſtificati ſint; cum mala promeriti fuiſſent; ipſe bona retribuerit; proinde etiam ſequentibus verſibus hoc ipſum ingens ſuæ iu- D
ſtificationis bonum magnifaciendo laudant, & benedicunt Dominum, quia

V.10. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

V.11. Quoniam ſecundum altitudinem E
cæli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

V.12. Quantum diſtat Ortus ab Occidente: longè fecit à nobis iniquitates noſtras. F

Cum addito, quod iuxta dicta hæc à S. Propheta Dauide proferantur in perſona, & nomine, ac voce Chriſti Fidelium in eius Eccleſia congregatorum; dicendum eſt cum P. Lorino, quod comparationes iſtæ ſignificent conſtantem, ac perſeuerantem Dei miſericordiam, confirmatam, & ſtabilitam, ſicut ſe habet

cæ-

A cælum ad terram, & diurnus cursus Solis, &c. Item indicatur semel condonata peccata, & pœnas nunquam redituras; quemadmodum cælo terra, ortus occidenti nunquam iugentur, quia sunt sine pœnitentia dona, & vocatio Dei, ad quam reuocatur iustificatio, dictaque remissio peccatorum. Denique regenerationis munere, ac iustificationis fieri, vt distemus à terrenis, & consociemur cælestibus, &c. sic ille. Addit deinde ex S. Chrysostomo, S. Basilio, Theodoreto, Euthymio, & Nicephoro, quod si longiora adhuc interstitia Propheta reperire potuisset, non dubium, quin ea protulisset, vt immensam Diuinæ Bonita-
B tis magnitudinem demonstraret: humanam autem cogitationem, nec mensuram cælo subliniorem, nec longiùs, quàm vesperæ, & ortus, interuallum reperisse. Vnde colligitur aduersus hæreticos, remitti peccata verè, propriè, penitus, ita vt nullo pacto remaneant secundùm suam malitiam, & coràm Deo is, cui remittuntur, verè, propriè, inhærenter iustus habeatur, & sit, non per solam extrinsecam denominationem, & non imputationem; simul enim cum remissione fit infusio gratiæ inhærentis, & informantis. Hæc omnia, quæ ad hos tres Versus dicta sunt, aptissimè paucis verbis confirmat, & explicat D. Paulus ad Rom. cap. 5.
C tribus itidem Versibus 8. 9. 10. dum ait: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est: multò igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius: multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius*. hoc pacto Dominus, *quantum distat Ortus ab Occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras*. Verùm, qui sibi sic congratulantur, etiam ipsi semel iustificati tam longè distent à peccatis, & iniquitatibus suis, alioqui vehementissimè terret Apostolus ad Heb. cap. 6.
D v. 4. 5. & 6. Item cap. 10. v. 26. 27. 28. 29. Et Ecclesiasticus cap. 26. v. 25. 26. & 27. ait; *In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit: Vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus: & qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad romphaam*.

Sed meliora, & viciniora saluti de ijs, qui iustificationis beneficium agnoscunt, & illam profusam Dei erga se misericordiam, & charitatem æstimare nouerunt, speranda sunt; certè quod ad Dominum attinet, cuius hoc Psalmo iustificati Fideles non cessant deprędicare misericordiam, aiunt; & verè licet non
E quantum ille meretur, quod

V. 13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

licet, inquam, verùm hoc, multumque sit; non tamen est quantum ipse meretur; omnes enim affectus naturales, ait Chrysost. in Isa. c. 49. 15. Dei misericordia longissimè, imò in infinitum excedit; sed nos nullum affectum nouimus maiorem, quàm Patris, & Matris. Ad
F hunc tam magnum, tamque pium Patris affectum, licet suapte spontè Dominus, cui proprium est misereri, impellatur; nihilominus etiam inde permouetur;

V. 14. quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.

Recor-

Recordatus est quoniam puluis sumus. A
& quod *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua.* Gen. c.8. Pergit adhuc S. Dauid in hac misera, fragili, & caduca hominis conditione describenda, & ex ea assurgit ad commendandam infinitam Domini misericordiam, quam erga electos suos naturæ conditione, & statu tam miseros exercet. Quid igitur? Dominus, & quia Pater est, & quia nouit figmentum nostrum, & quod puluis sumus, misertus est nostri? Id ita quidem, & verissimum est, quod talis sit homo; luteum scil. figmentum, & puluis. addo quod B

V. 15. homo, sicut fœnum dies eius, tamquam flos agri sic efflorebit. sicut fœnum, & tanquam flos agri, sic efflorebit; & dat causam, & cum ea similitudinem, & comparationem cum ipso homine faciendam;

V. 16. Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius C
locum suum; idest homo quidem omnis natura sua, statu, & conditione ita est constitutus, vt instar fœni, vel floris ab vrente aliquo vento percussi mox decidat, & omnem pulchritudinem, virorem, ipsumque locum, quem occupabat perdat; & hoc ipso cursu mundani omnes homines pergunt, & pertranseunt. Sed quid de ijs, qui Dei serui electi sunt, & in Ecclesiam eius vocati?

V. 17. Misericordia autem Domini ab D
æterno, & vsque in æternum super timentes eum.

Et iustitia illius in filios filiorum. per sæculorum omnium successiones hi timentes Dominum, habent misericordiam Dei; & eiusdem Domini E
fidelitas, & veracitas in promissorum adimpletione transit in filios filiorum; sed quibus?

V. 18. his qui seruant testamentum eius.

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea. Et vide, obsecro, erga eos, qui eiusmodi sunt, quonamusque illa Dei misericordia progrediatur; neque enim F
in vita sæculi huius terminatur, & finem habet, sed pro ipsis;

V. 19. Dominus in cælo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Cla-

A Clara verba,& omni gaudio plena sunt hæc. S.Dauid idipsum hic dicit, quod benignissimus Saluator Noster Ioan.c.14. v.1. *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum,& in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis. Quia vado parare vobis locum. Et si abiero,& præparauero vobis locum: iterum venio,& accipiam vos ad me ipsum,vt vbi sum ego,& vos sitis.* Præter hæc,S.Dauid ipso modo suo loquendi, quo hæc profert, vt prius quidem dicat; *misericordiam Domini* futuram *ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum*; perpetuò scil.& vsque ad finem Mundi duraturam; deinde verò addat, quod *Dominus in*
B *cælo parauit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur*; mysterium illud insinuat quod S. Paulus 1. Cor. 15. à v. 24. aperuit; quod scilicet; *Deinde finis, cum tradiderit*, Christus, *regnum Deo, & Patri*. quod fiet, *cum subiecta illi fuerint omnia: tunc, & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*. & tunc quod S.Dauid hoc versu ait; *regnum ipsius omnibus dominabitur*. Verùm tam magnum, tamque immensum est hoc Dei misericordissimi beneficium, vt ob illius magnitudinem, cum Christi Fideles (quorum voce S.Dauid loquitur) impares se esse sentirent in referendis, vt par esset Diui-
C næ, adeò in eos profusæ liberalitati, & munificentiæ, gratiarum actionibus, & laudibus, ad eas faciliùs, meliùsque pendendas ipsos omnes Beatorum Spirituum Choros in societatem suam, tanquam mox ipsorum societate, & ipsi donandi, assumunt, & rogant, vt etiam ipsi secum;

V. 20. Benedicite Domino omnes angeli eius: potentes virtute, vos, *robore*, vt S.Hier. *viribus*, vt Chald. *præstantes*; benedicite, & in benedicendo
D adiuuate nos infirmos,& debiles, vos benedicite facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius, qui ei perfectissimè obeditis.

V. 21. Benedicite Domino omnes virtutes, Hier.& Chald. *Exercitus*, scil. Angelici, eius: ministri eius, qui facitis vo-
E luntatem eius. & quasi neque hi omnes laudandæ tantæ Maiestati ob tantum beneficium sufficerent, vt verè non sufficiebant, inuitat ad id omnia opera Domini, etiam illa minimè ad id suffectura; sed tamen quantum potestis;

V. 22. Benedicite Domino omnia opera eius. & tu ò anima mea; in singulari, vt cæperat loqui, etiam Psalmum terminat; fortè etiam præter dicta, vt significaret, *quia multitudinis creden-*
F *tium erat cor vnum, & anima vna*, Act. cap.4. ver. 32. Et tu, inquam, anima mea in omni loco dominationis eius. neminem quidem locũ Dominationis eius, cui omnia subiecta sunt excludit; verùm speciliùs ad illa duo loca Dominationis eius alludit, de quibus paulò ante fecerat mentionem; ad præsentem scilicet Ecclesiam militantem, in qua ipse per misericordiam suam est *ab æterno, & vsque in*

æternum super timentes eum; & iuxta sua promissa semper benefaciens ijs, *qui seruant Testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* v. 17. & 18. & etiam refert se ad futuram Ecclesiam triumphantem, sedem, quàm Dominus Fidelibus suis parauit, & regnum in quo ipse *omnibus dominabitur*. Sic ergo *in omni loco Dominationis eius*, vbi ipse propriè dominatur, & regnat, A

benedic anima mea Domino.

PSALMVS CIII. B

Benedic anima, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CIII.

Ipsi Dauid. C



Salmus hic inscribitur etiam *Ipsi Dauid*, eò quod totus pariter sit in benedictionibus, & laudibus eiusdem Domini, ac Dei Nostri Iesu Christi, cum hac tamen distinctione, ac differentia à priori Psalmo, quod iste sub pulcherrimus rerum cælestium, terrestrium, & totius huius Mundialis machinæ Orbis Vniuersi symbolis describat ipsam Christi Ecclesiam, eiusque admirandam pulchritudinem, & felicitatem sub eisdem ostendat. D

Hoc esse Psalmi huius Argumentum, & id ad literam, seu mentem, & intentum suum voluisse Sanctum Dauidem, non autem tantùm de Constitutione Mundi agere (vt aliqui volunt, & ipse Psalmus prima fronte præsefert) probatur; Primò, quia aliàs connexio, cohærentia, & ordo cum antecedentibus, & consequentibus non esset. Deinde, vt patebit ex Psalmi totius Explicatione, omnia quæ in eo dicuntur, suapte spontè veniunt in significationem Ecclesiæ Christi, & eorum, quæ ad eandem Ecclesiam pertinent; ergo illa tanquam nobilissima obiecta, erant Sancto Prophetæ nota; ergo & primariò ab eo in hoc Psalmo intenta, vt patebit ex Versus 11. & 34. Explicatione. Tertiò; si S. Dauid ea non intendisset, videretur hoc Psalmo Philosophum merè naturalem agere; id autem dici non posse, vel debere constat. Nam licet omninò verum sit, quod Eugubinus ait, Psalmum hunc esse quasi quandam naturalem, ac diuinam Philosophiam, quandam Genesim, quendam Timæum Platonis; addamus etiam quendam Aristotelis Librum de Cælo, Mundo, & Meteoris; nihilominus certum est, ipsum Sanctum Prophetam per illa naturalia, quæ describit hoc Psalmo, ex primaria sua intentione ad altiora collimasse, noluisseque illis tantummodò immorari, & insistere; nam aliàs dici posset in hac Sacra Mundi descriptione, ex auctoris intento, nihil amplius reperiri, quàm quod fusè etiam, eleganter, & doctè profani Gentilium, vel etiam nostrates Doctores ea in materia pertractarunt. E F

Itaque dicendum est, quod S. Dauid more Sacrorum Scriptorum, & maximè patientissimum Iobum imitando, ad cuius Libri complures sententias hoc in Psalmo

A mo alludit, per hæc symbola rerum, & sublimissimas metaphoras verborum, voluerit illa, quæ assumpserat sibi exponenda de Christo eiusque Ecclesia Mysteria miro, & omnem humanam Artem excedente artificio commonstrare: id quod hoc Psalmo planè admirabiliter facit; expressiùs postea, & sine tot verborum inuolucris ea, quæ ad Ecclesiam pertinent consequentibus Psalmis expositurus. In hoc verò Psalmo omninò de Militante Christi Ecclesia agit, quia ipsa est maximè proprius Dominationis eius in præsenti sæculo locus: & nusquam magis quàm in ea Dominus laudabilis, & gloriosus conspicitur. In ea *Domi-*
B *nus decorem indutus*. Psal. 92. Eam *decet sanctitudo:* ibidem. Illa eius *Ciuitas*. Psal. 100. Illa eius Sion, quam ipse ædificauit, & in qua ipse videbitur in gloria sua, Ps. 101. 17.

Itaque ad laudandum, & glorificandum ipsum Dominum S. Dauid nihil aptiùs reperit, quàm ipsius Ecclesiæ vniuersam faciem, machinam, & constructionem intuendam proponere: quod quidem ipse facit hoc Psalmo centesimo tertio sub pulcherrimis, vt dictum est, rerum cælestium, terrestrium, & totius huius mundialis machinæ symbolis.

C Sic planè, quod paulò ante fieri mandabat v. vltimo Psalmi prioris, vt *benedicerent Domino omnia opera eius*; ipse vices eorum supplens, promptissimè exequitur; dum quæ in singulis maximè insignibus eius operibus sunt magis admiranda ea assumit, & tam pulchro ordine, artificio, & verborum significantia describit, vt per illa materialia, & patentia, quæ proponit, in spiritualium, quæ abdita sunt, & ad eius Ecclesiam pertinent notitiam, facili negotio deducat vnumquemque, qui memor est sermonis, quem inchoauit, & hactenus vno filo contexuit. Itaque integrum cuique erit, modò à contextu, & S. Prophetæ in-
D tento non recedat, varia, & ijs, quæ breuiter subijcientur, vel meliora, vel non inferiora aperto symbolorum cortice eruere documenta.

PSALMVS CIII.

Benedic anima mea Domino, cuiusque Fidelis, & Ecclesiæ totius nomine, & voce benedic Domino, & quidni benedicā? **Domine Deus meus,** dulcissimum Messiā Dominum Deum peculiari ratione suum compellat; quia est flos de virga de radice Iesse, Virgine Maria desponsata Ioseph de Domo Dauid. **magnificatus es vehemēter.** eo planè modo quem prius supra Psal. 71. 17. dixi, & optabam, vt *benedicerentur in te omnes tribus terræ; omnes gentes magnificarent te*, & *repleretur maiestate tua omnis terra*, indicibili animi mei iubilo factum est; *magnificatus es vehementer*.
F Tu Fili mi, ac Domine Deus meus, & non Salomon meus, *magnificatus es vehementer*, & *super omnes Reges terræ*. 3. Reg. 10. 23. Tu **Confessionem,** laudē, **& decorem,** pulchritudinem, **induisti,** & es iam postquam te vbique Gentes Deum verum, ac Dominum venerantur, & colunt

V. 2. amictus lumine sicut vestimento: A

clarificatus es claritate, *quam habuisti prius quàm Mundus esset* apud Patrem, Ioan. c. 17. 5. dum *vidimus gloriam tuam*, *gloriam quasi vnigeniti à Patre*, Ioan. 1. 14. Et sanè Tu, ò Verbum Patris, *per quem omnia facta sunt*, id quod olim in principio fecisti opus admirabile, quando cælum, & terram creasti, denuò quodammodo operatus es in Ecclesiæ tuæ constitutione, & fabrica; eam, quæ cælum quoddam pro electis seruis tuis est;

V. 3. Extendens cælum sicut pellem: eam, tanquam tabernaculum extendendo ad omnes Mundi populos, illosque intra eius sinum, & sub eius tectum recipiendo, non aliter, quàm ipsum cælum ambitu suo contineat, & complectatur omnes Mundi homines. Ad hunc Versum allusit S. Isaias cap. 40. v. 22. dum idipsum significando, quod dixi, de Dei operibus loquens aiebat; *qui extendit velut nihilum cælos*, *& expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum*. Ibidem dicetur quomodo S. Greg. l. 8. Mor. c. 4. supra verba Iob cap. 8. *Qui extendit cælos solus*; illa explicet conformiter dictis hoc loco. C

qui tegis aqua superiora eius. Non vult hìc S. Dauid, quod aquę sint supra ipsum cęlum, quod est sedes Beatorum; nam, vt hæc pauca ex multis, quæ in hunc locum adducit P. Lorinus, adnotemus, quæ ad propositum nostrum inseruiunt. P. Pererius noster eam sententiam refellens decernit; veram, naturalemque aquam supra cælum non esse, quoniam graue corpus non nisi violenter, aut miraculosè ibi esset. Dum igitur dicuntur *aquæ esse super cælos*; vel *tegere superiora eius*; per *cælos*, *& superiora eius*; intelligendum est totum aeris spatium, quod & firmamentum D nominatur; ita vt super firmamentum, & cælum aereum existant in modum tecti aquæ; nubes scilicet, vndique cælum tegentes, & operientes. Hanc opinionem (ipsi quoque P. Lorino probabiliorem) iuuant, vt ipse ait, illi loquendi modi, quibus ad pluendum *cataractæ cæli aperta* dicuntur; *prohibere pluuias Deus de cælo*; *claudere cælum ne pluat*; *aperire vt pluat*; *dare multitudinem aquarum in cælo*; *æthera firmasse sursum* (Hebraicè, Græcèque nubes) & librasse fontes aquarum, nempe decidentium è nubibus. His breuiter adnotatis, & suppositis, S. Dauid hoc loco benedicit, ac laudat Dominum, quod quemadmodùm *cæli superiora*, E vt dictum est, *aquis* nubium *texit*; ita & in Ecclesiæ suæ cælo prouiderit maximam, & eam vndique ambientem nubium cælesti doctrina repletarum copiam, quibus assiduè Ecclesia ipsius irrigetur; quæ quidem nubes sunt eiusdem Ecclesiæ Sanctæ Pastores, & Doctores. Sicut ergo Dominus, dum parat dare pluuiam terræ, vento Austro impellente, nubes commouet, portat, diffundit, atque dilatat; ita etiam ipsum benedicit, atque deprædicat, quod pro diuinæ suæ doctrinæ in corda hominum demittenda ipse sit;

Qui ponis nubem ascensum tuum, vbi irrigare F terram aliquam arentem volueris, vteris opera nubium tuarum, qui sunt Fidei tuæ Prædicatores, quos ipse tanquam *nubes* dicitur *ascendere*, quia dum eius Fidem Sanctam docent, illum ipsum Dominum pluunt, vt Isaias cap. 45. 8. *Et nubes pluant iustum*: esse autem sermonem de Christo, & non de Cyro ibi probabitur. & sic

etiam

A etiã dicitur, qui ambulas super pennas ventorum. ab illis ipsis suis Prædicatoribus, omni terreno pondere liberis, fortibus, atque velocibus tanquam à ventis fertur, & in remotas regiones deportatur. sic Psal. etiam 17. v. 11. *Et ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum.* vbi ostensum est, quod his similitudinibus ostendatur ingens velocitas, & celeritas, qua Fides Christi promulgata fuit. Ipse D. Paulus 2. Thess. c. 3. iubebat; *orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* In hunc finem (per-
B git S. Dauid) tu es ò Deus,

V. 4. Qui facis angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem vrentem; idest, sicuti in cælis habes millia millium Angelorum, qui tibi assistunt, & ministrant, quos ipsos natura *Spiritus*, *facis* nuntios tuos, & legatos ad homines, eorumque ministros, & protectores; ita in Ecclesia tua sunt tibi Serui, & Ministri, Doctores, & Pastores animarum, Viri San-
C cti, puritate conspicui, zelo, & charitate ardentes. Versu hoc intelligi, vt dictum est, Angelos, Cælestes Spiritus, præter S. Gregorium hom. 34. in Euangelia, S. Augustinum, Hilarium, & S. Ambrosium, docet S. Paulus ad Heb. c. 1. v. 7. citans hunc ipsum versum S. Dauidis, illumque explicans de Angelis; & v. 14. confirmat id, quod S. Dauid dixerat Dominum *facere ministros suos ignem vrentem;* dum concludit, quod *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.*

Quod verò S. Dauid & hoc dicat, & insuper id dicendo significet ea, quæ
D proportione quadam fiunt in Christi Ecclesia, connexio cum prioribus, imò & cum sequentibus ostendit.

Nam paucis his è cæli creatione, & constitutione ad suum propositum deriuatis, ad terram transit, & ex eius etiam consideratione quædam, quæ magis conspicua, & admiranda in ea sunt, seligit, eaque accommodat fundationi Ecclesiæ, ex qua dubio procul longè maior, quàm ex illa materiali terræ fundatione Gloria, & Laus in Dominum redundat, indeque eum absque fine benedicendi causa, & occasio consurgit.

E Pergens ergo in eo, quod initio proposuerat; quod scil. *Domine Deus meus magnificatus sis vehementer*, quia præter dicta de te, quæ proportione quadam cum cælestibus fecisti in Ecclesia tua; tu etiam ipse es

V. 5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam: Per sic fundatam terram Domini sapientia, & omnipotentia, Ecclesiam indicat: & ad hunc eundem locum, deque eadem re Ecclesiæ scilicet Christi fundatione loquens respexit S. Isaias cap. 40. v. 21.
F dum dixit; *nunquid non intellexistis fundamenta terræ?* S. Dauid verò allusisse videtur ad Iobi cap. 38. v. 4. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* Sicut ergo pro huius interrogationis responsione, & explicatione S. Gregorius Magnus lib. 28. Mor. cap. 6. sapientissimè obseruauit, quod S. Iob licet videretur loqui de Mundi, & Terræ origine; nihilominus ex modo loquendi, & ex eo, quòd aliqua poneret, quæ in Mundi origine facta non sunt; vt scilicet *ponerentur fundamenta ter-*

terræ, & demitteretur lapis angularis eius, colligit; quia illud ipsum, quod S. Iob dixit, de Mundi origine non dixit; primaria scil. intentione, sed de Ecclesia Christi; ita idem omninò dicendum hoc loco est, S. Dauidem eodem modo loquendi voluisse idipsum significare; quod, sicut terra se ipsa absque alio fundamento suomet pondere nixa, & vndique per totum eius gyrum, & ambitum paribus librata in suum centrum ponderibus fixè constanter, & immobiliter consistit, & A

non inclinabitur in sæculum sæculi; iuxta dicta supra Psalm. 101. v. 27.

ita & Christi Ecclesia. Fundamentum eius Christus est: ideoq; *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Matt. 16. 18. & ipsa est *columna, atque firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3. 15. Hæc S. Christi Ecclesiæ firmitas eò admirabilior, quò maiores Persecutionum, atque hæresum impetus sustinuit. Sequitur aliud quodpiam pulcherrimum, & non minus admirandum eius ornamentum, & est, quod; B

V. 6. Abyssus, sicut vestimentum, amictus eius; idest, sicuti Terram varia maria ambiunt, & ipse Oceanus eam circumdat, & tanquam vestimento quodam amicit; ita etiam Christi Ecclesiam tota Gentilitas (sæpius per mare denotata) & tam multæ, tamque variæ Gentium, & Populorum Nationes, eam quasi Terram, vbique ambiunt, circundant, & quasi vestimentum eius eam exornant. Sic de Gentium in Ecclesiam concursu loquutum fuisse Dominum hac ipsa vestitus similitudine legimus Isa. c. 49. 18. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa*. Sequitur super monte stabunt aquæ. Licet quamplurimi apud P. Lorinum arbitrentur S. Dauidem hìc insinuare horrendas illas, quæ in mari ad instar montium sæpè suscitantur procellas, & fluctus; nihilominus veriùs ad S. Prophetæ mentem dicemus, quod non amplius de mari loquatur, sed in ijs, quæ in terra mirabiliora, & ad suum propositum accommodatiora sunt recensendis persistat, & veros *montes super quos aquæ*, in nubibus scilicet condensatæ sint, intelligat: ita etiam P. Emmanuel Sà: quæ quidem aquæ eo pacto in nubibus condensatæ montium summitati incubantes, vbi mandatum tuum, ò Deus, perceperint, & voluntatem, atque imperium, C D E

V. 7. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt. Hoc autem Dei mandatum, siue imperium, & increpationem nubes illæ, tunc vel maximè dici possunt persentiscere, fugere, & formidare, quando Dominus immittit in eas ventum Austrum; hoc enim vento flante voces audiuntur, & tonitrua; de quibus S. Dauid hìc loquitur vtens planè eadem similitudine, qua pro eadem re significanda sciebat Sanctum Iobum vsum fuisse c. 37. F
v. 4. *Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ*, &c. & v. 9. *Ab interioribus egredietur tempestas*. Hæc quidem, quod attinet ad ipsum Grammaticum verborum sonum, maior est difficultas, quidnam sub ijs verborum symbolis significare voluerit S. Dauid. Supposito, quod cum (vt paulò ante explicatum est) iam dixerit; *qui ponis nubem ascensum tuum*, non idem repetat; sed quid sin-

A singulare se velle significare ostendat, repetendo, quod *super montes stabunt aquæ, & ab increpatione*, &c. hoc inquam supposito, mihi non solùm verosimile, sed etiam admodum certum videtur, hoc *aquarum, quæ super montes stabunt*, & *ab increpatione* Domini *fugient, & à voce tonitrui eius formidabunt*, symbolo voluisse significare, id quod eo tempore, quo Christi Ecclesia inter Gentes fundanda erat, contingere debebat, eratque futurum summa admiratione dignum; vt scil. *aquæ*, populi gentium, quæ *stabant super montes*, innitebantur potentiæ Romæ Ethnicæ vbique dominantis tam imperio, quàm idololatriæ impietate;
B illæ inquam aquæ, & Populi Gentium, Romani Imperij celsitudini, & montibus incumbentes, *ab increpatione Domini* per Euangelij prædicationem, tanquam ad vehementissimi tonitrui vocem cedent loco, à perfidia, & impietate desistent, Dominum maiestatis *formidabunt*, ad Fidem conuertentur. Quia verò hæ Populorum Gentilium ad Fidem conuersiones fieri debebant per viros sanctitate, sapientia, fortitudine, reliquisque virtutibus maximè conspicuos, & eminentes; idcircò ait; quod sicut in hac materiali Mundi machina res valdè spectabilis est, quod hinc quidem in altum ingenti mole

C V. 8. Ascendunt montes: & inde, in latè patentem planiciē descendunt campi in locum, quem fundasti eis.

prout sapientia tua disposuisti, non aliter in eius Ecclesia, in ipsa Fidelium multitudine, alij quidem insigniori vitæ sanctitate, sapientia, fortitudine, officij gradu, & dignitate, Christi per Euangelica consilia imitatione, &c. instar montium eminent, alij verò ordinaria Christianæ vitæ perfectione, & mandatorum diuinorum
D obseruatione contenti, ad instar camporum vernant; cum hac tamen diuersitate, singuli sunt gradu suo, & loco sibi assignato contenti; siue ascendant, siue descendant, tendunt omnes *in locum quem fundasti eis*. Hæc vox, *fundasti*, satis clarè ostendit Sancto Prophetæ, vt paulò ante dixi, non esse sermonem de aquarum montibus, siue procellis maris, & fluctibus; nam hi nulla proprietate sermonis dici possunt *ascendere*, vel campi aquarum descendere *in locum, quem illis fundauit* Dominus; *fundare* enim, rem maximè stabilem, & immobilem notat, quæ proprijssimè ob molem ingentem in altum porrectam, montibus, & propter eandem in la-
E tum, longumque extensam, campis conuenit. Sicut ergo aquis maris, eiusque fluctibus, & procellis Dominus posuit terminum, ita etiam montibus terrestribus;

V. 9. Terminum posuisti, quem non transgredientur: neq; conuertentur operire terram.

Confirmat hic S. Dauid, quod priori Versu dixerat, rebus singulis præfixam fuisse à Deo sedem, situm, & spatium; neque futurum, vt ijs non obseruatis, res Mun-
F di huius in antiquum Chaos reuertantur, & ruant. Quantò ergo magis ipse Dominus, quæ sapientissimo ordine in Ecclesia sua disposuit, volet inuiolabiliter obseruari? Non patietur ipse, quod in rebus humanis frequenter contingit; vt Viri Principes sint in subditorum suorum ruinam, & perniciem, siue malo exemplo, siue tyrannica potestatis vsurpatione, siue auaritiæ cupiditate in pulcherrimo Ecclesiæ regno, quod in Mundi huius Montibus cernitur; *Terminum posuisti*

eis,

eis, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. Sequentur omnes, qui Principes, & Pastores fuerint Christi summi Regis, & Boni Pastoris exemplum; & *pascent qui in illis* erit *gregem Dei; prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris; sed forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit Princeps Pastorum, percipient immarcescibilem gloriæ coronam*. 1. Petri 5.2. Pergit S. Dauid, & ait; Christi Ecclesiam non solùm montes habere, & campos; sed etiam, quod visu pulcherrimum est in hac Mundi machina, speciosissimas valles irriguis fontibus ornatas, & instructas. A B

V. 10. Qui emittis fontes in conuallibus: supra Psal. 64. v. 14. dixerat, *Valles abundaturas frumento*; quidni abundent? quandò *emittis fontes in conuallibus*. Per has conualles aptissimè Religiosorum hominum à Mundo abstractorum ordines, in Christi humilitate, paupertate, Mundi contemptu fundatos, perpetua pace, tranquillitate, spiritualium rerum copia, doctrinæ cælestis abundantia perfruentes, tanquam variorum fontium scaturigine irriguas intelligit. Sicut autem Dominus *conuallibus*, de suis, quibus irrigarentur fontibus prouidit; ita terræ vniuersæ prospexit de vastis, & magna aquarum copia præterfluentibus fluminibus; effecitque, vt quò illa maiori terræ commodo, & vtilitate prodesse possent, varijs, & multiplicibus mæandris, gyris, seu circuitibus serperent, & præterlaberentur; inter medium montium pertransibunt aquæ. Hæ inter medium montium pertrãseuntes aquæ, præterquam quod transitu suo solum, quod alluunt, irrigent, & fœcundum reddant; insuper ex ijs C D

V. 11. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua.

V. 12. Super ea; loca decurrentium inter medium montium aquarum; volucres cæli habitabunt, inibiq; habitantes de medio petrarum dabunt voces. Sic S. Dauid hæc mira Diuinæ Prouidentiæ opera describit. Sub hac autem ipsa descriptione, id quod in Christi Ecclesia fit, & futurum præuidebat, pulcherrimis coloribus expressit; vt scil. in ea, non solùm *conualles* suis fontibus irriguæ reperirentur, verùm etiam quia ipsa amplissimo suo sinu Terram vniuersam amplectebatur, haberet amplos quosdam fluuios, per quos ipsorum Sanctorum Euangelistarum, Apostolorum, Conciliorum, & aliorum Ecclesiæ Doctorum doctrinam intelligimus, qui quidem Fluuij *pertransibunt inter medium montium*; qui sunt ipsæ particulares quæque Ecclesiæ Vniuersali S. Rom. Ecclesiæ subiectæ. Ex his aquis *potabunt omnes bestiæ agri*. sicuti de bobus præcipua cura non est Deo, ita neque S. Prophetæ Dauidis primarium fuit intentum prædicere, quod ex aquis inter medium montium pertranseuntibus, potaturæ essent omnes bestiæ agri. altiùs ergo ipse respexit, & omninò significare voluit futurum, vt Gentiles, siue Gentium populi, per bestias E F

stias

A stias agri significati, potandi essent ex prædictis Ecclesiæ fluuijs. Hoc ita esse re ipsa,& non explicatione,aut accommodatione mea,constat ex alio simili loquendi modo, quo S. Isaias ad hunc ipsum locum alludens vsus est cap.43. v. 20. vbi ait;*Glorificabit me bestia agri, dracones,& struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio*. quod autem ipse S. Isaias per hæc intelligat Populos Gentium, cum ex toto contextu illius capitis, vt ibi explicandum est, tum ex verbis,quæ immediatè subiungit, ostenditur; nam ait Dominus, se idcircò dedisse *in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum istum*
B *formaui mihi, laudem meam narrabit*. Itaque etiam S. Dauid idcircò potissimùm gratulabatur, & ex hoc Diuinam Prouidentiam, & Beneficentiam suspiciebat; quod ex aquis, quas inter medium montium fecisset pertransire, potaturæ essent non quales,quales; sed tales *bestiæ agri*. Et similiter dum ait; quod etiam easdem aquas donec plenè satientur, *expectabunt onagri in siti sua*; per hos *onagros* expressit illos spirituales homines, Mundo,& rebus mundanis nuntium remittentes, diuinis rebus vacantes, qui præ reliquis, qui in Christi Ecclesia sunt, siti rerum cælestium,& diuinarum laborant;de quibus sciebat locutum fuisse S.Iobum cap.39.
C vers.7.8.& 9. *Quis dimisit onagrum liberum,& vincula eius quis soluit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem Ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascua sua, & virentia quæque perquirit*. Videri potest in hunc locum S. Greg. Quàm magna harum cælestium aquarum Doctrinæ Euangelicæ vtilitas! *Super ea volucres cæli*, viri, qui in Ecclesia Christi erunt dediti Contemplatiuæ vitæ, *habitabunt*, sedes suas figent,& iugiter morabuntur secus decursus aquarum harum. Hi ipsi planè à terra eleuati, & per vitæ asperitatem opera pœnitentiæ facientes, *de medio pe-*
D *trarum dabunt voces*, peccatorum Confessionis,Diuinæ laudis,& gratiarum actionis. Videatur Isa. cap. 2. v.19. *Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ*, &c. Quàm benè in Christi Ecclesia, nouo, eoque pulcherrimo Orbe Terræ, cunctis prospectum! Vnum videri posset tam in materiali,quàm mystico hoc Orbe deesse, ni prouida Dei liberalitas, & huic rei occurrisset; ne scilicet montes, qui deriuandis in conualles fontibus, & dimittendis in varias terræ partes fluuijs magno sunt reliquis commodo,destituti ipsi irrigatione, ariditatem, & sterilitatem, instar montium Gelboe,paterentur. Auertit Dominus ingens hoc
E damnum; proinde cælestibus suis pluuijs ne arescerent, est assiduè

V. 13. Rigans montes de superioribus suis.

Felices montes, qui has cælestes pluuias assiduè,& perpetim excipiunt! Quàm pulchro deinde ordine, & (vt etiam videmus in rebus creatis) quàm pulchra subordinatione, vbi montes pluuias cælestes exceperint, in subiectas valles, campos, & in torrentes; & fluuios illas emittunt! & ipsæ pluuiæ in fluuios excrescunt! Sic Psalmo 71.v.3.supra optabat; *suscipiant montes pacem populo: & colles*
F *iustitiam*. Pergit S.Dauid, & ait; quod, dum Dominus ea, quæ hactenus recensuit, Orbi Terræ præstat Beneficia, *Rigans montes de superioribus suis*; & illi deinde reliquis inferioribus se se communicant, maxima illicò terræ fertilitas subsequatur;

de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Hæc verba,quod ad Grammaticam significationem attinet, benè explicat P. Em.

Sà, quod idem sonent, atque si dicatur de fructu prouenieute opera tua satiabitur terra. Verùm vis maxima sita est in verbis, provt posita sunt; nam primò quidem significant nihil posse valere, & proficere humanam industriam, nisi Dominus incrementum dederit; & cum ipse det omnibus esse, & operari, veriùs omnia Domini ipsius esse, quam hominum opera; & sic, quod ad hæc corporalia, & terrena opera attinet; *de fructu operum tuorum satiabitur terra*. Opera etiam Dei sunt, ait P. Lorinus, aer, ac nubes, & horum censeri possunt fructus, imbres, roresque terram humectantes, ac fœcundantes; ita vt his fructibus satiari dicatur terra. Sic Hebræi sentiunt, & Eugubinus, nec Genebrardo displicet, fauetque, quod *pluuiæ patrem* Deum, Iob c. 38. 28. vocat, ac *roris genitorem*. A B

V. 14. Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum. Ad huius versus explicationem (quod ad ipsum beneficium, quod terræ contulit Dominus, attinet) satis est, quod P. Lorinus obseruat; scil. quod Antithesis iumentorum, & hominum, atque quod postea educi de terra panis dicitur, satis innuit, magis propriè fœnum, quàm herbam iumentis attribui. C addo quod per herbam intellexerit triticum, quia hoc, vt Marci 4. 28. *fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*. Illud etiam notatu dignum est ex eodem P. Lorino, quod ad Deum referatur id quod dicitur; *Producens fœnum iumentis*, &c. nam etiam quando initio creationis iussit Deus, vt *germinaret terra herbam*, Gen. 1. 11. non actiuè, sed passiuè id dictum, vt germinaret; materiam scil. generationi suppeditando, Deo solo actiuè, ac efficienter producendo; idque tertia die cum nondum existeret Sol, & astra, ne quis (vt obseruant Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, Theophilus Antiochenus, Procopius, &c.) his adscriberet dictam germinationem, & ea sibi adoranda putaret. D Præterea idem Basilius, Ambrosius, Procopius, ac Theodoretus, docent; plantas productas ante animalia, vt hæc paratum sibi pabulum reperirent singula, vt insinuatum est, naturæ suæ proportionatum, atque conueniens, *fœnum* iumenta herbam; homines; & quidem eiusmodi pro ijs herba parata;

Vt educas panem de terra herbam illam germinante, quæ deinde spicam produceret, & frumentum plenum in spica. Insuper etiam pro homine, tanquam omnium animalium excellentissimo, selectas quasque produxit plantas, vt ad panis alimentum; E

V. 15. & vinum lætificet cor hominis. preterea,

Vt exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet. Actorum cap. 14. à v. 14. Sancti Paulus, & Barnabas hac Dei munifica erga homines liberalitate vsi sunt ad dedocendos Lystrenses idololatricam impietatem; quod scil. *Deus viuus, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra*. Quo pulcherrimo testimonio omnia F

crea-

A creaturarum erga hominem maiora, quàm in alios obsequia in ipsum omnium
creaturarum auctorem referuntur.

Hanc differentiam in suppeditandis ad vitam subsidijs, quam prouidentissimus
Dominus facturus erat inter homines, & iumenta, S. Dauid iam supra Psal. 35.
v.8.9. notauerat; & videri ibi potest, quid per ipsam significare voluerit.

Pari planè, consimilique ratione hoc loco intendit ostendere, quonam pacto
Dominus *De fructu operum suorum terram suam*, quæ est Ecclesia satiet. Et qui-
dem Hugo, citatus à P.Lorino, fructum meritorum, quæ Christus Mundo, præ-
B sertim per Crucem, reliquit, interpretatur. planè omnia Sacramenta, Sanctissi-
mum Sacrificium, & quidquid in Ecclesia eius ad salutem animarum nostrarum
institutum est, est *fructus operum eius*, quo satiata est terra abundantia, & vber-
tate gratiarum eius, & donorum, *Pane*, & *Vino* SS.Eucharistiæ; *oleo*, & pinguedi-
ne misericordiæ, deuotionis, & Diuini sui Verbi. Atque ita, quod supra pau-
cis insinuauerat futurum in Christi Ecclesia, vt *à fructu frumenti, vini, & olei*
sui *multiplicarentur* Fideles, Psal. 4.8. Item, quod dixerat, *Visitasti terram, & ine-
briasti eam*, &c. Psal. 64. hìc idipsum hoc loco, tanquam proprio, pluribus, ijsque
C pulcherrimis symbolis exprimit.

Et quid mirum hæc tanta dona conferri bonis eius Filijs, & Fidelibus seruis?
quando pluuijs liberalissimi huius Domini,

V. 16. Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit. per *ligna campi*, arbores, quasque viles, & infrugiferas intelligit,
perque ea, homines malos non facientes fructum bonum, qui demum excinden-
D di erunt, & in ignem mittendi; per *Cedros* autem *Libani*, quas ipse plantauit, signi-
ficantur boni, & electi eius serui, qui sunt *plantationes, quas Pater cælestis planta-
uit, & non eradicabuntur*. Matt.c.15.13. qui in monte Libano eius Ecclesia virtu-
tibus, & vitæ sanctitate instar Cedrorum eminent: nihil mirum, vt dicebam, vi-
deri debet, has Cedros suas Libani sui cælestibus pluuijs gratiarum visitari,
& satiari, quando illæ non desunt lignis campi. Ipse Vnigenitus, qui est in sinu
Patris, & de immensitate Paternæ eius misericordiæ enarrauit, hac ipsa illam li-
beralissimam misericordiam similitudine deprædicauit; quod nimirum, *Solem
E suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos*. Matt.5.4.
Sed in Libano, vbi electæ Cedri, quas Dominus plantauit, saturabuntur eius
pluuijs;

V. 17. illic passeres nidificabunt. homines pauperes huic Mundo
despecti *illic nidificabunt*; *nonne* enim *Deus elegit pauperes in hoc Mundo, diuites in
Fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Iacobi c.2.5. Supra
etiam in hunc sensum dixerat, *passerem inuenisse sibi domum*. Psal.83.4.

F **Herodij domus dux est eorum:** Herodius est Ciconię genus; hęc, quia
prima omnium auium nidificat, altissimoque loco, dicitur *Dux* aliarum, siue quæ
alias doceat nidificare. Sic etiam Fideles facturi, collocaturi sedes suas, & do-
micilia in altis, tutisque locis, atque amœnis, & cælestibus pluuijs peruijs. Sicu-
ti autem pro volucrum diuersitate varias illis sedes, & nidos Diuina Prouiden-

tia constituit; ita & pro animantibus quadrupedibus destinati sunt ab eadem A

V.18. montes excelsi ceruis: petrá refugium erinacijs. Quod montes ceruis, frequentissimè Scriptura meminit, Cant.8. 14. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum*. Quod autem per eos S. Dauid intelligat viros Apostolicos, iam supra sufficienter indicauit Psal.17.34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me*. Multa de his in Iob. cap. 39. habet S. Greg. Mor.l.30.c.9. Quod si non omnium est tanta perfectio, & tam sublimis status, & B vocatio; tum *petra refugium erinacijs*. Chal. cuniculis, qui lepusculi vocantur; Prouerb.30.26. *Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum*. per eos autem Christianam plebem Christo benè inhærentem per Sacramentorum, & Diuini Verbi frequentationem intelligere possumus.

His ita declaratis, duo alia sequenti Versu valdè insignia Dei opera producit in medium, & similiter per ea, quid Dominus in Ecclesia sua fecerit, ostendit. Vnum ergo est, quod,

V.19. Fecit Lunam in tempora: alterum, quod Sol cognouit occasum suum. C Verba hæc, quod ad immediatum sensum Grammaticalem attinent, clara sunt, & indicant id, quod Gen.c.1. legimus, scil. *Facta luminaria in firmamento cæli, vt diuiderent diem, ac noctem, & essent in signa, & tempora, & dies, & annos*. Iam autem, quis credat Sanctum Dauidem (si quidem hìc, & in his sistere voluisset) non reperturum aliquid maius ad tantorum operum Diuinorum commendationem? Et vel maximè, quid sibi illud vult, quod de Sole, tanquam rem ma- D ximè in eo obstupescendam, dicat, quod *Sol cognouit occasum suum?* postque occasum tantum eius, & quandam veluti absentiam insinuatam, quid est, quod subiungat tanquam rem obseruatu dignissimam, *posuisti tenebras?* (quam aliàs videmus necessariò consequi debere, vt post Solis occasum sequatur nox)

V.20. Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. E

V.21. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Similiter etiam his, quæ per noctis tenebras bestiæ siluę, & catuli leonum discurrentes, & prædas suas agentes agere consueuerunt explicatis, tanquam rem notatu dignissimam, ait, quod post occasum suum, & interim illa subsecuta in eius absentia per illam tenebrarum opportunitatem;

V.22. Ortus est Sol, & congregati sunt: & F in cubilibus suis collocabuntur. Atque sic dilapsis in suos specus bestijs, & leonum catulis, vijsque omnibus, & agris summa in securitate, pace, & luce constitutis, ait,

V.23.

A V. 23. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum. Et tandem S. Dauid his recensitis, tanquam summè admirabilibus, exclamat:

V. 24. Quam magnificata sunt opera tua
B Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. Hæc omnia, vt dicebam, licet sint grandia opera Dei, nihilominus non
ita grandia sunt, vt ordinaria non sint, & quibus longè maiora, & admirabilio-
ra non occurrerent dicenda Sanctissimo Prophetæ Dauidi; si quidem primarium
eius intentum fuisset, his rebus creatis immorari, & non potius ijs vti ad rerum
Christianarum, quas toto Psalterio explicat, declarationem. Non ignorabat
ipse, quod postea Ecclesiasticus cap. 43. expressit (licet, & ipse Christiana inten-
C derit, vt patebit ex illius capitis explicatione) non, inquam, ignorabat, & dicere
potuisset pro Solis commendatione; esse *vas admirabile, opus excelsi. In meridia-
no exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?* v. 3. & cætera
quæ ipse prosequitur v. 4. & 5. Item etiam de Luna, si præcisè eam laudare inten-
disset, poterat dicere. *A Luna signum diei festi. Luminare, quod minuitur in con-
summatione. Mensis secundum nomen eius, crescens mirabiliter in consummatione.
Vas castrorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriosè*; Ecclesiastici c. 43.
v. 7. 8. 9. Deinde si in his sistere voluisset, laudandi ordinem seruasset, neque Lu-
D nam Soli proposuisset. Verùm, quia primarium eius intentum, vt dictum sæpè
est, erat, ea, quę in Ecclesia Christi sunt, sub illis rerum creatarum symbolis pro-
ponere; ad hoc eius intentum satis, superabundanterque sufficiens, & conue-
nientissimum erat insinuare; quod Dominus sicuti pro hoc orbe terrarum, &
eius vsque in finem Mundi duratione *Lunam fecisset in tempora*; vt scil. ab ea de-
nominarentur tempora, anni, & menses, & secundùm eam ipsa tempora vs-
que ad finem temporum decurrerent. Sic etiam in hoc Mundo, & pro huius
vitæ vsque ad Mundi finem decurrendæ tempore *Fecit Lunam*, Ecclesiam suam
E constituit duraturam *in tempora*, & quæ temporibus omnibus vsque ad con-
summationem Mundi prætercursuris præesset, & ipsa vsque in finem perduraret.
Id, quod ad hanc eius constitutionem, & fundationem necessarium erat, factum
est, quod nimirum *Sol cognouit occasum suum*. Sponsus eius, Vnigenitus Dei Pa-
tris Dominus Noster Iesus Christus mortem pro ea obijt; ipse siquidem est, cui
supra Psal. 67. v. 5. cupiebat ipse Dauid, *iter fieri ei, qui ascendit super occasum, &
Dominus nomen illi*. Non solùm autem hic innuitur Domini Iesus mors pro
Ecclesia obita; sed etiam per ipsum Solis occasum (quem ideò dicitur cognouis-
F se, quia spontè eum suscepit) significatur longum illud tempus persecutionum,
quo suam pręsentiam Dominus veluti subtraxit, Ecclesiamque suam magna, &
producta in nocte tribulationum reliquit; & tunc quidem, *Posuisti tenebras, &
facta est nox*; neque aliter, quàm factis, inductisque super terram tenebris ipsa
nocte solent *pertransire omnes bestiæ siluæ, catuli Leonum rugientes vt rapiant*; sic
à Gentilibus eorumque Principibus illis, vt *bestijs siluæ*, his, vt *catulis* Leonum
rugien-

rugientibus, sæuitum vbique terrarum est in Ecclesiam, eiusque Fideles: quanta autem crudelitate sæuitum fuerit frequentibus Psalmis supra ostendit S. Dauid; maximè autem Psalmo 68. quo quasi compendio acerbissima quæque complexus est, quæ Ecclesia Christi pertulit. Hîc S. Dauid satis habuit omnia, quæ sparsim dixerat, pulcherrimis hisce similitudinibus, per tenebras noctis ferocientium, & prædas agentium bestiarum, & catulorum Leonum, reuocare in memoriam. A

His ipsis similitudinibus ad viuum expressit, quonam pacto Christi Fidelibus nusquam tunc tutò consistere, & in apertum prodire licitum fuerit, sed in abdita, & subterranea terræ loca (arenarias vocabant, & cryptas) sese abdere, & quoad poterant, iuxta Domini consilium, impio persequentium furori se subducere debuerint. De Cœmeterio Priscillæ, quod est via Salaria tertio ab Vrbe lapide narrat eruditissimus Theodoricus Rinaldi in Compendio, qui Italicè edidit Annalium Ecclesiasticorum Baronij, se id non semel inspexisse, quod quidem ob sui amplitudinem, & ob multas variasque vias, quas habet, iure meritò subterranea Ciuitas appellari potest; nam ad primum eius ingressum platea spatiosior reliquis visitur; vtrimq; verò aliæ diuersæ viæ ad viculos diuisos tendentes; in singulis deinde ampliora spatia, qualia in foris Ciuitatum esse solent, continebantur, ad sacros Christianorum conuentus celebrandos. B C

De his Cœmeterijs, & Cryptis plura ipse, alijque Historici, & ipsæ eorum residuæ adhuc sedes testantur Persecutionum in Ecclesiam immanitatem.

Neque id sua significatione, & mysterio vacat ad rem præsentem accommodatissimo, quod S. Dauid illa similitudine bestiarum, & leonum, non solùm persecutionum, quam dixi, immanitatem expresserit; verùm etiam addiderit, eam fuisse ab illis factam; *quærendo à Deo escam sibi:* quo modo loquendi significare voluit, non tantùm quod ad prouidentissimam Domini curam spectet, prospicere de esca animantibus omnibus (ita vt oculi omnium in eum sperent, & aperiat ipse manum suam, & impleat omne animal benedictione) non, inquam, id solùm significare voluit; sed etiam illam ipsarum bestiarum, & catulorum Leonum sæuitiem fuisse in viros innocuos, & peculiares, charosque Dei cultores, & seruos exercitam; sicuti enim odio est Deo impius, & impietas eius; ita iustus amori; *quærebant* ergo *à Deo escam sibi*, dum ad necem eius seruos rapiebant. Certè, vt D. Petrus 1. suæ cap. 4. à v. 15. iam tum Christianos admonebat; *nemo* illorum *patiebatur vt fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Christianorum innocentiæ ipsi eorum hostes testes erant. Notum est Plinij Bithyniæ Proconsulis de ijs testimonium ad Traianum Imperatorem, quod scilicet nil in ipsis reperisset, nisi quod ad Christum suum laudandum antelucanos conuentus celebrarent, eosque vitam à vitijs immunem profiteri solitos; *seque sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent*, &c. quo quidem testimonio effectum fuit, vt Traianus rescriberet, non esse in eos inquirendum, sed ab aliquo accusatos, plectendos. Sed de hac sententia Tertull. in Apolog. c. 2. exclamat. *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos vt innocentes: mandat puniri vt nocentes: si damnas, cur non & inquiris? si non & inquiris, cur non & absoluis?* Atque ita hoc iniquo rescripto aucta fuit in innocentes persecutio, facta cunctis idololatris iuratis eorum hostibus eos liberè accusandi potestate. Sic ergo impij illi dum ad necem Dei cultores quærebant, D E F

bant,

A bant, tanquam bestiæ siluæ, & catuli Leonum *à Deo escam sibi quærebant*. Has in Ecclesia sua tenebras, & hanc persecutionum noctem, etiam notanter dicitur Dominus *posuisse*; quia eas ad maximum Ecclesiæ suæ bonum, vt alibi etiam dictum est, maximè Psalmo 93. disposuit, & vt Diuus Petrus 1. suæ cap.4.v.17.aiebat; *Tempus erat, vt inciperet iudicium à Domo Dei*: quo tandem, vsque ad Constantini Magni tempora, transacto, atque peracto; V. 22. *Ortus est Sol*, mutata est rerum, & Ecclesiæ facies, Sponso eius Christo eam benignissimis lucis suæ radijs illuminante, effectumque est, vt persecutionum tenebris fugatis, diffugerent

B pariter, & euanescerent eius persecutores, & plena pax, atque tranquillitas Ecclesiæ restitueretur; quod indicat illud; *& congregati sunt* (catuli nimirum Leonum, & bestiæ siluæ) *& in cubilibus suis collocabuntur*. Hanc Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem, atque illam, quam obtinuit libertatem, publicè, & palàm sacra sua proponendi, cultumque Deo Opt. Max. exhibendi in luce, & oculis Solis huius; & quod bono hoc ipsa perfruitura esset vsque ad Mundi vesperam, S. Dauid aptissima, & ad prius dicta consequentissima similitudine expressit, prodeuntium ad labores suos, & operationes hominum, post longam, eamque, pro-

C pter ferarum in eâ bacchantium, horridam noctem. V.23. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperum*. Per hominem, qui exibit *orto Sole*, & dilapsis bestijs siluæ ad opus suum, intelligit vnumquemque Christi Fidelem, seu eius Ecclesiam vniuersalem Diuino, vt dictum est, cultui, absque timore, & perturbatione (quæ ipsam vniuersè attingat) vocaturam. Notanter autem dixit; *opus eius, & operationem, vsque ad vesperum* duraturam; Primò quidem, vt indicaret id, quod expressius de hac ipsa re loquens significauit Diuus Ioannes Apocal. cap. 20. v.2. *Draconem, & serpentem antiquum, qui est*

D *Diabolus, & Satanas, ligatum* quidem esse *per annos mille* (per quos totum id soli Deo notum spatium intelligitur, quo Christi Ecclesia illa publica pace cultus diuini exercendi perfruetur) cæterùm *post hæc oportet illum solui modico tempore*. Secundò dixit, *vsque ad vesperum*, quia Christi Fideles, eiusq. Ecclesiam, post opus, & operationem suam in Dei opere, & diuino cultu, non nox excipiet, sed dies; de qua Cant.2.17. *Donec aspiret dies*, vitæ beatæ, & immortalis, *& inclinentur vmbræ*, vitæ huius mortalis. Hæc, quæ hactenus dicta explicataque sunt, meritò tam grandia, tamque insignia, & singularia Dei opera sunt, vt

E illam admirationem exprimant; V.24. *Quam magnificata sunt opera tua Domine!* supra Psalmo 91. v.6. S. Dauid ijsdem verbis vsus est, idipsum, vt ibi dictum, insinuando addit modò; tanquam *nimis profundis Dei cogitationibus*, iam executioni mandatis, *omnia in sapientia fecisti*; tantis persecutionibus Ecclesiam tuam purgare, & fœcundam reddere voluisti (sic, ò Deus! sanguine Martyrum existente semine Christianorum) *impleta est terra possessione tua*. Christi Fide vbique terrarum disseminata, & suscepta in eius hereditatem, & possessionem venit omnis terra. Si Traiani temporibus verum erat, quod paulò ante citatus Plinius ad ip-

F sum scripserat; quod *non Ciuitates tantùm, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio* (sic ipse idololatra solam, ac salutiferam Religionem appellabat) *peruagata est*. quid factum fuit, *Orto* iam *Sole*, fugatis tenebris, sublatis catulis Leonum? Planè tunc *impleta est terra possessione tua*. tunc quod optans fieri, futurum prædicebat Psal.64. *pinguia facta sunt speciosa deserti*, &c. & re ipsa Palæstinæ, & Ægypti, ac Thebaidis solitudines viris Sanctissimis vtriusque sexus Fideli-

delibus florere, & vernare cæperunt, & Tertullianus in Apologetico aiebat, Christiani omnia impleuerunt: denique transijt in Domini Nostri possessionem, & dominium ipsum A

V. 25. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus. Totus hic Mundus, qui ad instar maris innumeros portus, & litora, & terminos habet; & illic reptilia, quorum non est numerus. reperiuntur

Animalia pusilla cum magnis, non secus atque in magno, & spatioso litoribus, & portubus mari. B

V. 26. illic naues pertransibunt.

Draco iste, quem formasti, ad illudendũ ei.

Sub hoc etiam symbolo nauium per mare transeuntium, & Draconis formati in eum finem, vt ei illudatur, S. Dauid intendit ostendere, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent; & sunt illa, quæ in simili locutione D. Hieronymus in Isaiam c. 60. 9. *volabunt in nauibus alienigenarum, & mare pariter deprædabuntur*; intelligit de Apostolis, & viris Apostolicis Fidei Sanctæ Prædicatoribus. In Ecclesijs enim de numero Gentium congregatis toto, inquit, Apostoli orbe volitarunt, vt deprædarentur mare, & draconis spolia tollerent, qui regnabat in mari. Quod hoc ipsum intenderit significare S. Dauid, probatur ex allusione, quam hoc versu facit ad caput 40. & 41. S. Iob. vbi certum est, quod sub nomine Ceti, Balenæ, seu Leuiathan expressus sit Draco infernalis; de quo etiam quæritur; *Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* c. 40. v. 24. subintellige, solius diuinæ potestatis fuisse horribilem illum Leuiathan reddere imbellem tanquam auem, eumque ludibrio exponere ipsis pueris, & ancillis: sic hoc loco S. Dauid ait; quod posteaquam *Naues* Christi *pertransierunt*, & peruagatæ sunt omne Mundi mare, *Draco* ille (S. Hierony. & Chaldæus habent Leuiathan, vt manifestò constet, quonam fiat allusio) qui ei mari dominabatur, & erat omnibus maximè formidabilis, non sit amplius vlli timendus, eo quod spoliatus sit, & destitutus omnibus viribus, & ludibrio, risui, & illusioni omnium expositus. Nisi S. Propheta hoc dicat hoc versu, sed simpliciter, & præcisè in eo sistat, quod verba illa sonant; non apparet quid magnum, & admirandum, dignumque sacro eloquio, & carmine proferat, cum aliunde eiusmodi constent. Hæc postquam tam multa eo ordine, connexione, & ad id, quod vidimus, inuariata directione dixisset S. Dauid: sequentibus Versibus ad ea, quæ proximè dixerat, de *mari hoc magno, & spatioso manibus*; multis litoribus, finibus, & portubus instructo; *innumeris reptilibus* abundãte, *animalibus pusillis cum magnis* exornato; ad hæc, inquam, respiciendo, per quæ dictum est ipsum intellexisse illam maximam Ecclesiæ Christi amplitudinem, sinu suo omnia complectentem, & includentem maximam nationum, populorum, hominum, ætatum, conditionum, graduum, diuersitatem, per *reptilia, quorum non est numerus*; & *animalia pusilla cum magnis* significatam; ad hæc, inquam, respiciendo, ostendit, quod hæc omnia in sui conseruatione

(& non

A (& non tam corporalem, quàm spiritualem per Fidem, & gratiam intelligit) à benignissima Dei ope, & auxilio dependeant;

V. 27. omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.

Iam supra V. 14. dixerat, Dominum producere fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum, & educere panem de terra, efficereque, vt vinum lætificet cor hominis. Id hoc loco non repetit, quamuis Versus possit etiam ad illa extendi; sed quonam pacto
B tanta, quæ in Ecclesia Christi est, Christianorum multitudo, & diuersitas egeat gratiæ diuinæ præsidijs, vt in Fide conseruentur ostendit; maximè quia *in mari magno* versantur, *reptilia* sunt, & innumera, animalia pusilla, cum magnis. Inter hæc, & priora, quæ supra v. 14. & 15. de iumentis, de hominibus, nec non & volucribus dixerat, facit distinctionem illam, quam etiam supra Psalmo octauo attigerat; dum diceret v. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi*. v. 9. *Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris*. Per hæc ergo diuersitatem hominum conditionum, & graduum
C eorundem, quæ in Ecclesia eius existere debebant, vt etiam ibi insinuatum fuit, intelligendo; & de his postremis maris reptilibus, animalibus pusillis, cum magnis perambulantibus semitas maris loquendo, tanquam ijs, qui paucioribus instructi sunt auxilijs, quàm reliqua *omnia*, quæ inibi sunt *à te expectant, vt des illis*, sic quasi destitutis auxilio, *escam in tempore*, vtique escam spiritualem; de hac enim, vt Deo digna, loquitur; licet etiam ab eo sit corporalis, à quo omnia sunt. Et certè mira est Dei Prouidentia in pascendis maris huius reptilibus, non solùm apertis pro puerorum, & iuuentutis institutione Scholis, & Gymnasijs, sed etiam
D per Congregationes, seu Sodalitia, per Catecheses, & Doctrinæ eius Sacræ expositiones, & conciones ad rudium captum formatas, quibus à sui institutione nostra Societas Iesu vtitur. Pergat Diuina Maiestas zelum hunc in seruis suis conseruare, & augere, & det optatum per eos fructum, & escam creaturis suis.

V. 28. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebũtur bonitate.

E Ex eo quod S. Dauid hìc dicat quod; *Dante* eis Domino *escam, & aperiente manum suam, omnia implenda sint bonitate*; indicat se loqui potissimùm de cibis spiritualibus gratiæ eius, quæ animam, bonitate morali, bonam faciunt, & sanctam reddunt; licet non negem illud, *implebuntur bonitate*, explicari posse, *Cibis bonis*, seu simpliciter bonis. Etiam modus loquendi, qui sequitur, ostendit id quod explicatum est, esse ad mentem S. Prophetæ; nam ait,

V. 29. Auertente autem te faciem, turbabuntur,

F non dicitur propriæ Dominus *auertere faciem suam*, nisi ab ijs, qui ratione præditi sunt, & gratiæ, atque beneuolentiæ eius sũt capaces; sic;

auferes spiritum eorum,

quem cum Fide per gratiam illi dederas Spiritum, tuum quidem illum; sed ideò illum dicis spiritum eorum, quia illo tibi, sibique viuebant magis, quàm proprio; si illum auferas, ô Domine;

& deficient, & in puluerem suum reuertentur; A

in puluerem, in quo erant antequam ad Fidem conuerterentur, peccatis seruientes, omni gratiæ succo destituti, sine Deo, impij, qui erant *tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*, Psal. 1.4. deficient, inquam, & in puluerem suum reuertentur, auertente te faciem, & auferente spiritum eorum. Heu! grandem, & sanguineis lacrymis lugendam infelicitatem quamplurimorum maris Mundi huius reptilium! Quàm multæ temporibus nostris Europæ Prouinciæ, & Regna ablato spiritu defecerunt, & in puluerem suum reuersa sunt! Per eorum à B Christi Ecclesia separationem, & Apostasiam; licet nimium quantum illa non sine magno suo luctu, quia Mater est, de amplitudine sua deperdat; nihilominus inde ipsa consolationem, per omnium sæculorum successiones confirmatam habet, quia vbi Dominus (sic exigentibus populorum peccatis) statuerit, *auertere faciem suam* ab eis; *auferre spiritum eorum*; & permittere eos *in puluerem suum reuerti*; facillimum, & integrum illi est, alias, aliasque nationes, & Gentes, atque Populos ad suam Fidem suscitare;

V. 30. Emittes spiritum tuum, & creabuntur. C *creandi*, terminus, seu vox est, quæ propriè notat vocationem, & conuersionem hominum ad Fidem, per quam nouæ creaturæ fiunt, vt supra sæpè dictum est, maximè Psal. 101. *Populus, qui creabitur laudabit Dominum*. Item Psal. 32.9. *Ipse mandauit, & creata sunt*. Psal. 88.13. *Aquilonem, & mare, tu creasti ea*. Sic ergo *emittes spiritum tuum*, per nouam, seu continuatam Fidei tuæ, & Euangelij Prædicationem; *& creabuntur*, noui in ea Populi, & Gentes;

& sic renouabis faciem terræ, Ecclesiæ tuæ Sanctæ Catholicæ, & Vniuersalis. Constat D id facere Dominum nostrum, dum vastissimum Chinensium Imperium in Ecclesiam intromittit. Proinde propter Ecclesiæ suæ conseruationem, & propagationem, quam ei hactenus semper exhibuit, atque exhibiturus est;

V. 31. Sit gloria Domini in sæculum: sit, & permaneat vsque in finem; & omninò maximè in his, & eiusmodi conuersionis Populorum ad Fidem operibus, quæ propria sunt omnipotentiæ, & sapientiæ eius E operæ; lætabitur Dominus in operibus suis. ipse enim est,

V. 32. Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui dura hominum corda, frigida, & immobilia instar terræ, respiciendo gratia sua, & diuinis inspirationibus, facit eam tremere; ipse qui tangit montes, & fumigant; qui viros sæculi huius Principes, F homines potentes, & ipsos Mundi Monarchas, quales fuerunt Romanorum Senatores, & Imperatores, ad pietatem, & Christianam Religionem, & humilitatem amplectendam permouet; facitque zelo honoris Dei, & charitate æstuare. Hunc ipsum sensum V. huius, quem ex rerum connexione, & consecutione videmus à S. Propheta intentum fuisse, Prosper lib. de Incomprehensibili Dei natura,

A tura, & hom. 2. de eadem re ex S. Augustino summa fide, ac breuitate, vt solet, elicit: dum ait; inter Dei opera, in quibus ille lætatur, hoc esse; conuertere auersos, aspiciendo ad *terram* præfidentem sibi, ac de suis viribus præsumentem, & *faciendo eam tremere*; dum agnoscit peccator, quia Deus in ipso operatur, vt bonus sit: præterea *tangendo montes*; idest sublimiores, & potentiores sæculi, qui tacti *fumigent*; idest Deo dent confessionem, precesque ipsorum ad Deum, qui illos tetigit quasi fumus ascendant, &c.

Propter hæc hactenus recensita adeò mirabilia opera Dei, omnia ad Eccle-
B siam Christi, vt vidimus ordinata; & quæ ingentia, & eximia eiusdem Domini in eam beneficia collata continent, & recensent; S. Dauid, ipsius Ecclesiæ nomine, prout initio Psalmi cæperat benedicere Domino; ita cum Domini benedictionibus, & laudibus Psalmum terminare disponit, & illam plenam affectu vocem, seu sententiam de perpetuis Diuinæ ipsius Maiestati laudibus à se deferendis pronunciat hoc modo. Siquidem ipse mihi tanta prestitit, & vsque in finem sua me gratia, & beneficijs benignissimè dignabitur; & ego

C **V. 33. Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum:** semper psallam, quia semper ero: summisque ab eo votis, & desiderijs exopto, vt

V. 34. Iucundum sit ei eloquium meum:

confidit omninò Ecclesia eloquium suum, suas laudes, & sua obsequia grata, & accepta Domino Sponso suo futura, ita autem loquitur; *Iucundum sit*, &c. quia
D se se quàm demississimè erga Diuinam eius Maiestatem humiliantis, ipsique summè placere optantis est hæc locutio. Obseruat P. Lorinus, quod ex *eloquij* vocabulo magnam esse orationis dignitatem, & vim inferat Sanctus Chrysostomus hom. 30. in Gen. Arnobius autem, illud *Iucundum sit ei eloquium meum*; *laudationem suauem, Catholicis assertionibus suauificatam*, interpretatur, *nihil morbo Iudæorum, nihil morbo Hæreticorum circumferentem*. Hinc autem patet, eum sentire, quod hæc ab Ecclesia Christi, seu Ecclesiæ nomine proferantur, vt hactenus diximus. Et hoc ipsum etiam amplius probatur, quia si hæc verba benè conside-
E rentur (*Iucundum sit ei eloquium meum* provt explicatum est) prolata fuisse cum eximio affectu Ecclesiæ sese humiliantis, & placere Sponso suo cælesti optantis; & insuper si illis subiungatur, quod sequitur; **ego vero delectabor in Domino;** quod idem est atque si dicat; illi quidem iucundum erit eloquium meum, siue gratam ipse habebit laudem, quam semper illi dicam, obsequium, quod deferam; *ego vero* etiam non *delectabor* in alio, quàm *in Domino*. Similia verba Canticorum cap. 2. v. 16. proferuntur non ab alia, quàm ab Ecclesia Christi
F Sponsa, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Item cap. 7. 10. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*. Ardentissimus etiam ille zelus, quem statim versu sequenti exprimit cum conatu, & studio amouendi ea, quæ Sponsi laudibus, & benedictionibus officiebant, non alterius est, quàm Sponsæ;

V. 35. Deficiant peccatores à terra, & ini-

qui ita vt non sint: Nouerat cælestem Regem Sponsum suum declarasse in quonam voluntatis suæ beneplacitum futurum esset in domo sua; vt nimirum *non habitaret* in ea, *qui facit superbiam*; sed *oculi eius ad fideles terræ vt sederent cum eo; & ambulans in via immaculata, hic illi ministraret*. Insuper, vt *in matutino interficerentur omnes peccatores terræ, & disperderentur de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem*. Psal. 100. Meminerat eorum, quæ paulò ante de suamet ipsa sententia protulerat, & heu! nimis lugubri multorum experientia certissimum esse agnoscebatur; quod *auferet spiritum eorum, à quibus faciem suam auerterit; & deficient, & in puluerem suum reuertentur*. Ipsius ergo Ecclesiæ Christi, tam zelantis pro honore Sponsi, quia Sponsa est; quàm solicitæ pro Fidelium salute, quia Mater est, sunt hæc verba; *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non sint*; non imprecatur malum; sed optat, vt deseratur ab omnibus malum; & precatur, vt peccatores, & iniqui conuertantur, & ne sint iustis impedimento. Ipsa propositi sui, & pacti paulò ante cū Sponso suo facti; *Cantandi ei in vita sua, ipsique psallendi quamdiu erit*; & quod nihil magis sit habitura in optatis, quàm vt *ei iucundum sit eloquium suum*; prout initio Psalmi cæperat se ipsam ad eius laudes, & benedictiones excitando; ita eundem Psalmum terminat; & terminando nouas laudes, & benedictiones prioribus, vel maiores, vel maiori intensiorique affectu pendendas, inchoat; benedic anima mea Domino. atque hinc ad lætissimum *Alleluia* progreditur.

PSALMVS CIV.

Confitemini Domino, &c.

Argumentum Psalmi CIV. necnon CV. & CVI.

Alleluia (1. *Par*. 16. 8.)

§. I.



Anctus Dauid, posteaquam Psalmo 103. tam singularia, & Diuinæ Beneficentiæ plena opera recensuisset, non solùm prout illum Psalmum à Domini benedictione inchoauerat, cum eadem illum conclusit, *Benedic anima mea Domino*; sed etiam cum terminando, initium dat lætissimo, festiuissimo, & iubilo, atque excellentissima Dei laude plenissimo *Alleluia*. Hoc enim ipsum, vt omnes Expositores consentiunt, significat *Alleluia*, laudare Deum cum iubilo, vt P. Emmanuel Sà; & extollendo cum lætitia vocem, vt in rebus lætis fieri solet, vt P. Alcazar, atque ita continet acclamationem cum exhortatione, vt benè P. Ribera, & Viegas.

Ecclesia ergo Christi, siue S. Dauid eius nomine, benedictionibus Dei, & laudibus initium facit ab *Alleluia*; quæ cum sit vox lætitiæ, & exultationis maximæ,

vt

A vt dictum est, ea ipsa deinceps vox, eiusque significatum futurus est Titulus, Psalmorum omninò viginti, non quidem se se inuicem semper consequentium continuato ordine; sed alijs quibusdam Psalmis interpositis ita interrupto, vt nihilominus ordinatissimus, & connexissimus Psalterij ordo, non solùm nihil propterea turbetur, sed plurimum potius promoueatur, & stabiliatur.

§. II.

Licet autem ea, quæ hactenus in tot Psalmorum, & eorundem Titulorum, & Argumentorum Explicatione dicta sunt, clarè satis ostendãt omnia esse tam in-
B ter Psalmos, quàm eorum Titulos sapientissimo artificio coordinata, concordata, & consonantia; nihilominus tamen, vt hæc ipsa coordinatio, concordantia, & consonantia magis adhuc, & vsque ad Psalterij finem constet, necesse est breuiter hîc quædam ex P. Ludouico Alcazar in cap. 19. Apoc. Notatione 3. adnotare, dicendis, quæ restant magnam omninò lucem allatura.

Ea verò sunt, & potissimùm diriguntur contra eos, qui Hebraicis Codicibus nimium sunt addicti, quos Leo Castro hebraizantes vocare solet, qui propter lectionem Hebraicam, non antiquissimorum Codicum Hebraicorum, sed recen-
C tiorum à Rabbinis corruptorum, inducunt discrimina, & differentias inter Psalmos, eorumque Titulos, quos faciunt diuersos ab ijs, quos Vulgata Nostra Editio admittit, & statuit.

§. III.

Ipsi ergo volunt, *Alleluia* non esse Psalmorum omninò viginti Titulum; neque ipsum *Alleluia* esse Titulum Psalmi centesimi quarti, sed Psalmi antecedentis centesimi tertij finem. Sequentem autem Psalmum inter tria Confitemini primum non incipere ab *Alleluia*, sed in illud desinere. Secundum verò Psalmum
D ex tribus *Confitemini* habere *Alleluia*, tam pro Titulo, quàm pro totius Psalmi exitu. Tertium autem ex his *Confitemini*, nec initio, nec fine continere *Alleluia*.

Deinde dicunt, quod in secunda serie Psalmorum, quibus inscribitur *Alleluia*, tres tantùm reperiantur, qui continuato ordine exordiantur ab *Alleluia*; post quos alius sequitur Psalmus, qui, nec ab Alleluia incipit, nec in Alleluia terminatur; & hic est *In exitu Israel*, &c. qui etiam Psalmus ab Hebræis in duos secatur. Discrimen etiam, & differentiam assignant in Psalmis, *Dilexi*, & *Credidi*, qui apud ipsos vnicus sunt Psalmus. Item tres hi Psalmi, *Credidi*, *Laudate Do-*
E *minum omnes Gentes*, & *Confitemini Domino*, non habet pro inscriptione *Alleluia*, sed ad finem singulorum adijcitur. Vnde Psalmus 118. *Beati immaculati*, citra omne *Alleluia* remanet: & qui in nostra vulgata sunt 9. Psal. in Hebræo sunt 11. eorumque aliqui absque vllo Alleluia.

§. IV.

Verùm licet Catholicis Doctoribus omnibus sufficere posset, & verò etiam deberet S.R. Ecclesiæ auctoritas, & Concil. Trident. nihilominus ne quis nescio qua fucata veritatis specie in aliquam sententiam, quæ minus cum vulgata San-
F ctæ Matris Ecclesiæ editione consentiat abducatur, & deflectat, ad illa omnia in contrarium allata doctissimè, verissimèque respondentem audiamus ipsummet P. Lud. Alcazar, ne ego ipse perstringere quemquam videar.

Miror sanè, ait ipse, *homines doctos, ac prudentes pluris facere eam diuisionem, quam hodie amplectuntur Hebræi, & vocis*, Alleluia, *dispositionem, quam, & eum locum, atque ordinem, quo illud à vulgato collocatur; & eam diuisionem, quam Christia-*

stia-

ſtiana ſectatur Eccleſia. Etenim ſi diuiſionis huius apud Hebræos receptæ auctoritas in eo fundatur, quod veriſimile non ſit, mutationem aliquam in Codices ipſos originales irrepſiſſe; quis adeò ſit cæcus, qui neſciat, vt ſtatuatur, quæ ſit vera Hebraicæ originis lectio, atque diuiſio, plus fidei Hebrais Libris antiquiſſimis habendum, quam ijs, quos hodie nobis Hebræi neoterici oſtentant? A

Porrò, quis non videat perſpicuum omninò eſſe, tam Septuaginta Viros, quàm Vulgatum aptaſſe ſuam diuiſionem, & in Alleluia *diſponendo ordinem iuxta Hebraicos Codices antiquiſſimos, quos præ oculis, & præ manibus habebant? Euidens ergo eſt perantiquos extitiſſe Codices Hebraicos, qui in Pſalmorum diſpoſitione eandem diuiſionem ſeruabant, quam nunc in Vulgata retinemus, & vocem* Alleluia *in eiſdem custodiebant locis, in quibus eam Vulgatus appoſuit, qui hac in re ad LXX Interpretum ordinem ſe totum conformauit. Nec poteſt adeò eſſe euidens, quam hodie diuiſionem Hebræi oſtendunt, eſſe eiuſdem antiquitatis cum illa, quam Vulgatus, & LXX ſecuti ſunt. Et quidem præter exiſtimationem maximam, qua Vulgatam Editionem amplectitur, & veneratur Eccleſia; & præter certam fiduciam, qua piè credere debemus, Diuinam Prouidentiam ſingulari auxilio futuram illi lectioni, quam Eccleſia demum amplexura erat; præter hoc, inquam, multò maior fides habenda eſt illis Codicibus, quos antiquiſſimos eſſe conſtat, quàm ijs, de quorum antiquitate non ita liquet. Cum igitur planum ſit, lectionem eorum Codicum, quos LXX, & Vulgatus ſunt ſecuti, eandem omninò fuiſſe, quam ipſimet tranſtulerunt; nec conſtet de antiquitate huius lectionis, quam hodierni Hebræorum Codices nobis proponunt, imprudens valdè eſt, qui ſibi perſuadeat incorruptam eſſe hodiernam Hebræorum Lectionem, quæ non reperiebatur in ijs Codicibus, quos LXX, & Vulgatus amplexi ſunt.* B C

Pro hac ipſa ſententia videnda ſunt omnia illa, quæ Leo Caſtro in Iſaiam Diſputatione de Tranſlationibus Sacræ Scripturæ cap.34. docet. D

§. V.

Præter hæc ad dictorum confirmationem P. Alcazar adiungit. *S. Ioannes in quatuor* Alleluia *Apocalypſeos c.19. alludit haud dubiè ad eos Pſalmos, quorum inſcriptio eſt,* Alleluia. *Quod ſi huiuſmodi alluſio cum Pſalmorum diuiſione, & Titulis, hodie apud Hebraicos Codices inuentis, non conſentiat illud hinc elicitur, dum Apocalypſis diuiſionem, ac Titulos à Septuaginta poſitos tuetur; à Ioanne in hac parte diuiſionem, & Titulos noſtræ Vulgatæ probari, & è contrario reprobari diuerſam aliam diuiſionem, & inſcriptionum ordinem, quem hodie in Hebraicis Libris reperimus.* Ita ipſe. E

Hoc poſtremum eius Argumentum ex ea parte ſolùm probat, quatenus dictus P. vult, quatuor illa Apocalypſica *Alleluia* correſpondere quadruplici ſeriei *Alleluia* in Pſalmis 20. poſitis. Cæterum, quia etiamſi non tot eſſent Pſalmi inſcripti Titulo *Alleluia*, nihilominus tamen alluſio fieri potuiſſet ad illa Pſalmorum Alleluia, quotquot tandem illa fuiſſent, propterea non plenè, vt dixi, Argumentum probat.

§. VI.

Iam verò, quia dictum eſt (id quod omninò vt veriſſimum ſupponi debet) in Apocalypſi cap. 19. fieri alluſionem ad hos Pſalmos inſcriptos Titulo *Alleluia*; reuocandus eſt in mentem ille Canon intelligendæ, & interpretandæ Diuinæ Scripturæ, quem Leo Caſtro in Iſaiæ cap.14. tradit, & eſt; *In Septuaginta Interpretibus, in Apoſtolis, & Euangeliſtis, ideò locorum Scripturæ fieri ex alijs Scripturæ locis Paraphraſim, vt nobis ſignificetur, idem his, & illis ſignificari.* F

Ex

A Ex quo ad rem nostram sic licet inferre; quod supposita illa Sacrorum Textuum Apocalypsis cap. 19. quoad quater repetitum *Alleluia*, allusione ad quaternarium numerum Psalmorum; qui eadem voce *Alleluia* pro Titulo insigniti sunt; sequitur necessariò, quod non solùm Psalmi illi ab ipso Apocalypseos capite 19. lucem magnam accipiant (quod P. Alcazar ad finem Notationis secundæ in illud caput benè probat) verùm etiam vicissim infertur, Apocalypsi non minorem elucidationem à Psalmis conferri, maximè ostensa inter illos illa coordinatione, & connexione, quam ponimus.

B Plurimum certè Psalmi faciunt pro Argumenti, quod idem P. in vniuersam Apocalypsim ponit confirmatione; nam quo pacto quis negare ipsi iam audeat, in Apocalypsi à S. Ioanne vsque ad caput decimumnonum pertractatum fuisse Argumentum de expugnatione Romæ Ethnicæ facta per Fidei Christi Prædicationem, & eo in capite 19. referri Diuinæ Maiestati magnificas illas exclamatorias Laudes, per *Alleluia* denotatas; quis, inquam, iam ipsi id negare audeat, quando hoc ipsum tantò ante S. Dauid consequentissimo, vt vidimus, suorum Psalmorum ordine prophetauit, atque præcinuit futurum? imò & voces ipsas, C quibus eæ Laudes Diuinæ Maiestati persolui deberent, edocuit; siquidem ipse prius, posteaquam ostendisset, quod post tot persecutiones deuictas, *Dominus* tandem in Ecclesia sua *regnaret*, eique pluribus applausisset, pulcherrimis symbolis, ipsam eius Ecclesiam, quæ est Regnum eius, descripsisset, in illas demum voces lætitiæ prorupit; *Alleluia*; *Confitemini Domino*, &c.

Dubium certè nullum esse potest, omnia hæc Psalmorum mysteria penitissimè sciuisse, & profundissimè penetrasse Diuum Ioannem, dilectum Domini Iesu Discipulum, Patronum meum optimum, ac proinde certum pariter est ad eaD dem respexisse in sua Apocalypsi, eamque vbi, & quando poterat, Dauidico Psalterio adaptasse, vt ad eius melodiam, & consonantiam illam concordem, consonantemque redderet.

§. VII.

Iam verò quod ad illa attinet, quæ iam dictus P. Alcazar citata illa 2. Not. cap. 19. adfert, pro apta dispositione, & ordine illorum Psalmorum qui Titulo *Alleluia*; necnon, & aliorum Psalmorum interiectorum, qui alijs inscripti sunt Titulis: fateor, omnia quidem ingeniosè dici; cæterum pro cohærente, conneE xa, & tota consequente Psalmorum, seu Psalterij coordinatione, & consonantia, quæ hic quæritur, non omnia valere, neque aptari posse, certum reddetur, dum singula suo ordine, & quæ apta, & quæ secus fidelissimè proponentur; mihique ipsi, ob debitam erga tantum Patrem, quem in Diuinis Scripturis tanquam Magistrum veneror, eò ampliùs gratulabor, quò plura reperero, quæ in propositam connexionem veniant, eidemque fidem firmiorem faciant.

Atque hæc vniuersim in hos tres Psalmos, qui primi cum Titulo, *Alleluia*, occurrunt, notasse sufficiat, quorum notitia pro omnibus etiam reliquis erat necesF saria, ac proinde hic fuit præmittenda.

Iam ad magis particularia, & propria horum trium Psalmorum 104. 105. & 106. descendendo; illi à *Confitemini* incipiunt, & inscribuntur Titulo *Alleluia*.

§. VIII.

Quo aliud non significatur, quàm quod dictum est; Christi scil. Fideles eiusque Ecclesiam pacem iam, & tranquillitate post persecutionum procellas gauden-

dentem, & innumeris à Sponso suo Christo donis, atque beneficijs ornatam, A
hoc, & sequentibus duobus Psalmis in voces summæ laudis, & benedictionis prorumpere. Et id omninò in his tribus Psalmis cum P. Alcazar vniuersim fieri dico, quod D. Ioannes Apoc. c. 10. v. 1. expressit. *Post hæc audiui quasi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia; salus, & gloria, & virtus Deo nostro est*: Notanter dixi, vniuersim hæc Psalmis his tribus, *Confitemini*, tractari: Nam, quod attinet ad illa magis particularia, quod scilicet primo Psalmo *Confitemini*, *salus*, & Patris Æterni in Trinitate Persona; secundo, *gloria*, & secunda Persona; tertio, *virtus*, & tertia in Trinitate Persona significentur; id asserere non B
possum, quia cum antecedentibus à me dictis non quadrat, & textus ipse Psalmorum istorum alia diuersa, & apertiora Diuinæ Laudis Argumenta commemorat.

Hoc, vt melius intelligatur, recolenda sunt ea, quæ ad Psalmi 77. & 80. dicta sunt Titulum, & Argumentum; scilicet, ad Populi sui Christiani doctrinam, & eruditionem Diuinam Maiestatem producere in medium solere ea, quæ olim cum Populo illo Israelitico antiquo, & carnali fecit, & præstitit; quod quidem in hunc finem facit, vt ex ijs ipsi Christiani in eorum locum, & bona tam ingen- C
tia introducti discant sanctum Dei timorem, atque ad omnia diuina eius obsequia sese quam promptissimos, & fidissimos exhibeant.

Quod in illis Psalmis, vt dixi 77. & 80. cernitur; quid simile, & longè fusiùs, vberiùs, & magnificentiùs in his tribus, quos propterea inscribit, *Alleluia*, præstat; quorum omnium Argumentum est hoc. Illa omnia beneficia, quæ Deus antiquo illi suo Populo contulit, enumerando ab initio, prosequitur toto Psalmo 104. & 105. quibus tandem finitis, seu recensitis omnibus summatim vsque ad versum 47. Psalmi 105. factaque ad Deum aspiratione, & apprecatione, vt fie- D
ret omnium vnum ouile, & vnus Pastor; ea omnia antecedentia, & sic enumerata beneficia confert deinde cum maximo illo beneficio vocationis Gentium Idololatrarum ad Fidem Christi, quod tanquam omnium aliorum ante exhibitorum admirabilius, & maius, omnibus illis præfert, & hoc facit in tertio Alleluia, seu *Confitemini* Psalmi 106. in quo Psalmo propter dictam beneficiorum Dei præcellentiam quater omninò iterat illud lætissimum intercalare carmen; *Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum*. Illa autem mirabilia, & maximè insignia beneficia Populo Gentili collata, de quibus spar- E
sim supra, & sæpiùs dixerat, in vnum veluti fasciculum hoc Psalmo centesimo sexto colligit sub pulcherrimis symbolis; & eadem prædicanda, & decantanda Populo Christiano proponit.

Atque hæc, quæ hucusque dicta sunt, sufficiunt ad statuendum, ijsque statuta sunt Argumenta horum trium Psalmorum, *Confitemini*; plura ipsa eorum explicatio aperiet.

Prænotatis, & cognitis ijs, quæ pro Argumento Psalmorum trium, *Confitemini*, qui insigniti sunt Titulo, *Alleluia*, & bene percepta occasione, & ratione F
huius ipsius Tituli, sic Diuinas Laudes Ecclesia Christi inter Gentes fundata cum iubilo inchoat, Fideles omnes ad eas excitando.

PSAL-

A

PSALMVS CIV.

V. 1. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius, quandoquidem non fuit speciosa laus in ore peccatoris Populi Iudaici, vt sæpè supra vidimus; & licet ipsorum
B nomine supplex Dauid Psalmo septuagesimo quarto se se offerret; quod, *Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua:* nihilominus eò quod non esset Domini voluntas cum eo Populo, nullum ad hoc retulit fauorabile responsum; nimirum id Christi Ecclesiæ inter Gentes fundatæ seruabatur, quæ proinde confidenter, & cum iubilo, vt dictum est, Fideles excitat, vos, vos, ò filij, *Confitemini Domino, & inuocate nomen eius*; à vobis confessionem, & laudem; per vos Sanctissimi sui Nominis inuocationem benignè suscipiet. Quæ ipse olim operatus est in Populo illo Iudaico, qui Do-
C mino suo fidelis non perstitit; annunciate inter Gentes opera eius. Vos

V. 2. Cantate ei, & psallite ei, vos, quando ipsi propter obstinationem suam, & perfidiam fuere indigni; vos quoque, quando ab illis non suscepit hoc obsequiū, narrate omnia mirabilia eius. Proh! quàm magnum est beneficium hoc,
D quod vos in eorum locum assumpserit!

V. 3. Laudamini in nomine sancto eius, gloriamini, & gratulamini vobis ipsis; nam sanè vobis id licet gloriari, & gratulari; sed *in nomine sancto eius*, qui vos tam benignè, & gratiosè vocauit: lætetur cor quærentium Dominum. quales vos estis mei Fideles ex Gentibus collecti, licet misericordissimè prius quæsiti à Domino, facti sitis
E ipsum quærentes; provt ipse ait Isa. 65. 1. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me. dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.* Facti ergo ex quæsitis, quærentes pergite, nunquam desistite.

V. 4. Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. Plurimum sibi Dominus in nobis, de
F hac sui inquisitione complacet; vt patet in ijs qui Domino salutem nostram operante in terris, *ascenderant* Ierosolymam, *vt adorarent in die festo*, qui *accedentes ad Philippum rogabant eum*; *Domine volumus Iesum videre.* Iam tunc respondit Dominus dicens; *Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.* Ioannis cap. 12. à v. 21. sic planè factum, & hæc est hora, qua plenè clarificatus est Filius hominis. Qui ergo semel tam feliciter, & fortunatè cæpistis; & quidem ab

G ipso

ipso initio quærere Dominum; *quærite Dominum, & confirmamini*, &c. A

V. 5. Mementote mirabilium eius, quæ fecit, olim cum Populo Israelitico (de his loquitur mirabilibus; nam ea, quę pertinebant ad Conuersionem mirabilem ipsius Populi Gentilis ad Fidem, & gratitudinem pro ea habendam, supra iam maximè Psalmo 102. egit, & postea pluribus) nunc, inquit, eorum mirabilium mementote, & reuocate in memoriam prodigia eius facta in Ægypto, & iudicia oris eius exercita in Pharaonem. horum, inquam, omnium mementote etiam vos, imò maximè vos Fideles, qui ex Gentibus estis ad Fidem conuersi; nam vos illa concernunt; qui *enim opera Abrahæ facitis* (Ioan. c.8.39.) vtique estis B

V. 6. Semen Abraham, serui eius: filij Iacob electi eius. Et, qui cum illis fecit, & pro illis mirabilia illa prodigia, & iudicia, ille, inquam,

V. 7. Ipse Dominus Deus noster: qui iam eiecto de hoc Mundo Principe tenebrarum, & subiugatis sub suauissimo Fidei sanctæ suæ iugo Populis, & Gẽtibus Idololatris; in vniuersa terra iudicia eius (subintellige illa, de quibus sæpè, benigna, & plena misericordia iudicia eius) exercentur; qua quidem in re toti terrarum orbi fortunatissima; C

V. 8. Memor fuit in sæculum testamenti sui: verbi, quod mandauit in mille generationes. Hic non loquitur de testamento scripto, quod cum Iudæis per Moysem pepigit; & quod mandasset obseruari, vt P. Emm. Sà insinuat; de hoc enim hic loqui, non veniret in rerum, & sermonis consequentiam; sed loquitur de illo Vniuersali Testamento, quod ipse Dominus statuisset seruare in mille generationes; idest, omnes, S.Aug. & statim se ipsum sequenti versu explicat, quodnam illud sit. D

V. 9. Quod disposuit ad Abraham: & iuramenti sui ad Isaac: Illud autem fuit illud, quod Gen. cap. 12. legimus disposuisse cum Abram v. 3. *In te benedicentur omnes cognationes terræ*. Deinde Gen. 26. 4. Dominus cum Isaac *complens iuramentum, quod spoponderat Abraham Patri eius*, dixit; *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Hoc ipsum Testamentum, quod Gentes omnes concernebat, quod cum Abraham, & Isaac pepigerat, insuper E

V. 10. Et statuit illud Iacob in præceptũ: & Israel in testamentum æternum; idest cum Iacob, siue Israel id ipsum stabiliuit, & confirmauit se facturum, quod promiserat Abraham, & Isaac; prout legi- F

A legimus Genesis cap. 28. v. 14. *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*. Hoc loco duo sunt notanda. Primum est, quod S. Dauid occasione illius, quod dixerat Ecclesiæ Christi nomine sibi, & Fidelibus congratulans; quod *iudicia eius* fierent *in vniuersa terra* iuxta Testamentum, & fœdus, quod fecerat cum Abraham, Isaac, & Iacob, provt est dictum; huius, inquam, occasione descendit ad ostensionem illius fœderis cum illis iacti; illudque explicat fusiùs, provt successiuè cum eodem Iacob res gestæ sunt, per quas ordine discurrit hoc, & sequenti Psalmo 105. Alterum est; quod, quia in confirmatione fœderis facti B cum Iacob, citato illo Genesis cap. 28. 14. expresse promiserat: *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem*; hoc ipsum, postea quam omnia, quæ cum Iudaico, siue Israelitico Populo facta fuerant, percurrisset, adimpletum fuisse ostendit cum Populo Gentili, semine Abrahæ, Isaac, & Iacob per repromissionem, atque ita tertio *Alleluia*, seu *Confitemini* hoc ipsum celebrat; vbi ipso initio ostendit in Christi Ecclesia inter Gentes fundata verificatam fuisse illam Fidelium dilatationem ad omnes, & per omnes quatuor partes orbis, quos proinde eximia cum animi exultatione alloquitur v. 2. *Dicant qui* C *redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos*. v. 3. *A Solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari*. qua quidem dispositione nihil ordinatius, nihil consequentius esse poterat.

Hæc idcircò obseruanda sunt valdè accuratè, quia aliàs errandi, & vnum pro alio cum ordinis, & connexionis perturbatione assumendi, occasionem præbent verba mox sequentia versus vndecimi, dum post illos tres versus, quibus dicitur Dominus fuisse *memor Testamenti sui ad Abraham, iuramenti ad Isaac, & præcepti quod statuit in Iacob*, subiungitur;

D V. 11. Dicens: Tibi dabo Terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ. hæc, inquã, verba, nisi attendatur, videntur declarare nil aliud contentum fuisse Testamento illo, iuramento, & præcepto, quàm dandam illis terram Chanaan, atque ita ad id sentiendum inducti sunt permulti, inter quos etiam est P. Lorinus, qui distinctis verbis ait ad illum versum; *Hæc summa Testamenti, verbi, mandati, dispositionis, iuramenti,* E *statuti, præcepti, ad Abraham, Isaac, Iacob, ad singulos sigillatim, seorsimque, vt idcircò ponatur hìc loquens Deus tanquam singulari vni personæ, daturum*, &c. *terram Chanaan*, &c. Hoc autem secus omninò est, vt manifestè patet ex paulò ante ad versum 9. citata ex Genes. c. 26. v. 4. sententia; nam ibi expresse habetur; quod Dominus Filio Isaaco *compleuerit iuramentum, quod spoponderat Abraham Patri eius*. Illud autem iuramentum Abrahamo factum, vt patet ex Gen. cap. 12. v. 3. de nulla *terra*, siue *Chanaan*, seu alia aliqua fuit; sed simpliciter eius summa fuit, quam vulgata maiusculis notat, *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*. Id F ipsum repetitur, atque in eo vis tota statuitur, cum Dominus Isaac, & Iacob illud suum iuramentum confirmat.

Addendum est, hoc dici necessariò debere; Primò quidem quia alioquin tantæ Maiestatis cum Homine paciscentis dignitas, & tanti iuramenti toties repetiti solennitas ad rem nimis vilem, & abiectam pertraheretur, & terminaretur; vnicam scil. *Terram Chanaan*. Deinde si summa rerum promissarum in vna Terra

G 2 Cha-

Chanaan consistit, non apparet quomodo illa, quæ longè maiora sunt, & iuramento illo comprehenduntur, fuissent adimpleta; vt quod; *vniuersæ cognationes Terræ essent benedicendæ*. Gen.c.12.3. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Gen.26.4. *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem*. Gen.28.14. Ne Salomonis quidem tempore hæc amplitudo terrarum fuit semini Abrahæ, Isaac, & Iacob secundùm carnem data; sed hæc omnia in Christianis, qui *computantur in semine*, plenissimè fuere adimpleta; provt hic S. Dauid, & maximè in tertio Confitemini Psal. 106. celebrat, & decantat. Dicendum igitur est in hoc versu 11. *Dicens tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ*; nullo modo iuramenti summam sitam esse; sed tantùm esse aliquid cum illo connexum, & quid consequens illud: & S.Dauidem inde ordiri ea, quę pertractaturus est deinceps, hoc & sequentibus duobus Psalmis; ostendendo quod omnia, quę Dominus promiserat, fidelissimè sit executus, & promissorum omnium ab illo factorum Abrahamo, Isaaco, & Iacobo plenam adimpletionem adeptæ sint Gentes in Ecclesiam Christi ingressæ; quas potissimùm illa ipsa iuramenta, & promissa, vt clarè patet concernebant, ad quas Gentes Fideles ipsi Sancti Patriarchæ (quatenus per eandem Fidem in Christum coniunctissimi eis erant) magis quàm ad ipsos Iudæos perfidos pertinebant; vt supra in Præuijs Documentis notatum est. Quod autem hoc versu vndecimo de danda terra Chanaan nihil aliud, dicatur nisi aliquid, quod connexum erat, & consequens illud de rebus maximis Dei iuramentum, apparet ex ipso modo, quo ipse Dominus loquitur Gen. c.28.v.13. illam terram promittens; *Terram*, ait, *in qua dormis tibi dabo, & semini tuo*. Deinde ad illa grandia, & magnifica progreditur. *Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem*, &c. quæ nunquam, vel fuerunt, vel futura erant cum semine eius carnali, sed spirituali per repromissionem, vt sæpè dictum est, & D. Paulus ad Rom. c. 9. v. 8. & alijs probat. Neque dubium est, quod hoc ipsum, hac ipsa occasione, & loco, Dominus eidem seruo suo Iacob reuelauerit; & ipse id clarè, & distinctè intellexerit: quid enim aliud sibi volunt illa eius verba, quæ *cum euigilasset de somno* dixit? *Verè*, ait, *Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*. *Pauensque* præ Domini, & rei tantæ sibi reuelatæ maiestate, & reuerentia; *Quàm terribilis est, inquit, locus iste*; & quis qualisque est locus iste, vbi vidisti *scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum*: & vbi audiuisti semen tuum *dilatandum ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem, & quod benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ?* respondet ipse; *non est hìc aliud nisi Domus Dei, & Porta Cæli*, quæ vtique est Ecclesia Christi, cum suo capite Christo, per scalam illam expresso, cuius summum, & imum, Diuinitas, & Humanitas, vt optimè P.Emm. Sà paucis, pluribus P. Lud. Alcazar; sed hæc ad rem præsentem sufficiunt. Genesis cap.49. in sua benedictione Iacob ostendit pluribus in quonam situm fuerit iuramentum illud Dei, scil. in quo dictum est.

Et certè ipso modo loquendi etiam S.Dauid ostendit hoc (quod fusiùs propter difficultatem, & ad viam melius complanandam probatum est) nam non sine causa, neque absq; magno mysterio ait, dixisse Dominum; *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ. funiculum hereditatis*; paruam scilicet atque valdè exiguam partem, seu portionem *hereditatis*, quæ ad ipsos pertineret, se dare asserebat; dando eis pro eo initio, *Terram Chanaan*; quandoquidem ex sua promissro-

A miſſione ad ipſos, ipſorumque ſemen (non carnale, ſed ſpirituale, & per repro-
miſſionem) ſpectarent omnes quatuor partes orbis, ſeu omnes cognationes, &
Gentes Terræ. Et eodem planè modo ſupra Pſalmo 77. v.54. de hac re agens,
eodem termino diminutiuo eſt vſus dicendo: *Et eiecit à facie ipſorum Gentes, &
ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis*. quo termino diminutiuo nequa-
quam vſurus fuiſſet S. Dauid, ſi prçter ſolam ipſam, & vniuerſam tantùm terram
Chanaan aliquid longè amplius eis in ſortem hereditatis cedere non debuiſſet:
certè ipſe ſupra Pſal.15. v.6. cum de Chriſti hereditate (quæ erat hæc ipſa) age-
B ret, dixit, quod *funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara eſt
mihi*. Tunc ergo (quia temporum ſucceſſiones, & electorum multitudo, & nu-
merus, qui computandi erant in Abrahæ, Iſaac, & Iacob ſemine, ſic exigebant)
Domino ſatis fuit Terram Chanaan dare illis tanquam *funiculum* hereditatis fu-
turæ, ipſaque Terra Chanaan, è qua eijciendæ erant Gentes, & quæ ceſſura erat
in hereditatem ſeminis Abrahæ, Iſaac, & Iacob, figura quædam, & vmbra erat il-
lius Vniuerſalis Dominij, quod in omnes Gentes Chriſtus per ſuam Eccleſiam
acquiſiturus erat. Id Iudæi, niſi valdè carnales fuiſſent, facilè aduertere ex ipſis
C Iuramenti, & Promiſſionis Domini citatis locis Geneſis poterant; imò & ex hoc
S.Dauidis Pſalmo, & Verſu, quo Dominus *Terram Chanaan* ſe eis tanquam *funi-
culum hereditatis* ipſorum daturum pollicebatur; quid enim hoc, & quàm parum
erat reſpectu eius, quod dandum ſupererat in omnem Occidentem, Orientem,
Septentrionem, & Meridiem? Verùm tunc id ſatis ipſis, ſuperque multum erat, vt
S. Dauid inſinuat, quia tunc Dominus dixit, ſe daturum Terram Chanaan,

V.12. Cum eſſent numero breui, paucif-
D ## ſimi, & incolæ eius.
eiuſdem ſcil. Terræ Chanaan incolæ, eamque habitarent ipſi, & incolerent, non vt indigenæ,
ſed vt aduenæ eius terræ; illud enim *incolæ eius*, S.Hier. vertit, *& aduenæ in ea*. Ipſe
etiam Dominus, Gen. 26. v.3. dixerat Iſaac, vt peregrinaretur in Terra Chanaan.
Ita fecit cum filio Iacob, huiuſque filij

V.13. Et pertranſierunt de gente in gen-
E ## tem, & de regno ad populum alterum.
Et ſicuti Dominus pro-
miſerat illo cap.26. v.3. *Peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi*; ſic

V.14. Non reliquit hominem nocere eis:
& corripuit pro eis reges
Abimelech, & Pharaonem: & inhibuit, dicens;

V.15. Nolite tangere Chriſtos meos;
vncti cæle-
F ſti, & ſpirituali vnctione erant etiam, qui tunc inter ſeruos eius cenſebantur,
dicique poterant Chriſti eius, quia Chriſtum Caput habebant, qui vnctus oleo
lætitiæ prę participibus ſuis eſt, in quem venturum credebant. **& in Prophetis meis nolite
malignari.** vetabat ne Prophetis ſuis malefacerent, vt Chal. velne eos af-
fligerent, vt D.Hier.

Hoc

Hoc autem loco, *Prophetæ*, vocabulum non presse, & stricte pro ijs solis, qui mittebantur subinde à Deo ad populum, & extraordinarijs reuelationibus, & futurarum rerum prædictionibus clari erant, & interdum oleo inũgebantur; sed latiùs sumendum, etiam pro illis Fidelibus Dei seruis, qui ab eo reuelata credunt, expectant, docent, & prædicant; sic Sap. cap. 18. v. 4. Vniuersim de omnibus filijs Israel in Ægyptiaca seruitute degentibus, & afflictis, tandemque à Deo visitatis per immissas in Ægyptios, eorumque oppressores grauissimas pœnas tenebrarum ait; *Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari*. Vniuersim omnes vocat Dei Filios Israelitas; & quod per eos inciperet legis incorruptum lumen dari, quia cum Moyse, & Aarone eorum Ducibus, & primo Legislatore vnum corpus faciebant. A B

Sic etiam Angelus cum D. Ioanne dilecto Domini Iesu Discipulo loquens, Apoc. c. 22. 9. vocat se conseruum eius, &c. *conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum* (qui tamen propriè fuerunt, vsque ad Ioannem Baptistam) *& eorum qui seruant verba Prophetiæ huius*. Sic ergo vetabat Dominus; *& in Prophetis meis nolite malignari*. Quia ergo his Dei seruis, Christis eius, & Prophetis, peregrinandum erat, cum adhuc pauci essent, S. Dauid prosequitur enarrare eorum in Ægyptum peregrinationem factam occasione famis exortæ in terra Chanaan, & venditionis Iosephi deducti in eandem terram Ægypti; quod ad illam attinet Dominus. C

V. 16. Et vocauit famem super terram, de qua Genesis cap. 41. & omne firmamentũ panis contriuit.

loco *firmamenti*, &c. Chal. habet *sustentamentum*: D. Hier. *virgam*; idest baculum, seu sustentaculum; per panem autem, omnem etiam aliam escam ad victum necessariam, & accommodam intelligit. contritis ergo siue consumptis omnibus ad vitam necessarijs subsidijs, quia futurum erat, vt prædicti Dei serui cogerentur pro escis in Ægyptum descendere; Prouidentissimus Dominus, id quod mala voluntate fecerunt fratres Iosephi, eum vendendo, ipse benè prò omnibus ipsis disposuit; atque ita per illam venditionem, D

V. 17. Misit ante eos virum, magnum scil. illum, qui se *virum* exhibuit *in tribulatione*, in tentatione, & peccandi periculo, in condonatione iniuriarum, &c. Chal. virum sapientem: hic ille vir est, qui prius in seruum venundatus est Ioseph. E

V. 18. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius. ferrum fuit illa ipsa dura eius tribulatio; vt S. Aug. sic Luc. 2. v. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Sic Dominus virum illum magnum, atque innocentem affligi permisit. F

V. 19.

A V. 19. donec veniret verbum eius: idest donec fieret quod prædixerat, dum somnia est interpretatus vinctorum, P. Emm. Sà sic, & ferè ex eodem reliqua, quæ hîc adnotantur.

Eloquium Domini inflammauit eum. Ad diuinandum à Diuina Sapientia instructus, accensusque fuit; vt interpretari posset, & vera prædicere. Occasione prædictorum euentuum Pistorum, & Pincerna-
B rum Magistris factorum, cum à Pharaone fuissent percepti;

V. 20. misit rex, & soluit eum: Princeps populorum, & dimisit eum.

V. 21. Constituit eum Dominum domus
C suæ: & Principem omnis possessionis suæ: & voluit,

V. 22. Vt erudiret Principes eius; Domus, scil. Pharaonis, & Regni Ægypti, vt institueret, vt vellet, seu ad formam vitæ suæ, quod est, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. Factum ergo interea est, vt exorta fame egerent cum Patre Filij Iacob; propterea

D V. 23. Et intrauit Israel in Ægyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham; idest Ægyptiorum, qui ex Misraim primogenito Cham orti. Sic aduenam Dominus in ea terra populum suum;

V. 24. Et auxit populum suum vehemen-
E ter: & firmauit eum super inimicos eius; Ægyptios scil.

V. 25. Conuertit cor eorum, permittendo, vel dando eis tãtam prosperitatem, vt illis Ægyptij inuiderent; Chal. habet; conuersum est cor eorum; vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius. Ægyptij dolo prius contra Israelitas, vt affligerẽt eos oneribus, ędificarẽtq. illi Vrbes, postea aperta vi vsi sũt. ad quos liberãdos

F V. 26. Misit Moysen seruum suum: Aaron, quem elegit ipsum.

V. 27. Posuit in eis verba signorum suorum;

rum; præceptum, seu rationem edendi res mirabiles, signa, &c. illis dedit, & prodigiorum in Terra Cham. A

V. 28. Misit tenebras, & obscurauit: & non exacerbauit, non irritos fecit sermones suos.

V. 29. Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum. B

V. 30. Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.

V. 31. Dixit, & venit cœnomyia, canina musca; Chal. insectorum commixtio; de his etiam supra Psalm. 77. & cinifes in omnibus finibus eorum. C

V. 32. Posuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum; idest, pro pluuia dedit grandinem commixtam igni. D

V. 33. Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contriuit lignum finiũ eorum.

V. 34. Dixit, & venit locusta, & bruchus, E
cuius non erat numerus.

V. 35. Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructũ terræ eorũ.

V. 36. Et percussit omne primogenitum F
in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

D. Hier. loco, *laboris*, habet *partus*; Chal. *fortitudinis*; scil. principium roboris viri est primogenitus. quidnam sit filius principium laboris, & molestiarum Patri? siquidem ipsi thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea, &c.

Se-

A Sequuntur deinceps quædam grandia beneficia in eductione ex Ægypto;

V. 37. Et eduxit eos cum argento, & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.

V. 38. Lætata eſt Ægyptus in profectio-
B ne eorũ, quia incubuit timor eorum ſuper eos.

V. 39. Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis pro noctem.

V. 40. Perierunt, & venit coturnix: &
C pane cæli ſaturauit eos.

V. 41. Dirupit petram, & fluxerunt aquę: abierunt in ſicco flumina:

V. 42. Quoniam memor fuit verbi ſancti
D ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum.

Atque ita his vijs ſenſim progrediebatur ad dandum plenum complementum *verbo ſancto ſuo*; quod quidem complementum vidit datum, & prima omnium deprędicauit iam datum Sanctiſſima Dei Mater Virgo Maria Domina Noſtra, quia vidit *omnes generationes* benedicendas, quæ *Beatam eam eſſent dictura*; atque ita ait ipſa omnium horum myſteriorum, & promiſſorum, & conſcia, & memor; *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſercordiæ ſuæ: ſicut locutus eſt ad Abraham Patrem noſtrum, & ſemini eius in ſæcula*. Luc. c. 1. v. 54. 55. Interea dum ad hæc
E perueniretur, Dominus, vt dictum eſt, *memor verbi ſancti ſui*; vt benefacere, & promiſſa ſeruare cæperat, perexit ſemper;

V. 43. Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

V. 44. Et dedit illis regiones Gentium:
F primò in terra Canaam; & labores populorum poſſederunt.

V. 45. Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Interim lex illis requirenda erat, & cuſtodiendę eius iuſtificationes, erant-

H que

que tanquam *paruuli* (Gal.4.3.) futuri *sub elementis mundi* (ideſt rebus materia- A
libus à lege preſcriptis) *ſeruientes, donec veniret plenitudo temporis: & mitteret Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Tam in hoc, quam ſequenti Pſalmo citationes in marginalibus vulgatæ editionis oſtendunt, quo S.Propheta alluſerit, eoque pro pleniore notitia recurrendum eſt; quæ autem hic dicta, ad propoſitam connexionem, & conſecutionem ſunt ſatis.

PSALMVS CV. B

Confitemini Domino, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CV.

Alleluia (*Iudith* 13.21.) C



SAnctus Dauid ſecundum *Alleluia*, & *Confitemini* inchoat; in quo, quia cantaturus eſt, non ſolùm grandia Dei opera, & magnifica eius beneficia, quæ illi tunc electo Populo Iudaico, ſeu Hebræo contulit; verum etiam, quia commemoraturus eſt inſignem eiuſdem Populi pertinaciam, obſtinationem, & peruerſitatem, qua poſt longanimem Domini patientiam meruit tandem ab eo deſeri; propter hæc, inquam, licet ab Eccleſia Chriſti in vnum D
collecta velit Laudes Deo dici, & mirabilia eius prædicari; nihilominus quia, vt dictum eſt, illud odioſum, & mœſtum erat interſerendum rebus lætis argumentum de illius Populi obſtinatione, pertinacia, peruerſitate, &c. ab initio Pſalmi non omnia læta futura hoc Pſalmo non obſcurè inſinuabat, hoc modo; q.d. Eia quidem ò Chriſti Fideles, vt inceptum eſt, lætiſſimis vocibus cum Iubilo *Alleluia* Laudate Deum, & *Confitemini illi*, & narrate inter Gentes mirabilia eius. & iterum Alleluia.

E

PSALMVS CV.

V.1. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

**Multa hactenus diximus, & ſermonem quonam pacto pro executione Teſta- F
menti, & Iuramenti ſui cum Abraham, Iſaac, & Iacob ſtabiliti Dominus ſit progreſſus, ſat procul produximus; eò ſcilicet vſque dum Dominus *dedit illis Regiones Gentium* in Terra Chanaan, *& labores populorum*, hoc tamen pacto, *vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant*. Vt iam, quæ dicenda ſuperſunt, proſequamur, & in Dei laudibus cum iubilo perſiſtamus.**

V.2.

A V. 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? illi sine dubio, hoc tanto Diuinam illam Maiestatem laudandi, & celebrandi munere digni;

V. 3. Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Tales omninò illi esse debebunt, qui
B ad id muneris assumentur; *qui custodiunt iudicium*, &c. quales, eheu! nec sunt, neque verò fuerunt, qui sunt de Populo meo Iudaico. Tu tamen pro infinita pietate, atque misericordia tua

V. 4. Memento nostri Domine (ipse pro more sępè ante vsurpato se cum illo Populo connumerat) in beneplacito populi tui: visita nos
C in salutari tuo: in Christo tuo, vt S. Aug. Visita

V. 5. Ad videndum in bonitate; vt videamus bona electorum tuorum; quales vocati sunt, & esse deberent hi de hoc populo, vt statim explicat (continuando desiderium visitationis postulatæ pro ipsis) visita ad lætandum in lætitia gentis tuæ;
D Iudæorũ enim *Patres;& ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* ait Apostolus Rom. 9. 5. Visita ergo nos; vt lauderis cum hereditate tua, quæ prima omnium est hic ipse Populus. Verùm;

V. 6. Peccauimus cum patribus nostris:
E iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

V. 7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. quantum scil. bonum fuisset eos liberasse de durissima illa seruitute, vbi eos Ægyptij *affligebant illudentes eis, atque ad amaritudi-*
F *nem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Exod. 1. 14. Quid lex illa à Pharaone lata in eos; *proÿciendi in flumen quidquid masculini sexus eis natum fuisset? Patres ergo nostri non intellexerunt*, &c.

Et irritauerunt (subintellige te Domine) ascendentes, cũ ascẽderent in-

quę tanquam *paruuli* (Gal.4.3.) futuri *sub elementis mundi* (ideſt rebus materia- A
libus à lege pręſcriptis) *ſeruientes, donec veniret plenitudo temporis: & mitteret Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.*

Tam in hoc, quam ſequenti Pſalmo citationes in marginalibus vulgatæ editionis oſtendunt, quo S. Propheta alluſerit, eòque pro pleniore notitia recurrendum eſt; quæ autem hìc dicta, ad propoſitam connexionem, & conſecutionem ſunt ſatis.

B

PSALMVS CV.

Confitemini Domino, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CV.

Alleluia (*Iudith* 13.21.) C



SAnctus Dauid ſecundum *Alleluia*, & *Confitemini* inchoat; in quo, quia cantaturus eſt, non ſolùm grandia Dei opera, & magnifica eius beneficia, quæ illi tunc electo Populo Iudaico, ſeu Hebræo contulit; verum etiam, quia commemoraturus eſt inſignem eiuſdem Populi pertinaciam, obſtinationem, & peruerſitatem, qua poſt longanimem Domini patientiam meruit tandem ab eo deſeri; propter hæc, inquam, licet ab Eccleſia Chriſti in vnum D
collecta velit Laudes Deo dici, & mirabilia eius prædicari; nihilominus quia, vt dictum eſt, illud odioſum, & mœſtum erat interſerendum rebus lætis argumentum de illius Populi obſtinatione, pertinacia, peruerſitate, &c. ab initio Pſalmi non omnia læta futura hoc Pſalmo non obſcurè inſinuabat, hoc modo; q.d. Eia quidem ò Chriſti Fideles, vt inceptum eſt, lætiſſimis vocibus cum Iubilo *Alleluia* Laudate Deum, & *Confitemini illi,* & narrate inter Gentes mirabilia eius. & iterum Alleluia.

E

PSALMVS CV.

V. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Multa hactenus diximus, & ſermonem quonam pacto pro executione Teſta- F
menti, & Iuramenti ſui cum Abraham, Iſaac, & Iacob ſtabiliti Dominus ſit progreſſus, ſat procul produximus; eò ſcilicet vſque dum Dominus *dedit illis Regiones Gentium* in Terra Chanaan, *& labores populorum*, hoc tamen pacto, *vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.* Vt iam, quæ dicenda ſuperſunt, proſequamur, & in Dei laudibus cum iubilo perſiſtamus.

V.2.

A V. 2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? illi sine dubio, hoc tanto Diuinam illam Maiestatem laudandi, & celebrandi munere digni;

V. 3. Beati, qui custodiunt iudicium, &
B faciunt iustitiam in omni tempore. Tales omninò illi esse debebunt, qui ad id muneris assumentur; *qui custodiunt iudicium*, &c. quales, eheu! nec sunt, neque verò fuerunt, qui sunt de Populo meo Iudaico. Tu tamen pro infinita pietate, atque misericordia tua

V. 4. Memento nostri Domine (ipse pro more sępè ante vsurpato se cum illo Populo connumerat) in beneplacito populi tui: visita nos
C in salutari tuo: in Christo tuo, vt S. Aug. Visita

V. 5. Ad videndum in bonitate; vt videamus bona electorum tuorum; quales vocati sunt, & esse deberent hi de hoc populo, vt statim explicat (continuando desiderium visitationis postulatæ pro ipsis) visita ad lætandum in lætitia gentis tuæ;
D Iudæorũ enim *Patres;& ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen*. ait Apostolus Rom. 9. 5. Visita ergo nos; vt lauderis cum hereditate tua, quæ prima omnium est hic ipse Populus. Verùm;

V. 6. Peccauimus cum patribus nostris:
E iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

V. 7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. quantum scil. bonum fuisset eos liberasse de durissima illa seruitute, vbi eos Ægyptij *affligebant illudentes eis, atque ad amaritudi-*
F *nem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur*. Exod. 1. 14. Quid lex illa à Pharaone lata in eos; *proijciendi in flumen quidquid masculini sexus eis natum fuisset? Patres ergo nostri non intellexerunt*, &c.

Et irritauerunt (subintelligete Domine) ascendentes, cũ ascẽderent in-

in mare ver- fus, mare rubrum; Chald. habet; eos tunc rebelles fuisse; nam vt Exod. c. 14. 11. cum instantem à tergo cum exercitu Pharaonem vidissent, & Deo fidere vel maximè deberent, cuius mirabilia opera paulò ante in tot plagis Ægygtijs inflictis viderant; *clamauerunt ad Dominum* (non orantes, vt patet, ex ijs quæ mox sequuntur, sed conquerentes, desperantes, & irritantes) *& dixerunt ad Moysen: forsitan non erant sepulchra in Ægypto, idcircò tulisti nos, vt moreremur in solitudine; quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto?* Sic cum mererentur propterea potius deseri; nihilominus A

B

V. 8. Et saluauit eos propter nomen suũ: vt notam faceret potentiam suam.

V. 9. Et increpuit mare rubrum, & exiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto. C

V. 10. Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

V. 11. Et operuit aqua tribulãtes eos: vnus ex eis non remansit. D Post illud tam patens, atque horrificum Pharaonis cum toto exercitu, in aquis maris submersi prodigium, & eductæ per eius medium Israelis, tam innumerabilis multitudinis; tunc quidem illi;

V. 12. Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius. Verùm E

V. 13. Cito fecerunt, Grecè; festinarunt; scilicet obliuisci; & obliti sũt operum eius: & non sustinuerunt consiliũ eius; non expectantes, quod Dominus cum illis facere decreuerat; nec se diuinæ eius prouidentiæ committentes, maximè in eo, quod sequitur.

V. 14. Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in inaquoso. F *concupiscentiam*, vocat carnes, quas concupierant in deserto, & arido loco, minimè apto ad eas; & cum eis Manna sufficere debuisset: nihilominus Dominus.

V. 15.

A V. 15. Et dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſatùritatem in animas eorum. Neque tamen hic finis obſtinationis, & peruerſitatis ipſorum: ſed inſuper

V. 16. Et irritauerunt Moyſen in caſtris;
B Aaron ſanctum Domini; inuidia ſcil. moti contra Moyſen, & Aaronem conſecratum Domino in ſacerdotem.

V. 17. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan: & operuit ſuper congregationē Abiron.

V. 18. Et exarſit ignis in ſynagoga, cōgregatione, & cœtu
C eorum: flamma combuſſit peccatores.

V. 19. Et fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt ſculptile.

V. 20. Et mutauerunt gloriam ſuam in ſi-
D militudinem vituli comedentis fœnum.

V. 21. Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.

22. mirabilia in Terra Cham: terribilia in
E mari rubro.

V. 23. Et dixit; ipſe Dominus parabat; vt diſperderet eos: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius:

F Vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos:

V. 24. & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.

Non

Non crediderunt verbo eius, A

V. 25. & murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.

V. 26. Et eleuauit manum suam super eos: vt prosterneret eos in deserto: B

V. 27. Et vt deijceret semen eorũ in Nationibus: & disspergeret eos in regionibus.

V. 28. Et initiati sunt Beelphegor, erat idolum Moabitarũ, cui, vt Hier. cõsecrati sunt, vt Chal. adiunxerant se, & comederunt sacrificia mortuorum, idest oblata mortuis, seu non viuentibus Dijs. C

V. 29. Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis, & multiplicata est in eis ruina. tam ob idololatriam, quàm fornicationem cum filiabus Moab; & Madian occisa 24000. & plures perijssent, sed zelo Phinees filij Eleazari filij Aaronis, occidentis Zambri filium Salu, Ducem de cognatione, & Tribu Simeonis, & Madianitidem Cozbi filiam Sur: D

V. 30. Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio. ipse, inquam, zelo suo placauit Deum, & cessauit percussio, seu mors, quæ inferebatur. Hoc eius plenum Dei gloriæ studio, & ardore facinus: E

V. 31. Et reputatũ est ei in iustitiã, in generationẽ, & generationẽ vsq; in sẽpiternũ. reputatũ est illi hoc factum in meritum, dato ei propterea sacerdotio perpetuo, seu sempiterno; nempe quamdiu lex duraret: quamquam fuit aliquando in posteris Ithamar, à quo Heli; sed restitutum est posteris Phinees, 3. Reg. 2. vt benè notat P. Emm. Sà.

V. 32. Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus (afflictus, à Deo scil.) est Moyses propter eos. F

V.33.

A V. 33. quia exacerbauerunt spiritum eius (Moysis, siue etiam Dei.)

Et distinxit in labijs suis (propterea Deus distinctè dixit; Moysen non ingressurum terram promissam. Id autem, quod eis Deus distinctè præceperat;

V. 34. Non disperdiderunt gentes, quas
B dixit Dominus illis.

V. 35. Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum:

V. 36. & seruierunt sculptilibus eorum: &
C factum est illis in scandalum. in offendiculum & ruinam.

V. 37. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs.

V. 38. Et effuderunt sanguinem innocen-
D tem: sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus,

E V. 39. & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinuentionibus suis.

V. 40. Et iratus est furore Dominus in populũ suũ: & abominatus est hereditatẽ suam.

F V. 41. Et tradidit eos in manus gentium: & dominati sunt eorum qui oderunt eos.

V. 42. Et tribulauerunt eos inimici eo-

rum,

rum: & humiliati sunt sub manibus eorum: A

V. 43. sæpe liberauit eos.

Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in iniquitatibus suis.

V. 44. Et vidit cum tribularentur: & audiuit orationem eorum. B

V. 45. Et memor fuit testamenti sui, pacti, & pœnituit eum, (Chal. conuersus est ab ira sua) secundum multitudinem misericordiæ suæ. C

V. 46. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos. Hoc loco S. Dauid primò quidem captiuitatem Babylonicam indicat in qua, Cyrum fauentem sibi habuerunt. Statim autem versu sequenti supponens iam factum vltimum illum suæ gentis exterminium, quod hactenus tam sæpè deplorauit, & luxit, & in omnes populos, & plagas, atque nationes Mundi dispersionem; hoc inquam supponens; & volens Psalmum hunc terminare, sicut illum ferè inceperat, à deploratione; ita cum sola, quæ supererat, consolationis futuræ spe ob conuersionem Iudæorum ad finem Mundi futuram, exclamat; D

V. 47. Saluos nos fac Domine Deus noster: & congrega nos de Nationibus. E

Vt confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua. Atque ita in vnum ouile omnes collecti sub Te vno Pastore dicamus, &c.

V. 48. Benedictus Dominus Deus Israel à seculo, & vsq; in sæculum: & dicet omnis populus: (factus iam vnus Israel ex vtroque; illo scil. qui secundum carnem Israel erat, & qui per repromissionem, vnus, & omnis Populus dicet; Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculum, ò ita!) Fiat, fiat. F

PSAL-

A

PSALMVS CVI.

Confitemini Domino, &c.

B

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CVI.

Alleluia (Iudith 13.21.)



Anctus Dauid ea, quæ futura erant ſibi in ſpiritu, vt præſentia proponens, & ex ijs Diuinas Laudes in ordinatiſſimo, & conſonantiſſimo ſuo Pſalterio componens, videbat ipſe iam in Eccleſia Chriſti congregatas Gentes ex omnibus quatuor partibus Orbis, ex omni natione, & cunctis cognationibus terræ, iuxta ea,
C quæ Dominus promiſerat Abraham, Iſaac, & Iacob, vt ſupra dictum: atque ita in tertium lætiſſimum ***Alleluia***, & ***Confitemini*** vocem ſoluit, neque amplius dubitans, ſicut priori Pſalmo (quo de Iudæorum potiſſimum agebatur ingratitudine in immenſis beneficijs, & mirabilibus Dei cum ipſis patratis) ***Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?*** minimè, inquam, dubitans, cum præſentem haberet Chriſti Eccleſiam, ait, fidenter, & ſimpliciter, Alleluia.

D

PSALMVS CVI.

V. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

V. 2. Dicant (en non quęrit, ſed inuentis mandat, vt dicant; *Alleluia*, & *Confitemini*;) qui re-
E dempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregauit eos.

V. 3. A ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari. vt ſupra dictum eſt; hic clarè oſtendit completum, quod promiſerat, Iuramentum Abraham, &c. completum autem in cognatio-
F nibus terræ, & gentibus benedictis per Fidei Chriſti ſuſceptionem.

Quàm autem mirabiliter, quàmque miſericorditer de regionibus congregauit! Illi quidem cum gentes eſſent, & mutis, mortuiſque Dijs ſeruirent;

V. 4. Errauerũt in ſolitudine in inaquoſo: totus tunc Orbis mera ſolitudo, & quid inaquoſum erat; nam hic agit de Genti-

bus conuersis, non autem de Hebræis; vt non solùm ex contextu patet; sed etiam A
quia vulgata nullas planè hoc Psalmo habet marginales notas, quibus indicet
agi de rebus Iudaicis, vt prioribus duobus Psalmis factum est: iam de Gentilibus, eorumque priore statu agens, nusquam ad Sacræ Scripturæ libros alludit, nisi incidenter, obiter, & occasionaliter, dum *misericordias, & mirabilia Dei*, facta, & præstita *filijs hominum*; scil. vniuersim sumptis, & Gentilibus, & Iudæis vult prædicari; vtraque inter se confert; & præstita Gentilibus præfert. Propriè ergo, & per se Psalmus ad Christi Ecclesiam Vniuersalem ex Gentibus congregatam spectat. Illi enim quia neque columnam ignis per noctem, neque co- B
lumnam nubis per diem, neque Moysen, aut Aaronem ducem habuerunt, *Errauerunt in solitudine*; illi nullam habentes synagogam, seu ordinatum inter se cætū

viam Ciuitatis habitaculi, quæ esset Ciuitas habitabilis, suis ordinata Diuinis, & Politicis Legibus, non inuenerunt: sic palantes, errantes, vagi erant, maximè quoad animam, & spiritualia.

V. 5. Esurientes, & sitientes: anima eo- C
rum in ipsis defecit. hos ipsos Beatissima Dei Mater, & Virgo Domina Nostra præuidit, & præcinuit *implendos bonis*. Luc. 2. 53.

V. 6. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, ipsorummet miseriæ clamabāt ad Dominum misericordē; & de necessi- D
tatibus eorum eripuit eos: necessitates eorum erant, maximè quia errabant fame, & siti confecti; *eripuit* Dominus, dum,

V. 7. Et deduxit eos in viam rectam, per Fidei prædicationem, & susceptionem effecit; vt irent in Ciuitatem habitationis; illam scil. quæ habitatur, estque auxilijs, quibus debet esse Ciuitas instructa, ad vitam præsentem, temporalem, & spiritualem, nec non ad futuram Beatam ob- E
tinendam; & hæc est ipsa Christi Ecclesia. Grande hoc, & immensum est Dei beneficium!

V. 8. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. P. Em. Sà ait; prædicentur Domino, scil. ad honorem Domini, misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum facta siue ijs, & pro ijs exhibita, siue, vt D. Hier. *in filios* hominum F
ostensa, ipsum laudent. Dicere etiam possumus, quod cum impares sint, & inepti ad dignè laudandum, & deprędicandum Dominum miseri filij Adæ, cupiat S. Dauid, & Ecclesia Christi Sponsa, cuius hæc nomine pronunciat, ipsa Dei opera admirabilia, & plena misericordia laudare ipsum Dominum eorum operatorem, ipsi confiteri, eumque super omnia efferre;

V. 9.

A V. 9. Quia satiauit animam inanem, qualis vt dictum est, erat Gentilium, & aĩam esurientem satiauit bonis; visitauit;

V. 10. Sedentes in tenebris, & vmbra mortis. hùc allusit de ijsdem Gentibus illuminatis per Fidem loquens Sanctus Isaias cap. 9. v. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem ma-*
B *gnam: habitantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis.* hos ergo Dominus Fidei suæ lumine visitauit; & eosdem soluit; vinctos in mendicitate, & ferro. qua similitudine, grauia peccatorum vincula, quibus Gentiles Idololatriæ, omnium scelerum inuentrici, & magistræ, seruientes constricti erant, significantur.

Præmissis his, quæ ad Gentes pertinent S. Dauid, quia in hoc lætissimo laudum Diuinarum cantico intendebat ostendere, *quoniam* non solùm Dominus *Bonus*, sed, quod etiam *in seculum*, omne sibi inuicem succedens, extenderetur
C *misericordia eius*: insuper quia (vt ad Versum 4. insinuaui) cupiebat deprædicari *misericordias*, & *mirabilia* Domini, quæ ipse *filijs hominum* vniuersim sumptis fecit, tam Iudæis, scil. quàm Gentibus; vbi, quæ diximus, de istis dixisset; quædam etiam ad illos pertinentia insinuat, vel potius iam ante prioribus duobus Psalmis dicta repetit; nam sicuti supra iam conquestus de illis fuerat, quod *exacerbauerunt eum in consilio suo* Psal. 105. 43. & v. 13. quod *non sustinuerunt consilium eius*; ita modo eos attingendo ait; quod etiam illi

D V. 11. Quia exacerbauerunt eloquia Dei per rebellionem contemnendo Dei præcepta, & monitiones, & consilium Altissimi irritauerunt; non permittendo se Diuinæ illius Prouidentiæ; prius quidem in rebellionis, & obstinationis pœnam;

V. 12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret;
E postea tamen

V. 13. Et clamauerũt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos. & etiam eos

F V. 14. Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, in quibus non secus, atque ipsi Gentiles iacebant; & pariter & vincula eorum disrupit. propterea

V. 15. Confiteantur Domino misericor- A
diæ eius, sicut supra dicebam; & mirabilia eius filijs hominū.

V. 16. Quia contriuit portas æreas, quæcūque, quāuis for-
tissima, quæ liberationem impediebant, contriuit; & vectes ferreos, omnes obices, & obstacula con-
fregit. B

V. 17. Suscepit eos de via iniquitatis eo-
rum: propter iniustitias enim suas humiliati sūt.
pergit S. Dauid, & adhuc aliquas alias Iudæorum calamitates, quas in Deserto
perpessi fuerant, & ab ijs misericorditer à Deo liberati, commemorat;

V. 18. Omnem escam abominata est ani- C
ma eorum: & appropinquauerunt vsque ad
portas mortis. more autem Diuinæ Pietati solito;

V. 19. Et clamauerunt ad Dominum
cum tribularentur: & de necessitatibus eorum D
liberauit eos.

V. 20. Misit verbum suum iubē-do, & sanauit
eos: & eripuit eos de interitionibus eorum;
siue cum gladio cæderentur; siue cum igne exterminarentur; siue cum serpen- E
tium ignitorum morsibus perirent. Propter hæc omnia tam his, quàm illis *Filijs
hominum* immerentibus, & ingratis beneficia, misericordias, & mirabilia præ-
stita iterum, iterumque

V. 21. Confiteantur Domino misericor-
diæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. eique bene-
ficentissimo tantorum munerum largitori; illi, quos ipse ad hoc elegit, F

V. 22. Et sacrificent sacrificium laudis;
& annuncient opera eius in exultatione. Qui autem sunt illi,
quos S. Dauid ad sacrificandum sacrificium laudis inuitat? Vtique, qui in Sancta
eius

A eius Ecclesia Sacerdotes, & Ministri sunt Sacri Altaris, & Dispensatores Mysteriorum Dei. Esse autem eidem S. Prophetæ ad hos ipsos sermonem, constat ex dictis supra Psalmo 49. vbi iam tum vidimus, quod Dominus reiectis, & obolitis veteris Legis sacrificijs statuisset, atque præcepisset v. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*. per quæ præuia peccatorum confessione, quod in Gratiarum Actionem institutum est Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium, & Sacramentum, offerendum, & sumendum præcipit. Illi ergo qui in Ecclesia sunt, *sacrificent sacrificium laudis*, &c. Hos se se intelligere, & insinuare
B adhuc magis declarat versu sequenti, quod illi sint;

V. 23. Qui descendunt mare in nauibus, supra Psalmo 103. versu 25. & 26. dictum est, per hos intelligi Sanctos Apostolos, aliosque Sanctæ Fidei Prædicatores, qui verè sunt, & fuerunt facientes operationem in aquis multis; ipsi, vt dicebam, sacrificent sacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione; nam

C V. 24. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo, illo Gentilitatis, & Romæ Ethnicæ totiusque Imperij Romani, quod fuerant ingressi, Oceano, in quo Dominus

V. 25. Dixit; dum Diuinæ eius Sapientiæ, & Prouidentiæ ad Ecclesiæ bonum visum est permittere; D & stetit spiritus procellæ: horrendæ tempestates, & persecutiones suscitatæ aduersus eam sunt; & exaltati sunt fluctus eius.

V. 26. Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: quod nauigantibus in tempestate, hoc Ecclesiæ, & Fidelibus erat in persecu-
E tionum immanitate; anima eorum in malis tabescebat. explicat, & confirmat hunc versum D. Paulus 2. Cor. v. 8. *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere*. Idololatræ enim, cunctique Christianorum persecutores ira, & furore in eos accensi

V. 27. Turbati sunt, & moti sunt sicut
F ebrius: quicquid autem omnem lapidem mouerent: omnes vires, & omnium sapientum suorum dogmata in vnum conferrent, ad Sanctam Christi Fidem, & Ecclesiam excindendam; nihil tamen effecerunt; quinimo à Cælesti, & Diuina Ecclesiæ eius sapientia, vt à Moysis virga Magorum Ægyptiorum serpentes, sic ab ea illi Mundi sapientes omnes victi sunt; & omnis sapientia eorum deuorata est. multis ergo in acerbissi-

ma

ma persecutionum tempestate transactis annis, & illam à Deo confortati fortiter sustinuerunt Fideles; A

V 28. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.

V. 29. Et statuit procellam eius, Ecclesię scil. in auram: scil. tranquillam, siue vt D.Hier. in tranquillitatē; & siluerunt fluctus eius; B
quieuerunt fluctus; facta ergo hac in Ecclesia tranquillitate, & pace Fideles Christi omnes respirarunt;

V. 30. Et lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum. omnia clara, & aperta, quæ priora omnia confirmant. Iam ergo cum optatum portum sint adepti Fideles, & Christi Ecclesia sua in tranquillitate, & iam sæpius dicta pace constituta sit; quod his tribus Psalmis, & maximè hoc tertio *Alleluia* intendebat celebrare S. Dauid versu intercalari, iam quarta vice plena lætissimaque voce, ait; C

V. 31. Confiteantur Domino misericordiæ eius; in iam dicta operatione, & rerum conuersione maximè dulces misericordiæ; & mirabilia eius his ipsis in rebus maxima, & maximè stupenda filijs hominum prædicentur. D

V. 32. Et exaltent eum in Ecclesia plebis.
quid clariùs dicere poterat? sicuti supra Psal. 25. v. 26. dixerat. *Apud te laus mea in Ecclesia magna, in Populo graui laudabo te*. & v. 32. quod *generatio ventura, & Populus, qui nascetur* esset conuertendus. Item Psal. 17. quod *Populus quem non cognoui* seruiturus esset: ita modo tanquam rem factam celebrat; & vult ob id *exaltari eum in* hac *Ecclesia plebis*; quæ scil. Populum illum grauem, siue vniuersas Gentium nationes amplissimo suo sinu complectitur; & in cathedra seniorum laudent eum: Chal. habet; *Consessum*; loco cathedræ; etiam hìc apertè significat S. Dauid Diuinam Maiestatem laudandam ab ijs, quos ipse in sua Ecclesia Sacerdotes, & Altaris sui, nec non Diuinorum suorum Mysteriorum Dispensatores constituisset, iuxta ea, quæ iam supra Psalmo 49. determinauerat, & voluerat v. 5. *Congregari sibi sanctos suos, qui ordinant Testamentum eius super sacrificia*; nouæ vtique Legis; nam antiqua abolebat, promittebatque, quod, quæ sancti, siue initiati, & consecrati ad id muneris essent oblaturi, vellet *holocausta* eorum *in conspectu suo habere semper* v. 8. sibi ergo in omnibus constans S. Dauid, vult, vt in horum seniorum cathedra, & consessu laudent E F

dent

A dent eum. Laudandi, exaltandi, & confitendi Domino misericordias eius in hac *Ecclesia Plebis*, & *Seniorum*, qui eam regunt, & pascunt, consessu, illa potissima, & maxima causa est; quia

V. 33. Posuit flumina in desertum; & exitus aquarum in sitim. Iudæorum Synagogam, siue Hebræorum gentem, quæ ante abundabat diuino fauore, fluminibus, & fluentis gratiarum, & qui possidebant

B V. 34. Terram fructiferam, nihilominus illis, & illa flumina exsiccata sunt, & redacti ipsi in arens quodpiam desertum, *& exitus* illi *aquarum* ita aruerunt, vt summa *siti* rerum spiritualium excrucientur, & *terra illis* ante *fructifera* in salsuginem sit versa. Hęc verò omnia mala, maximè lugenda euenerunt propter malitiam, à malitia inhabitantium in ea.

C E' conuerso vero, postquam illi propter suam malitiam illis diuinis donis, illis gratiarum fluentis priuati sunt, & planè aruerunt, migrante ab eis ad Gentes Ecclesia Christi, Deus mirabilis, & terribilis in consilijs super filios hominum,

V. 35. Posuit desertum, Gentilitatem prius instar deserti aridam; in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum, eam Gentilitatem, & collectos ex Gentibus populos ditando

D diuinarum suarum gratiarum donis, & replendo in bonis Domus suæ, quæ est Ecclesia, & quæ ipsa abundantissimè possidet.

Ad hunc S. Dauidis locum allusit Isaias cap. 41. 18. dum ait; *ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum*.

In Gentilitate ergo adeò misericorditer, & feliciter à Deo mutata ipse Dominus gratiarum suarum stagna posuit;

V. 36. Et collocauit illic esurientes; ipsos gentium populos, quos supra v. 5. dixerat fuisse *esurientes, & sitientes, quorum anima in ipsis*

E *deficiebat*. eademque phrasi vtens, ipsosque exprimens S. Isaias paulo ante citato cap. 41. v. 17. aiebat; *Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit*. Iam ergo si illic Dominus, scil. ad *exitus aquarum collocauit esurientes*, & sitientes, & prius aridos, & steriles Gentiles, constat iam dubio procul de ipsis, vt dictum fuit initio Psalterij, Psalmo primo, intellectam, prædictamque illam beatitudinem; quod *erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum*, quibus abundaturam tunc prædicebat, nunc abundare Ecclesiam

F Christi ostendit S. Propheta. Apud hos ipsos Gentiles, qui prius ne viam quidem *Ciuitatis habitabilis* sciebant, Sancti Apostoli, Dei iussu, qui posuerat Desertum in stagna aquarum, sedes ipsi, eorumque successores fixerunt; & constituerunt Ciuitatem habitationis; apud eos ipsã Ecclesiam fundarunt, quæ est *Ciuitas Regis magni*. Psal. 47. *fundata exultatione vniuersæ*

uerſæ terræ; in qua ſola eſt vera, pacata, digna homine, ordinata, Deo placens, ipſi ſeruiens, pacem cum proximo habens, & ſpem vitæ æternæ; *habitatio*. Ea conſtituta, & poſteaquam, illam de qua hìc agitur pacem fuiſſet adepta, mirum in modum fuit propagata, cuius propagationem, & augmentum S. Dauid aptiſſima ſimilitudine proponit, quæ rem mirificè exprimit; quod ſcil. Chriſti Fideles, alta illa in pace conſtituti; A

V. 37. Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum natiuitatis; B idest vt Chal. habet, *germinis*, ideſt naſcentem, ſeu germinantem; ſpiritualiter omnia intelligenda ſunt, ſicuti priora, pro Eccleſiæ Fidelium, & animarum in omni ſtatu exiſtentium profectu, progreſſionibus, & maximis incrementis. Hæc illis benigniſſimus Deus omnia fecit;

V. 38. Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis. ex Annuis, & Hiſtorijs Eccleſiaſticis videri poſſunt feliciſſimæ Eccleſiæ Chriſti, & celerrimæ progreſſiones; eas S. Dauid in ſpiritu vidit; hìc prædixit; & gauiſus eſt. *multiplicati* ergo ſunt nimis Fideles ex omni non ſolùm natione, ſed etiam ſtatu, & conditione; non ſolùm ſumma, Principum, Nobilium, Vrbanorum honoratorum, & primorum hominum; ſed etiam infima hominum plebeiorum, popularium, paganorum, ſeu ruricolarũ infimo gradu, atque ita hos intelligendo: & iumenta eorũ non minorauit. non eſt paſſus Dominus minui eorum numerum, neque eos voluit in Eccleſia ſua deeſſe, vel ab ea excludi. Verè magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei Noſtri, Regis Noſtri, Vnigeniti Filij eius Ieſu Chriſti. C D

Sic quidem Chriſtiani multiplicati; è contra verò Iudæi imminuti;

V. 39. Et pauci facti ſunt: qui prius numeroſiſſimi erant; & qui ante feliciſſimi fuerant, in ſummas miſerias lapſi ſunt; & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore. Qui prius adeo honorabiles, vt nulla alia Mundi natio illis par, in honore, & dignitate eſſet; poſtea E

V. 40. Effuſa eſt contemptio ſuper principes; ſuper principes, inquam, ipſorum, viros primores, Seniores, & Sacerdotes. Et qui ante *inſtructi per legem confidebant ſe ipſos eſſe Duces cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditores inſipientium, magiſtros infantium habentes formam ſcientiæ, & veritatis in lege*. Rom. 2. 19. permiſit eos excæcari à malitia ipſorum, & errare fecit eos; ſinendo iuxta praua conſilia, quæ aduerſus Chriſtum conceperant, progredi, in quibus ipſi tam craſsè errarunt tanquam ſi ambulaſſent in inuio, & non in via: Reliquit ergo illos Dominus; F

V. 41.

A V. 41. Et adiuuit pauperem Gentium Populum de inopia: & posuit sicut oues sibi charas, factus earum Pastor, familias earundem Nationum, & Gentium. Hoc grande, hoc admirabile, hoc misericordia, & iustitia, seueritate, & bonitate plenum Dei opus;

V. 42. Videbunt recti, & lætabuntur:

B quos misericordia cōtinget, & bonitas: & omnis iniquitas oppilabit os suum. illi autem, quos iustitia, & seueritas plectet, attoniti hærebunt, & à propria redargui, & conuicti iniquitate, ne hiscere quidem audebunt contra æquissimam Dei Iudicis, & vindicis sententiam.

Hæc, vt dixi, ita omninò se habent; in quibus cum tantum situm sit momenti;

V. 43. Quis sapiens, & custodiet hæc?

C quis, ea, quæ dixi ita obseruabit, notabit, & intelliget, vt illa custodiat? & cauere quidem à malis & ipse sciat, & alios doceat? Illa verò tanta bona, quæ dixi communicanda bonis Christi Fidelibus, & quæ hoc Psalmo enumeraui, vt semper sit gratus; *Quis sapiens,* & intelliget misericordias Domini?

Antequam ad trium aliorum sequentium Psalmorum Argumenta, & titulos progrediamur; valdè notandum est, quod S. Dauid à versu trigesimotertio tertij Psalmi Confitemini; idest Psalmi 106. insinuet, admirabilem, & pauendam

D illam commutationem factam in Populo Iudaico, & Gentili, & illius occasione progrediatur ad tres Psalmos sequentes, qui inter primum, & secundum ordinem Psalmorum, qui Titulum habent, *Alleluia* (& quos compendio *Alleluiarios* vocare possumus) interseruntur;

Argumenta Psalmorum CVII. CVIII. CIX.

E PAter Ludouicus Alcazar Notatione secunda Cap. 19. Apoc. fol. 843. ait; decuisse, vt inter primum, & secundum *Alleluia*; siue inter primam, & secundam seriem Psalmorum Alleluiariorum aliquis Psalmorum numerus interponeretur, quo significaretur, secundum *Alleluia*, siue secundam seriem Psalmorum Alleluia notatorum, multum se se attollere supra primam, & hos ipsos Psalmos centesimum septimum; *Paratum cor meum*, &c. Centesimum octauum; *Deus laudem meam*, &c. Centesimum nonum; *Dixit Dominus*, &c. fuisse interiectos ea de causa, quod primus quidem firmam deliberationem; secundus

F verò, ad Deum deprecationem, vt nos à Dæmonis insidijs eripiat; tertius tandem, vt Deus Spiritum suum homini liberaliter impertiatur, sine quo nec consilium, nec deliberatio, nec Dæmonis cohibitio quidquam prosunt.

Quod ad hanc secundam partem attinet, admitti non potest cum bona connexione, & cohærentia, hoc esse proprium illorum Psalmorum contentum; sed tam cum prioribus cohærentia, quàm eorundem Psalmorum contextum indicare,

aliud ijs contineri; hoc autem quod continent, consequitur, & deducitur ex fine A
prioris Psalmi Centesimi sexti, vbi, vt paulo ante dicebam, S. Dauid post propositam Iudæorum desolationem, & Gentium electionem, & in vtrisque admirabilem rerum commutationem, cum Psalmum illum conclusisset, *Quis sapiens, & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini?* v. 43. valde opportunè, & consequenter deinde proponit; primò quidem, quod ad lætitiam pro Gentium ad Fidem vocatarum felicitatem spectabat, Psalmum 107. Deinde, quod Iudæorum desolationem concernebat, Psalmum 108. & hinc pro Psalmo 109. componendo occasionem accommodatissimam accipit. Quod ergo ad Psalmum 107. attinet, illum sic inscribit; B

PSALMVS CVII.

Paratum cor meum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CVII. C

Canticum Psalmi ipsi Dauid.



X dictis ad Argumenta Psalmi 56. & 59. constat, illis Psalmis agi de Conuersione Gentium. quod si hoc est illorum Psalmorum contentum, huius etiam Psalmi illud ipsum erit; cum Psalmus iste sit conflatus ex illis duobus, & mera repetitio partium eorundem Psalmorum. Nam initium huius Psalmi vsque ad Versum 7. inclusiuè, est Psalmi Quinquagesimi sexti, Versus octauus cum reliquis vsque ad finem. D Reliqua verò pars, idest Versus 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. huius eiusdem Psalmi, est Versus septimus cum reliquis vsque ad finem Psalmi Quinquagesimi noni. Quod autem Psalmus hic illam Conuersionem Gentium contineat, patet ex Versu 4. *Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus.* Et ad literam de illis tractari testis, & interpres est Doctor Gentium ad Rom. c. 15. v. 10. vbi hunc Versum citat de eadem Conuersione Gentium.

Cur autem S. Dauid cùm prioribus Psalmis iam egerit de Gentium, atque etiam de ipsius Romæ Ethnicæ conuersione, hìc rursus eadem repetat, & quæ E Psalmis illis 56. & 59. proposuerat, hoc etiam loco, & quidem tanquam *Canticum Psalmi ipsi Dauid*, scil. Christo suo decantet; ideo facit, quod, quæ supra fieri optabat, hic iam vt facta celebret cum *Cantico Psalmi*, quia misericordiæ exhibitæ Populis Gentium, licet factæ essent cum exclusione Populi Iudaici, nihilominus tot, & tantæ erant, vt abundè resarcirent illius vnius Populi semper ingrati, & duræ ceruicis detrimentum. Sic ergo continuando id, quod in fine prioris Psalmi dixerat; *Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* incipit; *Paratum cor meum.* F

PSALMVS CVII.

V. 2. Paratum cor meum Deus, paratum

cor

A cor meum. quasi dicat. Istæ quidem misericordiæ tuæ, ò Deus, quas exhibiturus es fidelibus in Christi Tui Ecclesia ex Gentibus colligendis, tantæ sunt, vt licet hanc eorum collectionem cum exclusione Populi mei Iudaici futuram præuideam, nihilominus tamen per omnia, atque in omnibus Pientissimæ, atque Sapientissimæ dispositioni tuæ acquiescam, *Paratum cor meum*, &c. excipio promptissimo, & paratissimo ad omnia corde tua iussa, omnemque altissimæ, & inscrutabilis Sapientiæ, & Scientiæ Tuæ ordinationem: eam excipio, & amplector: etiam sic;

B cantabo, & psallam in gloria mea; gloria mea est Vnigenitus tuus, Christus meus, ac Dominus, illum mihi eripiet nemo, neque ab eius laudibus vbi, vbi ille fuerit, desistam; *cantabo* illi, *& psallam*.

Et verò etiam cùm considero, quanto affectu Dominus Christus meus sit à Gentibus excipiendus, quàm tenerè ab ijs amandus, quàm dulciter ab ipsis laudandus, quàm strictè, & amanter complectendus, quàm inseparabiliter retinendus; (Nam dicet aliquando de ipsis primus eorum Pastor Christi Vicarius Petrus,

C & verè dicet 1. Petri 1. 8. *quem cum non videritis diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.*) cum inquam hæc considero compelli me quodammodò sentio, vt vel iam nunc relicto hoc meo Populo ad eos migrem: & quid est quod me detineat, & retardet? omninò, vel iam nunc;

V. 3. Exurge gloria mea, exurge psalterium,

D & cithara: certè vbi permissum fuerit, & optatum illud tempus aduenerit; exurgā diluculo.

V. 4. Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus. id quod hìc sequitur; dicam, & cantabo:

V. 5. Quia magna est super cælos miseri-

E cordia tua; cælis altior, immensurabilis est misericordia, & nominatim Gentibus exhibita, quæ quidem misericordia simul ostendit, quod etiā extendatur, & vsque ad nubes veritas tua. quod promissis stando, eaque præstando tua fidelitas sit maxima, & illa pariter vsque, & super cælos ipsos. O! sic obsecro Domine,

V. 6. Exaltare super cælos Deus, & super

F omnem terram gloria tua: reperiatur; agnitio Vnigeniti tui per Fidem;

V. 7. vt liberentur dilecti tui: electi, præordinati. Hoc quidem opus valde grande est; sed propterea Tu qui omnia potes:

Saluum fac dextera tua, & exaudi me:

petentem hoc ipsum, quod non excedit vires dexteræ tuæ: Feliciter cessit hæc mea oratio; benè est, A

V. 8. Deus locutus est (promisit Deus) in sancto suo.

promisit eidem Vnigenito suo se daturum Gentes hereditatem, & per Vnigenitum suum, quem missurus est Sanctum Sanctorum se ea, quæ petebam executurum promisit. Quæ igitur illa erant, quæ petijt S. Dauid hoc loco? certè quod dixerat versu 4. *Confitebor tibi in populis*, &c. vt in populis, & nationibus confiteri, & psallere Domino posset: & vt *super omnem terram gloria eius* per Fidei prædicationem dilataretur. B Accepto diuino responso, quod hæc ita omninò, vt petebantur, euentura essent S. Dauid sibi ipsi, & Christo suo, eiusque Ecclesiæ gratulans ait; cum hac, & in hac certa spe

Exultabo, & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar. *Sichima*, erant loca, quę possidebat Isboseth contra Dauid; *Tabernacula* vero, seu Succoth, erant C in Tribu Gad.

Dum ergo S. Dauid se *exultaturum* dicit, quod *Sichimam*, tanquam possessionem suam, & quid sibi proprium sit diuisurus; & similiter *vallem Tabernaculorum*, vt suam, dimensurus; sub ijs nominibus ex primaria sua intentione, vt aliàs dictum est, intelligit eas, quæ Christi, eiusque Ecclesiæ erant futuræ in terras Gentium, per Fidei propagationem, dilatationes. Quis enim credat, tantum Regem in re tantilla voluisse gloriari? idque extra omne sermonis inchoati propositum, & etiam posteaquam iussu suo initum censum, seu numerum populi D sui, tanto suo, & eiusdem sui populi luctu, luisset?

Sub hac ergo locorum, & Regionum, quæ in Dauidis potestatem venerant; & sub Tribuum Israeliticarum, & demum sub Moabitarum, & Idumæorum nuncupatione (ad quos etiam dilatandum, & extendendum erat Regni eius Imperium, & Dominium) Sanctus ipse Dauid in consequenti sermonis contextu intendit ostendere, quod paulò ante, & supra etiam in Psalmo 59. dictum est; Christi sui, eiusque Ecclesiæ per Fidei prædicationem, non solùm in Israel, sed etiam in Gentium omnium terras, & ipsam *Ciuitatem munitam*, Romam Ethnicam, progressiones, & Dominium. sic E

V. 9. Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.

Iuda Rex meus:

V. 10. Moab lebes spei meæ. hæc, & quæ sequuntur, cum sint repetitio, & affectus, & verborum supra Psalmo 59. propositorum; ibidem, & in Psalmi Argumento explicata sunt. F

In Idumæam extendam calceamentum meum:

A meum: mihi alienigenæ amici facti ſunt.

V. 11. Quis deducet me in Ciuitatē munitam? quis deducet me vſque in Idumæam?

V. 12. Nonne tu Deus, qui repuliſti nos,
B & non exibis Deus in virtutibus noſtris?

V. 13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis. Ita verò hæc coniunguntur cum ſequentibus. Antequam Chriſti Eccleſia, ſiue S. Dauid eius vices gerens, eiuſque deſideria vnà cum ſuis repræſentans poſſet Chriſtum ſuum *confiteri in populis*, *& pſallere illi in nationibus*; *& vide-*
C *re in omni terra gloriam eius*; quia plurima valde ardua aggredienda, valde fortia vincenda, plurima obſtantia demolienda, atque complananda erant, benè Deo omnipotenti fidens ait in fine Pſalmi huius

V. 14. In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.


D

PSALMVS CVIII.

Deus laudem meam, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CVIII.

E *In finem, Pſalmus Dauid.*



Salmus hic continet & prædictionem deſolationis Populi Iudaici, & eius cauſas, perſecutionem, odium, cædem, &c. Vnigeniti Dei, Chriſti Domini; & pœnas, quæ eos apprehenderunt.

Quod hoc ipſum proponatur hoc Pſalmo dubitare non poſſumus; nam & ipſe eius contextus clariſſimè Iudæos depingit, eorumque ſcelera manifeſtat; & S. Paulus ad Romanos, cap. 11. idip-
F ſum, & fuſiùs aſſerit Verſibus 8. 9. & 10.

Sanctus verò Petrus Act. cap. 1. v. 20. octauum Verſum huius Pſalmi, ita de Iuda traditore explicat, vt ſimul cum eo Iudæos ipſos, tāquam quid vnum, includat.

Deinde cum Pſalmus præcedens conſtet repetitis, ijſque ardentiſſimis & deſiderijs, & congratulationibus dilatationis Eccleſiæ in omnes Gentes, & conſequenter exaltationis nominis, & gloriæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti, neceſſe erat Pſal-

Psalmum hunc ad Iudæos, eorumque exterminium pertinentem statim Psalmo A
priori subijcere; illi enim iuratos semper aduersarios, & contradictores Ecclesiæ Christi, eiusdemque Domini gloriæ se se exhibuerunt, prohibentes etiam Gentibus loqui, ne salui fierent, vt Apostolus aiebat 1.Thess.2.v.16. *vt impleant peccata sua semper*. Ostenditur ergo hoc Psalmo, quomodo *peruenit ira Dei super illos vsque in finem:* & nequicquam eos oppositis machinis, & contradictionibus suis profecisse: Psalmus inscribitur; *In finem, Psalmus Dauid*. Est Dauid, in Christi Persona, & vt Ecclesiæ Caput, precatio, *ne laudem meam tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi*, populi scil. illius Iudaici *super me apertum est*; incredibili B
malignitate Domini laudem omnibus modis obscuratam, & penitus extinctam volentes.

Verùm, cum contrarium potius accidisse ostendisset hoc Psalmo, eosque ipsos Iudæos *indutos pudore, & opertos sicut diploide confusione sua* proposuisset, S. Dauid; quid aliud restabat, quàm vt in Domini sui laudes, concitatiori cursu excurrens, Psalmum sequentem ederet? Sed nunc ad præsentis explicationem.

PSALMVS CVIII. C

V. 2. Deus laudem meam, innocentiam P. Emm. Sà vertit, & benè; nam ab ea, & vitæ integritate laus oritur, ne tacueris, ne dissimules, & desede, quã mali impugnant; quod est; quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. D

V. 3. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me: & expugnauerunt, oppugnauerunt, me gratis.

V. 4. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. E

V. 5. Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea. omnia clara, & constat Iudæos tales fuisse, qui, vt dictum est in Psalmi argumento, cum vnum quid faciant cum Iuda impio Christi Domini traditore; de ipso loquens sequentibus versibus, ipsos etiam Iudæos includit, vt clarè patet ex numero plurali, quem F
aliquando apponit in ipsis Versibus, vbi agit de Iuda; & in prioribus hic præmissis, vbi promiscuè nunc singularis, nunc pluralis numerus legitur.

Propter illam ergo tam insignem ipsorum, mala pro bonis, & odium pro dilectione reddentium, peruersitatem;

V. 6.

A V. 6. Conſtitue ſuper eum peccatorem.
futurum eſt, vt qui benigniſſimum Dei Filium Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum recipere, & regnare ſuper ſe noluerunt; homo peccator, ſiue vt Hier. & Chal. *impius*, ſcilicet, Iudex ſit illis præficiendus. Parent illi paſſim Turcicis poteſtatibus viliſtes redditi etiam ipſis Mahometanis. & diabolus ſtet à dextris eius; eſt hìc pariter Prophetia futurum, vt qui aduerſari, & calumniari nunquam de-
B ſiſiſſent, habituri eſſent Satanam aduerſarium, & calumniatorem, qui eis ad opprimendum eos aſſiſteret. Inſuper illi ipſi, qui tam iniquè Dominum Maieſtatis ad mortem condamnaſſent;

V. 7. Cum iudicatur exeat condemnatus;
in eos etiam ad mortem, & condemnationem eſſent pronunciandæ ſententiæ; & qui obduratiſſima obſtinatione nullas ad innocentiſſimi Domini liberationem à morte voces au-
C dire voluiſſent; & oratio eius fiat in peccatum. etiam ipſorum oratio, ſiue ad Deum, ſiue ad alios homines fuſa, futura eſſet magis ad irritandum, ad pœnam vindictam, & condemnationem, vt Chal. habet (& hæc omnia ſignificat *peccatum* hoc loco) de ijs ſumendam, quam ad placandum illos, quo eis parcerent.

V. 8. Fiant dies eius pauci. Qui floridum Nazarenũ Noſtrum, Pulcherrimũ Dominum Ieſum in ipſo ſuo iuuentutis flore tam impiè, & immaniter ſuſtulerunt
D è medio: ipſorum etiam ante florentis Dominij, & Regni, & particularium etiam vita fiet breuiſſima, & quãcelerrimè ſuccidetur. & Epiſcopatum eius accipiat alter. eſt quidem de Iuda, in cuius Epiſcopatum, ſeu *Apoſtolatum, & locum miniſterij, de quo* ipſe *prauaricatus* fuit, ſucceſſit S. Matthias; vt Act. 1. 24. nihilominus ſententia intelligenda etiam eſt de ipſis Iudæis, à quibus transferenda erat Lex, & Sacerdotium; nam S. Petrus dum eam citat, præmittit illam aliam ex Pſalmo 68. v. 26. quæ immediatè eſt de ipſis Iudæis: *fiat commoratio eo-*
E *rum deſerta*, &c. Et ſtatim ex ſequentibus verbis patet, eſſe ſimul de illis ſermonem; nam inſuper in pœnam mortis Domino illatæ, ait eis euenturum, vt

V. 9. Fiant filij eius orphani: & vxor eius vidua. Planè Iudæi poſtea caruere Deo Patre, & Synagoga facta eſt vidua, & deſolata. Similiter accidit, vt

V. 10. Nutantes transferãtur filij eius; Hier. inſtabiles
F vagẽtur; Chal. vagando vagentur; & mendicent; & eijciantur de habitationibus ſuis. Præterea ipſi, qui Chriſtum, eiusque puſillum Apoſtolorum, & aliorum Diſcipulorum gregem, vexarunt, vaſtarunt, diripuerunt, neque paſſi ſunt apud ſe eos conſiſtere, & viuere, fiet, vt populi tam crudelis

V. 11.

V. 11. Scrutetur fœnerator omnem sub- A
stantiam eius: ideſt; qua auiditate, qui mutuum dedit, inuolat in opes eius, qui non eſt reddendo mutuum cum fœnore; eadē hoſtes in ſubſtantias eorum ſæuiant; & diripiant alieni labores eius.
Sic explicandum, quandoquidem populi Iudaici fœnerari potiùs alijs, quàm mutuum ab alijs accipere fuit proprium; an verò etiam licitum; fuſiùs de hoc alij, & ex profeſſo. Pergit S. Dauid in pœnarum enumeratione. B

Qui pauperum, & pupillorum non ſunt miſerti, continget, vt etiam populo tam immiſericordi, & crudeli

V. 12. Non ſit illi adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

V. 13. Fiant nati eius in interitum: præterea continget, C
vt tā mali populi, in generatione vna deleatur nomen eius.
Iuxta hanc Prophetiam Chriſtus Dominus, Matt. c. 24. v. 34. dixit, pariter, & ipſe prophetando excidium, & interitum Regni Iudæorum. *Amen dico vobis, quoniam non præteribit generatio hac*, quæ ſcil. de facto viuit, *donec omnia hæc fiant*. quæ planè omnia facta ſunt. Nam *implentes* ipſi Iudæi nouis, & ſemper grauioribus peccatis *menſuram Patrum* ſuorum, Matt. 23. 31. effecerunt, vt

V. 14. In memoriam redeat iniquitas Pa- D
trum eius in conſpectu Domini: & peccatum matris eius (Synagogę) non deleatur. effecerunt, vt quoniam nullum non antiquorum Prophetarum perſecuti ſunt Patres eorum; & illi ipſi, qui Chriſti temporibus viuebant, *prophetas, ſapientes, & ſcribas*, quos Dominus ad ipſos *mittebat, occiderunt, crucifixerunt, & ex eis flagellauerunt in Synagogis ſuis, & perſecuti ſunt de Ciuitate in Ciuitatem*, Matt. 23. 34. propterea factum, vt veniret *ſuper eos omnis ſanguis iuſtus*, &c. & vt eorum peccata E

V. 15. Fiant contra Dominum ſemper.
coràm Domino ſemper, cumque ad vindictam pro ijs ſumēdā prouocarent, ita, vt
& diſpereat de terra memoria eorum: ideo ſiue

V. 16. pro eo quod, impius ille populus, non eſt recordatus facere miſericordiam. F

V. 17. Et perſecutus eſt hominem inopem,

A pem, & mendicum, & compunctum (fractum, & afflictum) corde mortificare. eiusmodi fuit Dominus ipse Iesus, eiusque apud eos Ecclesiæ homines, atque ita Populus ille persequendo, & occidendo

V. 18. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, provt ipse Dominus
B testatur, dum conqueritur de Ierusalem, ipsique minatur; *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*. Matt. 24. 37. quia ergo *noluit benedictionem*, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, &
C sicut oleum in ossibus eius. factumque est, vt patet toti orbi, vt illi populo miserando, maledictio illa, quam adeò significanter expressit S. Dauid

V. 19. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcin-
D gitur.

V. 20. Hoc opus, hæc merçes, eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum. Græc. Hier. & Chal. à Domino retributio hęc est eorum, qui detrahunt mihi; & qui loquuntur mala aduersus ani-
E mam meam.

V. 21. Et tu Domine, Domine, oratio Christi; pro se, & membris suis, fac mecum, scilicet bonum; propter nomen tuū: quia suauis est misericordia tua.

F Libera me,

V. 22. quia egenus, & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.

V. 23. Sicut vmbra cũ declinat ablatus sũ: A
& excussus sũ; Chal. vagatus; sicut locustæ. hoc Christus de membris suis dicit eiectis in exilium, & fugatis tanquam locustæ, quæ regem non habent.

V. 24. Genua mea infirmata sunt à ieiunio prę, vel ob, ieiuniũ. Primitiua Christi Ecclesia in magna vixit paupertate, vt cõstat ex collectis, & eleemosynis à fidelibus alijs per Paulum, &c. Ierosolymã trãsmitti B
solitis; & caro mea immutata est propter oleum, scil. deficiens. Hier. absque oleo, scil. vnctionibus.

V. 25. Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & mouerunt capita sua.

V. 26. Adiuua me Domine Deus meus: C
saluum me fac secundum misericordiam tuã.

V. 27. Et sciant, quia manus tua hæc. sciãt hoc opus, & consilium, quod Christus inchoauit, esse opus, & consilium dexteræ tuæ, & quod consequenter stabit; quia manus tua hæc; & tu Domine fecisti eam. illi quidẽ pro D
innato ipsis in me, & meam Ecclesiam odio;

V. 28. Maledicent illi, sed quid poterunt nocere? & tu benedices: qui insurgunt in me, fiet vt, confundantur:
seruus autem tuus lætabitur. Illi E

V. 29. Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide; S. Aug. duplici pallio, scilicet confusione sua apud Deum, & homines, quod planè Iudæis sic accidit. at verò Christus in eius Ecclesia ait, ego

V. 30. Confitebor Domino nimis in ore F
meo: & in medio multorum laudabo eum.

V. 31. Quia astitit à dextris pauperis: vt saluam faceret à persequentibus animam meam.

Et

A Et quid mirum, si Dominus hæc, licet valde grandia, Christo suo præstitit? Audite ea, quæ mihi Dominus de eiusdem Domini Christi mei sui Vnigeniti, Diuinitate; de eius Ecclesia, Sacerdotio, Regno, alijsque rebus omnibus sublimissimis reuelauit.

PSALMVS CIX.

B

Dixit Dominus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CIX.

Psalmus Dauid.

C PSalmus hic pulcherrimus inscribitur hoc Titulo, quo pro more sibi in Psalterio, vt vidimus, vsitatissimo, sub Dauidis, seu suo nomine, intelligit eum, quem futurum de Domo, Familia, & sanguine suo, summo, & inæstimabili honori sibi ducebat, Dominum scilicet Iesum Christum Dei Vnigenitum; assentientibus, vel ipsis iuratis Christi hostibus Pharisæis, qui Matth. cap. 22. v. 44. conuicti ex hoc Dauidis Psalmo, negare non sunt ausi, ipsum Psalmum esse de Christo.

Psalmus planè excellentissimus, qui breuissimo compendio summa mysteria D continet, quo proinde frequentissimè vtitur S. Mater Ecclesia. & benè Cassiodorus illum vocat *quendam Solem fidei nostræ; speculum cælestis arcani; armarium sanctarum scripturarum; vbi totum summatim dicitur, quod vtriusque Testamenti prædicatione narratur.* Insuper ipsum Psalmum verissimè atque congruentissimè comparat cum principio Euangelij S. Ioannis. Quod ergo de Diuo Ioanne ait S. Aug. Tractat. 26. in Ioannem, hoc ipsum iure meritissimo dici de S. Dauide potest; cum scil. hoc Psalmo, illud, *quod in secreto bibit, in manifesto eructauit; vt perueniat ad omnes Gentes, non solum Incarnatio Filij Dei, Passio, & Resurrectio, sed* E *etiam, quod erat ante Incarnationem vnicus Patri; Verbum Patris; coæternus generanti; æqualis ei, à quo missus est.* Planè hæc potissimùm ipse eructauit hoc Psalmo, & qui etiam supra Psalmo 44. similia eructauerat; nunc ita claris, & distinctis verbis vinum planè meracum de Domini Iesu Diuinitate effundit, vt eo mentes illud excipientes, & capientes inebriet.

Verùm dum etiam ad perbreuem (& solum quantum necessarium est ad propositam cohærentem connexionem Psalterij ostendendam) huius eiusdem Psalmi explicationem accedo; fateor ego longè veriùs quàm de se paulò ante citatus F dixerit, aquilina oculorum acie præditus, Sanctissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus; vereri me *humi repentem, infirmum, & vix vllius momenti inter homines;* & vix audere *tractare ista, & ista exponere; neque putare me, aut capere posse cum cogito; aut capi dum dico.* Nihilominus, quod ad propositam connexionem attinet dicendum est;

Sanctum Dauidem, vt insinuaueram, cum hactenus eximia quæque, & valdè

sublimia, quæ ad Domini Iesu gloriam, & exaltationem, eiusdēq. Ecclesiæ dilatationem, & maximam felicitatem pertinebant, exposuisset; & plura etiam deinceps pertinentia ad hæc ipsa duo potissima rerum pulcherrimarum, & iucundissimarum capita consequentibus vsque ad Psalterij finem Psalmis esset expositurus, tam priora omnia iam dicta quasi recapitulando, quàm dicendis deinceps fundamentum, seu argumentum aliquod vniuersale statuendo, Psalmum hunc centesimum nonum componere, quo intendit significare, quod licet tam dicta, quàm dicenda magna illa omninò, & mira sint; nihilominus tamen, neque magna, neque mira videri debeant ex eo capite, quia scilicet **A** **B**

PSALMVS CIX.

Dixit Dominus Domino meo: Iam inde ab æterno *dixit*, statuit, decreuit, mandauit, & voluit *Dominus*, Pater Æternus, *Domino*, Filio suo, qui, & *Dominus* est, quia eiusdem naturæ cum Patre; & *Dominus meus* est, quia de semine meo incarnandus ex Virgine Matre; Dixit illi *Dominus*; **C** Sede a dextris meis. Per sessionem Christi ad dexteram, siue à Dextris Patris (metaphoricè autem tam ipse, quàm Beati dicuntur in cælis sedere) propriè intelligitur illa summa eius dignitas, & sublimitas super omnia, quam varij Patres, & Doctores variè explicant, sed Diuus Petrus Actorum cap. 2. v. 32. 33. 34. 35. & 36. apertissimè expressit per eam sessionem significari eius exaltationem, quatenus erat homo Deus & quatenus collata illi erat potestas Iudicandi, & Regnandi. Ipse ergo citatis locis ait; *Hunc Iesum resuscitauit Deus* (quatenus homo erat Iesus) *cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre*, idest accipiens à Patre, vt posset Spiritum mittere, quem promiserat, & quem non posset mittere nisi Deus esset) *effudit hunc quem vos videtis, & auditis. Non enim Dauid ascendit in cælum*; scil. corpore cum hæc diceret, q.d. (vt benè P.Emm.Sà) non de se loquebatur, sed de Christo, de quo sequentia dixit; *dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. Certissimè sciat ergo omnis Domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, fecit eum*, quatenus homo est, vt scil. ille homo Christus esset, & Dominus; nam ex hoc loco simul, & Diuinitatem Domini Iesu declarat, & Humanitatem; illam dum dixit, *effudisse Spiritum*, quem promiserat, *& Dominum* fuisse, quando ei Pater *dixit, sede*; dixit enim *Dominus Domino*: deinde Humanitatem ostendit, quando ait; *quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Fecit*; quia non semper id fuit, cum non semper homo fuerit, & per Crucem esset exaltandus. *His auditis compuncti sunt corde*. compunctio hæc arguit Iudæos hinc conuictos fuisse, Dominum Iesum, quem crucifixerant, Deum esse. **D** **E** **F**

Simili planè modo conuicti de Christi Diuinitate fuerunt Pharisæi, Matt. c. 22. v. 44. hoc ipso Dauidis testimonio; quod testimonium Dominus Iesus attulit ad comprobandam suam Diuinitatem, quam ipsi in eo agnoscere nolebant, & ob quam (si se se inclusum in primo, & maximo Legis præcepto de diligendo Deo dixis-

A dixiſſet) impugnare eum diſponebant. Illo ergo teſtimonio Dominus, ſe,& eorum Deum oſtendit eſſe, eò quod Dauid appellaſſet ipſum Dominum; & manifeſtauit ſe eſſe eorum proximum, eò quod non diffiteretur,ſe ſecundum carnem eſſe Dauid filium; atque ita redarguti ſunt tanquam ij, qui neque erga Deum, neque in proximum charitatem haberent.

Hæc deducta ex hoc loco argumentatio, ad Sanctiſſimi Spiritus aduentum ita vim ſuam exeruit, vt animo conſternati dicerent. *Quid faciemus viri fratres?*

Sed illa ipſa vehementer omnes Chriſti Fideles, totamque Eccleſiam erigit, B quæ Dominum Chriſtum Dei Filium ſedentem à dextris Patris quotidie, & inceſſabili voce confitetur, & adorat.

Ab Cæleſti ergo Patre Chriſtus habet, quod dicitur ei; *Sede*

Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. *Donec*, non definit certum tempus, poſt quod ſedere deſinat; ſiquidem Chriſtus, vt Heb. 10. 12. *in ſempiternum ſedet in dextera Dei*. ſed more ſcripturæ vtentis illa particula,quod C nunquam deſiturum, ſed ſemper futurum eſt oſtendit; vt compluribus locis ſcripturæ probat P.Lorinus; Exodi ſcil. 15.v.16.Deuter.7.24.Pſal.111.8.Pſal.122.2. Matt.1.v.25.2.Reg.6.23.1.Tim.4.13.Geneſ.c.8.7.Cant.3.2.Chriſtus ergo *in ſempiternum ſedet in dextera Dei*, vt ait Apoſtolus, citato Hebr. 10. 12. *de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius*.

Inimici eius, homines ſunt, qui aduerſantur Chriſto, qui veritas eſt, ſiue Idolorum cultu, ſiue ſeducti hæreſum, & peccatorum quorumvis erroribus. ſupra Pſalmo 85. 9. dixerat, quod; *Omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & adora-* D *bunt coram te Domine*. Omnes ſubditos ſibi faciet; alios inuitos, & miſeros; alios voluntarios, & beatos; vt ait D.Bernardus ſerm.7.in Cant.

Quis autem ſubditos faciet, *& ponet inimicos ſcabellum pedum eius?* S. Dauid à Patre cæleſti id faciendum aſſerit; Diuus verò Paulus 1.Cor. 15.25. tribuit hoc ipſimet Chriſto, dum ait; *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus* eius; quam apparentem diuerſitatem optimè conciliat P. Ioannes Lorinus aſſerens, vtrumque dici poſſe; ſcil. cum ab vno, tum ab alio ſubijciendos; quia videlicet hæc ſubiectio fit virtute diuina, quam habet quoque Chri- E ſtus, vt Deus à Patre. Et omninò id ita dici debere confirmat ipſe Apoſtolus eodem loco citato v. 28. vbi ſicut prius dixerat,ipſum Filium poſiturum omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis, ita deinde ait, quod; *Cum ſubiecta illi fuerint omnia: tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia*. Hoc autem (quemadmodum in caput 6. Iſaiæ fuſiùs dicendum eſt) non idcircò dicitur; quaſi tunc, Chriſtus priuandus ſit Regno,cum *Regni eius non ſit finis*, Luc.1.ſitque Rex ſæculorum,&c. ſed potius ad oſtendendum, quod tunc Regnum eius maximè perfectum plenumque futurum ſit, quando totum Chriſti corpus myſticum Deo ple- F nè ſubiectum erit, & per omnia obtemperans, quando (vt ipſe S. Paulus ibidem ſe ipſum explicat) *euacuauerit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem*; ideſt, aboleuerit, ſuſtulerit, & deſinere fecerit omnem Principatum,&c. ita vt non ſolùm, non ſit amplius neceſſaria diſpenſatio per Angelicos Principatus (vt S.Auguſt.1.Trin.explicat, quandoquidem,vt Heb. c.1. v. 14. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis)*

non

non solùm, inquam, tunc non erit amplius necessaria dispensatio per Angelicos A
Principatus, verùm etiam tunc *euacuabit*; idest faciet cessare ministeria, quæ modò sunt, & vigent in Ecclesia; nam vt D. Paulus 1. Cor. c. 12. 28. *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*

Hos potissimùm Principatus, has Potestates, & Virtutes *euacuandas*, saluò meliori iudicio, dicit Apostolus, iuxta sæpè dicenda in Isaia, dum de virtutibus, siue militia cælorum est sermo. B

Verùm dum hæc fiant, & veniat *Finis*, & Christus *tradat regnum* perfectum, & plenum Deo, & Patri. Dum sensim, & quinimò velociter omnia percurrunt; dum veniat beatissima illa, & optatissima Quies æterna, quando erit *Deus omnia in omnibus*, 1. Cor. 15. 28. idest, loco omnium, quæ desiderari possunt; dum, inquam, hæc fiunt, interea Dominus Iesus *sedet ad dextris Dei*, & quia, vt sæpe dictum, ostensumque est, provt promissum ei fuerat, *constitutus est Rex super Sion montem Sanctum*, qui est eius Ecclesia.

Sanctus Dauid, vt cum eo progrediamur, pergit in eximijs eius excellentijs C
enumerandis, ipsique, vt Rex, & Caput Ecclesiæ est, congratulatur; eò quòd mirum in modum dilatandum foret eius Regnum, siue Ecclesia, posteaquam à Iudæis ad Gentes transijsset; hoc totum ipse versu secundo enunciat, dum ait;

V. 2. Virgam virtutis tuæ, lex Christi, & Euangelium cum sua Ecclesia est hæc *virga virtutis eius*, quam, vt iam factum est, emittet Dominus ex Sion. emisisse, ait Diuus Augustinus 17. de Ciuit. c. 17. ita clarum est, vt non solùm infideliter, & infeliciter, sed etiã impudenter negetur. D dominare in medio inimicorum tuorum. Chal. habet *Dominaberis*; sed sit imperatiui modus, vt sit sensus, quicquid restituri, & aduersaturi tibi sint, Ego mando, dum *emitto*; & fiet, *dominare*. Iam quid sibi vult illud, *In medio inimicorum tuorum?* illud Dominium plenum, & absolutum, exercendum in *medio inimicorum?* Certè si potissimùm Gentes idololatræ inter *inimicos* censebantur, *medium* eorum fuit ipsa omnium Gentium Domina, & omnium superstitionum magistra Roma Ethnica: quæ facta deinde est Regni Christi, quod est eius Ecclesia, Sedes perpetua. Videri debent, quæ in cap. 30. v. 32. Isaiæ. *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis, & cytharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.* Ad hunc Dauidis Psalmum, & Versum allusit S. Isaias, qui vicissim mirè explicat, quod hoc loco ait S. Dauid, maximè illo, *expugnabit*, & *quam requiescere faciet*, clariùs exprimens Romanæ Ecclesiæ Sedem perpetuam esse, quàm subobscuriùs S. Dauid indicauerat illo *dominare*, licet aliàs, & ipse patenter illam perpetuitatem prædicat. E F

Dixit ergo *Dominus Domino meo*, quod *emittet virgam virtutis tuæ ex Sion*, cui quidem *virga*, sceptro, eius Ecclesiæ suæ mandauit, & præcepit, *dominare in medio inimicorum tuorum*, neque ex eo quod opus hoc maximè arduum est verere, & time, ò virga eius, ò Ecclesia eius, quia est

V. 3.

A **V. 3. Tecum principium,** ille, qui de se dicit, & verè dicit, Ioan.c.8.25.quod sit, *Principium, qui & loquor vobis*, ille qui non est purus homo, sed est principium à Patre procedens, in quo, & per quem Pater creauit omnia, quidni principium sit, qui *in principio*, ideſt ante omnia creata *erat*, scil.iam erat ab æternitate? *Tecum* ergo est ipse, qui Deus est cum sit principium; *tecum* est **in die virtutis tuæ,** iam inde ab initio est tecum; & tecum semper erit; quamdiu Legem eius Euangelicam Gentibus, & Populis Mun-
B di prædicabis; quod totum spatium, & tempus Dominio Ecclesiæ, & prædicationi Euangelij, & conuersioni animarum datum, & vsque ad finem Mundi extenditur; & *dies virtutis tuæ*, ò Ecclesia, vocatur; quam non solùm in operationibus ministeriorum tibi à sponso tuo consignatorum, & paulo ante ex 1.Cor. 12.28. hìc circa finem Versus primi enumeratorum, virtutem illam tuam exeres, & impendes; sed etiam illam ipsam ostendes **in splendoribus sanctorum.** in splendore sãctitatis: verè semper sancta, & in splendore sanctitatis, qui omnium intuentium
C sanos oculos recrearet, lippientes perstringeret: tu enim *amicta Sole, & Luna sub pedibus tuis, & in capite tuo corona stellarum duodecim*. Apoc.c.12.v.1. Sic vicisti, ò Ecclesia Christi, quia *Tecum principium in die virtutis tuæ*; planè *tecum*, vt promiserat, Matt.vltimo 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*; tamdiù enim duratura est *dies virtutis tuæ*. Supra iam Psalmo 45. vt vidimus, de Ecclesia loquens dixerat v. 6. quod; *Deus in medio eius, non commouebitur*. & v.8. & 12. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob*. hoc loco id ipsum repetit; quod *Tecum principium in die virtutis tuæ in*
D *splendoribus sanctorum*: provt breuiter explicatum est, omissis multis alijs explicationibus aliorum Interpretum, quæ quadrant quidem, sed non cum tanta connexionis cohærentia, & consecutione sacri textus, quæ potissimùm quæritur. Nihil ergo verearis, nihil expauescas, nihil trepida *virga virtutis* Ecclesia eius, *emissa ex Sion*; *dominare*; quia *Tecum*, &c. planè ille *Tecum*, cui *Dominus dixit* (sic subintelligendũ est nam illud *Dixit* ad sequentia hæc refertur) **ex vtero ante luciferum ge-
E nui te.** Æterna Verbi generatio hìc significatur, quod scilicet sit *ex vtero* Patris; ideſt non ex nihilo, nec ex materia externa; sed ex ipsissima Patris substantia. Deinde *ante luciferum* dicitur genitus, vel quia Deus fuit antequam idem Christus secundùm humanam naturam, velut Lucifer, ex Virgine nasceretur, vt S. Athanasius; vel quia Christus est ante omnem illuminatum; quoniam ab eo illuminantur omnes, qui illuminari possunt; & ante omnem Angelicam creaturam, vt S. Aug. qui etiam ostendit; non minus potentem esse Filium, quod non generet; quoniam Patrem esse, & Filium, proprietates sunt personarum, non naturæ, & potentiæ diuersitas.

F Simili ferè phrasi; *vteri*; vsus est ipse Dominus Iesus, de se loquendo; Ioannis cap.1.v.18. *Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, qui est, ait in sinu Patris; quia vt bene P. Aloysius Iuglaris noster, in suis de eo Elogijs, Elog.1. *Adhuc nasci non cessat, tot annos natus*, & *Tota ab eodem accepta substantia emancipatus, adhuc habet omnia cum illo communia*. Tantus ergo Tecum est, cui dixit Dominus; *ex vtero ante Luciferum genui te*. Insuper cui

V.4.

V. 4. Iurauit Dominus, & non pœnitebit A
eum: cui promisit iureiurando, Decreto, seu consilio immutabili, id quod sequitur, quo sacerdotium eius æternum ostenditur. Tu es Sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchisedech. Sanctum Paulum horum verborum expositorem audiamus, ad Heb. cap. 5. v. 5. & 6. ait, *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te;* B
subintellige illum clarificauit, idest dedit illi gloriam illam vt Pontifex fieret; *Quemadmodum & in alio loco dicit*, idest hoc præsenti Psalmo, & Versu; *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Hoc posito, quod de Christo id dicat Pater; optimè argumentatur; & concludit S. Paulus ad eosdem Hebr. cap. 7. debuisse virgam virtutis eius emitti ex Sion; quia *consummatio per Sacerdotium Leuiticum non erat; si enim fuisset, quid adhuc necessarium erat, secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio necesse est, vt & Legis translatio fiat. In quo enim hæc di-* C
cuntur, de alia Tribu est; de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. Et amplius adhuc manifestum est, subintellige (vt benè P. Emm. Sà notat) mutatam esse Legem; & *si* significare *siquidem*; & *exurgat*, *exurgit* significare: *si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius Sacerdos, qui non secundum Legem mandati carnalis* (idest, non circa corporeas cæremonias versantis) *factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis*, idest, qui cum sit *sacerdos in æternum*, simul virtutem, seu potentiam, & potestatem habet, dantem, seu qua potest dare, vi- D
tam æternam; insolubilem; nunquam soluendam, nunquam finiendam. pergit ipse, & huius dat rationem. *Contestatur enim. Quoniam tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. qua attestatione, vt dictum est, *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati*, siue Legis, *propter infirmitatem eius*, idest imbecillitatem; *& inutilitatem*; idest insufficientiam; neque enim poterat reddere iustos, & perfectos, sicut statim se ipsum explicans D. Paulus subdit; *nihil enim ad perfectum adduxit Lex. Introductio verò melioris spei* (subintellige est per Christum, E
vt statim dicet) *per quam proximamus ad Deum. Et quantum est non sine iure iurando*, idest, & in quantum cum ipso ius iurandum intercessit, & non cum alijs, vt ibi explicat; *in tantum melioris Testamenti sponsor*, idest melioris pacti promissor *factus est Iesus*. quo autem modo, & quanta felicitate maiori factus sit, explicat. *Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcircò, quod morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Vnde, & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

Et hæc satis ad præsentem explicationem: Quia tamen de hoc ipso puncto ex F
D. Pauli sententia ad Heb. 5. v. 11. *grandis sermo, & ininterpretabilis* (idest difficilis explicatu) *ad dicendum*, de eo plura peti ex alijs poterunt. Interim ad rem nostram satis est ex P. Lorino adnotare; quod Christus Dominus Noster ideo dicatur *Sacerdos* &c. *secundum ordinem Melchisedech*, quia hic Rex, & Sacerdos, vt Gen. c. 14. v. 17. *panem, & vinum* obtulit pro sacrificio; nam vt ibidem habetur, *pro-*

A *proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, benedixit, scil. Abram.* quo adumbrauit sacrificium, quod Christus instituit, & vnum Ecclesia frequentat, frequentabitque vsque ad finem sęculi; nimirum Corporis, & Sanguinis Christi, quæ Consecratione Sacerdotis constituuntur, fiuntque sub speciebus panis, & vini, per veram transubstantiationem, ac demum à sacrificante sumuntur per consumptionem specierum.

D. Paulus hanc similitudinem prætermisit, quia satis habuit tunc Iudæis ostendere, antiquatum fuisse sacrificium Aaronicum, exsurrexisse verò, quod
B Christi erat; & cum diceret, istud esse *secundum ordinem*, seu ritum Melchisedech, implicitè indicabat, id quod Melchisedech obtulerat.

Quia autem Iudæis durus erat sermo de Eucharistia, Ioan. 6. v. 62. & quoniam vt ipse Paulus ipsis Hebr. c. 5. 11. *imbecilles facti erant ad audiendum* illud, & intelligendum, satis habuit implicitè illis dicere, quod deinde tam clarè Corinthijs, 1. Cor. 2. 11. expressit. Notandum autem est Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium repeti, & quotidie offerri, non ob insufficientiam Sacrificij in Cruce peracti, sed vt fructus illius applicetur, & quia Ecclesia non potest esse sine sacrificio.
C Sed de his alij. Ad continuationem explicationis Psalmi vt pergamus.

S. Dauid recensitis his, quæ ad summam Christi Domini dignitatem pertinent, ad Ecclesiæ Sponsæ eius erectionem, & consolationem pergit modò, & sicut ipsi congratulatus fuerat, quod cum ea esset ille, qui, & *principium*; ille *ex vtero Patris genitus*; ille *Sacerdos in æternum, qui saluare in perpetuum potest; semper viuens ad interpellandum pro nobis:* ita nunc reflexione facta ad illa tam multa, quæ prius Ecclesia in persecutionibus sustinuerat fortissimè, & tandem etiam felicissimè vicerat, eidemmet Ecclesiæ applaudens ait;

D **V. 5. Dominus à dextris tuis,** ipse pro te pugnauit, & ipse te certantem adiuuit, & quod de tot, ijsque tam potentibus, quàm crudelibus Romanis Imperatoribus tuis persecutoribus victoriam reportaueris, eosque, eorumque tormenta, & omnes machinas ad te exterminandam adhibitas viceris, ipsi adscribendum est, quia ipse *Dominus à dextris tuis* **confregit in die iræ suæ reges.** *confregit*, dādo tibi de ijs victoriam, & illos debitis pœnis ob impietatem, & sæuitiam in te
E exercitam mulctando, & quidem *in die iræ suæ eos confregit*, in die prædicationis Euangelij, de qua iam supra Psalmo 2. v. 13. dicebat, & promittebat S. Dauid, quod *cum exarserit in breui ira eius*, quando spiritus Domini vehementi impetu feretur ad Idololatriam ex hoc Mundo profligandam (vt factum est in vniuersali prædicatione Euangelij) *beati omnes, qui confidunt in eo.* de qua etiam ira misericordissima dicebat, & cantabat Isaias c. 12. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* videri possunt initio Notato 6. & multis alijs locis notata in hanc explicationem, quæ omninò, vt ex connexione
F cum antecedentibus omnibus constat (& quam etiam habere cum consequentibus constabit) literalis, & ad primarium S. Prophetæ intentum est: licet *diem iræ*, diem etiam Iudicij vniuersalis appellari non negem, sicuti etiam, quod, *iudicare*, aliquando (vt P. Lorinus in explicatione Versus sequentis contendit) in malam partem accipiatur, vt 1. Cor. 11. 31. *non vtique iudicaremur à Domino*, &c. & Gen. 15. *Gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo.* Verùm bona eius, & aliorum qui idem

(quod attinet ad hunc Versum 6.) sentiunt pace, aio, quod quemadmodum ipse contextus, statim, quo sensu ea verba accipienda sit, indicat; ita hic eam acceptionem facer textus non admittit, quia sibi in omnibus cōsequens est, neq; cum ea acceptione, quā illi ponunt, sed cum ea, quam dedi, illa reliqua omnia, quæ sequuntur concordant; nam vbi, vt dictum est, *in die iræ suæ* continuatæ prædicationis Fidei, seu S. Iesu Christi Euangelij in medijs, seu durantibus sæuissimis persecutionibus Dominus ipse Iesus semper à dextris Ecclesiæ suæ, ipsomet cum suis Prædicatoribus *cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*, Mar. 16.20. vbi, inquam, *confregit* ei aduersantes Reges, statim patuit illud adimpletum fuisse, quod ipse *Iudicabit in nationibus*, sicut Domino promissum fuerat, Psal. 2.8. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; & Dauid supra Psal. 71. postulabat, *Deus iudicium tuum Regi da*, &c. *iudicare populum tuum*, & quod non loqueretur de iudicio ad pœnam, & condemnationem, sed ad salutem, iam tunc ibidem dicebat, quod ipse *iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum.* Et de quonam alio eius iudicio loqueretur, quàm de quo etiam ipse Dominus erat dicturus Ioan. c. 12.31. *Nunc iudicium est Mundi. nunc Princeps huius Mundi eycietur foras?* tunc ergo, vt tandem semel dicam, quando *confregit reges in die iræ suæ* statim patuit, quod, & factum est,

V. 6. Iudicabit in nationibus, eo modo, quo dictum est, atque sic iudicando, concurrentibus ad Fidei prædicationem, & in eius Ecclesiam ingredientibus nationum Populis, per eorum Conuersionem, implebit ruinas, factas, siue in cælo per Angelorum malorum casum, siue in Ecclesia per Iudæorum obstinatorum, & etiam Gentilium in perfidia permanentium expulsionem. Sic in optima connexione, & ad mentem S. Dauidis explicatur; quod *implebit ruinas*; quam vocem *ruinas*, potius, quàm *cadauera*, Vulgata nostra retinuit (licet vt P. Maldonatus noster citans R. Salomonem, dicat Hebræam vocem *gheuijoth* vtrumque significare, idest tam *ruinas*, quàm *cadauera*, idest id quod in terram cadit, & cum *ruinas* coincidit) maluit, inquam, Vulgata, *ruinas*, apponere, & retinere, ad datæ, ni fallor, explicationis confirmationem, & ne quis putaret S. Dauidi sermonem hic esse de materialibus, siue ruinis, siue cædibus, quibus per occisa, & prostrata cadauera *valles*, seu *fossæ* implendæ essent; cum *ruina* nihil eiusmodi propriè dicat; sed sit vacuitas quædam in mœnibus, arcibus, muris, seu domibus ex casu murorum relicta: propterea, inquam, *ruinas implendas* dixit, vt spiritualiter, & mysticè intelligeremus, assumendos Gentium Populos ad resarciendum casum, & locum eorum, qui ceciderant, & similiter eodem sensu id, quod sequitur, conquassabit capita in terra multorum, intelligendum esse de futura, & facienda subiectione Christo multorum Regum, & Principum Mundi, qui sese & Regna sua eidem Fidei, & eiusdem Fidei, Sanctæ Apostolicæ Romanæ Sedi erant subiecturi, & dedicaturi. Sic Paraphrastes expresse habet, *percussit capita Regum super terra multorum admodum*. Nemini violenta, & aspera (quæ se ipsa placida, & suauis) videbitur explicatio, qui meminerit sæpe occurrentium eiusmodi phrasium mysticam esse debere intellectionem, eandemque ipsam intellectionem esse ad mentem S. Prophetæ, vel illud (præter dicta sup. proprio Notato 6.) persuadet,

A det, quod & ipse mitissimus Rex esset, & de mitissimo omnium Regum Rege Christo suo loqueretur; cui, sicuti quando à Patre *ponendos inimicos scabellum pedum eius* dicebat, eum remotissimum ab omni barbarico, (qualem Sapores cum Valeriano, & Tamerlanes cum Baiazethe exercuerunt) fastu, & truculentia faciebat, ita etiam nunc per *conquassationem capitum multorum in terra*, illam quam dixi humiliationem, & subiectionem Regum, & Principum, qui ante erecti superbi, & aduersarij ipsi erant, intelligit: & nonne illa subiectio longè gloriosior Christo Regi, Deo, ac Domino nostro extitit, quàm quæuis alia? Vis ergo prædicatio-
B nis Euangelicæ exprimitur, quæ erectas eiusmodi moles *conquassauit*; sic loquitur etiam Habacuc c.3.v.12. *Infremitu conculcabis terram: in furore obstupefacies Gentes.* qua ratione, & quomodo? *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Percussisti Caput*, ipsam Romam Ethnicam subijciendo Fidei, quæ antea erat *caput de Domo Impij, Sathanæ*. Sic ergo etiam hic S. Dauid læta potius, & non horrida dicit, & eò promptius hæc pertractat, quò eiusmodi Psalterij decursus, & consequens eius tractatio exigebat, vt quæ deinceps diceret, cum lætissimis, *Alleluia*, iterum mox subijciendis, non dissonarent. Dum ergo manet,
C quod dictum est, scilicet Psalmum hunc ita plenum mysterijs esse, vt eius ipsa singula verba ob eorum redundantiam vix excipi, & capi possint; ita concludit S. Dauid; nimirum, quod Dominus Iesus, tam ipse in se, quàm in membris suis, & toto mystico suo corpore, quod est Ecclesia, passus maxima, & sic exaltatus fuerit;

V. 7. De torrente passionum, persecutionum, cruciatuum, tormentorum, & omnis generis tribulatio-
D num in via, bibet; dū est in hac vita, quæ adinstar viæ percurritur, & quia *bibet*; propterea exaltabit caput. Illam summam supremamque Sanctissimi sui Nominis exaltationem obtinebit, quam iam inde à mei Psalterij initio promiseram me ostensurum; in eius decursu provt res ferebat ostendi; & modo, vel maximè tempus est, vt eam omnium oculis exhibeam.

Itaque sic, vt proposui, rebus omnibus cum ipso Domino Iesu, eiusque Ecclesia constitutis, & adeò felici sorte, & euentu, atque felicitate, vt meliori non possent, compositis, tantorum bonorum largitori cum exultatione secundum *Al-*
E *leluia* persoluatur.

Notanda quædam ad intelligendam secundam seriem, seu ordinem Psalmorum Nouem, *Alleluia* inscriptorum. Item & tertiam, & quartam.

F PAter Alcazar in Apoc. cap. 19. v. 3. benè sapienterque obseruauit, Sanctum Ioannem in secundo *Alleluia* allusisse ad hanc secundam seriem Psalmorum S. Dauidis, *Alleluia* notatorum. Atque hoc verum omninò est, sicut etiam, quod secunda series Psalmorum sic inscriptorum multum se se attollat, & efferat supra primam; sed non idcircò, provt ipse ait; quod primi illi tres Psalmi *Confitemini*, *Alleluia* omnium primò insigniti, significent Laudem à sola

fide profectam, & non bonis etiam operibus ornatam (nam, vt vidimus, aliud est eorum contentum) sed solùm, quia hic Nouennarius Psalmorum Alleluiariorum secundæ classis ordo subliniora quædam Dei opera, & mysteria decantanda, & simul virtutes à fidelibus omnibus exercendas proponat; ex quibus, earumque exercitio planè speciosa laus, & veluti suauissimum thymiama, & gratissimum sacrificium conficitur, Deoque offertur à Christi Ecclesia, eiusque Fideliibus; quæ quidem oblatio, quia perpetuis temporibus duratura est; propterea S. Dauid tam in Psalmo statim sequenti, scil. centesimo decimo, quàm in alijs octo consequentibus sæpiùs meminit, quod *confessio, & magnificentia*, &c. *iustitia eius*, &c. *& laudatio eius*, &c. *manet in sæculum sæculi* in eius Ecclesia, & apud eius Fideles; siue *In consilio iustorum, & congregatione*, vt ait initio Psalmi centesimi decimi. A B

Itaque S. Ioannes illo Apocal. cap. 19. hùc alludens, Ecclesiam, & Christi Fideles expressit per auditam *quasi vocem turbarum multarum in cælo*. Eorum verò laudes perpetuò duraturas proposuit sub symbolo fumi ascendentis, *Et iterum dixerunt Alleluia, & fumus eius* ascendit in sæcula sæculorum.

Hoc ipso modo, & verè hæc verba explicat de S. Romana Ecclesia P. Alcazar in huius versus commentario, dum vult, *fumum eius* referri ad Christianæ Religionis ignem Romæ accensum. Nam *integra, & sancta*, ait ipse, *Romanorum vita, post Christianam Religionem susceptam, efficit, vt illius ignis gloria perpetuò duret. Nam si asseueratur his verbis, veræ Religionis ignem nunquam Romæ extinctum iri, id quidem ex eo maximè pendet, vt Romæ semper degant homines vitæ puritate, & sanctimonia prædits. Hoc autem insigne beneficium pollicetur Deus, dum confirmat, fumum eius in sæcula sæculorum ascensurum; alioquin vera Religio, nentiquam Romæ duraret, si vitæ sanctitas inibi omninò deficeret.* Hæc P. Alcazar. Hanc omnem huius sapientissimi Patris sententiam, vt verissimam amplector: nam hoc ipsum illud est, quod ex varijs Isaiæ testimonijs comprobabitur, vt ex capite 23. Item cap. 30. à versu 31. Item cap. 31. v. 9. Item cap. 34. à versu 10. Item cap. 60. a v. 19. & alijs. C D

Illas porrò laudes S. Rom. Ecclesiæ, omniumque, qui in ea sunt Christi Fidelium S. Dauid pulcherrimo ordine, mox subijciendo, proposuit nouem Psalmis secundo in ordine, seu classe insignitis, *Alleluia*.

Hi Psalmi propter causas iam dictas excellentioris ordinis sunt, & maioris lætitiæ, vt notaui; licet vniuersim attingant Fideles omnes vtriusque sexus, cuiuscunque ætatis, ordinis, status, & conditionis illi sint: nihilominus tamen propriè eos non concernunt, qui sunt Sacratioris in Ecclesia ordinis, seu Hierarchiæ Ecclesiasticæ, & qui funguntur particulari aliquo Ministrorum Dei, & Ecclesiæ ministerio; nam pro his tertius ordo *Alleluia* pulcherrimo ordine, & honorificentissimo, vt videbimus, loco deputatur. E

In hoc à P. Alcazar propter paulò post dicendas rationes dissentio, ipse enim ex eo, quòd Sanctus Ioannes cap. 19. in quarto Alleluia mentionem faciat pusillorum, & magnorum. *(Laudem dicite Deo Nostro omnes serui eius, & qui timetis eum, pusilli, & magni. V. 5.)* vult ad Fideles seculares, seu vniuersim pro omni statu, ætate, atque conditione sumptos pertinere quartum Alleluia, quod scil. ex ipsorum sæcularium hominum primitiuæ Ecclesiæ vita sanctissima, atque integerrima, eximia in Diuinam Maiestatem Laus redundauerit, fueritque ingens calcar, F

& in-

A & incentiuum Infidelibus ad amplectendam Christianam Religionem. Hoc postremum, vt ita omninò sit.

Dicendum tamen est, neque in Apocal. quartum Alleluia, neque in Psalterio quartam Psalmorum *Alleluiariorum* seriem illis Fidelibus sic sumptis correspondere; sed potius secundum *Alleluia*, & secundam seriem Psalmorum *Alleluiariorum*. Hoc autem probatur primò, quia aliàs horum Fidelium sæcularium *Alleluia*, seu Laudes ab ijs Deo datæ longè excederent ipsas, quæ in tertio Alleluia à publicis Ecclesiæ Ministris ipsi Deo dicatis per Conciones, per Sacramentorum

B administrationes, per incruentum Missæ Sacrificium offeruntur. Nam quartum *Alleluia* omnium aliorum summum esse, atque excellentissimum planè vnanimi consensu testantur, tam S. Ioannes, dum v. 6. cap. 19. ait de quarto *Alleluia* loquens, *Et audiui quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium Alleluia; quoniam regnauit Dominus Deus noster omnipotens*. Sanctus autem Dauid illi quartæ seriei Psalmorum Alleluiariorum reseruat sex Psalmos, vt (& senario perfecto numero, & ipsorum Psalmorum contento, & contextu planè sublimissimo, vt videbimus) ostendat,

C quarti Alleluia, seu quarti ordinis Psalmorum Alleluiariorum supra reliquos excellentiam. Et omninò res ipsa, seu orationis, & sacræ compositionis ars exigebat, vt eius finis, seu complementum, & epilogus esset pleno maiestate Argumento, & per quosdam Laudum semper maiorum, & sublimiorum gradus ad finem perueniretur, quod omninò exactissimè, atque pulcherrimè, vt videbimus, factum, & obseruatum est. Secundò probatur hoc ipsum. Patri Alcazar pro sua sententia de quarto Alleluia illis, vt dictum est, Christi Fidelibus sæcularibus pietate in Deum, & charitate inter se insignibus, assignandi illud Alleluia fundamen-

D tum præcipuum est, quod S. Ioannes dicat, vocem de throno dixisse, *Laudem dicite*, &c. & qui *timetis Deum pusilli & magni:* Sed harum his similium vocum nusquam frequentior est vsus, quàm in secundo ordine Psalmorum Alleluiariorum; ergo huic potius ordini, & seriei illi assignandi sunt. Minor probatur ex Psalmo 111. vbi dicitur, *gloria & diuitiæ in domo eius*, &c. *Iucundus homo, qui miseretur, & commodat*, &c. quæ Fidelibus potius sæcularibus, & coniugatis, quàm sacris, & Religiosis conueniunt. Totus Psalmus 112. inuitat pueros ad laudandum Deum; *Laudate pueri Dominum*, &c. Psalmus 113. introducit multas domos, quæ sperauerunt

E runt in Domino, & quod Dominus, *Benedixit omnibus qui timent Dominum pusillis cum maioribus*. Psal. 114. *Custodiens paruulos Dominus*. In hanc ergo secundam classem secundi Alleluia ex S. Dauidis, imò etiam S. Ioannis mente sunt illi Christi Fideles potius referendi, quàm in vllam aliam. Et omninò ita fieri debere ex mente, & intentione ipsorummet Sacrorum horum Scriptorum. Probatur tertiò. Nam tam S. Ioannes, quàm S. Dauid ad cuius Psalmos *Alleluiarios* ipse alludit; distinctam faciunt mentionem ordinum, qui in Ecclesia distincti sunt, sæcularium, & sacrorum, ita vt singulis competentem gradum, locumque dignitatis

F assignent; etenim postequam vterque, primo quidem *Alleluia*, datam vniuersim à tota Ecclesia, & vniuersis eius Fidelibus laudem Deo præmisissent, tum subiungunt secundum *Alleluia*, siue secundam seriem Psalmorum Nouem *Alleluiariorum*, quæ quidem series, quod propriè pertineat ad Fideles Christi sæculares coniugatos, & cuiusvis ætatis, & conditionis, sacro statu, inferioris ordinis homines, non solùm bonus ordo exigit, sed etiam citata testimonia ex ijs-

dem

dem Psalmis *secundo Alleluiarios* probant, & omninò persuadet *Tertium Alleluia*, A
seu Tertia Series Psalmorum Alleluiariorum, quæ tota est pro sublimiori in Ec-
clesia Virorum Sacrorum Dei Ministrorum ordine, vt clarè colligitur tam ex
quindecim Psalmis Gradualibus, qui inter secundum, & tertium Alleluia inter-
ponuntur (quibus denotatur ascensus ad ministeria Deo in Ecclesia per eius Mi-
nistros præstanda) quàm ex toto Psalmo 131. & ex vltimo Psalmo Graduali, qui
est gratulatorius ipsis Dei seruis, qui ad illam sublimitatẽ ipso Domino adiuuan-
te ascenderunt; *Ecce nunc benedicite Dominum*, &c. & ex sequentis ipsum Psalmi
134. initio; *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum*. B

Similiter etiam S. Ioannes ipsum tertium *Alleluia* attribuit ipsis Dei Ministris,
dum Versu 4. familiari sibi, qua eos significat phrasi, ait; *Et ceciderunt Seniores
viginti quatuor, & quatuor Animalia, & adorauerunt Deum sedentem super thro-
num dicentes, Amen, alleluia*.

Quod si iam assignatis singulis Ecclesiæ ordinibus, suis *Alleluia*, iuxta ipso-
rum dignitatem, quæratur, & cuinam, vel quibus, sit quartum Alleluia tribuen-
dum? Respondeo breuiter (quod planè ita, & verissimè esse ostendetur) illud
quartum Alleluia, seu quartam Psalmorum sex postremorum Alleluiariorum C
Seriem reseruari, & attribui Ecclesiæ Christi vniuersim sumptæ, seu Fidelibus
omnibus vno pariter corde, animo, & voce concordissima conspirantibus in
Dei Domini Nostri Laudes, & nunquam finiendas benedictiones. quod quàm
magnificè faciat S. Dauid constabit ex illorum sex Psalmorum explicatione.

Quod autem attinet ad eos Psalmos Nouem, qui interiacent inter tertiam, &
illam quartam Seriem Psalmorum *Alleluiariorum*, eos habere longè aliud Ar-
gumentum, quàm quod illis P. Alcazar Notatione secunda cap. 19. assignat pa-
tebit de singulis suo loco. His sic adnotatis, veniendum nunc est ad Psalmum D
110. qui suo ordine sequitur.

PSALMVS CX.

Confitebor tibi Domine, &c.

E

Titulus, seu Argumentum Psalmi CX.

Alleluia.



Ater Lorinus in hunc Psalmum ait, quod Argumentum Psalmi
ex Titulo colligi potest, esse laudem Dei, atque gratiarum actio-
nem. & subdit quod; *putant Hebræi laudari Deum hìc potissimum,
eique gratias agi ob manna in deserto datum, & Legem. Alij etiam* F
*Catholici, propter Dei opera, primum in genere magna, tum creatio-
nis, & gubernationis; postea prouidentia in victu suppeditando, nomi-
natim in dando manna, quando Hebræi per desertum errantes cibis alijs destituebãn-
tur: præterea in tradenda illis Lege; postremo in exhibenda Chananeæ possessione, iux-
ta fidele promissum suum; ita vt exegerit quoque à populo suo custodiam pacti sui, & vt*
cum

A *cum sanctitate, reuerentia, timore conarentur eidem seruire*. Subiungit post hæc sententiam suam quod; *admitti potest sensus iste, sed vt simul altiùs assurgamus ad opera beneficiaque gratiæ, potissimùm Eucharistiæ, quod est mysterium Fidei, & noui æternique testamenti, exigens à nobis gratitudinem summam, & religionem erga auctorem tantorum, tamque firmiter constitutorum bonorum, in quibus est etiam redemptio nostra, æternaque beatitudinis promissio*. Sic ipse, quem idcircò hoc loco citandum duxi, quod compendio restringat aliorum etiam Commentatorum in hunc Psalmum (quos, vt hic, ita etiam alibi, referre nimis longi, & propè infiniti
B laboris esset) argumentum. quod quidem ipse cum illa extensione, quam benè addit, admittit: sed, vt verum fatear, nescio quomodo cum cohærente, & consequente rerum omnium connexione, ordine, & consonantia dici possit, quòd S. Dauid ad literam, & ex primario suo intento agat de tam multis rebus, tam inter se distinctis, & hìc in vnum conglobatis, vt sunt illa enumerata opera, creationis, gubernationis, prouidentiæ victus in manna, legis, possessionis Chanaan, &c. Ad quædam eiusmodi sacrum Psalmi textum applicari posse, & quædam eiusmodi, vt manna datum in deserto attingi, lubens admitto; sed ita; si illa
C ipsa in rei vnius propositæ consequentiam veniant.

Et sanè si illa omnia altiùs eleuentur (vt ipsemet P. ad assequendam mentem S. Dauidis, & iuxta eam loquendum animaduertit, esse necessarium) tum quidem illa omnia in vnius eiusdemque rei propositæ, vt patebit, consequentiam venient.

Id autem ad mentem S. Prophetæ, seruando omnem bonam connexionem, & cohærentiam, fieri posse, & debere censeo, hoc pacto.

Cum iam dudum ipse Christi Ecclesiam sua in pace, tranquillitate, & felici-
D tate constitutam proposuisset, eamque descripsisset Psalmo centesimo tertio; sequentibus verò tribus ad sanctam lætitiam initio ab *Alleluia* facto Fideles omnes excitasset; & propositis mirabilibus Dei operibus in electorum suorum, quales ipsi erant, gratiam ab ipso patratis; vt tanto, tamque bono, & quia *bonus Dominus* confiterentur, terno *Confitemini* demandasset; cum deinde Psalmis centesimo septimo, & octauo ostendisset, iuratos gloriæ Domini Iesu hostes, nequidquam obsistendo efficere potuisse, quominus ipse in omni terra exaltaretur; quinimò proposuisset ipsum ad Patris Æterni dexteram exaltatum; & magnifi-
E ca decreta, quæ de eo Dei Vnigenito, Summo Rege, ac Domino, Ecclesiæ Sponso, ac Capite, Summo Sacerdote regnaturo, & æternùm dominaturo erant; quod fecit Psalmo 109. cum, inquam, hæc omnia S. Dauid iam præmisisset, aliud restare non videbatur, quàm vt rerum tantarum, tamque sublimium propositione nouos in ipsis Christi Fidelibus, ad quos loquebatur, & quos ad *Confitendum* inuitauerat, Dei laudum, & gratitudinis accenderet affectus.

Qui quidem eiusmodi fuerunt, vt sicuti supra dictum est ex S. Ioannis Apoc. cap. 19. v. 3. exaudiretur *Vox turbarum multarum in cælo* (qui erant ipsi in vnam
F congregati Ecclesiam Christi Fideles à Solis Ortu, & Occasu, ab Aquilone, & mari) exaudiretur inquam vox exultationis, & lætitiæ, & iterum personaret, *Alleluia*. Planè ad ipsos Christi Fideles, ex inferiori ordine, statu, & gradu promiscuè sumptos, pertinet hoc secundum *Alleluia* Nouies repetitum, vt etiam paulò ante notatum fuit. Quod ergo singuli eorum corde gerebant, hoc S. Dauid pro singulis, siue vnus pro omnibus, & vices cæterorum gerens, ita proloquitur.

PSAL-

A

PSALMVS CX.

V. 1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: dũ beneficio tuo maximo, sum, & dego in consilio, siue Cõcilio, iustorum, & congregatione, quæ est ipsa Ecclesia tua Sancta, quam per Fidem ingressus sum; *Confitebor tibi Domine*; Et verò etiam, quàm multa sunt, quæ me ad laudandam, & deprædicandam tantam Maiestatem Domini mei totis visceribus cordis mei impellunt! B

V. 2. Magna opera Domini sunt, quæ ipse fecit in Conuersione Gentium ad Fidem in Ecclesiæ suæ inter eas fundatione, protectione, gubernatione, propagatione, cõseruatione, locupletatione, & eiusmodi omnia opera magna, omnia exquisita, aptissima, perfectissima, & efficacissima in omnes voluntates eius C exequendas, seu obtinendas, seu quibus ipse perfectissimè executus est id omne, quod facere intendebat. Verè si perpendam vniuersam hanc magnam (Conuersionis, & Vocationis Gentium ad Fidem, & fundationis eiusdem Ecclesiæ inter eas) molem; de illa enim, & illis operibus, quæ ipsa includit loquor; dum dico *magna opera Domini*, &c. si, inquam, hanc rem, & tantam molem considerem, Diuinum planè opus, opus laude, & magnificentia plenum reperio;

V. 3. Confessio, & magnificentia opus eius: D in quo quidem opere perfectissimè ipse, & fidelissimè omnia, quę olim promiserat se facturũ, & daturũ adimpleuit, & adimpleta deinceps cõseruaturus est, quod est & iustitia eius manet in sæculum sæculi. & hoc ipsum ostẽdit sermonem esse de his operibus gratiæ, & non naturæ, cum quibus non dicitur Deus exercere illam fidelitatem suam. Sed pergit S. Dauid, & etiam sequentibus Versibus declarat agere se de operibus gratiæ; nam supposito, quod (sicut E supra vidimus Psalmo 104.) Christi Fideles iam in Ecclesia eius congregati inuitarentur ad *annunciandum inter gentes opera eius* V. 1. ad *narranda omnia mirabilia eius* V. 2. supposito etiam, quod illa omnia mirabilia, quæ Dominus in gratiam seruorum suorum fecerat, & ad semen Abraham serui eius (qui illi ipsi Christi Fideles erant) pertinebant; supposito, inquam, quod illa mirabilia continuatis illis tribus Psalmis *Confitemini* enarrasset, enumerassetque; nunc sese reflectendo ad illa tam multa, & magna Dei dona, quæ in eius Ecclesia possidebat, ait, quod Dominus in ipsa Ecclesia sua F

V. 4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus: non solùm quia (in quo omnes consentiunt)

V. 5.

A V. 5. escam dedit timentibus se, instituto Sanctissimo Eucharistiæ Sacrificio, & Sacramento, in quo omnia alia mirabilia sunt inclusa; vt fusiùs de illa tam multa iam edita probant; non solùm, inquam, in hoc particulari Sanctissimo Sacramento *memoriam fecit mirabilium suorum*, sed etiam S.Dauid significare vult, quod in ipsa Christi Ecclesia, tanquam in rerum compendio, reperiantur inclusa omnia mirabilia, quæ Dominus operatus fuerat, fiantque in ea longè perfectiore, excellentioreque modo (spiritualiter scilicet, & quoad animarum

B salutem) ea, quæ corporaliter, & carnaliter Israelitis antiquis fuerant exhibita. Verbi gratia indicare volebat S.Dauid, quod etiamnum Christi Fideles in media Mundi huius Ægypto commorantes, immunes sint ab Ægypti plagis; transeant etiamnum mare rubrum; eorumque hostibus demersis, euadant ipsi in terram lacte, & melle fluentem; reliquaque eiusmodi etiam illis contigerint, vt quod pane cælesti pascantur, vero manna, pane Angelorum. hæc omnia satis habuit S.Dauid indicasse, dum proposito, quod *memoriam fecit mirabilium suorum* (& paulò ante de Ecclesia locutus fuerat, cum diceret, *Confitebor tibi in consilio*

C *iustorum, & congregatione)* statim subiunxit: *escam dedit timentibus se*; significare volens, quod cum hoc præcipuum Sanctissimæ Eucharistiæ symbolum, manna scil. indicasset, & reliqua etiam omnia Dominus mirabilia, eorumque memoriam in ipsa sua Ecclesia constituisset.

Hanc omnem explicationem ipsa Ecclesia Sancta confirmat, dum in Sabbati Sancti celebritate, repetitis ad Deum orationibus, ait; *Deus cuius antiqua miracula etiam nostris seculis coruscare sentimus: dum, quod vni populo à persecutione Ægyptiaca liberãdo dextera tua potentia contulisti, id in salutem gentium per aquam*

D *regenerationis operaris:* Et ipsa ergo S. Mater Ecclesia vnum mirabile Dei opus indicando, reliqua omnia includit; atque ita dici omnino debet, quod Dominus in ipsa Ecclesia sua, *Memoriam fecit*, &c.

Iam S.Dauid posteaquam ex vno illo, quia *escam dedit timentibus se* (quod vt dictum est de Sanctissimo Euch. Sacrificio, & Sacramento intelligitur) comprobasset illam *memoriam mirabilium* Dei in Ecclesia factam, inde ab illa cælesti *esca*, siue ab institutione Sanctissimæ Eucharistiæ, quam iam tum ex diuina reuelatione præuidebat instituendam ad confirmationem *Noui, & æterni Testamenti*;

E Matt. 26. v. 28. inde, inquam, consequentissimè progreditur, & ait; quod vtique Dominus eius sui *Noui, & æterni Testamenti*, quod non vt vetus animalium sanguine, sed suo ipse confirmaturus erat, *memor* esset futurus *in sæculum sæculi*; sic ergo

Memor erit in sæculum testamentui sui:

Iam ab hoc sublimissimo, & omnem humanam rationem excedente Dei opere, Sanctissimæ scil. Eucharistiæ Institutione (quæ propterea etiam vocatur *Myste-*

F *rium Fidei)* ab hoc, inquam, eius opere maximè mirabili progreditur, & solùm insinuando attingit, quod passim omnia Domini opera, quæ in Ecclesia cernuntur, sint obstupescenda, & quæ non omnes capiunt; vt Mundi Redemptionem sitam fuisse in passione, & morte Crucis Vnigeniti Filij Dei Domini Nostri: Beatitudinem, & veras diuitias in paupertate collocatas: vitam, & delitias in mortificatione, & Crucis asperitate constitutas: aliaque eiusmodi. ait ergo non

ab omnibus hominibus hæc percipi, scil. quia *animales sunt*, & *Spiritum Dei non habent*. 1. Cor. 2. sed tamen quia ipse Dominus A

V. 6. virtutum operum suorum annunciabit populo suo. Ipse populum suum, suos Fideles docebit, quænam, & quanta vis, & efficacia lateat in ijs suis operibus, quæ hominum mundanorum iudicio, & opinione inepta, & nullius valoris atque momenti esse censentur. Agnoscent illi, & quàm optimè intelligent, non solum quod in Cruce Christi, quam hi stultitiam arbitrantur, summa B
Dei Virtus, *& Dei Sapientia* sit contenta, 1. Cor. 1. sed etiam, quod illa seruorum eius paupertas, simplicitas, vitæ innocentia, & puritas, omnis honoris, diuitiarum, & voluptatum contemptus, & conculcatio aptissima sint, fuerintque media ad Mundum expugnandum, & ad conuertendas animas; hoc enim pacto, vt alibi sæpiùs in Isaia, & supra Psal. 17. v. 16. dictum est; flumina illa concupiscentiarum malarum, quæ prædicationi, & susceptioni Fidei obsistebant, exsiccata fuerunt, & arefacta; & sic etiam ipsa Idololatriæ Arx, & Ciuitas munitissima Roma Ethnica subiugata, & veluti solo æquata fuit; vt Isa. c. 26. v. 5. & 6. futurum C
prædicebat, & deprædicabat, *Quia incuruabit habitantes in excelso, Ciuitatem sublimem humiliabit. Humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum*. hæc vt ibi ostendetur dicta sunt planè de expugnatione Idololatriæ, & ipsius Romæ Ethnicæ facta per illa arma, & virtutem operum, quam Dominus edocuit, ea sua opera continere. In illum ipsum ergo finem Dominus instructurus erat populum suum, & edocturus eos, *virtutem* illam *operum suorum*; vt sicut dictum paulò ante est;

V. 7. Vt det illis hereditatem gentium: D
Vt medijs illis efficacissimis operibus obtinerent, non iam vnam Terram Chanaam, sed sicut seruis suis Abraham, Isaac, & Iacob promiserat; & ostensum est Psalmo 104. omnes planè cognationes terræ, Populos, & Nationes Gentium subditarum Romano Imperio, seu Romæ Ethnicæ; hæc enim omnia S. Dauid his verbis complectitur; *Vt det illis hereditatem gentium*. Quod quidem faciendo, & tam fideliter adimplendo illa iam dicta sua promissa, manifestissimè ostẽdit, quod

opera manuum eius veritas, & iudicium; sint opera fidelitate, & æquitate, siue iustitia plena. iustitia, inquam, seu iudicio iusto plena; quatenus ea, quæ liberalissimus Dominus misericorditer promisit, quodam Iustitiæ titulo soluit. E

Vt ergo hæc tam magna promissa sua per tam mirabilia, & Mundo incognita media persolueret, & exequeretur, misit ipse ascensurus in cælum Apostolos, & Discipulos suos, præcepitque, vt *Euntes in Mundum vniuersum prædicarent Euangelium omni creaturæ Baptizantes*, &c. Matt. vltimo 19. atque sic hæc eius F
plena pietate, atque misericordia *mandata*, siue commissio, seu (vt militia loquitur) ordinantia, nàm vt in Isaia ad cap. 13. v. 3. *Ego mandaui sanctificatis meis*, &c. mandare, est verbum militare, & significat expedire milites ad quidpiam expugnandum (& planè hoc loco accipitur hoc sensu, & non de decem præceptis Decalogi, aut alijs Legis mandatis; neque enim connexum esset hìc de his agere, & neque

A neque cohæreret cum versu sequenti, vt statim patebit) illa, inquam, eius mandata, & commissiones, seu expeditiones præceptæ Sanctis Apostolis, Discipulis, & Fidei, atque Euangelij eius Prædicatoribus fuerunt

V. 8. Fidelia omnia mandata eius, non solum vera, & certa, vt P. Emm. Sà explicat; sed etiam cum fidelitate ipsius Domini, qui mittebat coniuncta; sicut enim ipse eos mittendo promiserat, *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, Matt. 28. 20. ita planè modo nobis

B in eius Ecclesia existétibus sunt, eruntque confirmata in sæculum sæculi, & omnia experiméto ipso cernuntur facta in veritate, & æquitate. vt nihil planè desiderari possit in omnibus, quæ ipse promisit. Tali ergo pacto per missos suos, eiusmodi operibus tanquam armis, instructos milites, in Mundum vniuersum.

C V. 9. Redemptionem misit Dominus populo suo. Nouit enim Dominus qui sunt eius. & de facto crediderunt, & credent *quotquot præordinati sunt ad vitam æternam*. Actor. c. 13. v. 48. Cum illis *mandauit in æternum testamentum suum*. Hoc autem pactum, seu Testamentum suum, quod cum nouo Populo suo ex Gentibus collecto, & colligendo pepigit, voluit esse Testamentum Nouum, *dicendo autem Nouum veterauit prius. quod autem antiquatur, & senescit prope interitum est*. Heb. 9. 13. Voluit, inquam, hoc testamentum esse, non sicut Antiquum, quod antiquandum erat, & an-

D tiquatū est; sed mandauit in æternum testamentum suū.

In hac verò Testamentorum immutatione, cum hinc quidem consecuta sit tam admirabilis Gentium idololatrarum conuersio, earundemque sanctificatio, inde verò tam luctuosa acciderit Iudæorum reprobatio, planè in aperto est, quod sit; Sanctum, & terribile nomen eius: hoc cum maxima admiratione, & quodam stupore pronunciat S. Dauid. Ex quo etiam consequenter concludit,

E quod ex his colligere oporteat, quemadmodum

V. 10. Initium sapientiæ, obtinendæ, & conseruandæ sapidam illam sapientiam Fidei, & salutis sit timor Domini. *Fracti sunt illi. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time*. Rom. 11. v. 20.

Intellectus bonus omnibus facietibus eum; idest illi quàm optimè rem intelligunt, sapiunt, sibique ipsis prospiciunt, qui se to-

F tos sancto Dei Timori dedunt, & cum eo, siue eo instructi omnia sua faciunt; homo qui ita constitutus est, non ad certum aliquod huius tantum vitæ temporalis tēpus Dñm laudabit, sed laudatio eius manet in sæculum sæculi.

Et quidni omnes nos eius Fideles, quos ipse dignatus est vocatione sua sancta, cum Gentes essemus, *illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & ho-*

spites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. A
Ephes.2.v.12.quidni, inquam, nos omnes modò tales simus? quidni inter timen-
tes Dominum adnumeremur? Omninò, prout ex Psalmo sequenti patebit, cuius
Argumentum est tale.

PSALMVS CXI.

Beatus vir, &c. B

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXI.

Alleluia, Reuersionis Aggæi, & Zachariæ.



X hoc Titulo P. Lorinus hoc Argumentum colligit; quod S. Da-
uid credendus sit in spiritu præuidisse, Aggæum, & Zachariam, C
post Babylonicæ Captiuitatis expletum tempus, fuisse admoni-
turos Populum, quanta sit viri iusti, ac timentis Deum felicitas,
etiam temporalis; vt hac doctrina, exemploque permotus vi-
taret similem captiuitatem. Verùm cum Argumentum hoc à
connexione, & cohærentia cum prioribus recedat, non potest esse literale, &
intentum à S. Propheta, siue ipse, siue LXX. Titulo apposuerint; *Reuersionis Ag-
gæi, & Zachariæ.*

S. Augustinus, & alij sub Typo materialis Templi, cuius hi Prophetæ præ- D
dixerunt restaurationem, intelligunt constructionem Templi spiritualis, quod
fit ex timore, operibus misericordiæ, aliarumque virtutum, post reditum à
misera seruitute peccati, & diaboli captiuitate.

Verùm, licet hoc moraliter explicatum, verum, aptumque sit; plus tamen ali-
quid consequentem literalem explicationem requirere, certum est.

Illud porrò est, quod multum prædicta omnia confirmat; scil. hoc Psalmo,
Deo Optimo Max. gratias referri ob Domini Templum, Christi nimirum Ec-
clesiam (transactis captiuitatis, & persecutionum miserijs, toleratis Babylone, E
Romanorum Ethnicorum) ædificatam, perfectamque cum exultatione vniuer-
sæ terræ, vt verè *gloria posterioris Templi maior fuerit, quàm primi*, iuxta Prophe-
tiam Aggæi cap.2.à v.7. ad quam Titulus alludit.

Iam verò ex S. Pauli explicatione ad Hebr.cap.12.v.26.consentiente S.Augu-
stino infra citando, tota hæc solennissima Aggæi Prophetia, & idem esto iudi-
cium de Zachariæ ad literam est, non de secundo materiali Templo, post capti-
uitatem Babylonicam extructo, sed de Christi Ecclesia inter Gentes fundata;
ergo etiam Titulus indicat hic agi de illa Christi Fidelium lætitia, & gratiarum F
actione, quam in Ecclesia post deuictas Persecutiones habebant. Sic omnia,
quæ in Psalmo sunt proprijssimè explicantur; neque conueniunt reuersis Iu-
dæis de captiuitate Babylonica. Reliqua dabit explicatio Psalmi.

PSAL-

A

PSALMVS CXI.

V. 1. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis. Iuxta S. Chrysostomum plus est dicere quod *volet nimis*, quàm
B quod faciet nimis; illud innuit, quod mandata dulcia sint operanti, & *sicut exhibuit* quis *membra sua seruire immunditiæ, ita exhibeat seruire iustitiæ*. Rom. 6.19. *volet* ergo *nimis*, significat pacem illam multam, quam habent diligentes Legem Domini, pacem, quæ exuperat omnem sensum. Et hinc colligitur, quod S. Dauid non de temporalibus, sed de spiritualibus potissimùm bonis loquatur in sequentibus versibus. Nam

V. 2. Potens in terra erit semen eius: gene-
C ratio rectorum benedicetur. quod temporalia contrarium potius contingit, vt benè Dulcitius ex Diuo Augustino quæstione quarta proponebat, & ipse S. Dauid supra Psalmo 72. fusiùs posuit, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Et certè si de hac vita agatur; an non in integras Christianorum familias Persecutorum gladius deseuiebat? Philippi, Patris S. Eugeniæ? S. Cæciliæ, S. Martinæ, & aliorum innumerabilium? Ad hoc respondet Diuus Augustinus explicando, quod *semen* futuræ messis sint opera misericordiæ: sed hæc dubio procul mysti-
D ca est explicatio. Ad mentem ergo, & intentum, ipsamque literam S. Dauidis dicendum est hic Sanctum Prophetam non loqui de carnali (licet ad illam accommodari possit) sed de spirituali generatione, quæ fiebat passim per Fidei Prædicationem, bonorum exemplorum, & virtutum Christianarum fortitudinis, & patientiæ in persecutionibus exercitium. Atque ita S. Chrysostomus non in mystico (prout illum adducit, & explicat P. Lorinus) sed verè in literali sensu potentias seminis ostendit in Apostolorum, & aliorum Sanctorum constantia contra tentationes, & persecutiones, quoniam fundati erant supra firmam petram,
E nihilque virtute potentius solidiusque. Confirmat hanc explicationem literalem esse Chaldæus interpres, qui loco, *potens in terra erit semen eius*, legit, *fortes in lege erunt filij eius*, illi scil. qui per Euangelium in Christo Iesu per quemcunque timentem Dei serui fuerint geniti, fortes in lege erunt tuenda, & conseruanda, non temporales, qui in tempore tentationis recedant; sed tanquam plantatio, quam Pater cælestis plantauit, quæ non eradicabitur: atque sic *generatio rectorum benedicetur*. Præterea de his ipsis spiritualibus bonis, quibus supra Psalmo 64. v. 5. dixerat, *replendos* Christi Fideles *in domo eius*, intelligit, quod
F
V. 3. Gloria, & diuitiæ in domo eius; gloria autem *& honor, & pax omni operanti bonum*, Rom. 2. 10. & quæ maior gloria testimonio conscientiæ? Quæ maiores diuitiæ, quàm illæ, quibus in Christo *diuites facti sumus, in omni verbo, & in omni scientia: ita vt nihil nobis desit in vlla gratia?* 1. Cor. 1. 7. Si de temporalibus, & perituris agatur. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo*

culo obtinuerunt diuitias, Psal. 72. 12. sed de diuitijs, vt dictum est, loquimur homi- A
nis iusti, timentis Deum, quæ sunt spirituales, quæ earum possessorem non
mergunt in interitum, & perditionem. 1. ad Tim. 6. 9. sed potius & iustitia eius manet in sæculum sæculi, qui eas possederit. Dum ergo alij tam multi inuoluti manent varijs peccatorum tenebris, nobis timentibus Deũ

V. 4. Exortum est in tenebris lumẽ rectis, quod quidem lumen est ipse Deus, misericors, & miserator, & iustus. B
à quo, cum tantam, tamque abundantem misericordiam consecuti simus, ipse etiam nos eandem in alios, quam nos possumus misericordiam exercere, nos docet, & admonet. Et sanè

V. 5. Iucundus homo, gratus ipsi Deo, & hominibus, est; bonus, vtilis, & humanus; qui miseretur, & commodat, mutuum quidem dando, sed nihil inde sperando, C
vel percipiendo fœneris; præsentẽ huius suæ miserationis fructum percipiet, quia disponet sermones suos in iudicio. non solùm sermones, seu verba; sed etiam res ipsas, & opera prudentia magna ordinabit; ita vt quicquid acciderit non conturbetur; non solùm enim stat in hac vita temporali, sed etiam fidit,

V. 6. quia in æternũ non commouebitur.
& omninò ita est; nam D

V. 7. In memoria æterna erit iustus, vtpote cuius nomen scriptum sit in cælo; & ab auditione mala, rumore, seu nuncio rei aduersæ; ab illo; *Ite maledicti in ignem æternum*, vt vult D. August. non timebit; & quia ipsum non reprehendit cor, seu conscientia;

Paratum cor eius sperare in Domino. E

V. 8. confirmatum est cor eius; etiam tunc quando ab hostibus molestabitur, seu insultum patietur; nõ commouebitur donec despiciat; ipse quidem nunquã commouebitur; sed ex alto videbit inimicos suos à Deo humiliatos, & victos. Hoc tantum animi robur, & constantia, propria sunt hominis misericordis, quia

V. 9. Dispersit, abundanter, seu larga manu, pecuniam suam, ait Chald. dedit F
pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi, cornu eius exaltabitur in gloria; fortitudo, firmitas, & robur eius, quod

A quod hic non apparebat, *exaltabitur in gloria*. è contra verò

V. 10. Peccator videbit iuſti felicitatem, & iraſcetur, indignabitur; dentibus ſuis fremet, & tabeſcet prę inuidia, deſiderium peccatorum peribit. Sed in bonis demorabitur deſiderium noſtrum; atque ideo nos aiunt Chriſti Fideles, quibus tanta bona præſtitit Dominus, rurſus illi
B occinamus lætiſſimum *Alleluia*.

PSALMVS CXII.

Laudate pueri Dominum, &c.

C Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CXII.

Alleluia.



Ætiſſimum planè *Alleluia* continet hic Pſalmus centeſimus duodecimus; propter quod etiam expreſſis verbis reiteratur illa ipſa ſignificatio *Alleluia* in ipſo eius initio, *Laudate Dominum*; Ad pleniorem huius Pſalmi notitiam, & melius percipiendam illam intimam, quam cum Pſalmis prioribus (proximè præcedenti, & ſe-
D quentibus) habet connexionem, & concatenationem;

Obſeruandum eſt; primò quidem, hunc Pſalmum confirmare illa, quæ dicta ſunt priori, quod ſcilicet ſub illa inſinuatione; *Reuerſionis Aggai, & Zachariæ*; ſignificata fuerit Domus Dei, ſeu Templum eius, quod eſt ipſa Eccleſia Chriſti. & illud *Alleluia Reuerſionis*, ad illam, & populi, quem gremio ſuo continebat lætitiam pertinere; hæc, inquam, Pſalmus hic confirmat, dum ait; quod, *à Solis ortu vſque ad occaſum ſit laudabile nomen Domini*; & *excelſus ſuper omnes Gentes*
E *Dominus*; quod neque eo tempore, quo S. Dauid hæc decantabat, neque poſt captiuitatem Babylonicam verum eſſe deprehendebatur; debuit ergo de his, quæ dicimus, Eccleſiæ Chriſti temporibus loqui. neque valet quod reſpondent Hebræi, ſcil. quod cum iſta Dauid caneret, quamuis falſos Deos colerent Gentiles, non ignoraſſe primam rerum omnium cauſam, ſicque *laudabile fuiſſe nomen Domini à Solis ortu vſque ad occaſum*; non, inquam, hoc valet; nam vt bene inſtat P. Lorinus, & ipſa ratio conuincit, vera notitia, & laus nominis veri Dei non poteſt conſiſtere cum eo errore, quod ratio primæ cauſæ, cui ſoli debetur La-
F tria, conuenire huic, aut illi rei creatæ, etiam inſenſibili. Neque tunc in proprio ſignificato dici poterat *Dominus excelſus ſuper omnes Gentes*; nam, vt optimè docet D. Athanaſius Orat. contra Sabellij gregales, non debet per hæc verba attendi loci altitudo in Deo; ſed præſtantia, & excellentia dignitatis: neque verò etiam tantùm id ſignificat, aut quod Dominus excellentior ſit, quàm omnes Gentes, & omnes earum laudes ſuperet; quis enim id ignorare poteſt? ſed quod
ideo

ideo ipse sit *excelsus super omnes Gentes Dominus*, eò quòd apud eas extollatur, A
agnoscatur magnus, & vt Summus, ac Supremus Dominus adoretur, & inuocetur. quod quidem solummodò Ecclesiæ Christi temporibus (quæ etiam idcircò sæpissimè in Vesperis vtitur Psalmis ipsis lætitia plenis) re ipsa contigit.

Secundum, quod in hoc Psalmo obseruandum occurrit, est, quod sicuti prior Psalmus ad laudes Deo cantandas hortabatur viros ætate maiores, grandæuos, & aliorum non tam carnales, quam spirituales per Verbi Diuini Prædicationem, Patres, & Progenitores; ita iste illum sequens dirigitur ad minorem, imbecilliorem, & inferiorem ætatem excitandam ad Diuinas Laudes; *Laudate pueri Dominum*, &c. per *pueros* autem licet alias possint, & de facto iuxta Diuinæ Scripturæ B
phrasim sæpe intelligantur *serui*; hoc tamen loco non intelliguntur illi; quia Ecclesia Sancta, Mater nostra, cum id non ignoraret, sciretque Versiones alias (quas non damnat) *seruos* habere; nihilominus tamen *Laudate pueri* ponit, per quos tenerior ætas est accipienda; deinde, vt supra insinuatum est, iam est Dei *seruis* proprius, & tertius Laudum locus à S. Dauide reseruatur.

Pueri ergo hoc Psalmo ad laudandum Deum inuitantur; illa, vt dixi, tenerior, & purior, maiori, & sibi innata simplicitate, & humilitate prædita ætas, quæ C
quidem semper in Ecclesia Christi non solum numerosa, sed (quod summè mirandum est) etiam martyrijs maximè conspicua fuit. Cum his autem non solum proximè, sed etiam vnitim, & coniunctim, vt ita dicam, veniunt illi, quibus Diuus Petrus 1. suæ cap. 2. dicebat, *vt deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem*; quæ quidem verba cum Christianis omnibus, tum verò ex S. Matris Ecclesiæ mente potissimùm Christianis neophytis recenter baptizatis dicta fuerunt; illi enim vt D. Aug. D
serm. 1. in octaua Paschæ, *nouella germina sanctitatis, regenerata ex aqua, & Spiritu Sancto: germen pium, examen nouellum, flos nostri honoris, & fructus laboris, gaudium, & corona mea*, &c. & libro 4. c. 1. tom. 9. De symbolo ad Catechumenos ait; *Dum per Sacratissimum Crucis signum vos suscepit in vtero Sancta Mater Ecclesia, quæ sicut, & fratres vestros cum summa lætitia spiritualiter pariat, noua proles futura tantæ Matris, quousque per lauacrum sanctũ regeneratos veræ luci restituat*, &c. Et verò etiam hi ipsi, sicut priori Psalmo dictum est, propriè erant *semen virorum timentium Deum*; *generatio rectorum*, quæ benedicenda erat; proinde etiam E
illi inuitandi, & excitandi erant ad Diuinas Laudes.

Quod autem hoc non cogitatione aliqua propria, sed iuxta, & planè ad mentem, & intentum S. Prophetæ Dauidis dicatur, constat ex ferè postremis huius eius Psalmi verbis, v. scil. 7. & 8. quibus vnusquisque eorum *puerorum*, quos ad dicendas Deo Laudes inuitauerat, inter maxima ab eodem Domino beneficia accepta enumerat; quod ipse summè laudabilis Dominus *suscitauerit* (per gratiam suæ vocationis ad Fidem) *à terra inopem, & de stercore* idololatriæ, & adiunctorum illi flagitiorum *erexerit pauperem*; quales fuerant ipsi Gentiles conuersi; F
vt collocaret eos cum principibus; & rem, vt dignissima est, exaggerat; *cum Principibus Populi sui*; qui est Christianus Populus, cuius Principes sunt Apostoli, Discipuli Domini, eorumque successores Pontifices, Episcopi, & animarum Pastores, omnes vnà vnum Dei Populum constituentes. Hi autem omnes quatenus in Ecclesiam ingrediebantur, & sacro fonte abluti, fiebant quasi modo geniti in-

ti in-

A ti infantes, aptissimè significantur illa amabili puerorum Christi, & Ecclesię voce. His positis, ipse totus Psalmus in iucundissimum se se ipsum resoluit concentum. Dixere, ait S. Dauid, iam suum *Alleluia* Viri timentes Dominum, quorum *potens erit in terra semen*: vos nunc vestrum canite; vos quos designaui.

PSALMVS CXII.

B **V. 1. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.** Vel ipsi iam inuitati Diuinas Laudes inchoantes dicunt; vel S. ipse Dauid hoc pacto illis laudandum Dominum præscribit;

V. 2. Sit nomen Domini benedictum; licet *Nomen Domini* pro *Domino* sumatur, vt Deuter. c. 28. 58. *Nisi timueris no-*
C *men eius gloriosum, & terribile, hoc est Dominum Deum tuum*; nihilominus hic designatur Persona secunda Trinitatis Dominus Iesus, qui est veluti notio, & repræsentatio Patris, vt Heb. 1. 3. *splendor gloriæ* paternæ, *& figura*, siue character, vt Græc. idest expressa imago *substantiæ*; certè imago adeò expressa, vt ipse Dominus, Ioann. c. 14. 9. diceret; *Philippe qui videt me, videt & Patrem*. Deinde de eo potissimùm hic est sermo, de cuius exaltatione hactenus actum est, & etiamnum agitur, qui est ipse Dei Vnigenitus Dominus Noster Iesus Christus. Sit ergo nomen Domini benedictum, *ex hoc*, denotat tempus transactarum, & superatarum
D rum persecutionum; quamuis enim Sancta Dei Ecclesia *benediceret Dominum in omni tempore*; tunc tamen cum tot benedictionibus dulcedinis suæ Dominus prębebat Fidelibus maiorem benedicendi Diuinam eius Maiestatem occasionem; atque idcircò aiunt; **ex hoc, nunc;** & quia in sæculum, illæ ipsius benedictiones in Ecclesia, vt sæpe dictum est, durature sunt, sit & ipsius Nomē benedictum *ex hoc, nunc*, **& vsque in sæculum.** Et quidni Sanctissimum eius nomen benedicamus, & laudemus, quando iam (congregatis nobis suis Fideli-
E bus, qui ab Oriente Sole, vsque ad Occidentem terram incolimus, in vnam suam Ecclesiam) factum est, vt prædixeram Psal. 64. 9. futurum, quod *exitus matutini, & vespere delectabit*; factum, inquam est,

V. 3. A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. Imò ipse, vt est explicatum, est

F **V. 4. Excelsus super omnes gentes Dominus;** ab omnibus passim toto Orbe terrarum dispersis populis, & Nationibus adoratur, & colitur, eiusque gloriæ sublimitas, & magnitudo excedit omnem aliam sublimitatem, quod significat, **& super cælos gloria eius.** planè gloriæ eius, magnitudinis, sublimitatis, & excellentiæ nullus est terminus, nulla mensura; nam po-

steaquam ipse Dominus (quod ego vt fieret vehementer optabam iam inde à A
Psalmo 7.v.8.vt *propter Synagogam populorum,quæ ipsum circumdatura erat*,vt modò accidit, *in altum* Gentilitatis, & ipsius Romani Imperij Ethnici *regrederetur*, vbi eum sui non recepissent) posteaquam, dico, ipse cum sua Ecclesia in illud *altum* progressus omnem illam ipsorum Romanorum,& aliorum Principum,& Regum Mundi huius sibi subiecit altitudinem; obsecro modò

V. 5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?

qui magnificatus est super omnes Reges terræ, qui omnem Mundi altitudinem sibi subiecit,& possidet? B
Nemo planè illi vel æquari potest, vel comparari. Immensus est, & magnitudinis eius nullus est finis. Quamuis autem ipse talis, tantusque sit; nihilominus tamen, id quod in eo mirandum super omnia est, ipse & Altissimus est, & in altis habitat; simul autem

V. 6. & humilia respicit in cælo,& in terra?

idest,iuxta D.Augustini iam passim notam explicationem,Serm.213.de tempore; C
Altissimus Dominus, cuius excellentiæ, & magnitudinis non est finis in omni creatura sua, & ea,quæ in supernis, & ea,quæ in infimis est constituta, in Angelis, & in hominibus humilitatem considerat, & probat. Hæc explicatio præ alijs multis,quas P.Lorinus adfert,rem pleniùs declarat,& magis in connexioně venit. Verùm, quia illud Dei *respicere* ex communi, & ordinaria sua significatione non solùm significat,quod consideret,probet,eique quidpiam placeat;sed etiam quod auxilietur, iuuet, erigat, & extollat: quod propriè loquendo Cæli Beatis incolis non conuenit;sicuti nec esse humiles,statu, conditione, & gradu infimo, quando- D
quidem omnes magni sunt, & sublimes: propterea cum maiore connexione, & consecutione videtur futurum si dicamus; deprædicari hìc sublimissimam Domini Maiestatem, ex eo vel maximè capite, quòd ipse tam benignè respexerit ad ea *humilia*, quæ & in Cælo Ecclesiæ suæ (sic enim Ecclesiam sæpe in Apoc. S.Ioannis nominat, vt fusiùs ostendit, & probat P.Ludouicus Alcazar in cap. 14. v.6. *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cæli habentem Euangelium æternum*,&c.& valde clarè id ipsum videtur ostendere D.Paulus ad Eph.c.1.v.3.dum ait, quod, *Benedictus Deus, & Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in* E
omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo.) ipse ergo Dominus laudandus est, & extollendus, qui *respicit humilia in Cælo Ecclesiæ suæ*; quæ tamdiù ante afflicta, depressa, tam multis vexata persecutionibus fuerat: neque tantùm in ea, quæ Cælum quoddam est, *humilia respicit*; sed etiam *in terra* ipsa, nimirum ad ipsos homines terrenos adiuuandos respexit, qui infimæ sortis, status, conditionisque abiectæ erant, & omnes Gentes idolis seruientes, & vitam immunditijs carnis contaminatam ducentes, tales esse censebantur. Dum ergo ipse *humilia respicit in cælo, & in terra*; quæ vtrobique erant humilia, & depressa, F
contempta, & abiecta; diuerso tamen, & longè differenti modo vtraque respiciendo erexit; hæc quidem quæ in terra erant.

V. 7. Suscitans à terra inopem,

illum Populum Gentium, Diuini Verbi sui prædicatione ad gratiam suscitando, viuificando in gratiam suam, & in

A in Ecclesiam recipiendo *à terra*, in qua absque vitæ cælestis spe iacebat; imo **& de stercore** carnaliũ voluptatum, in quo, vt iumenta, computruerat: quid enim non immundum habuit idololatriam, de ipso, inquam, stercore **erigens pauperem;** illum ipsum populum. Neque tantum status ille miserabilis, vnde suscitatus, & erectus; sed etiam illa magna sublimitas, ad quam eleuatus, & euectus fuit, consideranda sunt. Et hæc quidem fuit in hanc dignitatem, & gloriam;

B **V. 8. Vt collocet eum cum principibus;**

vt illi populo de terra, seu de *puluere*, vt Anna 1. Reg. 2. 8. canit, suscitato, & *de stercore* erecto habitationem daret in ipsa sua Ecclesia, fierentque, & ipsi de Populo eius; imo etiam voluit, vt ex illis ipsis (constituta iam inter Gentes eius Ecclesiæ, & ipsa etiam per ipsum Dominum ad summam dignitatem, & felicitatem euecta, quo ostendit alterum membrum, quod respexerit etiam illa, quæ sunt in cælo) ex ipsis, inquam, voluit, vt constituerentur, qui essent *cum Principibus*, & ipsi Principes fierent, animarum Pastores, Rectores, & Docto-
C res, admissi in consortium, officium, gradum, & dignitatem, & successionem **cum principibus populi sui**, Sanctorum Apostolorum, quos ipse Dominus constituit Principes Populi sui.

Atque ita nunc fit (propter quod summè laudandus est Dominus) vt siue Vniuersum Christianum Populum spectemus, siue eiusdem Populi Christiani animarum Pastores, Doctores, Episcopos, & Pontifices consideremus, verum sit, quod ipsi omnes ex Gentibus sint, fuerint, & futuri sint oriundi, atque ita à So-
D lis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini

V. 9. Qui habitare facit sterilem in domo;

Gentilitatem, quæ antea sterilis erat, nunc facit *habitare in domo* sua, quæ est Ecclesia, non amplius sterilem, sed potius tanquam fœcundissimam multorum **matrem filiorum lætantem.** Hanc explicationẽ esse ad mentem S. Dauidis non solùm consequentia contextus, sed etiam Diui Pauli ad Gal. 4. v. 27. auctoritas ostendit,
E qui Isaiam cap. 54. v. 1. ad hunc Dauidis locum alludentem, *Lætare sterilis quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis; quia multi filij desertæ magis, quam eius quæ habet virum*, intelligit, & explicat de Ecclesia ex Gentibus congregata, &c. Deinde, quod præcedentes etiam duo versus, 7. scilicet, & octauus, intelligendi sint de Gentibus Idololatris ad Fidem conuersis, manifestum redditur ex eo, quod S. Dauid illis versibus, & vltimo huius Psalmi alludat ad Canticum Annæ, 1. Reg. 2. v. 8. vbi ipsa ait; *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat*: quæ verba cum planè per
F omnia similia sint, & concordent, dubium non est ea se se inuicem respicere; & etiam sanctam illam fœminam, ea ipsa de illis intellexisse Gentilibus, siue de Gentium Populo ad Fidem conuertendo, vt sedeat cum Principibus Ecclesiæ; & ipse siue ex ipso Populo Gentium eligatur, qui *solium gloriæ*, Vicariam Christi sedem, Ecclesiæ Regimen *teneat* spoliatis Iudæis Summo Sacerdotio, & Ecclesia. Videatur Isaiæ cap. 22. à versu 15. Esse autem hanc illius Cantici, & Prophe-

tiæ explicationem ex ipsius Cantici contextu patet. Et licet non ignorem adferri posse in contrarium, id quod S. Augustinus 17. de Ciuit. cap. 4. pertractans hoc citatum Annæ Canticum ait, dum per *pauperem* intelligit Christum, quem vult *de terra*, vt *stercore suscitatum*, erectumque cum resurrexit tam citò, vt caro eius non videret corruptionem: hoc tamen non obstante manet, quem dixi sensum literalem esse, hunc autem Tropologicum, seu accommodatitium. A

PSALMVS CXIII. B

In exitu Israel, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXIII.

Alleluia.



Vod supra sæpius occurrit, etiam hic S. Dauid propositis ijs mirabilibus, quæ Deus fecit cum Populo Israel in exitu eius de Ægypto; re ipsa, & ex primario intento agit de spirituali Populi Christiani exitu ex Mundi, Idololatriæ, & peccatorum statu, & miserijs: in quo mirabilibus illis in Ægypto patratis, admirabiliora operatus est Dominus. Inde gratiarum actionum vberrimi fontes. Vnde benè Cassiodorus comparans Psalmum istum cum malo granato, & minutis eius pulcherrimis, quæ historiæ corio reuelato dulcissima sudent mella, quot sunt versus, tot asserit esse gratias; tot poma animæ, quot verba. Transitus autem à priori Psalmo ad istum cum mira connexione fit in hunc modum. Cum Christi Fidelium ex Gentibus conuersorum Deũ vnà laudantium, & pariter lætantium illa fuisset conclusio, quod planè *laudabile esset nomen Domini, qui habitare facit sterilem in domo*, &c. Hinc ipsi eiusdem Gentilitatis prius sterilis, nunc factæ fœcunda prole lætantis matris filij ad nouum aliud *Alleluia*, Domino concinendum, sese inuicem exhortantur, & prouocant. In hoc autem *Alleluia* concelebrant admirabilem, & obstupescendum modum, & mirabilia, quæ Dominus patrauerat in ipsis educendis ex Gentilitatis idololatricæ plusquam Ægyptiacis tenebris, durissimaque Dæmonis seruitute. Itaque iam supra edocti, quod verè in Christi Ecclesia Dominus *memoriam* fecerit mirabilium suorum, Psal. 110. v. 4. quæ ipsi mirabilia eius ipso suo experimento vera esse comprobabant, & in se ipsis, eiusque Ecclesia edita esse (quoad ea, quæ animam attingunt) gratulabantur; hæc inquam aduertentes sibi ipsis, seu suæmet Conuersioni, & ad Fidem vocationi, & in Ecclesiam ingressui accommodantes ea, quæ *in exitu Israel de Ægypto* passim omnibus nota, & decantata contigerant Dei mirabilia, illa ipsa assumunt ad Dominum nouo Alleluia laudandum. Sic S. Dauid, vt vidimus etiam in alijs Psalmis, Iudaica, vbi opportunum est, assumit ad rerum Christianarum, quas tractabat instructionem, & explicationem; quis credat eum voluisse in medio lætissimarum rerum ad Christi Ecclesiam pertinentium, quas hactenus tam emphaticè celebrauit cursu, ex professo ad Iudaica digredi? Hæc quidem tangit, sed omninò Christiana significat.

C D E F

Quod

A Quod autem ex suo intento, & ad literam voluerit Christiana significare, nullum aliud argumentum efficacius probat, quàm ipsa consequentissima rerum connexio, quæ certissimus est veritatis index. Cum hac autem, & ipsius totius textus Psalmi, vt mox patebit, non minus connexa, & consequente explicatione, habet insuper hic ipse Psalmus aliquid particulare, & proprium, quo id, quod dixi, verum esse comprobatur: nimirum duplicem numerorum ordinem; primum quidem breuissimum, nec nisi octo constantem Versibus, alium octodecim; quo (quicquid alij Expositores diuersa sentiant) aliud innuere noluit S. Propheta, quàm
B quod ea Iudaica, quæ primis versibus octo præmitteret, Christiani ex Gentibus conuersi in se ipsis verificata gratissima animi gratitudine contestarentur, qui proinde Diuinæ eius Maiestati humillimas referrent gratias, peterentque, NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS: SED NOMINI TVO DA GLORIAM. & hinc secundus Numerorum ordo incipit, & quasi ipse totus Psalmus. Hi autem, qui hoc dicturi erant non Iudæi tantùm, sed potius Christiani supponuntur esse; hi enim, & non illi (qui potius toties de Idololatria redarguti, & damnati sunt) simulacris Gentium iuratum, implacabile, perpetuum, & vsque ad eorun-
C dem abolitionem, & exterminium indixerunt bellum: quod Sanctus Dauid hoc Psalmo deprædicat à Versu 4. *Simulachra Gentium*, &c. Ab his ergo magis, & non illis, à Christianis ex Gentibus ad Fidem conuersis, & in Christi Ecclesiam ingressis, & non à Iudæis, dicitur *Alleluia*. Cum exultatione, & iubilo laudemus Deum; quia sicut olim, cum carnalis *Israel exiret de Ægypto, & domus Iacob*, siue eius posteri, & filij secundùm carnem discederent *de populo* illo *barbaro*, suæ profectionis, sui exitus, & itineris terminum habuerunt Iudæam, seu Palæstinam, quæ Tribui Iudæ cessit in dominium, & potestatem, in qua deinde Templum Domino ædifi-
D catũ fuit, vt supra Psal. 77. v. 68. 69. in quo solo Sacrificia, & cultus Deo persoluerentur, ad eũdem prorsus modum, imò modo super omnem modum excellentiori;

PSALMVS CXIII.

V. 1. In exitu Israel, veri, non carnalis, sed spiritualis, qui sunt Israelitæ per repromissionem, qui
E computantur in semine; de quo Israel Sanctissima Domina Nostra Dei Mater, & Virgo Luc. 1. 54. vt aliàs dictum est, prophetauerat, quod *Suscepit Israel puerum suum*; in exitu, inquam, huius Israel, qui sunt *Filij Dei, qui erant dispersi*, & nunc sunt *in vnum congregati*. Ioannis c. 11. v. 52. in eorum, siue Israel huius singularis, quia multi vnum Dei populum, seu *puerum* Deo acceptissimum faciunt, & vnam domum Iacob, domum pariter spiritualem constituunt; in huius, vt semel dicam, *Israel exitu* de Ægypto, in exitu felicis Israel, videntis Deum, de tenebris, & plagis Ægyptiacis, eiusdemque do-
F mus Iacob mitis, & placidæ, de populo barbaro. Exeuntibus illis de Gentilitijs superstitionibus, & idololatrica impietate, & impuritate, vbi mera Ægyptus; & barbaries, etiam hic Israel, & hæc vera domus Iacob terminum habuit sui exitus, & profectionis tam optatæ ipsam Christi Ecclesiam, in qua sola, quia est vera Dei Laus, & Confessio, Sacrificium, & Dei cultus, ipsa etiam sola, ac verè *Iudæa* vera est, ex-

tra

tra quam Templum, & cultus Diuinus non reperitur, atque ita A

V. 2. Facta est Iudæa, hæc, sanctificatio eius Israelis, in qua ipse verum Dei cultum, suamque ipsius sanctificationem reperit; Israel potestas eius. & tantum hoc bonum in eius, quem explicaui *Israel*, siue Israelis potestatem, & possessionem cessit. ò proinde felicem hunc Israelem! ò beatum, & fortunatum eiusdem de Ægypto, & de populo barbaro, qualis erant omnes idololatrantes nationes exitum! Certè dum felicissimus hic exitus à maxima Gentium totius latè patentis B Orbis terrarum fieret multitudine (& quæ longè illam carnalis Populi Israelitici cum de Ægypto exiret, multitudinem excedebat) cum, inquam, hic exitus fieret,

V. 3. Mare, quod interiectum erat Idololatricæ impietatis, & quod vniuersum Orbem occupauerat; vidit, & fugit; cessit, & via exeuntibus per illud aperta est, maiori quàm olim (Exod. c. 14. & 15. Sapientiæ c. 19.) prodigio aperti maris Rubri: similiter etiam Iordanis conuersus est retrorsum. C

Illa, de quibus sæpe supra, & in Isaia dictum est, concupiscentiarum Flumina, quæ ad instar Iordanis, dum aquas suas *multiplicat in tempore messis*, Ecclesiastici c. 24. 36. ita pleno alueo, & impetu ferebantur, vt accessum, & transitum Dei Ministris Fidei, & Euangelij Prædicatoribus, & Arcæ Noui fœderis Testamenti æterni baiulis prohiberent; illa, inquam exsiccata tandem fuerunt, & quilibet eiusmodi fluuius, & *Iordanis conuersus est retrorsum*, & vt dixi Psalmo 17. 16. *apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta Orbis terrarum*. Et in hunc D ipsum sensum (fortè ad hunc locum alludens) dixit D. Ioannes Apoc. c. 16. v. 12. effusione phialæ sexti Angeli in *flumen illud magnum Euphratem* siccatam fuisse aquam eius; *vt præpararetur via Regibus ab ortu Solis*; qui erant Fidei Sanctæ, & Euangelij Prædicatores. De quo plura P. Alcazar in illum locum. *Iordanis* ergo *conuersus est retrorsum*. pergit S. Dauid. Et quod fieri vehementer optabam, & tanquam futurum prædicebam Psalmo 71. v. 3. vt *susciperent montes* viri primi, ac Principes, seu primates, *pacem*, propositam ipsis per Euangelij publicationem, per eos postmodum communicandam *populo; & colles*, alij Populorum inferiores E Rectores, & Iudices, susciperent *iustitiam*; omnem vitæ integritatem, quam profitetur docet, & exercet Christiana Religio; hoc, inquam, quod tantopere optabam, effectum est, &

V. 4. Montes exultauerunt vt arietes, factæ sunt Conuersiones virorum Principum maximè Romæ, vt Annales Ecclesiastici, & sacræ, atque etiam profanæ Historiæ commemorant; & vt notandum est Isaiæ cap. 34. v. 5. qui quidem viri primores in Fidei (tanti, ac summi bo- F ni) susceptione *exultauerunt, vt arietes*, suo exemplo, & animi fortitudine, ac robore alios ad eandem Fidem incitantes, eisque Ducatum præbentes, tanquam imperterriti *arietes*; alij etiam inferioris ordinis, & communioris status, atque conditionis homines per *colles* notati, etiam ipsi *exultauerunt*; & colles sicut agni ouium.

Com-

A Communem hanc omnium Christi Fidelium vnionem etiam D. Petrus 1. suæ c.5. expressit gregis similitudine, *pascite qui in vobis est gregem Dei*, &c. tanquam *forma facti gregis ex animo*. Deinde eorum lætitiam indicauit eadem sua 1. c. 1. v. 8. inquiens, quod ipsi cum *Christum non vidissent*, nihilominus *diligerent; in quem nunc quoque non videntes crederent, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem Fidei vestræ salutem animarum*. Hi ergo sunt illi *montes*; hi illi *colles*, qui *exultauerunt* sicut *arietes*, & *sicut agni ouium*. Verùm hæc, quæ breuiter insinuaui, grandia omninò sunt, & omni admiratione dignis-
B sima; tam citò Fidei Christi apertam fuisse in mari, & quidem (vt etiam aliàs alibi notatum est ex D. Leone) in ipso *Oceano turbulentissimæ profunditatis*; qualis erat Roma Ethnica; tam citò inquam apertam fuisse in mari viam, & siccata fuisse concupiscentiarum, & vanarum scientiarum flumina: exultasse montes, & colles Mundi ad nouorum Dogmatum Mundi scientiæ, & carnis prudentiæ è diametro oppositorum prædicationem res plusquam mira, vt propterea meritò quæri possit;

C **V. 5. Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?** Iam capio, & quid causæ fuerit, quod obsecutum fuerit mare; quodque cesserint flumina; similiter etiam modo quam optimè intelligo, cur etiam, & vos,

V. 6. Montes exultastis sicut arietes, &
D **colles sicut agni ouium.** nimirum non humanum hoc, sed diuinum fuit opus;

V. 7. A facie Domini; à præsentia D. Aug. ait, & addendum eius Domini, cuius iussu Sancti Apostoli *Profecti prædicauerunt vbique*, eodem *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Marci 16. 20. à facie, inquam, & à virtute huius Domini, qui etiam, vt supra Psalmo 67. v. 8. dixi: *Cum egrederetur in conspectu Populi sui, cum pertransiret in Deserto, Terra mota est*; omninò etiam nunc ab eiusdē Domi-
E ni facie, **mota est terra, à facie Dei Iacob,** qui est Christianorũ verorum Israelitarum Deus:

V. 8. Qui; sicut olim in Deserto effecit, vt ex petra percussa profluerent abundantissimi aquarum fontes; ita nobis suis Fidelibus **conuertit petram;** petra est Christus, vt notum ex Apostolo; **in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum,** vt nobis omnibus
F liceat *haurire aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*. Isa. c. 12. v. 3. *Et de plenitudine eius nos omnes accipimus, & gratiam pro gratia*; idest omnem gratiam, seu quamlibet gratiam, Ioan. 1. 16. Hæc cum ita sint, absit, vt quicquam nobis adscribamus, seu quicquam viribus nostris in rebus tantis, quæ vires omnes nostras excedat, factum arbitremur: Quin potius, ò Domine, te in tuis, & de tuis donis lætantes laudamus; deque ijs omnibus, quæ veriùs nobiscum, quàm cum antiquo illo

tuo

tuo Populo te operatum fuisse commemorauimus; rogamus, & obsecramus; A

V. 1. NON NOBIS DOMINE, NON NOBIS: sed nomini tuo da gloriam. da; & quidem hanc perseuerantem, & perpetuam *gloriam da*.

V. 2. Super misericordia tua, & veritate tua. S.Hier. propter misericordiam tuam, & fidem, qua scil. promisisti te adfuturum nobis da hanc gloriam Nomini Tuo, eamque perpetuò, vt promisisti, conserua. Nam nos, quia ex nobis tam fragiles, & miseri sumus, ideò solicitè timemus, ne quando, ne fortè aliquando si per illa potentiæ, & maiestatis tuæ opera (sic exigentibus culpis nostris) desinas te nobis benignam, fauentem, rebusque nostris assistentem ostendere; exinde, quæ supersunt Idololatriæ adhuc deditæ Gentes ansam nobis insultandi arripiant, & visis nobis afflictis, & solita tua ope, auxilio, & benedictione destitutis dicant Gentes: Vbi est Deus eorum? Hunc Versum sic esse explicandum, colligitur ex supra dictis Psal. 41. v. 4. vbi S. Dauid loquens de Populo suo Iudaico, quem desolatum, auxilio Dei, & gratia destitutum considerabat: *fuerunt mihi*, aiebat, *lacrymæ panes die, ac nocte; dum dicitur mihi quotidie; vbi est Deus tuus?* Idem nunc, quia introducit loquentes conuersos ad Fidem ex Gentibus tam multos populos, & nationes, etiam obsecrat; ò Domine, perge adiuuando, & semper *Nomini Tuo da gloriam*; ne infaustum illud, quod Iudaico populo obijcitur; *Vbi est Deus tuus?* etiam nobis aliquando occinatur: *Vbi est Deus eorum?* Nunquam tu quidem Domine Ecclesiam tuam, id quod in te recepisti *super misericordia tua, & veritate tua* deseres; nihilominus tamen, proh dolor! erit aliquando, quod infideles etiam Nobis obtrectent, & dicant; *Vbi est Deus eorum?* siue quando *visitabis in virga iniquitates* nostras, *& in verberibus peccata nostra*. Psal. 88. 33. siue cum nos tradideris propter illa in manus Dominorum crudelium (& eheu! vbi Africa? vbi Ægyptus? vbi Palæstina? vbi Græcia?) siue cum propter neglectam conscientiam permiseris Populos, qui Christiani erant in hæreses labi, & spiritualibus auxilijs destitui; tunc, inquam, erit omninò infidelibus causa, & occasio insultandi, *Vbi est Deus eorum?* Quidquid sit, quocunque tandem tempore Diuinæ Maiestati suæ, & Prouidentiæ visum fuerit permittere Ecclesiam suam insinuatis premi miserijs; iniquissimè nihilominus agent, qui id ex Dei nostri, siue prouidentiæ, siue potentiæ defectu prouenire existimabunt, quasi vel absens, vel rerum, quæ geruntur ignarus foret, vel ad auxiliandum impotens esset. Vt alij, qui dicuntur Gentium Dij, tales sint, absit, vt talem faciamus Deum nostrum:

V. 3. Deus autem noster in cælo; ipse summus omnium, & omnipotens Creator, ac Dominus Cæli, & Terræ, ipse, vt patet ex ijs mirabilibus, quæ initio dixi, quæ nobiscum, & cum Ecclesia sua est operatus (propter quod ipsum etiam modo vnanimi cordis, vocisque concentu laudamus) ipse, inquam, esto omnibus adhibitis viribus, admotisque machinis Diuinæ eius Maiestati niterentur obsistere omnes Impp. Reges, & Principes terræ; nihilominus omnia

B, C, D, E, F (margin letters)

A omnia quæcunque voluit fecit. quæcunque in Ecclesię suę fundatione, erectione, gubernatione, protectione, & propagatione facere decreuerat, plenissimè est executus; ita vt nunc toti Mundo innotescere fecerit, quod

V. 4. Simulachra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.

B V. 5. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

V. 6. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.

C V. 7. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. & qui idola eiusmodi, & simulachra sibi fabricant, & in Deos erigunt, digni sunt, qui

D V. 8. Similes illi fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. & quæ maior esse potest fatuitas, quàm Deos eiusmodi facere, & ab ijs auxilium sperare? Non sic nos, non sic; verùm talem nos Deum habemus, qui colentes se, & in se confidentes seruos suos adiuuare potest, & semper adiuuit; exempla deinde aliquot adfert quasi dicat; recolite quonam pacto iam olim, quia

E V. 9. Domus Israel sperauit in Domino: (per has veterum Dei seruorum historias ad rem præsentem, ideſt ad Christi Fideles congregatos ex Gentibus in vnam Ecclesiam descendet) & ipse Dominus adiutor eorum, & protector eorum est, vel fuit. sed per verbum præsens magis exprimitur certitudo auxilij diuini, quam S. Dauid ex oppositione ad Gentium simulachra muta, & mortua intendit ostendere; pergit, & ait, sic

F etiam, quia

V. 10. Domus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est. Sic etiam modò;

V. 11. Qui timet Dominum; illi ipsi, qui hic laudes Deo dicunt Christiani A
ex Gentibus cõuersi intelliguntur, se ipsos autem non nominãt, quia laudet te os alienũ; *qui*, inquã, *timent Dominum*, sperauerunt in Domino, & simili planè modo pariter adiutor eorum, & protector eorum est. Imò verò, quod cum summa animi gratitudine, & gratiarum actione recolendum est;

V. 12. Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis, B
nobis, qui à Solis ortu, vsque ad occasum, qui ab Aquilone, & mari in vnam ipsius Ecclesiam Diuina ipsius virtute, & misericordiæ congregati sumus, benedixit.

Quod si olim singulari Diuinæ suæ benignitatis, & beneficentiæ signis vni cuipiam, alterivè particulari Domui benedixit; & certè

Benedixit domui Israel: benedixit domui C
Aaron. nunc longè amplius, quam vnquam ante fuisset solitus, & veluti in immensum dilatata misericordia sua;

V. 13. Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus. cuius benedictionem nos hic in vnum congregati pusilli cum maioribus, omnis ætatis, omnis status, gradus, sexus, atque conditionis homines, eius Ecclesiæ filij, & fideles experimur. D

Hanc Ecclesiæ Christi Fidelibus communicatam maiorem gratiam, & benedictionem S. Dauid maximo cordis sui gaudio approbat; eisque ampliora adhuc, & maiora acceptis Dei dona, & beneficia apprecatur.

V. 14. Adijciat; addat, augeat sua dona, & beneficia Dominus super vos: super vos, & super filios vestros. Notãter repetit; *super vos, & super filios vestros*; quia est, quasi dicat; quandoquidem benedictio- E
ne reddiderunt se indignos, qui innocentem Domini Iesu sanguinem effundi *super se, & super* filios suos postulauerunt; sit illa, *super vos, & super filios vestros*; & pergit; sic planè estis, & me vobis benè precante sitis

V. 15. Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum, & terram. Gratulatur Christi Fidelibus, quod tam magna benedictione benedicti sint à Domino, vt pro ipsis, siue eorum intuitu *fecerit Cælum, & Terram*. Per *Cælum* autem intelligit su- F
premum Cælum, Regiam suam constitutam Sedem Beatitudinis Electorum, quam sibi nunc reseruare, suamque Sedem esse voluerit, dandam tamen fore ipsis suo tempore, vt regnum ipsis *paratum à constitutione* Mundi. Matt. 25. 34. Atque hanc misericordiæ, & liberalitatis ipsius pientissimam dispositionem clariùs explicat, & confirmat vers. seq.

V. 16.

A **V.16. Cælum cæli Domino;** idest illam Regiam, quam sibi nunc seruat postea etiā dabit; **Terram autem** subintellige interim; **dedit filijs hominum:** vt dum hìc degunt Diuinæ ipsius Maiestati seruiant. Hæc omnis explicatio duorum horum connexorum Versuum concordat cum ea, quæ ex S. Aug. lib. 12. Cõfess. c. 2. colligitur, dum vult, quod Cęlo illi, quod vocatur *Cælum Cæli*, Terra, & veluti Terra sit, hoc omne quod cernimus Terræ
B nostræ etiam Cælum oculis nostris conspicuum. In quo fauet sententiæ Claudiani Mamerti, qui censet Mundum totum materialem appellari Terram, prout etiam comprehendit Orbes Cælestes; quoniam, & hi nobis dati sunt, & ad vtilitatem nostram facti.

Licet autem S. Augustinus fateatur nescire se quale sit illud *Cælum Cæli*, quod dicitur *Domino*, siue, vt dixi, quod Dominus tanquam Regiam incolit (licet Immensus ipse nullo concludatur loco) nos bene id Cælum dicimus esse Cælum, aliàs Empyreum dictum; quod ipsum S. Augustinus non negat esse Cælum reue-
C ra corporeum, quamuis non cadat sub oculos nostros, neque naturali demonstratione deprehendi possit, eo modo, quo alij Cæli.

In secunda autem parte versus huius; *Terram autem dedit filijs hominum:* notandum est, hoc loco, *per filios hominum*, intelligi bonos, & iustos; illos scilicet, quos supra Psal. 35. v. 8. & 9. iumentis, & hominibus opposuerat; *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* neque enim in malam semper partem accipitur; *filij hominum*; vt Psalmo 4. v. 3. Psal. 13. v. 2. &c.

D Bonis igitur *filijs hominum*, & eiusmodi esse cupiens omnes filios hominum Dominus, pro hoc tempore dedit terram incolendam, excolendam, & inhabitandam: hoc tamen adiecto pacto, & conditione, vt ipsum Creatorem, & bonorum omnium Largitorem colerent, venerarentur, adorarent, laudarentque adeò, vt inexcusabiles esse conuincerentur, nisi *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspexissent, sempiternm quoque eius virtutem, & diuinitatem.* Rom. 1. 20. Hoc, inquam, pacto *dedit* Dominus *terram filijs hominum*; vt tales, idest *filios hominum*, ostenderent se se esse vitæ bonitate, cultu, & reuerentia, at-
E que agnitione Summæ, ac Primæ Diuinæ ipsius Maiestatis. Et hoc ipsorum Dominium, dum boni sunt, planè magnum est; nam omninò quàm latè patet Orbis terrarum per omnia se se extendit, & complectitur omnia; vt verè eiusmodi ipsius serui, sint quidem *sicut gentes*; re ipsa autem *multos locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 16. 10. *Omnia enim vestra sunt*, ait idem Apostolus 1. Cor. 3. 22. *siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue Mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia enim vestra sunt*; idest ad vestram salutem à Deo data, vobisque inseruientia; *vos autem Christi*, serui scil. estis, &
F membra corporis eius; *Christus autem Dei*, quatenus homo, seruus, & dilectissimus eius Vnigenitus, in quo non solùm sibi benè complacuit, sed etiam *gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Ephes. 1. 6. gratos nos sibi fecit per dilectum Filium suum.

Ex his patet, quod dictum est, illis verbis; *terram autem dedit filijs hominum*; subintelligi illam conditionem, vt boni effecti, Deoque grati redditi Diuinam

Maiestatem amarent, colerent, atque laudarent, donec & ipsum *Cælum Cæli*, A
Dei ipsius, & Beatorum Sedem, Regiam, seu Regnum consequi mererentur.

Ita quidem ipse liberalissimus, & misericordissimus in *filios hominum* Dominus constituit; Verùm, proh dolor! & quam pauci sunt inter filios hominum, qui suam hanc excellentiam, priuilegium, & dignitatem agnoscant, & honorificentissimo huic suo muneri, & obligationi tantam Maiestatem tanto suomet ipsorum bono laudandi satisfaciant!

V. 17. Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes, qui descendunt in infernum. B

Omnes illi, qui peccatores, idololatræ adhuc, infideles, obstinati, priuati vita gratiæ tuæ, & Fidei sunt, inter mortuos censentur, & mortui sunt, atque reatu, quem peccando contrahunt descendentes *in infernum*; locum verè damnatorum intelligit; quandoquidem is illis debetur, qui *paratus est Diabolo, & Angelis eius ignis æternus*, Matt. 25.

Hanc explicationem esse literalem, & primariò intentam ostendunt, & probant, quæ dicuntur in Isaia phrasi planè consimili cap. 26. v. 14. *Morientes non viuant, gigantes non resurgant*. & v. 19. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent*. Item cap. 38. 18. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te*, &c. *Viuens, viuens ipse confitebitur tibi*, &c. Item quæ dixi supra Psal 67. 7. de ijs qui *habitant in sepulchris*. Item quæ Psal. 87. v. 11. *Nunquid mortuis facies mirabilia*, &c. Hæc inquam omnia, aliæque eiusmodi locutiones, quandoquidem in illo planè sensu, quem hìc posui fuerunt explicatæ (& quia non minus hìc, quam ibi expositiones illæ venerunt in consequentissimam totius textus sacri explicationem) clarè omninò manifestant eas primariò intentas à sacro Scriptore. Imò necesse planè est dicere Sanctum Dauidem id ipsum, & eo quem dixi sensu versum hunc pronunciasse; nam si (quod P. Lorinus vult) dicatur, quod S. Dauid sensu literali veros mortuos, idest vita corporali, & temporali priuatos, & in sepulchrum depositos intelligat (qui sunt extra statum hic viuentium, & in alia vita degant) velitque eos iam non amplius laudare Deum publicè, solemniter, edita voce, pulsatis musicis instrumentis, nec ob noua beneficia, quæ quotidie à Deo recipiant, dum liberantur à miserijs, in quibus sunt, gratias agant; si, inquam, hoc velit dicere S. Dauid, rem planè nimis notam, cuivis obuiam, & nimis omnibus patentem dicit; quis enim à constitutis in eiusmodi mortuali, & cadaueroso, vt ita dicam, statu eiusmodi expectet, quæ vix à benè valentibus, viuis hominibus, benè exercentur? C D E

Deinde *mortuorum* nomen animam à corpore separatam præcipuè denotat, quæ corpore etiam in cineres abeunte est superstes; hæc autem si Beata est, Deum vtique laudat. Si purgans, quidni etiam laudet magis, quàm dum viueret, quem magis agnoscit, quem sperat, quem amat? à damnata quis Dei laudes expectet? F

Et quid de ijs animabus, quæ in Limbo erant dicemus? Dubio procul etiam ipsæ in gratia confirmatæ cum suæ beatitudinis breui futuræ expectatione, cum frequentium nunciorum accessu, qui eam instare nunciabant, Deum suo modo laudabant; neque enim si ipsum non laudassent, & longè melius ipsis fuisset, (quam in hac temporali vita ærumnis, & peccandi periculis plena degentibus) dimitti

A *mitti in pace* ad ipsas iustus Simeon *postulasset*. Luc.2.v.29. Ex his omnibus veritas datæ explicationis constat, quæ certè adhuc magis arguitur ex eo, quod laudantes Deum Christi Fideles eius boni serui, *benedicti* ab eo, qui *fecit cælum, & terram*; tandem in huius Psalmi laudibus illum terminantes inferunt, facta inter se ipsos, & illos, quos vtpotè mortuos non laudaturos Deum dixerant, oppositione. Et quidem aiunt; *non mortui*, de quibus paulò ante locuti sumus, *laudabunt te Domine*, &c.

B V. 18. Sed nos qui viuimus, etiam hic non tam vitam corporis, quàm animæ intelligunt; siquidem vita illa, quæ corporis est, sciebant etiam eos viuere, quos *mortuos* esse dicebant: *nos*, inquam, qui vita gratiæ tuæ *viuimus*, benedicimus Domino, ex hoc nunc, & vsque in sæculum. ijdem hic sunt, qui paulò ante Psalmo priori dixerant; *sit nomen Domini benedictum, ex hoc, nunc, & vsque in sæculum*.

C

PSALMVS CXIV.

Dilexi quoniam, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXIV.

D

Alleluia.



Onsequens Psalmorum connexio non patitur, vt, quod aliqui volunt (quos P. Lorinus in hunc Psalmum refert) S. Dauid hic agat de proprio suo aliquo periculo, à quo liberatus sit; sed pergens in Dei laudibus, & gratiarum actionibus, Ecclesiæ, & Christi fidelium nomine, atque etiam in Persona Christi, tanquam Ecclesiæ Capitis, recolit E persecutiones, quas passus fuit ipse Christianus Populus, quomodo ex ijs potenter à Deo ereptus, & ex tenebris peccatorum, & infidelitatis, & ipsa morte liberatus, constitutus sit *in regione viuorum*, quæ est ipsa Christi Ecclesia, in qua viuitur per gratiam. Itaque hoc ita esse connexio, primò omnium, & maximè probat, quæ tota tollitur, si dicatur, hic ad literam, & intentum agi de ipsomet S. Dauide ex persecutionibus erepto. Deinde ipsi, quæ Psalmo hoc dicuntur, non quadrant; quomodo enim ipsius anima, esto liberatus fuerit de manu Saul, *erepta de morte, oculi à lacrymis, pedes à lapsu*? V.8. quam ipse *requiem* habuit in Ierusa- F lem? V.7. & quæ erat illa *regio viuorum*, in qua dicebat se placiturum Domino? Vtique non ipsa carnalis Ierusalem; sed alia spiritualis Christi, scil. Ecclesia, cuius vt *ædificarentur muri*, iam tum à Psalmo Quinquagesimo, vt vidimus, postulabat à Domino. nunc ergo hic tanquam ædificatis eius muris, & perfectè exstructa Noua Ierusalem, vt hactenus vidimus, gratulatur, & deinceps etiam vsque ad finem exultabit. Illam ipsam vocat *Regionem Viuorum*, cohærenter illis, quæ pau-

lo

lo ante dixerat Versu vltimo præcedentis Psalmi: *Sed nos qui viuimus benedicimus Domino*, cohærenter, & concorditer ijs, quæ Isaias c.38. ad hunc Psalmum respiciens dixit, *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium*. V.11. *Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem quietis*. qui duo Versus per omnia correspondent Versibus Nono, & Septimo huius Psalmi. Ibi autem ostendetur sermonem esse de Ecclesia Christi; ergo & hìc est. A

Verùm (quod ad prius dictorum, & deinceps dicendorum omnium confirmationem plurimum facit) obseruandum est, quod hic Psalmus non solùm cum Psalmo priore intimam connexionem habeat, vt insinuaui, sed etiam quod cohæreat cum ipso Psalmo decimo septimo, idemque ipsum, quod illum Psalmum habere vidimus Argumentum, etiam hic ex parte habeat; sicuti enim ille multas persecutiones tolerandas, dum Christi Euangelium prædicaretur proponebat, ita & hic toleratas fuisse proponit: ibi S. Dauid in Christi persona, qui eas in membris suis sustinebat, dicebat V. 2. *Diligam te Domine virtus mea*; hìc tanquam iam ijs omnibus superatis præuio lætissimo Alleluia ait; B

PSALMVS CXIV. C

V. 1. Dilexi; scil. semper, etiam durantibus, & prementibus persecutionibus; quia licet temporales aliquos Ecclesia Christi habuerit, qui in tempore tentationis recesserunt; nihilominus ex toto genere, Cant. 8. v. 7. *lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem*: & sic; *Dilexi*; fiducia certissima fretus,

quoniam exaudiet Dominus vocem orationis D

meæ. quotiescunque ad illum in angustijs meis recurrerem. sic omninò expertus sum,

V. 2. Quia inclinauit aurem suam mihi:

proinde & subintellige, & ego in diebus meis inuocabo. pergam deinceps semper inuocare quoad vixero, quoadvsque extendentur dies mei, siue, provt dicebam prius, *ex hoc nunc, & vsque in sæculum*. E

Nunc quidem memini, & iam recordari, & in mentem reuocare iucundissimum est; quomodo

V. 3. Circumdederunt me dolores mortis:

in persecutionibus, quas passus sum, de quibus supra sæpè egi, maximè Psal. 68. dum membra mea, mei Fideles, vbique ad mortem quærerentur, & dum per exquisitissima tormenta necarentur, subiui, non tantùm dolores mortis, sed F

& pericula inferni inuenerunt me. non repetit hìc, quod dixerat, aut de sepulchro loquitur, sed re ipsa de *periculis*, in quæ Christi Fideles per acerbissima illa tormenta conijciebantur perdendæ diuinæ gratiæ, & æternæ condemnationis incurrendæ, si persecutoribus cessissent. Nam vt elegantissimè ait S. Ambrosius

A sius in Psalmum 118. *Pone Martyrem inter pericula constitutum, cum inde immanitas bestiarum ad incuciendum terrorem infremat, aliunde stridor candentium laminarum, & flamma fornacis ardentis exaestuet, ex parte alia personent tractus grauium catenarum, hinc carnifex cruentus assistat: pone, inquam, circumspectantem omnia plena supplicijs, deinde cogitantem mandata diuina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam poenæ recrudescentis ærumnam: trepidare corde, ne dum præsentibus cedat, perpetuis se dedat exitijs: perturbari animo, dum futuri iudicij romphæam illam terribilem quadam conspectus specie contuetur. Nonne ad*
B *hanc trepidationem fiduciæ viri constantis, æqualis in eundem concurrit effectum, confidentia cupientis æterna, & diuina trepidantis?* sic ergo similis Christi Martyr, inter eiusmodi constitutus ait, *& pericula inferni inuenerunt me.*

Tribulationem, & dolorem inueni: sed Domino auxiliãte, non cessi, sed vt vincerem

V. 4. & nomen Domini inuocaui. & dixi;

C O Domine libera animam meam: ita factum, vt postulabã, nam

V. 5. misericors Dominus, & iustus, simul ipse misericors Dominus est, & iustus; simul ipse, & peccata punit; & Deus noster miseretur. Et cum scirem, quia ipse est

D V. 6. Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sũ. Christi Fideles semper fuerunt pusillus grex; & oues pascuę eius; & liberauit me, data mihi plena de omnibus persecutoribus victoria. Nunc ergo quandoquidem eiusdem Domini dono, & benedictione, pace, & tranquillitate perfruimur;

V. 7. Conuertere anima mea in requiem
E tuam, hac ipsa pace, & tranquillitate tibi donata fruere læta, & hilaris, quia Dominus benefecit tibi. verè benefecit, nam vnusquisque nostrum in Ecclesia eius dicere potest;

V. 8. Quia eripuit animam meã de morte, non tam corporis, quàm animæ; quia non illam, sed hanc timendam esse Dominus ostendit; & eripiendo illam *de* hac *morte* consequenter liberauit etiam
F oculos meos à lacrymis; & solidatis in sui timore, & amore meis affectibus auertit pedes meos à lapsu. Atque ita iam nunc, & deinceps in hac Ecclesiæ ipsius pace

V. 9. Placebo Domino in regione viuorũ. quæ est ipsa eius Ecclesia, vt dictum sup.

PSAL-


 A

PSALMVS CXV.

Credidi, propter, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXV.

Alleluia. B



Vandoquidem S. Paulus vsus est Psalmi huius verbis 2. Cor. 4. vbi ostendit constantiam suam in loquendo, & prędicando Euangelio contempto quovis mortis periculo; Psalmi etiam Argumentum est non aliud, quàm, quod tanta constantia, & fortitudine prædicatum fuerit Euangelium Christi, Deum Dominum celebrare ob insignes planè Sanctorum Martyrum victorias de persecutoribus obtentas propter quas redduntur Deo vota in Ecclesia, offerendo Diuinæ Maiestati Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium. C

Est autem hic Psalmus iam explicato planè consimilis, suo *Alleluia* & ipse constans, totidem ferè versiculos habens, & vt ille à dilectione, sic iste, à Fide conseruata initium ducens. Ita cohærenter totus Psalmus explicatur: id quod non fit, si aliquod aliud, quodcunque tandem libitum fuerit, constituatur; siue S. Dauidis gratiarum actio pro liberatione à Saulis, seu Absolonis persecutionibus, siue Ezechiæ eadem gratiarum actio pro sibi præstitis beneficijs; siue lætitia ob reditum de Captiuitate Babylonica. In nullo Argumentorum eiusmodi apparet, quomodo, & ad quid in ijs dicatur; *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius*. In nullo eorum ostendi potest, Psalmum hunc respicere ad alios complures Psalmos supra explicatos, & ad res ijsdem contentas, vt certum est, & mox apparebit. D

Licet verò sufficere posset ad positi Argumenti infallibilitatem Diui Pauli auctoritas, qui quidnam voluerit S. Dauid, & ad quid dixerit; *Credidi*; satis clarè explicat, non tantùm accommodando ad propositum suum (vt velle videtur P. Lorinus) sed re ipsa declarando per suam scripturam (vt moris eius, & aliorum Sanctorum Apostolorum, & Euangelistarum est) quidnam illa S. Dauidis scriptura contineret, iuxta supra positum, & explicatum Canonem Leonis Castro: licet, inquam, hoc sufficere posset, est tamen adhuc pro eo Argumento S. Augustinus, & Cassiodorus, sunt & alij Latini, qui declarant Psalmum hunc (ait ipse paulò ante citatus P. Lorinus) esse de Fide, quam Dei beneficio quis edoctus fuerit, docente, vel etiam profitente apud alios, ac pro illius defensione moriente si sit opus, atque ita pro beneficio tanto gratias referente palàm, & coràm omnibus: quæ, quoad substantiam rerum, vera omninò omnia sunt; quonam autem pacto ea singillatim cohærenter, connexè, & consequenter (quod quæritur) in explicationem veniant, hic breuiter iam explicandum est. Itaque ait; E F

PSAL-

A

PSALMVS CXV.

V. 10. Credidi: singulare Dei donum, Fidem, siue vt D. Paulus 2. Cor. 4. vers. 13. *spiritum fidei* habui. propter quod locutus sum: *propter quod, & loquimur*, ait ibidem D. Paulus; quo significatur,
B S. Dauidem reuocare in mentem id, quod prius varijs Psalmis dixerat de Apostolorum, & aliorum Christi Discipulorum Prædicatione, qui pleni Fide profecti in Mundum vniuersum, *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Psal. 18. v. 5. Verùm hanc Fidei, & Verbi Diuini Prædicationem, & locutionē consecuta est asperrima in ipsos eius Prædicatores persecutio; ego autem humiliatus sum nimis, *afflictionibus*, tribulationibus, & persecutionibus; de his enim est sermo sicut supra Psalmo 45. v. 4. dixerat; *sonuerunt, &*
C *turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius*; & tribulationes *inuenerunt nos nimis*. In his ergo constitutus

V. 11. Ego dixi in excessu meo. S. Hieron. habet in stupore animi scil. afflicti, & mœsti; id ipsum enim hic repetit, quod supra Psal. 30. 23. dixerat; *Ego autem dixi in excessu mentis meæ*, tot malis, & calamitatibus perculsæ; hunc propriè excessum intelligit; in hoc, ait, se dixisse; Omnis homo mendax. Vera Hugonis explica-
D tio, in quam post recensitas alias multas etiam P. Lorinus inclinat; hæc verba dici ab eo Martyre, qui positus est in illo excessu; ijsque significare suam sententiam, quod scil. nullus hominum sit, qui sibi relictus illa pro Deo tormenta sustinere valeat, sed succumbat, deficiat, mentiatur, & neget.

Planè hic versus, & consequentissimus sensus horum verborum est; nam verè *mendaces filij hominum in stateris*. Psal. 61. v. 10. si pendantur, carere iusto pondere deprehenduntur. Confirmatur per omnia ex ijs, quæ planè ad hoc propositum ait D. Paulus 2. Cor. 1. v. 8. & 9. *supra modum grauati sumus, supra virtutem,*
E *ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo*, &c. en quomodo omnis homo mendax.

Quando ergo, vt D. Paulus ibidem loquitur, Dominus *de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus quoniam, & adhuc eripiet*. Quando iam ijs tantis periculis, & tribulationibus sublatis consideratur idem Dominus dedisse Ecclesiæ suæ pacem, & tranquillitatem; an non meritò Fidelis eius seruus quærat;

F V. 12. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Pro innumeris quidam Dei beneficijs se debitorem agnoscit, sed vel maximè illa hic beneficia attingit, quibus Sancti Martyres, & Confessores Christi facti fuerunt de suis persecutoribus, & tormentis victores. Sic admirabilis illa, & laudatissima Agnes; *Omnipotens*, aiebat, *adorande, colende, tremende,*

Q *bene-*

benedico te, quia per Filium tuum Vnigenitum euasi minas hominum impiorum, & spurcitias Diaboli impolluto calle transiui. Pro illis ergo beneficijs, & victorijs præstitis *Quid retribuam?* &c. A

Reuocare in mentem oportet, quonam pacto iam supra Psalmo 22. v. 5. S. Dauid Sanctissimam Eucharistiam pulcherrimis testimonijs *mensæ paratæ, & calicis præclari*, & *inebriantis*, expresserat; videantur ibi dicta. Item Psalmo 49. introducens Dominum abolentem antiqua sacrificia Legis veteris, & statuentem nouum incruentum Sanctissimæ Eucharistiæ v. 14. dixisse Dominum dixerat; *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* His positis, nec non, & diligenter obseruato eo, quod Psalmo 21. v. 26. in persona Domini Christi dixerat; scil. quod *apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.* His, inquam, alijsque eiusmodi positis, & obseruatis, dum modò constituta iam Ecclesia magna, & in vnum congregato Populo graui quærit; *Quid retribuam Domino*, &c. quid quæso aptius ad referendas Deo gratias reperiat, quàm illa, quæ Diuinæ ipsius Maiestati iam supra placere, sibique offerri velle sciebat? Itaque non diù inquirendum, & consultandum mihi ait; B

V. 13. Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo. Licet interdum *Calix Domini* pro passione, & martyrio sumatur; hoc nihilominus loco pro Calice Eucharistico sumitur; vt euidenter ex citatis paulò ante Psalmis, & ex contextu, & connexione huius ipsius Psalmi deducitur; nam hic supponit pro transactis potius, superatisque Martyrijs gratias agendas esse, quàm pro subeundis implorandum auxilium, vt etiam dicetur mox v. 6. Itaque pro gratiarum actione *Calicem*, ait, *salutaris accipiam*, Sanctissimam Eucharistiam frequentabo, & sumam; nunc enim tempus est maximè opportunum Ecclesia in pace constituta id præstandi, & Sanctissimum Eucharistiæ Corporis, & Sanguinis Domini Sacrificium offerendi; C D

V. 14. Vota mea Domino reddam, quæ ex dictis in paulò ante citatis Psalmis 21. 22. 49. sunt Sacramenta Corporis, & Sanguinis Domini: hæc iam *reddam*; nihil his pretiosius; nihil Deo acceptius; ea *reddam* coram omni populo eius. in *Ecclesia magna* inter Gentes fundata, stabilita, publico Diuino cultu gaudente reddam illa offerendo, & sumendo. Hæc omnia consequentia omninò sunt; propterea non satis percipio, cur P. Lorinus dicat, quod *Calicem* pro Eucharistico sumere, & non pro *Calice* martyrij, videatur esse præter communem Ecclesiæ consensum, quandoquidem ipsa sensum suum sufficienter declarat pro *Calice* Eucharistico; dum ante ipsius sumptionem in Sanctissimo Missæ Sacrificio præscribit hisce ipsis Psalmi huius verbis esse vtendum; *Quid retribuam Domino*, &c. *Calicem salutaris accipiam*, &c. Deinde, vt supra Psalmo 22. vidimus, multos planè Patres citat pro Eucharistico Calice interpretantes, *Calix meus inebrians, quàm præclarus est!* v. 5. quidni, & idem ijdem hic sentiant? Quid aptius illo Diuinissimo Calice ad reddendas Deo gratias? quandoquidem, vt ipsemet Pater asserit, sacrificans, & communicans reddit, & retribuit Christum Christo, Deum Deo, inuitatq; *in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum*, Cant. 4. v. 16. E F

A v.16. Approbat etiam id, quod Hebræi veteres dixerunt fore, vt in conuiuio iustorum Calicem nemo benedicere audeat, nisi solus Dauid. Christus hic Dauid est, qui cænantibus Apostolis accepit Calicem, ac benedixit. Et vt olim (Pausania referente, de quo etiam Vitruuius) Templa Gratiarum in foro erant collocata, quò commodiùs, ac promptiùs quivis gratias referre, & accipere posset: ita Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & Sacrificio nihil in Christi Ecclesia apud eius bonos filios, & Fideles frequentius. hic ergo *Calix* ille est, quem se Christi Fidelium voce, & affectu sumpturum; hæc sunt *vota*, quæ se *redditu-*
B *rum* dicebat S. Dauid; eò quod de tantis tribulationibus, & calamitatibus (quas humanitùs ferre non potuissent) Fideles, & Ecclesiam suam eruerit.

Cæterum huius rei occasione cum præuideret in Ecclesia à persecutoribus edendas esse innumerabiles Christi Fidelium strages, easque ipsas, tanquam iam patratas, hoc Psalmo celebraret; ne quis miseram, & lugendam eorum sortem arbitraretur; sed vt beatam, ac felicissimam esse sciret, ait;

V. 15. pretiosa in conspectu Domini mors
C Sanctorum eius. his pauculis verbis complectitur, quod Sapientiæ cap.3. fusè deprædicatur; quasi & ipse dicat: *Iustorum animæ in manu Dei sunt; & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori; & æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est inter exterminium, illi autem sunt in pace*, &c. plura ibidem. & apud Pater Lorinum.

De tantorum, & Deo tam dilectorum Christi seruorum Societate sibi ipsi congratulans, & quod etiam ipse eo in statu sit constitutus, in quo videat, &
D confidat, quandocunque mori contigerit, suam pariter mortem pretiosam in conspectu Domini futuram, lætitia gestiens exclamat.

V. 16. O Domine quia ego seruus tuus: ego, emphasim habet *ego* repetitum; & designat Christi Fideles omnes, qui prius ex Gentibus Idololatris erant; *ego* seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Ecclesiæ scil. talis vt fierem; mirabiliter, misericorditer, & fortiter à te, & per te
E factum est; nam,

Dirupisti vincula mea. Supra Psal. 67.7. vocauerat eos *vinctos*. *Qui educit vinctos in fortitudine*. & Psal. 106.10. *Sedentes in tenebris, & in vmbra mortis; vinctos in mendicitate, & ferro*. Planè innumerabilibus vinculis constrictæ erant miseræ Gentes; sed benignissimus Dominus *aspexit, & dissoluit Gentes*. Hab. c.3.6. *In hoc*, enim, *apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli*. 1. Ioan. c.3.8. Gaudet ergo, quivis Christi Fidelium è Gentibus conuersus, quia *dirupisti vincula mea*. Grande etiam hoc,
F vnà cum supradicto, ob liberationem, & victoriam de persecutionibus, Dei beneficium, gratiarum actionem cùm exigat, & cùm sciat, ex supra dictis Psalmo 49. placere Domino *sacrificium laudis. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*; promptissimè ait;

V. 17. tibi sacrificabo hostiam laudis, &

nomen Domini inuocabo. Iuxta ibi dicta Pœnitentiæ, & Confessionis Sacramentum hoc loco commendat; nam S. Dauid hìc eo respicit: sicuti etiam in eo, quod subiungit; A

V. 18. Vota mea Domino reddam; intelligit, quod paulò ante dixerat; Sanctissimum Eucharistiæ Sacrificium, & Sacramentum; & quod repetens, & quasi denuò inculcans, ait, se ea vota redditurum in conspectu omnis populi eius: & adhuc B

V. 19. in atrijs domus Domini in medio tui Ierusalem. hac lætissima inculcatione, repetitione, seu exaggeratione; quod in *conspectu omni populi eius*; quod *in atrijs Domus Domini*; quod *in medio tui Ierusalem*; planè indicat se agere de tempore quo Ecclesia Christi pace, tranquillitate, publicoque diuino cultu fruebatur, C complectens sinu suo omnes populos, habens quamplurima *Atria*, idest, Particulares Ecclesias in varijs Nationibus, & Regionibus Mundi sibi subiectas, vt dictum est Psalmo 95. v. 8.

Insuper; ly *In medio tui Ierusalem*, indicat nouam illam, sanctamque Ierusalem, cuius *muri in bona voluntate benigni Domini, vt ædificarentur*, postulabat Psalmo 50. v. 20. iam plenè extructos, perfectosque esse Ecclesia Christi inter Gentes fundata, & pace, atque tranquillitate gaudente, publicum Diuinum cultum & proponente, & exercente. D

His ergo postremis huius Psalmi verbis S. Dauid, licet diuersis verbis; re ipsa nihilominus, dum dicit se redditurum *Vota sua Domino in conspectu omnis populi eius*; *In atrijs Domus Domini*; *in medio tui Ierusalem*; re ipsa, inquam, idem dicit, quod Malachias capite primo V. 11. respiciendo hæc ipsa tempora; de quibus loquebatur S. Dauid, aiebat; *Ab ortu Solis, vsque ad Occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Et certè Sanctissimum Prophetam Dauidem voluisse id dicere, & re ipsa id dixisse, dubitare nullatenus possumus; quandoquidem postea quam ea verba pronunciasset, statim consequentissimo rerum, lætitiæ, gratiarum referendarum, & Deo dicendarum laudum ordine, conuerso sermone ad eos tam multos, & omnes populos, quos magna, & fœcunda Mater Ecclesia gremio suo complectebatur, & qui Sanctissimo Missæ Sacrificio, quod solùm in ea omnipotenti Deo offertur, atque eiusdem, & aliorum Sacramentorum participationi intererant, & interfuturos tanquam præsentes conspiciebat; conuerso, inquam, sermone ad eos, cordis sui lætitiam neque ipse capiens, in lætissimas illas voces, tanquam tonitruum magnum, quod exaudiendum esset in omnem terram, prorumpit. E F

PSAL-

A

PSALMVS CXVI.

Laudate Dominum, &c.

Tituli Psalmi CXVI.

B

Alleluia.

V. 1. Laudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi. dictum hoc esse de Gentibus ad Fidem Christi conuertendis explicat S. Paulus ad Rom. 15. v. 11. Motiuum autem, quod maximum C Gentes habent laudandi Deum, S. Dauid insinuat Versu sequenti, faciens se, siue gerens se, tanquam si vnus ex illis esset, *Laudate* ait,

V. 2. Quoniam confirmata est super nos (quibus nihil debebat) misericordia eius: id quod inserui, subintelligendum esse, colligitur ex ijs, quæ de Conuersione Gentium differens S. Paulus illo capite ait, *Christum Iesum ministrum fuisse Circumcisionis* (idest, vt optimè notat P. Emm. Sà, Iudæis prædicasse; D propterea ipse Dominus Matt. c. 15. 24. dicebat; *non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*. Et Lucæ c. 24. v. 47. præceperat prædicationem Euangelij inchoandam ab *Ierosolyma*) idque ideò factum fuisse, & fieri debuisse, pergit S. Paulus, *propter veritatem Dei*; idest, propter fidem in promissis, vt statim subiungit, *ad confirmandas promissiones Patrum*, patribus, qui ex Iudæis erant factas. quid autem Gentes? certum est illas promissionis (saltem immediatè cum ipsis factæ propter dicta supra Psal. 104. v. 9.) Spem non habuisse, propterea ait, *Gentes autem super misericordia*, ob misericordiam meram, nullo ipsis titulo debitam; *honorare Deum*, E subintellige eas debere, quod misericordia cum ipsis fecerit, & eam non quomodocunque, sed *quoniam confirmata est super nos*, à nobis non recessura, neque nos vnquam amplius desertura est *misericordia eius*, vt Iudæos deseruit; & veritas Domini, pactum, & Testamentū, quod nobiscum pepigit, manet in æternum. promittens ipse Dominus, Matth. vltimo, se futurum *nobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Vel etiam (quia adhuc aliquid amplius videtur innuere *manet in æternum*) significatur, quod (vt S. Chrysost. Io. 14.) F veritas fidem tenens rectam, veram, integram, in qua Christus requiescit, *manet in æternum*, quia nos perducit ad vetustum dierum, ad Deum nostrum, initio, & fine carentem.

Sic breuiter explicandum esse hunc Psalmum (& ad mentem Sancti Dauidis non esse, velle includere in eo Iudæos; vt vult P. Lorinus) constat ex data Diui Pauli explicatione, in qua, vt patet, etiam ipse excludit planè Iudæos ab hoc Psal-

Psalmo, in quo nihil omninò agitur de *Promissionibus*, quæ,vt dictum est,Iudæis A
fuerant factæ; sed solùm agitur de mera Dei *misericordia*, super qua, vel ob quàm
Gentes obligabantur *honorare*, & glorificare Deum adeò erga ipsas, quibus nihil debebat,misericordem.

Deinde clarum est, eos ad *Laudandum Dominum inuitari*, super quos *confirmata est misericordia eius*; hi non Iudæi, sed Gentes sunt; ergo ad has potissimum sermo dirigitur; quod patebit etiam ex Psalmo, qui hunc subsequitur 117. Atque nunc ad eius Argumentum.

B

PSALMVS CXVII.

Confitemini Domino, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXVII. C

Alleluia.



Idem, qui paulò ante conuersi ad Fidem ex Gentibus Laudes Domino inchoatas continuant. Id ita esse patet ex toto Psalmi contextu, ex ipsius Christi Domini Isaiæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli in eundem Psalmum Interpretatione.

In hoc nihilominus à me breuiter posito Argumento non diffiteor
superandas esse pauculas aliquas difficultates, quas mox subijciam, & resoluam; D
eæ tamen si cum ijs conferantur, quæ ex aliorum Argumentis oriuntur, minimæ omninò, minimique momenti sunt, cum aliæ inexplicabiles sint. Nam, qui ponunt hoc Psalmo agi de laudibus Deo dandis, & gratiarum actione ob liberationem,siue Dauidis à Saule, siue totius Populi Iudaici à captiuitate Babylonica, siue ob Templum extructum;hæc omnia,præterquam quod inconsequenter, & incohærenter hic intrudantur, constat Psalmum eiusmodi nullo modo admittere, quia,vt optimè Valentia obseruauit,nec liberatio Dauid fuit ęterna,neque Templum Salomonis; addamus, neque liberationem à captiuitate Babylonica fuisse E
felicitatem diuturnam.

Præterea, non in Dauide, sed in Christo, & eius Ecclesia plenè verificatum fuit,quod V.10.dicitur, *Omnes gentes circuierunt me*. Item, certum est Sanctum Dauidem hoc Psalmo alludere ad Canticum Moysis Exod. c.15. dum citat integrum eius Versum 2. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem*. Item ferè totum Versum 15.paucis mutatis; *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine*, &c. Vtrobique ergo de vna re agitur vltimatè, & primario intenta; sed S.Moyses nihil illorum supradictorum significare voluit, vt faci- F
lè constat ex toto contextu, ergo neque S. Dauid, sed vterque vnam, eandemque rem de qua agimus expressit. Insuper in illa acceptione explicari non potest, & quænam illæ *Portæ iustitiæ* sint, quas sibi aperiri vult S.Dauid, vt *ingressus in eas confiteatur Domino*. ver. 19. non sunt hę Ciuitatis Ierusalem carnalis, vt vult P. Lorinus, quia non hæc, sed noua Ierusalem vocatur *Ciuitas iusti*, *Vrbs*

Fide-

A *Fidelis*, Isaiæ c. 1. v. 27. vt ibi probabitur. Deinde cui rerum illarum, vel per coactissimam accommodationem quadrat versus 22. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* cum omnes Sacri Textus, illum de Christo, & ipse Christus de se intelligat, Matt.c.21.v.24.Mar.c.12.10.Luc.20.17. D.Petrus Actor.c.4.11. & idem 1.Ep.1.v.17.& Isaias c.28.v.16.

Quod autem ad hæc (quæ conuelli nullo modo possunt) respondet P.Lorinus, sufficere si mystico saltem sensu, quem intenderit Spiritus Sanctus affirmemus, de Christo, & Ecclesia sermonem esse; id non sufficere contextus ipse Psalmi to-
B tus, eiusdemq. cum antecedentibus, & consequentibus alijs Psalmis connexio ostendunt, vbi omnia, & singula veniunt in Explicationem consequentissimam, dum iuxta propositum argumentum explicantur; quod scilicet pergant Christi Fideles, seu ipsa Ecclesia Christo Sponso suo Regi, ac Domino Laudes concinere, sibique ereptæ de tantis periculis gratulari. Dum, inquam, iuxta hoc Argumentum omnia, & singula Psalmo contenta explicantur (non mysticè, sed propriè, verè ad intentum Psalmistæ, & iuxta omnem aliarum Scripturarum se se inuicem respicientium consonantiam, quod est literaliter) suomet pondere, & in-
C fluxu, non coacto, sed spontaneo, vt mox patebit, in Explicationem omnia veniunt; quod ipsum dubio procul literalis, & à Sacro Scriptore intentæ Explicationis indicium est certissimum. Nihilominus, qui secundo huic cursui obstare posse videtur, vnus prius, alterve paruus obex est amouendus.

Primus quidem, quod S.Dauid hoc Psalmo, dum ad laudandum Deum inuitat, ipso statim initio alloquatur Israelem: *dicat nunc Israel quoniam bonus*, &c.

Secundus est, quod expressam faciat mentionem Domus Aaron v. 3. *Dicat nunc Domus Aaron*, &c. quæ non de Christianis, sed de Iudaicis rebus Sanctum
D Prophetam agere videntur insinuare.

Verùm, vt dixi, parui omninò momenti hæc sunt. Nam, quod ad primum attinet, sæpiùs iam supra vidimus, per *Israelem*, intelligi eum, qui spiritualis Israel est per repromissionem, qualis dubio procul est Christianus Populus.

Neque quicquam officit, quod expressè fiat mentio *Domus Aaron*; nam non propterea dici potest S. Dauid, velle hic agere de Domo illa, seu progenie, & stirpe Aaronis; sed solum indicare vult, se eos hic alloqui, penes quos, iam esset Sacerdotium, sicut olim illud fuerat in Domo, & Familia Aaron. Prius au-
E tem sicut supra Psalmo 109. dixerat, Sacerdotium ab ea Domo transferendum, & auferendum; futurumque deinceps non secundum Aaronicum, sed *secundum ordinem Melchisedech*; hoc ergo Psalmo, quo Christi Fideles laudes Deo concinunt ob accepta tam insignia ab eius Maiestate beneficia, dum inuitatur ad Confitendum Domino *Domus Aaron*, sub ea voce (sibi enim S. Propheta semper, & in omnibus constat) solùm denotat, se eos *Nunc* ad laudandum inuitare, penes quos est Sacerdotium, vt olim erat in Domo Aaron.

Neque mirum videri debet, quod S. Dauid Ecclesiæ Christi, seu eius Fideles
F hoc nomine *Domus Aaronis* vocet; quando rem ipsam Sacerdotij scil. dignitatem ipsis attributam videbat.

Simili planè modo in hac ipsa Sacerdotij dignitate in Ecclesiam, & Christi Fideles translata, illud quod olim Dominus Populo illi Israelitico antiquo promiserat, si audirent vocem eius, &c. *eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & Gens Sancta*, Exodi c. 19. 6. S. Petrus 1. suæ Epistolæ cap. 2. de Christianis dictum fuisse,

cos-

eosque in eam dignitatem succeßisse ostendit. *Vos*, inquit, *genus electum, regale Sacerdotium, Gens sancta, Populus acquisitionis:* Regnum autem Sacerdotale, siue Regale Sacerdotium, vt optimè notat P.Emm.Sà, nihil aliud est, quam vbi, vel penes quos viget Sacerdotium, Dei cultus, in quibus Deus regnat, & à quibus colitur. Tales autem, & eiusmodi homines cum S. Dauid iam tot consequentibus Psalmis declarauerit (& maximè sequenti Psalmo 118. declaraturus sit) esse Christi Fideles in eius Ecclesia congregatos; quidni eos per *Domum Aaron* intelligat? in qua scilicet Sacerdotium, Dei cultum, omnia sacra vigent, quæ toties luxit ablata à Populo Iudaico. A B

Itaque planè per omnia immotum, inconcussumque manet propositum Argumentum Psalmi huius centesimi decimi septimi, qui celeberrimus, & cuius in Ecclesiæ solemnitatibus omnibus frequentissimus vsus est.

Is vberrimæ lætitiæ suæ, quam continet, fontem, & originem ducit, & prioris Psalmi tenuissima in speciem, vt magnorum Fluminum esse solent, scaturigine: cum enim, vt dictum est, inuitatæ fuissent *Gentes omnes* in Ecclesia congregatæ, *omnesque populi ad laudandum* Dominum, ijsdemque S. Dauid amplissimarum laudum perennem quemdam fontem aperuisset; *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum:* atque ita rem, qua nihil melius, Domini *super eos misericordiam confirmatam*, eamque iuxta promissam *veritatem in æternum mansuram* proposuisset; hinc planè initium ducit nouum hoc *Alleluia*. q.d. quantum est hoc bonum! C

PSALMVS CXVII.

D

V. 1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam, vt audiuimus; nobiscũ duratura est; in sæculũ misericordia eius. O vocem (vt paulò post dicam) exultationis, & lætitiæ!

V. 2. Dicat nunc Israel, Christianus Fidelis Christi Populus, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius. E

V. 3. Dicat nunc domus Aaron: iuxta dicta; quoniam in sæculum misericordia eius. F

V. 4. Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius. Quater hoc motiuum S. Dauid repetit, ex quo se se liquidißimam animo suo lætitiam percipere ostendit.

A dit. Et quid mirum, cum ex re opposita (quando scil. Populum suum Iudaicum misericordia, & gratia Dei priuandum aliquando proponebat) summa tristitia conficiebatur; vt vidimus valde sæpe, maximè autem Psalmo octuagesimo nono.

Illud etiam *Nunc*, quod ter repetit; *Dicat nunc Israel*, &c. significatiuum est temporis illius pacati, & tranquilli, quod Ecclesiæ post persecutiones erat concessum, vt statim subiungit; siue S. Dauid loquatur suo, tanquam vnius Christi,
B & Ecclesiæ membri; siue ipsius Ecclesiæ; siue etiam Christi, nunc vt capitis; nunc vt in membris suis existentis, & patientis, nomine; nam hæc omnia admittunt versus sequentes, & communis ipsa lætitia tot Fidelium sibi inuicem, & cum capite suo, eiusque vice Rectoribus, & Pastoribus ita coniunctorum, vt essent omnes cor vnum, & anima vna. Hac ergo, vt dico, acceptione, *Nunc* scil. in hac pace, reflexione facta ad præteritas tribulationes, & persecutionum angustias ait;

V. 5. De tribulatione inuocaui Dominũ:
C & exaudiuit me in latitudine Dominus; provt futurũ pronunciaui Psalmo 17. v. 20. & intelligitur provt ibi est explicatum. Et meritò quidem id sperare, & expectare poteram; nam

V. 6. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. quid timeatur homo nihili, vbi omnipotens est adiutor?

D V. 7. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam (ex alto) inimicos meos. liberatus ab eorum insidijs videbo me esse eis superiorem, vt verè accidit Christi Ecclesiæ, propterea

V. 8. Bonum est confidere in Domino. destituti omni humano auxilio Christi Fideles non habebant alium, in quo con-
E fiderent præter Dominum, & experientia didicerunt, quod *Bonum*, & longè melius id eis fuerit; quàm confidere in homine. vt alij Idololatræ faciebant, qui impietatum suarum, & superstitionum defendendarum summam in suorum Principum, & Imperatorum fortitudine, & Dominio collocabant; verùm patuit iam toti Mundo, quod

V. 9. Bonum est sperare in Domino, quã
F sperare in principibus. Ipsi quidem Principes; imò vnà cum ipsis ad nocendum mihi

V. 10. Omnes gentes circuierunt me: vbique terrarum me persequentes, præmentes, & veluti obsidentes ad expugnandum, vt mox dicet; deinde subintelligendum est, quod illæ quidem *circuierunt me*,

nunc verò ego Confiteor Domino, ipsumq; laudo, & benedico; factum enim est A
& in nomine Domini; idest inuocatione nominis Domini, siue eiùs potentia, & auxilio; vt benè Pater Lorinus. quia vltus sum in eos. Ter repetita hæc gratulatio (*quia vltus sum in eos*) quàm habent ij, qui Sancti, & pleni charitate sunt, cogit dicere, hìc agi de *vltione* plena charitate; quando scil. Christi Ecclesia, eiusque filij lucrabantur Deo eos, qui ipsos quærebant ad mortem. hoc sensu aiebat, S. Ioan. & hortabatur Christi Fideles, Apocal. c. 18. v. 6. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis*; & ipse S. Dauid hoc ipso B sensu dicet infra Psal. 136. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*. v. 8. Quid hac vltione sanctius? & quanta lætitia sic de inimicis suis vltum fuisse? Plura de hoc vlciscendi diuino planè modo supra, & in Isaia. Pergit ergo S. Dauid, & tanquam ob rem, quæ cum summa lætitia coniuncta sit, repetitò ait; quod

V. 11. Circumdantes circumdederũt me: & in nomine Domini, quia vltus sũ in eos. vt supra. C

V. 12. Circumdederunt me sicut apes, non solùm ob multitudinem, ob nocendi conatum cum propriæ mortis damno; sed etiam, quia persecutionibus Christi Fideles redditi sunt melliti, dulciores, atque delectabiliores ad imitandum, vt notat Remigius apud P. Lorinum, qui etiam plura de hac similitudine; & exarserunt sicut ignis in spinis; D idest vt P. Sà, magno fragore, seu impetu aggressi, sed statim extincti; & in nomine Domini, quia vltus sum in eos. ab illis ergo tam multis hostibus, & aduersarijs vndique me, & vbique circumdantibus;

V. 13. Impulsus euersus sum vt caderem; idest magno quidem illi nisu, & conatu nitebantur deijcere, & Dominus suscepit me. E S.Hier. sustentauit me, & sic

V. 14. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. alludit ad Canticum Moysis Exodi c. 15. v. 2. imò ipsissima eius verba ponit; si Dominus factus *est mihi in salutem*, illam tam plenè, & cumulatè dando, quid ergo superest, nisi, vt *nunc*, continuò exaudiatur, vt verè auditur F

V. 15. Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Et quidni hæc vox audiatur in Ecclesia? quandoquidem

V. 16.

A V. 16. Dextera Domini fecit virtutem : dextera Domini exaltauit me : dextera Domini fecit virtutem. Christum per Ecclesiam, pariter cum ipso exaltatã rursus hic alludit, & ferè idem dicit, quod Moyses Exod. c. 15. 6. qui ait, *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti ini-*
B *micos tuos*. Propter hanc repetitam allusionem quam S. Dauid facit Cantici Moysis, necesse est dicere, illo Cantico S. Moysem, licet præsentes Israelitas post transitum Maris Rubri tangeret, nihilominus futura Christiana, & hæc ipsa, de quibus hic agit S. Dauid, dicendus est prospexisse, & tanto ante præsignificasse. Id fusiùs probare cum non sit huius loci, sed reseruetur propriæ eiusdem Cantici explicationi, si Domino placuerit; modo ad dicti confirmationem sufficiat dicere, quod satis apertè hæc Christiana nostra tunc intellexerit S. Moyses; quandoquidem prope finem eiusdem sui Cantici versu 17, ait de Populo Domini; *Intro-*
C *duces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ*. Hæc cum constet non conuenire carnalibus illis Israelitis, quia nequaquam fuerunt *plantati* (idest firmiter radicati, vt non euellerentur, quia neque illi *in monte hereditatis Domini*, quæ est Ecclesia inter Gentes) *in monte hereditatis Domini*, cuius hereditas erant (& sciebat vtique futuras S. Moyses) Gentes; neque *firmissimum habitaculum* habuerunt qui etiam id ipsum, quod habebant perdiderunt; neque *Sanctuarium*, quod fuit destructum; cum, inquam, hæc constet illis non conue-
D nire, superest, vt S. Moysem dicamus, respexisse omninò ad Christi Ecclesiam, & ad hæc ipsa eius tempora tranquilla, quibus Populum Domini *plantatũ in monte hereditatis* suæ, constituta Ecclesiæ Sede inter Gentes in ipsa Vrbe Gentium omnium Domina, *firmissimo habitaculo suo, quod operatus est Dominus*; *Sanctuario, quod firmauerunt manus eius*, per quæ sæpiùs dicta Ecclesiæ perpetuitas declaratur; cum, inquam S. Dauid, hæc ipsa videret, & gaudio exultans cantaret; quidni etiam ipsis S. Moysis verbis vtatur? & ad sui Psalterij maiorem consonantiam in materia lætissima, imò in materia vna eademque etiam chordas illas, suis vetu-
E stiores, attingat? omninò ait, vt olim Moyses, *Dextera tua Domine magnificata est*; sic ipse *Dextera Domini fecit virtutem*, &c.

Et hic planè ipsissimus est ipsius totius Ecclesiæ Christi sensus, quæ inter Prophetias Sabbato Sancto cantari solitas ad finem quartæ, quæ est de transito à filijs Israel Mari Rubro, apponit *Tractum, Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est: equum, & ascensorem proiecit in mare:* Deinde coniungendo quædam verba, quæ S. Dauid hoc Psalmo protulit cum alijs S. Moysis (vt vtrumque de eadem re, nimirum de se ipsa, locutum fuisse ostenderet) ait; *adiutor, & prote-*
F *ctor factus est mihi in salutem. Hic Deus meus, & honorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum*, &c. Deinde in Oratione, quam *Tractui* huic subiungit postulat, *vt in Abrahæ filios, & in Israeliticam dignitatem totius Mundi transeat plenitudo*. Hoc cum sensim etiam inter acerbissimas persecutiones fieret, & tandem vincente eas Ecclesia, & vt petebatur, totius Mundi plenitudo iam in Abrahæ filios, & Israeliticam dignitatem penè transijsset; quidni, vt dictum est, ipsa Ec-

clesia dicat, ***Dextera Domini fecit virtutem***,&c. sed pergit sibique, adhuc amplius congratulans ait; A

V. 17. Non moriar, vt me planè interimere, & exterminare conati sunt mei persecutores; sed viuam: & narrabo opera Domini, quod nunc facio; quod non sim exterminata, illa ipsa sunt eius opera, quæ deprædicabo; id enim solius virtutis, & fortitudinis dexteræ eius fuit. Nam quid de immanitate persecutionum dicam, quæ me toties obruere planè poterant? B

V. 18. Castigans castigauit me Dominus; sæpè iam dictum (quod omnes Ecclesiæ produnt Historiæ) persecutionibus Dominum purgasse Christianorum peccata; sed ***castigauit me Dominus***, vt Pater; & morti non tradidit me; quod persecutores intendebant.

Itaque iam (ijs victis, & sublatis) quod supra Psalmo quadragesimo quinto v. 10. futurum dicebam; quod Dominus ***Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni***. post quod dicendum esset ***Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus***; cum, inquam, id, quod dicebam iam plenè contigerit; sublata sint persecutionum bella; contritus tyrannorum arcus; confracta arma; combusta igni potentissimo Sanctissimi Spiritus omnia hostium Gentilium Idololatrarum scuta, & machinæ; sitque Dominus Noster ***exaltatus in Gentibus, & exaltatus in terra***; nihilque aliud supersit, nisi vt ***Vacemus***, & sacro minimè otioso otio perfruamur; iam nunc; C

V. 19. Aperite mihi portas iustitiæ: detur mihi, & certè iā in Ecclesia conceditur mihi Deo vacandi, Diuino Cultui attendendi, virtutes exercendi, omni perfectioni, & sanctitati studendi libera, & expedita facultas; has ***portas iustitia***, scil. sanctitatis, & omnimodę perfectionis, vocat portas, & aditus: ingressus in eas confitebor Domino; supra enim dixeram quod, ***Beati qui habitant in Domo Domini, in sæcula sæculorum laudabunt eum; ibunt de virtute in virtutem***. Psal. 83. D

Vt ingredi possim in has portas iustitiæ, & ingressus in eas confiteri valeam Domino, ingredi omninò debeo per portam; alia verò porta non est, quàm E

V. 20. hæc porta Domini, hæc ipsa Ecclesia eius Sāncta Catholica (ita sentientes citat P. Lorinus vel Augustinum, vel Emissenum; addendum id dubitari non posse, quia hoc ipso nomine ***Porta***, & quidem ***Porta Cæli*** Ecclesia Christi vocatur, Genesis cap. 28. v. 18. à D. Patriarcha Iacob, vt supra etiam insinuatum fuit Psalmo 104. v. 10. ***Non est hìc aliud nisi Domus Dei, & Porta Cæli***) per hanc Portam iusti intrabunt in eam. illi pascua inuenient; illi portas iustitiæ ingredientur, & ingressi in eas confitebuntur Domino. Obseruandum obiter occurrit; quod pulcherrimo ordine, & concatenatissima connexione S. Dauid hoc loco viam sibi aperit ad proponendum deinde Psalmum sequentem de ***ambulanda via iustitia***, & mandatorum F

Dei:

A Dei: deinde facta ad conscendendos Gradus perfectionis, Psalmorum Gradualium propositione, inde ad Tertium Alleluia progredietur, & paucis per modum Recapitulationis totius Psalterij sui interiectis, ostensaque Domini Christi Iesu exaltatione (quæ summa est rerum omnium quæ toto Psalterio dicuntur, vt initio dictum fuit) cum Quarto demum *Alleluia* totum hoc suum consonantissimum Psalterium terminaturus est.

Sed vt ad id, vnde hoc breui notato digressus sum, reuertar; vbi Fidelis Christi Populus ex Gentibus collectus se tantam felicitatem consecutum vidit, quod
B Dei ope meruisset *Portam Domini*, Ecclesiam eius Sanctam ingredi, in qua non dubitabat sibi *portas iustitiæ* apertum iri, confirmat grati debitique animi sui propositum, quod omninò

V. 21. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Hoc apposito S. Dauid posteaquam Dominū Iesum ostendisset, sic, & in tantam *salutem factum* esse Gentibus, subijcit statim
C magnam illam pulcherrimam, & ponderosissimam sententiam, tam sæpe deinde ab alijs, vt initio Psalmi insinuaui, citatam, & ab ipsomet Domino Iesu, Matt. 21. de se, & ad rem, de qua pronunciata fuerat explicatam, & est; eo pacto, & rebus sic cum Gentibus, & cum Ecclesia Christi inter eas, & apud eas fundanda gestis, stupendo Dei consilio, quod etiam ipse S. Dauid obstupescit, factum videmus; quod

V. 22. Lapidem quem reprobauerunt
D ædificantes, Christus, quem Scribæ, Pharisæi, Seniores, Principes Iudæorum renuerunt accipere (nam hi ipsi cum Christus eis hanc Prophetiam citasset, Matt. 21. v. 46. *cognouerunt quod de ipsis diceret*) ipse ergo *Lapis reprobatus* hic factus est in caput anguli. propterea Petrus, ac Paulus in Epistolis suis, citantes hunc Psalmum, & Isaiam, vt supra, vocant Christum *lapidem angularem, summum, electum, probatum*, &c. maximè autem ad propositam explicationem connexam facit, quod S. Paulus huic innixus S. Dauidis sententiæ,
E & similitudini, *lapidis angularis*, ostendit, & gratulatur omnibus Gentibus, ad Ephesios cap. 2. 19. quod iam *non essent hospites, & aduenæ, sed essent ciues Sanctorum, & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. quod est; illud actu ipso factum ostendisse, quod S. Dauid tanquam præsens cernebat, & prædicabat: planè res hæc grandis fuit, vocatio scil. Gentium, & substitutio earum in Regnum Cælorum loco Iudæorum; eam *Mysterium* vocat S. Apostolus Rom. c. 11. v. 25. *Sacramentum voluntatis suæ*. Ephes. c. 1. v. 9. sic etiam S. Dauid,

F V. 23. A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris. in omnium quidem oculis mirabile est hoc, siue, qui ex Gentibus sunt, siue qui ex Iudæis; sed maximè *obstupuerunt ex Circuncisione Fideles, qui venerant cum Petro* in Cornelij domum, *quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*, Acto-

Actorum cap. 10. v.45. Verùm cum hoc sit *Mysterium* illud, de quo Apostolus paulò ante citatus, Rom. 11. 25. loquitur, quod scil. *caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret*; hoc totum saluationi Gentium à Domino concessum tempus Gentes conuersae loquuntur. A

V. 24. Haec est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & laetemur in ea. nos scilicet, quibus Dominus tanta bona fecit. Sic S.Hier.in Isa.c.52.& S.Aug. *Diem* hanc extendunt ad totum tempus nouae legis. Cum ipsis etiam exultat, & laetatur S. Dauid; ita tamen, vt facta mentio *lapidis angularis*, & structurae tam insignis, quae ex Gentibus fiebat, in memoriam ipsi reuocet Populum illum suum Iudaicum, qui interea non superaedificabatur Lapidi illi summo angulari; cupiens ergo *vtraque fieri vnum*, Eph. 2.14. & vt *duos populos conderet in semetipso*; solicitus iam, & suspirans paucis interiectis verbis pro suo Populo Iudaico ait; B

V. 25. O Domine saluum me fac, eo, quem dixi modo, vt ex me etiam super te *Lapidem angularem* structura surgat; ò Domine bene prosperare; C haec dudum erant mea pro te vota, iam inde à Psalmo 44. 5. *prosperè procede, & regna*. Confidebam futurum, quia *prosperum iter facit nobis Deus salutarium nostrorum*. Psal.67.20.& ipsis militibus tuis ad illam arduam Gentium conuertendarum expeditionem proficiscentibus SS. Apostolis, Discipulis, totique Ecclesiae tuae benè precatus fueram, Psalmo 19. vt *tribuat tibi* Dominus *secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet*. Planè haec omnia, ad votum omnia successerunt; nunc etiam in eo, quod restat, Populo scil. meo Iudaico, quem tanquam me ipsum diligo, conuertendo; *ò Domine bene prosperare*; vt etiam ille tibi dicat, quod Gentes omnes (figuratae in illis, qui tibi in Ierusalem ingredienti in Palmarum triumpho applaudentes dicebant, *Benedictus*, &c.) vt, inquam, etiam ille Populus meus tibi dicat D

V. 26. benedictus qui venit in nomine Domini. sic verbis his agnoscere se fateatur, te esse verum suum Deum, ac Dominum; hoc enim est, *venire in nomine Domini*, non solùm iussu, seu missione; sed in virtute propria Domini, vt etiam dicetur in Isaia. E

Haec explicatio colligitur ex ipsis verbis Christi, Matt.cap.23.39. vbi praedicto Iudaeis, quod *relinquetur vobis Domus vestra deserta*, subiungit ipse Dominus citando haec ipsa verba S.Dauidis. *Dico enim vobis non me videbitis* (subintellige per Fidem, quam tam obstinatè respuebant) *amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*. ex quo infertur; haec verba vsurpanda esse aliquando à Iudaeis; sed intercessurum longum tempus caecitatis, & Christi ab eis absentiae, F quam proinde etiam S.Dauid hic luget, & optat, vt saltem aliquando, vel ad finem ipsum Mundi, postquam plenitudo Gentium intrauerit, dicant, & agnoscant, quod *Benedictus qui venit in nomine Domini*.

Et hoc est, pergit S. Dauid, quod quandoquidem *relicta est Domus vestra deserta*, iuxta comminationem Domini, aliamq. ipse sibi Domum, quae est eius Eccle-

A clesia, inter Gentes constituit; hoc inquam est, quod vobis miserantes sortem vestram miseram precari optimum potuimus, & precati sumus, &

Benediximus vobis de domo

V. 27. Domini, in qua Domo per eandem in Christum Fidem sumus, neque ab ea vnquam recessimus. precamur vobis à Domino, vt, & vos nobiscum in eadem Domo Domini gratu-
B lari possitis, & agnoscere, quod nos agnoscimus; scilicet, quia Deus Dominus, subintellige, est, & illuxit nobis, lumine Fidei. Simili ferè modo Numer. c. 6. v. 24. iubebantur benedicere Sacerdotes; *benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem tibi*, pergunt in apprecatione, & benedictione in votis, & desiderijs suis pro ijs pereuntibus Christi Fideles, & optantes aiunt: ò & vos aliquando, qui sine Lege, Templo, Sacrificio, imò & sine Deo estis ad Ecclesiam accedentes, iunctique nobiscum

Constituite diem solemnem in condensis:

C per *condensa* hìc intelligitur locus, vbi frequentia sacrificia, victimæ, & oblationes fiunt; & vbi est frequentia cœtus, & multitudinis hominum, quod insinuat vetus Psalterium Romanum habens pro *condensis*, in *frequentationibus*. sic communior est acceptio eius vocis, & vtraque valde quadrat Ecclesiæ Christi, siue nouæ Ierusalem, in qua, Psal. 50. futurum prædixerat, vt Dominus acceptaret *sacrificium iustitiæ oblationes, & holocausta*; ad eam ergo inuitantur, qui nunc extra eam sunt Iudæi, & illis dicitur, & vos etiam facti ciues Sanctorum, & dome-
D stici Dei nobiscum *constituite*, &c. & qui modò estis extra Dei Templum, per Fidem ingressi, cũ alijs accedite vsque ad cornu altaris, sicut nos facimus. Dicite & vos nobiscum Domino Iesu Christo, eius Diuinitatem profitentes,

V. 28. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

E Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. & sicut nos facimus, etiam vos nobiscum

V. 29. Confitemini Domino quoniã bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

A

PSALMVS CXVIII.

Beati immaculati,&c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CXVIII. B

Alleluia.

§. I.

Ater Alcazar de hoc Pſalmo, qui eſt ordine Nonus inter ſecundi
ordinis Pſalmos Alleluiarios, benè ait, quod eum attentè qui le-
gat, facilè videat in eo Chriſtianum Populum induci Deo agentem
gratias, quod ei præſentiſſimam opem tulerit, & victoriam de
ſuperbis Principibus illum perſequentibus tribuerit. Colligere C
hoc licet ex plurimis eiuſdem Pſalmi ſententijs; v. 12. *Increpaſti*
ſuperbos. v.23. *Sederunt Principes, & aduerſum me loquebantur*. v.46. *Loquebar*
de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. v.51. *Superbi iniquè*
agebant vſquequaque. v.69. *Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum*. v.78.
Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me.

Addit aduertendum eſſe, quod quoties S. Dauid ſuperborum Principum me-
minit, id nominis propriè Romanis Ethnicis tribui; quod verum omninò eſſe
conſtat ex dictis in Capitibus Præuijs, & Notatis, Notato 5. §. 2.3. & 4. Atque D
hinc etiam apparet, quanta ſit cum antecedenter dictis connexio, & conſequen-
tia rerum.

Hoc ergo Pſalmorum omnium Pſalmo longiſſimo non ſolùm grata memo-
ria celebratur de illis Principibus, & Perſecutoribus ſuperatis; ſed etiam pace
iam obtenta Chriſti Fideles ſe ſe promptiſſimos ad obſeruanda Dei mandata, vi-
tamque immaculatam ducendam offerunt. Ipſa autem Dei mandata, vt optimè
P.Emmanuel Sà notat, hoc Pſalmo vocantur præcepta, æquitas, iudicia, iuſtitiæ,
iuſtificationes, teſtimonia, verbum, verba, eloquium, eloquia, ſermonem, viam, E
vias, legem, veritatem, ordinationem. Quod autem non tantùm Decalogum,
ſed ipſam, & potiſſimùm Legem Euãgelicam intelligat S.Dauid, per illa iam dicta
verba pluribus paulò poſt cõſtabit. Interim obſeruandum eſt, quod cum hic Pſal-
mus proponeretur cantandus in via ab ijs, qui ad Templum Ieroſolymitanum
aſcendebant; pulcherrimo, atque connexiſſimo ordine ita ſtatuitur hoc loco hic
Pſalmus (vltimus inter eos, quibus gratiæ Deo referuntur à Chriſti Fidelibus
vniuerſim, & pro ſæcularium, & coniugatorum potiſſimùm Claſſe ſumptis) vt
ſimul etiam tanquam ex ipſa via perducat ad Templi ipſius Gradus, & initium F
det ipſis Pſalmis Gradualibus, qui tertiæ Claſſi virorum Cultui Diuino, & Mi-
niſterijs Templi dedicatorum magis conueniunt, & poſt quos ipſorum proprium
Alleluia conſequetur.

§. II.

Potiſſimùm autem, atque omnium maximè memor hoc loco eſt ſtatutę à Chri-
ſto

A sto Deo, ac Domino suo Legis, quam in magna Domo Ecclesiæ suæ vellet accuratè obseruari, vt non nisi *ambulans in via immaculata ipsi* ministraret, Psal. 100. v. 10. Pro ea consequenda solicitus, vt vidimus Psalmo priori, *aperiri sibi portas iustitiæ* postulabat v. 19. viam sibi iam tum, vt dictum est, sternendo ad hunc Psalmum, imò, & ad alios Graduales, & tandem ad ipsius totius Psalterij lætissimam clausulam. Iam ad ipsum Psalmum propius accedendo præter notata ex P.Em. Sà de tam multiplici acceptione præceptorum Legis, siue mandatorum Dei, testimoniorum, sermonum, eloquiorum eius, &c. animaduertendum est, hæc à
B S. Dauide non tam dici de præceptis, siue Decalogo, aut de præceptis siue iudicialibus, siue legalibus, siue moralibus, & cæremonialibus Legis antiquæ; quàm de nouo Christi Testamento, nouaque eius Lege, eiusque eloquijs dulcioribus super mel ori suo. ad hæc potissimum respexit: nam cum hunc Psalmum pangeret, tunc quidem pauca Prophetarum extabant eloquia. Itaque etiam ipse cum Abrahamo in spiritu vidit, neque solum vidit, sed etiam audiuit, *quæ multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & audire* (Luc. 10.24.) *& gauisus est*. Ioan. 8. v. 56. propterea ad hæc potissimùm, quæ Christi erant verba, verè verba *vitæ*
C *æternæ*, Ioan. c. 6. 69. quæ ipsum verbum, vita æterna, qui erat *Principium, qui & loquebatur*, Ioan. c. 8. v. 25. tanquam potestatem habens, & ad ea, quæ ipse dicturus, & locuturus erat, qualiter nullus vnquam homo locutus est; & quæ ipse præsentia habuit, & per vnctionem Spiritus iam tam multa didicerat; quæ etiam partim in inimicorum dilectione ipso opere exercuerat; ad ea, inquam, hoc Psalmo prolixo etiam, & præcipuè respicit S. Dauid. Sub sua ergo, siue sua, & cuiusvis Christi Fidelis Domini sui Legem sic vniuersim sumptam obseruantis voce præsentes, qui in eadem Christi Ecclesia sunt, & legem obseruant alloqui-
D tur, eosque alloquendo, atque eorum felicitatem, & maxima bona, quæ ex eius obseruatione percipiunt enumerando, alios omnes ad eandem inuitat.

§. III.

Quod autem ad infimi status in Ecclesia Fideles Psalmus hic propriè pertineat, vt dictum est, præterquam quòd contentum eius satis id declaret, maximo insuper indicio huius ipsius veritatis sunt ipsæ Alphabeti Hebraici literæ, quæ singulis octonarijs Versibus huius Psalmi præfiguntur, tanquam si modò genitis, & in Christiana vita adhuc rudioribus prima elementa, & rudimenta tradere in-
E tendisset S. Dauid, vt omninò intendit. Et hæc ipsa, vt benè obseruauit P. Lorinus, fuit D. Ambrosij post Hilarium ratio eius Alphabèti, & octonarij numeri, vt scilicet tanquam pueri huiusmodi elementis vsum discamus viuendi; & vnitatem doceamur, atque purgationem legitimæ sanctificationis, &c. Neque dictis obstat, quod Psalmus hic distributus in quaternas Horas Canonicas, proponatur quotidie recitandus ab ipsis Dei Ministris, & Sacerdotibus; nam id primò quidem ad populi Christiani fit instructionem; deinde ipsimet illis fundamentis mandatorum Dei inconcussis egent, vt deinde per Gradus, qui statim sequuntur, &
F ad ipsos spectant, ad sua ministeria dignè Deo exhibenda, ascendant.

§. IV.

Præterea, quod valdè obseruandum est, in hoc ipso Psalmo, qui vitæ Christianæ rudimenta, & fundamenta continet, S. Dauid designat, & exprimit perfectiores semper vias, seu status incipientium, proficientium, & perfectorum; ita vt per eas vias ambulare inuitentur ipsi Fideles, qui in ipso infimo statu vitæ Christianæ

S sunt,

sunt, quibus quidem dabitur facilis facultas, etiam Gradus ipsos ascendendi post A
quam in suo statu supremam attigerint perfectionem; sicuti è conuerso Dei Minister, qui eam non attigerit, vlterioribus, & altioribus Gradibus ad Dei ministeria dignè obeunda conscendendis insufficiens, & ineptus omninò erit; *qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* 1. Tim. 3. 5. qui partes Fidelis hominis sæcularibus implicati non adimplet, neque est ferendis oneribus minoribus; quomodo maiora portabit?

Porro, quod dictum est, hoc Psalmo designari perfectiores semper vias, per quas ipsis Christi Fidelibus ascendendum, progrediendumque sit ad vlteriora, B
id S. Dauid sufficienter indicauit ipso initio Psalmi, dum quasi statuendo eius thema dixit, *Beati immaculati in via*, & quod non loqueretur de materiali via spatij itineris; sed morali, atque spirituali progressu in Christianæ vitæ perfectione subiunxit, *qui ambulant in lege Domini*. Atque hinc est, quod neque frustranea, neque inutilis, & iniucunda sit illa tam frequens repetitio eorundem terminorum; *mandatorum, sermonum, viarum, iustificationum, verborum*, &c. quandoquidem illi recurrunt respectu ad diuersas vias semper perfectiores inter se habito, provt constabit ex Psalmi explicatione, in qua id ipsum subinde breuiter adno- C
tabitur, sicut etiam quando ad dicta prioribus Psalmis S. Dauid respiciet; quod etiam hoc Psalmo sæpius facit, atque eo ipso respectu, & quasi recapitulatione dictorum suorum planè ostendit se connexè semper, consequenterque loqui, & in re semel atque sermone proposito se permanere, neque fortuito, & casu aliquo Psalmum hunc hoc loco, sed summo consilio collocauisse. Et iam paulo ante indicatum est, ad quam multos Psalmos ipso huius Psalmi initio se respicere ostendat, dum illum a simili & voce, & contento inchoat, quo ipsum suum Psalterium inchoauerat; *Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini*; D
hic dicendo, seu potius repetendo, quod ibi dixerat; *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in Lege Domini voluntas eius*, &c.

§. V.

Quo quidem modo loquendi S. Dauid insinuat, se agere de ijs, qui à grauioribus noxis, & culpis immunes sunt per exactam Diuinæ Legis obseruantiam; & licet *immaculatos* vocet; non tamen omnis maculæ etiam leuis negationem hic intellexit; sed *immaculatos* vocauit, quos Dominus ipse, Ioannis cap. 13. v. 10. E
lotos dixit; esto, & hi *indigeant, vt pedes lauent*. quod idcircò obseruare oportet, vt sciamus S. Dauidem non dicere, neque ad rem impossibilem inuitare, cum ait; *Beati immaculati in via*. Et hinc etiam satisfit quæstioni D. Augustini, quam ipse grauissimam vocat; quod scil. ambulantes in via Domini nullis oporteat consentire criminibus, & tamen eosdem quibusdam cogitationum carnalium obreptionibus titillari, & ob hoc eis necessariam quotidianam remissionem, vt fiant immaculati; quoniam & hoc ipsum ad viam pertinet Domini, de qua non recedit, qui se immaculari semper exposcit. Inde, inquam, responderi potest, Dei F.
seruos, & lotos esse, & pedum lotione egere. Benè autem ad citatam D. Aug. quæstionem P. Lorinus obseruat, concedendum non esse, primos quos vocant motus, & malum, quod nolentem se facere dicit Paulus, peccati etiam venialis rationem propriè habere, quæ necessariò requirit libertatem, sed peccatum dici, quia originalis peccati effectus est, atque ad peccatum incitat.

Ve-

A Verùm hæc, quò facilior, atque celerior fit totius Psalmi explicatio, sufficiant. His obseruatis, & quæ ad finem §. secundi dicta sunt notatis, Psalmus hic 118. sic inchoatur, *Alleluia*; pergitur enim in Diuinis Laudibus, & hic Psalmus eas, quas dicunt Christi Fideles inferioris, & communioris ordinis Laudes terminat; & quia ad ipsos propriè spectat, singuli octonarij versus distincti sunt literis Alphabeticis Hebraicis, vt dictum est §. 3. initium ducitur ab *Aleph* prima, & fundamentali litera, sub qua etiam propterea fundamentum statuitur totius *Alleluia*
B hoc Psalmo decantandi, quod est illud, quod ab initio, vt dictum est, petebatur, & quod se esse consecutos Dei Optimi Maximi beneficio experiebantur, & gaudebant Fideles; scilicet

PSALMVS CXVIII.

ALEPH.

C **V. 1. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.** Hic S. Dauid respicit ad id, quod dixerat Psalmo 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, &c. item Psal. 32. *Exultate iusti in Domino*, &c. Item Psalmo 77. *Attendite Popule meus legem meam*. quod autem Legem Euangelij sui ibi Dominus Populo suo proponeret, ibidem dictum est, & idipsum illi hic repetunt, quod *Beati qui ambulant in Lege Domini*; vt dixi supra consentit P. Lorinus, qui in hunc versum
D ait; *Legem Domini*, Turrianus noster in manuscripto istius Psalmi commentario, à Lege distinguit, quæ vmbram habeat futurorum bonorum (insinuat id etiam Hilarius) ad nihil perfectum adducens, infirma, egena, inutilis ad emundandam conscientiam, & vsque ad tempus correctionis imposita erat. Heb. 10. quod verum esse subiungit de Lege iudiciali, & cæremoniali: morum autem præcepta Decalogo contenta non minus ad nouam spectant Legem, quàm ad veterem; illi ergo *Beati immaculati in via, qui ambulant in hac Lege Domini. Immaculati*, iuxta paulò ante §. 5. dicta, scil. qui vniuersæ vitæ suæ institutum suosque om-
E nes mores, dicta, cogitata, & facta illi Legi Domini conformant; quod ipsum explicat seq. v. nam vt conformare possint

V. 2. Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Scrutatio diligentem inuestigationem denotat, quam vtique habent, & adhibent, qui *in toto corde exquirunt Deum*, quales sunt ipsi Fideles immaculati in via.

F **V. 3. Non enim, qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt** non ambulant vias rectas, quas lex Domini ostendit. Hi tres versus continent thema vniuersale totius Psalmi, & correspondent ijs versibus, qui Psalmo primo de hac ipsa re agunt, de iustis scilicet, qui obseruant le-

gem tanto suo lucro. His positis, sequenti deinde Versu motiuum statuit ad legem Domini obseruandam efficacissimum: cum autem motiuum illud amoris sit, & reuerentiæ erga benignissimum legislatorem, planè apparet Sanctum Prophetam, quod dictum est §. secundo, de ijs loqui, qui legem amoris nouam acceperant; ait ergo, A

V. 4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

Non solùm Decalogum voluisti valde exactè, & accuratè obseruari proponendo tot præmia, & benedictiones eius obseruatoribus, & intentando tot minas, maledictiones, & pœnas eius transgressoribus, sed de quibus potissimùm loquor mandatis Legis tuæ nouæ, amoris, Gratiæ, & Euangelij, *mandasti* illa *custodiri nimis* dicendo, *Si quis diligit me sermonem meum seruabit*. Ioan.c.14.23. *vos amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis*, Ioan.c.15. v.14. inculcando toties, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*. v.12. Non solùm his, alijsque amoris propositionibus, & inuitationibus, sed etiam horribilibus comminationibus *Tu mandasti mandata tua*, quæ omnia in charitatis cardine versantur, *custodiri nimis*; dum eos, qui misericordiæ opera non exercuerunt à benignissima facie tua *in ignem æternum* amandas, Matt.c.25. v.41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Et vt D.Aug.lib.de fide, & operibus cap.15.tom.4. ait; *An fortè ibunt in ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt: & non ibunt, qui aliena rapuerunt? vel corrumpendo in se Templum Dei, in se ipsos immisericordes fuerunt? quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione, dicente Apostolo: Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest? Aut diligat quisquam proximum sicut se ipsum, qui non diligit se ipsum? Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam*. Quia ergo sic, *Tu mandasti*, &c. B C D

V. 5. Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.

Vt sicuti hactenus gratia tua, & misericordia viuere incepi in lege tua, & iuxta illam dirigere omnia opera mea, ita & deinceps semper fiat opto, & peto à te, Deus.

P. Lorinus ex S. Augustino hìc notat; hanc esse vocem humilis pietatis, piæque humilitatis, ac Fidei, quæ non immemor est gratiæ, nec hanc necessariam æstimat solùm ad habendam notitiam præceptorum; sed vt hæc etiam impleantur, & custodiantur; quia iam hìc ponuntur ex versu præcedente accepta Deo præcipiente mandata. Perstringit Pelagianos, qui penitus negabant gratiam esse necessariam, & Semipelagianos, qui tantùm ad habendam præceptorum notitiam, non ad ea implenda necessariam putabant. Certè S. Dauid non solùm hoc versu, sed pluribus alijs sequentibus necessitatem hanc gratiæ ad vtrumque hoc opus adstruit. E

Præterea hoc ipso versu aliud quidpiam indicat, quod quia sæpiùs in toto decursu Psalmi tanquam quid valde insigne, & quod potissimum, & maximi faciendum est in Lege Domini repetit, inculcat, sibique in eo congratulatur.

Illud verò est, quod cum desiderio, & petitione gratiæ Dei ad intelligenda, & cu-

A & custodienda eius mandata; insinuet se in ijs, vitam gratiæ, iustitiam, seu iustificationem consecutum fuisse.

Hoc colligitur ex voce, *iustificationes, ad custodiendas iustificationes tuas*; licet enim non negem, quod optimè notat P. Eman. Sà, *iustificationes* vocari Dei præcepta, quod per eorum obseruationem iustificemur, crescentes scilicet in iustitia, quam Theologi iustificationem secundam vocant, & de qua illud intelligunt; *Qui iustus est, iustificetur adhuc:* nihilominus tamen, quod S. Dauid, præterea id

B quod dixi, hoc versu, & alijs etiam, in quibus ea ipsa voce vtitur, indicare velit, colligitur ex dictis à §. secundo, versu primo, vbi ostensum est ipsi sermonem esse de *Lege Domini*, non antiqua, *quæ nihil ad perfectum adduxit*, cum his, quæ ibi v.1. dicta sunt; & Heb.10. ad Gal.3. ad Rom.c.7. non inquam de illa, ipsi, sed præcipuus sermo de Noua Christi Lege est; de hac autem iam supra Psalmo 18.v.8. loquendo dixerat, quod sit *Lex Domini immaculata, conuertens animas:* & v.9. *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda*: & infra hoc Psalmo versu 93. ait, *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me.*

His, alijsque eiusmodi testimonijs S. Dauid clarè ostendit, se loqui de Lege gra-

C tiæ, in qua per Fidem, quæ per charitatem operatur, iustificamur; idest, vt Concil. Trid. sess.6. cap.7. loquitur, acquirimus non solam peccatorum remissionem, sed & sanctificationem, & renouationem interioris hominis, quam Lex Vetus non conferebat, vt fusiùs probat D. Apostolus ad Gal.c.3. hoc autem pacto Lex Gratiæ vniuersim accepta, cùm complectatur non solùm Dei Verbum, de quo Dominus ait mundos fuisse Apostolos suos propter sermonem, quem ab ipso audiuerant, *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ioan.15.3. vbi Dominus doctrinam suam intelligit fide acceptatam, & obedientia; vt P. Emm. Sà

D explicat; & Concil. Trid. sess.6. cap.6. ait, quod adulti ad iustificationem disponuntur; *dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt*, &c. cum, inquam, Lex Gratiæ non solùm dicat Dei Verbum *viuum, & efficax*, Heb.c.4.v.12. sed etiam Sacramenta Vasa gratiæ, quæ gratiam non solùm significant, sed etiam causant, & conferunt; insuper & ipsum Sanctissimum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini contineat, de quo eadem paulò ante citata Sacrosancta Tridentina Synodus Sess.22. cap.2. ait, quod, *huius oblatione placatus Dominus, gra-*

E *tiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit, vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.*

Cùm, inquam, hæc tanta Lex Christi complectatur & contineat, nihil sanè mirum est, si illi *Iustificationum* nomen propriè sumptum conuenire, & Sanctum Dauidem, dum de ea loquitur, in illa quam proposui acceptione vocem illam accipere dicamus: esto eadem ipsa vox, *iustificationes*, dum de Lege antiqua est sermo, nihil præter præcepta, & mandata eiusdem Legis significet, vt quando supra

F Psalmo 104.v.45. dixit, datas à Deo Israelitis antiquis regiones gentium Chananæarum, *Vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.*

Dum ergo, vt dixi, S. Dauid, & cum eo quilibet Christi Fidelis optat; *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas*; petit, & instat apud Dominum omnes suas actiones, omnia studia, labores, & opera à benignissima Dei manu, suauissimaque eius prouidentia ita dirigi, vt quam vitam gratiæ est consecu-

secu-

ſecutus amplectendo Diuinã,& viuificantem eius Legem, eandem mordicùs ipſo A
largiente tenere, & cõſeruare valeat; nã certè ait id maximum bonum conſequar.

V. 6. Tunc non confundar, malè quidpiam operando, quod ſemper confuſionem coniunctam habet; cum perſpexero, animum intendendo, in omnibus mandatis tuis. Inſuper, *tunc*, etiam

V. 7. Confitebor tibi in directione cordis: B à te petita, & benignè obtenta, in eo quod didici iudicia iuſtitię tuę. & qua directione tua manebo plenè inſtructus, & edoctus de ijs omnibus, quæ mihi facienda ſunt (hæc omnia vocat *iudicia*) vt dignè tibi ſeruiam iuxta Chriſtianæ vitæ perfectionem, & ſanctitatem (& hæc omnia nomine *iuſtitiæ* denotat) Tunc, vt dixi, ò Domine, *in* hac *directione cordis, & in eo, quod didici* per eam, & addiſcam *iudicia iuſtitiæ tuæ*; & *Confitebor tibi*; laudabo te, tibique de tanto be- C
neficio gratias agam. Præterea ſic à te adiutus;

V. 8. Iuſtificationes tuas cuſtodiam; non ſolùm intelligit legem eius, & quæcunque ipſe Dominus præcipit; ſed etiam, vt paulò ante dictum eſt, acquiſitam vitæ ſanctitatem, & ſanctificationem; & has *iuſtificationes cuſtodiam vſquequaque*; prorſus omnes, vel vſque ad finem vitæ, modò largiaris, quod peto; modò, non me derelinquas vſquequaque. ſic, vt dixi, D
vſquequaque, cum, *cuſtodiam*, coniungendum eſt, vt P. Emm. Sà notat. His veluti generatim præmiſſis ad Legem Domini immaculatè ambulandam, illo potiſſimum motiuo, quia ipſe *mandauit eam cuſtodiri nimis*: & deſiderio ardentiſſimo eius cuſtodiendæ concepto; nec non propoſita humili, atque inſtante petitione pro ea ipſa gratia à Diuina Maieſtate obtinenda; his, inquam, præmiſſis S. Dauid deinceps magis in ſpecie deſcendit ad proponendas progreſſiones, quas in eadem Domini Lege facturi erant Chriſti Fideles, & quas ipſe tanquam factas iam, ſiue ac ſi de præſenti fierent exponit. Sicuti autem paulò ante inſinuaui, hoc Pſal- E
mo comprehendi ſtatus, ſiue vias Incipientium, Proficientium, & Perfectorum in eadem Domini Lege; ita ipſe pulcherrimo ordine, omnium primò, à primo (Incipientium Legem Domini obſeruare) ſtatu incipit; ſiue loquitur loco cuiusvis Chriſti Fidelis tanquam, qui viam Domini, & Legem eius inchoaret, vel ſe ſe ſupra primordia Chriſtianæ ſuæ vitæ reflecteret, & ait; iure ſe à Domino vehementiſſimo deſiderio optaſſe, ac peti jſſe, vt *dirigerentur viæ ſuæ ad cuſtodiendas iuſtificationes eius, ad perſpiciendum in omnibus mandatis eius*, &c. Nam, quem ipſe dignatur vocatione ſua ſancta, & de infidelitatis, ſiue peccatorum tenebris transfert in F
admirabile Fidei ſuæ lumen, quam quidem gratiam, & miſericordiam ſuam nobiſcum fecit (loquitur vnus, omnium Fidelium nomine) hic, inquam, qui à Domino tanto munere donatur, dum in eius Eccleſiam ingreditur, ipſique decurrenda eſt via Domini recta, & immaculata, qui prius vias peccatorum prauas, malas, & cœnoſas decurrerat, eiuſmodi quæſo in via Dei tyro;

V. 9.

A

BETH.

V. 9. In quo corrigit adolescentior viam suã?

per *adolescentiorem*; eiusmodi conuersum ad Fidem, siue Deum intelligit; quacunque tandem in ætate sit respectu vitæ inchoatæ adolescentior est; imò (vt su-
B pra notatum Psalmo 112.) etiam tanquam modò genitus infans; & propterea S. Hier. loco *adolescentioris*, habet *iuuenis*; Chal. *puer*; puer autem vocatur non ætate, quia supponitur iam vias ambulasse obliquas, siue prauam vitæ rationem duxisse, quam *corrigere* vellet, sed nouæ vitæ sanctæ inchoatione dicitur puer. atque hic, qui eiusmodi est, illam prauam vitæ rationem vtique non in alio corrigit, quàm **in custodiendo sermones tuos.** Dum verò me ipsum ex adolescentioribus illis vnum fuisse recordor, tua, ò Deus, benignitate vocatus, & quæsitus à te

C **V. 10. In toto corde meo exquisiui te;**

subintellige, & inueni te; nam verba sunt in Ecclesiam ingressi, & in ea gratias Deo agentis, & modò soliciti, ne quando à Domino derelictus rursus in priores relabatur errores; **ne repellas me à mandatis tuis.** ne repelli sinas; quod fieret, si destituerer gratia tua; & sic etiam Chaldæus Interpres est explicandus, qui habet *ne errare facias*; omnia enim eiusmodi intelligenda sunt, Deum facere, non
D conferendo malitiam; sed non conferendo gratiam, qua superaretur malitia; itaque vt à lapsus periculo quàm remotissimus essem, illam ipsam tuam Diuinam Legem, qua correxi viam meam;

V. 11. In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi. *Beati* omninò, qui *audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc. 12. pro quo nullum habet homo, vel sublimius, vel efficacius exemplum illo, quod ipsa super omnes ho-
E mines Benedicta dedit, Beatissima Virgo Dei Genitrix Maria, quæ & *inde quidem Beata, quia Verbi Incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna.* Ven. Beda lib. 4. c. 49. in Luc. 12. propterea; *Maria conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Luc. c. 2. v. 19. & rursus v. 51. *conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* quidni id ipsum faciam, qui tantum habeo, vnde timeam, *ne peccem tibi,* ò Deus? Omninò apud me eris semper, & modò etiam

F **V. 12. Benedictus es Domine:** da qđ peto, **doce me iustificationes tuas.** doce me tua Diuina Præcepta, quæ iustas faciunt animas, vt ea semper custodiam; quod faciendo, & concedendo mihi, *Benedictus es Domine*, te semper laudabo, & benedicam insuper si id concesseris; consequetur statim is optatissimus effectus, & fructus, quem tanquã iam præsentem videor possidere, & est; quod

V. 13.

V. 13. In labijs meis pronunciaui omnia A
iudicia oris tui; vt dixi, tempus præteritum propter rei certitudinem, & infallibilitatem ponitur pro præsenti, & futuro, sicut etiam in versu sequenti; quod verum esse præter connexionem, quæ id indicat, etiam patet ex versibus 15. & 16. consequentibus, qui deinde continuantur in tempore futuro: Iam autem sensus versus huius est, quod sic edoctus fiam prædicator, siue enarrator (nam D.Hier.& Chal. habent; *narraui*; loco *pronunciaui)* ipsius Diuinæ tuæ Legis, in qua continentur admirabilia *iudicia oris tui*, B
mundo ante incognita, & quæ *aperiens os tuum docuisti Discipulos tuos dicens:* (Matt.c.5.) *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites*,&c. *Beati qui lugent*, &c. Hæc, & eiusmodi verè, & propriè sunt *iudicia oris Domini*, quæ, qui edoctus est *iustificationes Domini* deinde etiam alij enarrat; provt se facturum spondet, qui hìc doceri, tanquam adolescentior postulat, certò sibi persuadens, & confidens, quod ex ijs animo suo non minorem voluptatem, & delectationem percepturus sit, quàm alij sæculi huius amatores habere soleant in diuitijs, atque ita tanquam si rem præsentem possideret (& verò etiam eam, re C
ipsa possidebat, sed, vt dixi, statum illum Incipientis repræsentans) ait;

V. 14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Neque mirum, tantam percipi animo voluptatem ex *testimonijs* Dei, rebus scil. quas Dominus in Lege sua non solùm præcipit,& mandat; sed etiam donat, & promittit; quid enim? & quàm ad consolandum potens est testimonium conscientiæ nostræ, quæ est pro hoc ipso D
præsenti statu *gloria nostra*, ex qua oritur pax illa,quæ exuperat omnem sensum? quid futuræ Beatitudinis spes,& expectatio,quam *sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis: vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum?* Heb.6. v.19.20. An non hoc *fortissimum solatium?* His, alijsque Legis Domini testimonijs,& promissis delectatus Fidelis eius seruus,sicut in omnibus diuitijs, firmissimè proponit, & statuit, quod

V. 15. In mandatis tuis exercebor: S.Hier. habet *meditabor:* significat se studium, & laborem mentis, seu potentiarum animæ ijs perscrutandis impensurum,vt statim explicat; & considerabo vias tuas. E

V. 16. In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos. Et hæc quidem, ò Deus, tibi placendi, & tanta tua dona consequendi studio, sunt animi mei firma proposita; non autem ita hæc à me dicuntur,& fiunt,quasi ipse ex me sufficiens sim ea adimplere; sed provt paulò ante v.5.optabam,& petebam; F

GIMEL.

V. 17. Retribue, tu, à quo omnis sufficientia mea est, tu, inquam, id tribue, largire, & concede

seruo

A seruo tuo; tu, vt cępisti, me mortuum viuificare; ita me ex me morientem, & si *auferas spiritum tuum*, vt Psalmo 103. v. 29. dixi, *deficientem, & in puluerem meum reuertentem*; tu, inquam, vt benignissimè cępisti semel, perge, & semper deinceps viuifica me: & custodiam sermones tuos. Et quia necdum mihi *aspirat dies* illa tota illuminata, & illustris luce gloriæ, & luminis tui, & neque dum *inclinatæ sunt vmbræ*, Cant. 1. v. 17. huius mortalitatis, in qua necesse est mentis meæ oculos multis rerum terrena-
B rum velis obuelari, tu, ò Domine,

V. 18. Reuela oculos meos, amouendo ab ijs quæcunque impediunt rerum diuinarū intuitum; & considerabo mirabilia de lege tua. Et pergens in infirmitatis, & maximæ necessitatis suæ agnitione, & confessione, ait prorsus, & omnimodè, ò Domine, tuo hoc auxilio indigeo, quia

C V. 19. Incola ego sum in terra: significat nō solùm se esse aduenam, & peregrinum in terra, vt S. Hier. & Chal. vertunt; sed etiam propriè terræ huius incolam, siue hominem terrenum, & in hac terra inhabitantem; vbi cum *sensus, & cogitatio humani cordis*, hominisque terreni, *in malum prona sint ab adolescentia sua*. Gen. 8. 21. propterea maximopere se egere diuinæ ipsius lucis auxilio intelligit; non abscondas à me mandata tua. Et per hæc quidem diuina tua mandata opere adimpleta, dum considero, quantis tuis diuinis donis di-
D tatus fuerim, planè

V. 20. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore: ardentissimo accensus fui desiderio ea semper, & in omni prospero æque, atque aduerso tempore obseruandi; imò dum dico; *in omni tempore*; etiam illius temporis pœnitudinem habeo, quo aliquando, hæc tua diuina mandata, has tuas iustificationes non ob-
E seruabam; cum tamen sicut malorum operum *finis mors est*. Rom. 6. v. 21. ita in tuorum mandatorum obseruatione habeamus *fructum* nostrum *in sanctificationem, finem verò vitam æternam*. v. 22. sed tu, ò Deus misericordissime, vt pessima illa tempora destrueres,

V. 21. Increpasti superbos: per Sanctos tuos Apostolos, & Diuinæ tuæ Legis Prædicatores redarguisti, & conuicisti omnes idololatras, tam Romanos, & hos præcipuè, quàm alios totius Mundi Legis tuæ transgressores, & palàm illis per
F illam Euangelij tui lucem ostendisti, quia verè sunt maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Increpando ostendisti, esse maledictos mandatorum tuorum transgressores, *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parenti-*

bus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Rom.c.1.v.29.30.31. An non hi maledicti? An non hæc increpatio? Certè propter hanc à P.N. Ludouico Alcazar D. Paulus dicitur fuisse ille primus Angelus, qui Apoc.c.16. *effudit phialam suam in terram: & factum est vulnus sæuum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius*; quales erant omnes illi, quos proprijs ipsorum coloribus depinxit Apostolus; hinc ergo, vt dicebam, constitit, quia sunt *maledicti, qui declinant à mandatis tuis*; idest, quod, vt Apostolus ibidem ait, *digni sunt morte: & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Rom.c.1.32. Hæc, quæ iam dixi, respiciendo, ab ijs liberatus Christi seruus pergit, & ait; sicut fecisti, Domine, ita semper hoc, de quo locutus sum, superborum hominum

V. 22. Aufer à me opprobrium, & contemptum: quia testimonia tua exquisiui. per opprobrium, & contemptum planè intelligit illa peccata, impietates, & fœditates, quibus semper adnexum est opprobrium, & contemptus. Licet autem petat auferri, supponit tamen iam ablatum, sed ne vnquam in id recidat solicitus est; nam postquam testimonia Domini exquisiuit, & iustificatus fuit, stetisse in bonitate, & persistere supponitur, cum hic Deum laudet, & gratias agat; nihilominus motiua vrgentissima se habere ostendit petendi, vt à se quàm longissimè semper esset omne opprobrium. Inter quæ motiua illud primum, & maximum est; ne iure, & verè ab aduersarijs redargui posset;

V. 23. Etenim sederunt principes, pro Tribunali contra me acturi, & in mea omnia inquisituri; & aduersum me loquebantur: ipso facto contra vitæ meæ rationē, eam improbantes, & damnantes; seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis; idest illi quidem damnabant, quamuis nihil in ea damnabile reperiretur, quandoquidem *seruus tuus* exercebatur, studebat, & omnem operam impendebat custodiendis tuis iustificationibus, & iuxta earum ductum dirigendis omnibus vitæ suæ actionibus, & hoc ait v.seq.

V. 24. Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meū iustificationes tuæ. Et hoc, quod dixi, primum erat motiuum tam solicitè petendi *Auferri* semper *à me opprobrium*; aliunde etiam ad id petendum impellebar; quia

DALETH.

V. 25. Adhæsit pauimento anima mea: Subit animum meum temporis illius recordatio, quo anima mea *adhæsit pulueri*, vt

A vt Chal. & D. Hieron. vertunt; hoc posito meminisse oportet iam supra Psalmo primo, omnes eos, qui Legem Domini non obseruarent, comparatos fuisse *pulueri, quem proijcit ventus à facie terræ*; ex quo consequitur Christi Fidelem reuocare sibi hìc in mentem miserum illum statum vitæ præteritæ, quando *anima* eius *adhæserat pauimento*, pulueri, seu terræ, & veluti in sepulchro, & morte iacuerat (nam etiam hoc significat adhæsio pauimento, vt benè notat P. Emm. Sà) propterea se etiam hinc extimulari sentiebat ad petendum instanter; viuifica me secundum

B verbum tuum. perge me, ne rursus pauimento adhæreſcam, viuificare iuxta promissionem tuam, qua conuersis ad te vitam promisisti: vnus ex ijs ego sum; & idcircò iam inde ab ipso conuersionis meæ initio;

V. 26. Vias meas enunciaui, facta, seu vitæ rationem totam exposui, scil. tibi, ò Deus; sic exponunt S. Hier. & P. Emm. Sà. benè quidem, & ad rem; sed addendum est, Sanctum Dauidem hic referre sese ad ea, quę supra Psalmo 31.

C dixerat, quo etiam, vt vidimus summatim egit de conuersione, & iustificatione eorum, qui Fidem Christi amplectebantur, & in Ecclesiam eius ingrediebantur, quorum partes omnium primæ erant, vt eodem Psalmo v. 5. ait; *Delictum suum cognitum facere, & iniustitiam non abscondere; confiteri aduersum se iniustitiam suam Domino*; provt verè reipsa eos fecisse testantur Actus Apostolorum cap. 19. v. 18. dum referunt, quod *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coràm omnibus*. Atque ita etiam hoc loco S. Dauid vices vnius ex ijs

D sustinens ait; *Vias meas enunciaui*, eo quo dixi modo confitendo aduersum me iniustitiam meam Dño; & exaudisti me; idest, quod supra dixerat, *& tu remisisti impietatem peccati mei*, Psal. 31. v. 5. iam ergo perge, ò Domine, mihi semper benefaciendo, doce me iustificationes tuas, vt probè addiscam, & nunquam obliuiscar, me è tantis vitijs, & peccatis à te misericorditer erutum, & iustificatum. ò, quæso,

E V. 27. Viam iustificationum tuarum instrue me: fac, vt benè percipiam, altè & profundè penetrem modum, ordinem, seriem, & prouidentiam tuam, quam obseruasti in me iustificando. De his omnibus, planè ad hoc propositum nostrum, de necessitate pręparationis ad Iustificationem in adultis, & de modo præparationis ad illam. Item. Quid sit iustificatio impij, & quæ eius causæ, agit Sacrosancta Synodus Tridentina Sess. 6. Cap. 5. 6. & 7. Legi ea poterunt cum sit ipsa Doctrinæ Catholicæ, hac de materia soliditas, & ad præsentem explicationem deriuari. Neque si-

F ne causa instrui petit hac in re; nam si in ea benè instructus fuero, ait, admirabilem planè Diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ, atque Bonitatis tuæ ordinem inueniam; & exercebor in mirabilibus tuis: in mirabilibus tuis, quæ sic instructus inueniam, *in via iustificationum tuarum exercebor*, ea assiduè mente reuoluendo, ponderando, æstimando, gratum me pro ijs exhibendo.

Inter illa multa mirabilia, quæ in conuersione mea, & iustificatione acciderunt, illud etiam non inter postrema fuit, quod debitæ gratitudinis loco commemoro, quod ad nouæ vitæ inchoationem victoriam dederis in difficillima lucta, nimirum lege membrorum contradicente Legi mentis meæ, resistentibus vitiosis habitibus longa prauæ vitæ consuetudine contractis; *testimonium reddente conscientia, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Rom.2.v.15. quæ magnos in incipientium animis fluctus, & molestias concitant in hoc conflictu. A

V.28. Dormitauit anima mea præ tædio: B

Videri potest S.Gregorius l.24. Moral.c.7. qui verba Iob c.33.v.20. *Abominabilis fit ei in vita sua panis*,&c.ad incipientes applicat. Pergit S.Dauid. *Dormitauit* quidem anima mea, sed vt tunc fecisti me sustinendo ne caderem, & superarer; ita deinceps semper, ò Domine, **confirma me in verbis tuis.** hac planè de re, quæ propria est Incipientium viam Domini, loquitur S.Dauid, & his eius verbis correspondent illa, quæ Psalmo 31.v.7.dixerat de Incipiente pariter initio suæ Conuersionis afflicto: *Tu es refugium meum à tribulatione*, quæ *circumdedit me*, &c. & quia ibi C
dixerat Dominum respondisse; *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos:* hic promissorum eius memor ait; *confirma me in verbis tuis*. Et quia vita ante malè traducta, praui, vitiosique habitus contracti negotium, difficultatemque potissimam facessunt; obsecro Domine,

V.29. Viam iniquitatis amoue à me,

non quod post Baptismum, & iustificationem peccatum remaneat; sed quod maneat fomes, concupiscentia, praui habitus, qui licet peccatum non sint, *via* tamen *iniquitatis* dicuntur, quia ad eam inclinant, quæ quia, vt Apostolus loquitur, est *Lex in membris meis repugnans legi mentis meæ, & captiuans me in lege peccati, quæ est in membris meis*. Rom.c.7.v.23. ideo sicut Apostolus petebat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius:*& sicut reperit liberatorem, qui est *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum Nostrum*. ibidem v.25.ita, inquam,& hac ipsa significatione S. Dauid postulat **& de lege tua miserere mei.** quę alia Lex tua, Domine, quam *gratia* tua? siquidem *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Ioan.1.v.17. Itaque *de hac lege tua miserere mei* tantis miserijs oppressi. Ad hanc Domini sui gratiam, & misericordiam obtinendam humiliter, & suppliciter proponit, quæ ad eam conferendam permouere ipsum Dominum possunt; & sunt, quia D E

V.30. Viam veritatis elegi:

ipsam Fidem tuam, Domine (quæ est veritas, quæ per te, qui veritas es, facta est) sum amplexus. Sic S. Hieronymus, & Chaldæus exprefsè habent loco *veritatis, viam Fidei*; qui terminus in propria significatione est accipiendus, vt non solùm significet, quod ait P. Emm. Sà, viam fidelem, & rectam, seu rectum iter, sed ipsamet Christi Fidem, seu eius Euangelium; nam de his, vt vidimus, sermo est in antecedentibus: imò etiam, quæ sequuntur indicant de eadem via Fidei, & Euangelij Christi esse sermonem; nam F

ait

A ait magis explicando se, & *viam* illam *veritatis elegisse*, & **iudicia tua** per ipsum Euangelium declarata, quæ sunt iudicia tua omni acceptione digna, deuicto Satana, destructa morte, deleto peccato, clauso inferno, Cælo aperto, hominum redemptione, alijsque eiusmodi, de quibus initio proprio notato, **non sum oblitus;** sed potius toto cordis mei affectu, quando illa omnia ad salutem meam tam benignè, & potenter ordinasti;

B **V. 31. Adhæsi testimonijs tuis Domine:** mihi sic declaratis, & promissis in via hac Fidei, & veritatis, quam te adiuuante elegi; propterea **noli me confundere:** noli permittere, vt tantorum bonorum consequendorũ spe frustratus cadam; sed vt peto confer abundantem gratiam, vt ea adipiscar; nam non aliter, ò Deus,

V. 32. Viam mandatorum tuorũ cucurri,

C & deinceps currã, quàm **cum dilatasti cor meum** gratiæ tuæ, & consolationis illapsu.

Sic victis primis Incipientium difficultatibus, & firmari amplius cupiens in inchoatis bonis magno animi ardore, & desiderio à Domino postulat, quod sequitur.

H E.

D **V. 33. Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper.** Vis est in eo, quod petit sibi *Legem poni*, & illam Legem cupit esse ipsam *viam iustificationum Domini*; propterea non simpliciter postulat sibi ostendi viam Legis Domini, nam iam ante id fecit; sed potius delectatus pulchritudine, pace, suauitate, & ingentibus bonis, quæ consecutus fuerat amplectendo Legem Domini, quæ tam miris, & multiplicibus modis confert iustifica-
E tionem, & sanctitatem ijs, qui eam amplectuntur; hinc quidem exardescens desiderio conseruandi semper tam eximia bona; inde verò imbecillitatis, fragilitatis, & inconstantiæ humani cordis conscius, vt sibi vtraque hac in re benè prospiciat, à Domino petit, vt dignetur illam ipsam *viam iustificationum suarum* sibi *Legem ponere*; talem scilicet, & tam firmam, vt eam deinceps nunquam transgredi, & transilire valeat; eo prorsus modo, quo ipse Dominus omnipotens *circumdedit mari terminum suum, & legem posuit aquis, ne transirēt fines suos*. Prou. c. 8. v. 29. hoc illud esse, quod hìc petit, persuadet tam vis verbi *ponendi legem*, quàm oratio crescens,
F & ea, quæ sequuntur, in quibus illa ipsa confirmatio in bono postulatur; post quam deinde consequenter, atque ordinatissimè veniet ad progredientium in via sanctitatis, & tandem ad perfectorum in ea statum, quæ supponunt illam in bono stabilitatem, & sine qua reliqua labuntur, & corruunt. Nam, vt cum SS. Concil. Trid. sess. 6. cap. 15. quod ad hoc propositum mirè facit, loquar; *aduersus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda*

da innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa Fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur Fides, acceptam iustificationis gratiam amitti, Diuinæ Legis doctrinam defendendo, quæ à regno Dei non solùm infideles excludit, sed & Fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur. Propter hæc ergo S. Dauid in persona cuiusvis Christi Fidelis petit, sibi *Legem poni viam iustificationum Domini*, & ardenter postulat gratiam, vt illa sibi *Lege posita; & exquiram eam semper*. semper in illa occuper, nunquam ab illa recedam, vt id faciam A B

V.34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam; opus est præuio diuino lumine, vt illa Domini Lex, à me intelligi possit; & gratia, vt sic intellectam, & custodiam illam in toto corde meo.

V.35. Deduc me in semitam mandatorum tuorum; in semitam deduci à te, peto Domine, quia te ipso asserente, & ingemiscente noui, *quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Matt. 7.14. & ex quo te illuminante didici; quia *pauci sunt, qui inueniunt eam*; illam ipsam semitam, & angustam viam deserta, lata, & spaciosa, quæ ducit ad perditionem optaui ingredi, & per eam decurrere; sic obsecro deduc me, quia ipsam volui. Et quoniam mihi iam notum est, *quoniam omne quod est in Mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex Mundo est. Et Mundus transit, & concupiscentia eius*. 1 Ioan. 2. v. 16. Et quia scio, quod *amicitia huius Mundi inimica est Dei*. Iacob. c. 4. v. 4. æquum est, vt meipsum aduersus Mundum, eiusque mala muniam; & quando radix omnium malorum est cupiditas, ò Dñe, C D

V.36. Inclina cor meum in testimonia tua, vt gratia tua amem illa cælestia æternùm duratura bona, quæ dilectis tuis in Lege tua promittis; & non in auaritiam; idest, neque sinas me præsentium terrenorum bonorum affectu abripi in auaritiam, siue vt Chal. habet in Mammonam. Et quia à diuitijs pronissimus lapsus est in superbiam vitæ; E

V.37. Auerte oculos meos ne videant vanitatem; sed potius in via tua, iuxta Legem tuam, quæ Beatos pauperes spiritu deprædicat; quæ humilitatem, & mansuetudinem Te Præceptore, & Magistro commendat, & præcipit; viuifica me; fac me viuere, vt incœpi: Et quia, vt dicebam, tu ipse dixisti, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Matt. 11. v. 29. hoc ipsum F

V.38. Statue seruo tuo eloquium tuum,

tan-

A tanquam præceptum, quod exactissimè semper obseruem, in timore tuo. Superest etiam, vt aduersus tertium mihi maximè timendum hostem me protegas, & tuearis, ò Domine; concupiscentiam carnis intelligo: in hoc debellando, & me, qui vitio illi olim subiectus fueram, victorem de eo faciendo, planè opus est Diuinæ tuæ Gratiæ gladio, quo omnium præteritarum impuritatum, & fœditatum resecentur abominationes; sic prorsus in earum consideratione *nunc erubescimus*. Rom. c. 6. 21. sed

B V. 39. Amputa opprobrium meũ, quod suspicatus sum; quod *reueritus sum*, ait S. Hier. quod *timui*, Chal. ne rursus in id inciderem, quod proinde etiam supra v. 22. petij, quàm remotissimè *à me auferri*. Idcircò autem plenè, & per omnia prioribus illis voluptatibus valedico, & æternum nuncium remitto; quia iudicia tua iucunda; quia loco illarum voluptatum, quæ vanæ, falsæ, & plenæ amaritudinibus erant, veras, solidas, & omni suauitate plenas delitias viuendo in Lege tua Sancta, &

C iuxta iudicia tua omni veritate plena, & suauitate possideo. Iam, ò Domine, quod summa animi mei consolatione commemoro;

V. 40. Ecce concupiui mandata tua: conculcatis omnibus Mundi, quibus plenus est, concupiscentijs malis, post quas filij huius sæculi tam effrenato impetu abeunt, tuo ego auxilio, & miseratione, ò Domine, *Ecce concupiui mandata tua*. Domine, aiebat S. Agatha, *qui abstulisti à me amorem sæculi*; & B. Agnes; *per Filium tuum Vnigenitum euasi minas hominum*

D *impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transiui*: sunt planè eiusmodi verba, toto corde conuersorum ad Deum: quibus similia plurima præclarissimus ille pœnitens D. Aug. in lib. Confess. Vbi ergo sic contemptis alijs Mundi concupiscentijs *concupiui mandata tua, Domine*; tu vicissim in æquitate tua viuifica me. fac, vt iuxta tua promissa, qui Mundo mortuus sum, tibi viuam, qui nolui amicus esse Mundi, amicus tuus constituar, qui abnegaui me, & Cruce assumpta secutus sum te, sim Discipulus tuus, qui reliqui domum, parentes, &c. propter te centu-

E plum accipiam; *qui carnalia* pro te *dimisi, spiritualia recipiam, quæ comparatione & merito sui sunt, quasi si paruo numero centenarius numerus comparetur*. S. Hier. & hoc est *in æquitate tua viuifica me*. Imò hinc assumpto animo ad postulandum ampliora (licet etiam in ipsa æquitate Domini ea sint contenta) progreditur; scilicet,

VAV.

F V. 41. Et veniet super me misericordia tua Domine: *salutare tuum*, sicut supra Psalmo 84. v. 8. petebam, *ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*, vt illam magnam tuam misericordiam nobis exhiberes, dando nobis tuum Vnigenitum, qui est Salutare nostrum, Salus, & Saluator noster; ita modò peto, vt quando iam per Fidem in ipsum tantum bonum sum consecutus, ipse Dominus

nus Iesus, qui est *misericordia tua;&* salutare tuum, *veniat super me*; id est, qui iam venit super me, etiam in me requiescat; & hoc quidē, ò Domine, fac secundum eloquium tuum. secundū verbum, seu promissum tuum, Ioann. c. 14. v. 23. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit*; & ecce vt dixi, concupiui mandata tua Domine, restat, vt, *& Pater meus diligat eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: sic ergo rogo, *Et veniat super me misericordia tua salutare tuum*, &c. Tunc quidem si tanto dignatus, & nobilitatus fuero hospite te Deo meo, Vno, & Trino, à Diuinissimo tuo Spiritu cordis mei inhabitare edoctus, facilè sciam, quid aduersus imperitorum hominum obiectiones mihi sit respondendum, dum tam Christianæ vitæ (iudicio ipsorum) humilis, & seruilis (vt aiebat Quintianus D. Agathæ) conditionem; quàm quæ in ea sunt mysteria, vt quid scandalosum, & stultum, sed similiter solùm stulto illorum iudicio, continentia redarguunt; tunc, inquam, facilè sciam quid mihi sit respondendum; A B

V. 42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum; id quod dixi, seu rem, quæ sequitur; scilicet quia speraui in sermonibus tuis. quod amplexus sim Fidem tuam talia docentem, quæ illis quidem exprobratione digna videatur, re autem ipsa sunt plena *Dei virtute, & Dei sapientia*. 1. Cor. 1. 25. Cum verò eiusmodi exprobrantium vocibus, passim ferè, & vbique respondendum sit, peto à te Domine, vt sic apud me semper, & in me maneat Spiritus tuus Sanctus; C

V. 43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque prorsus, seu vllo vnquam loco, & tēpore, quia in iudicijs tuis supersperaui; id est, motiuum à Domino, id quod petit obtinendi, proponens ait; quia tantum abest, vt illæ obiectiones, & exprobrationes, quæ mihi fiunt, in minimo me moueant, vt potius ego in ipsis *iudicijs tuis*, in ijs, quæ in Lege tua Sancta statuisti & decreuisti, *supersperem*; valde, & supramodum sperem, illa omnia rata, fixa, & inconcussa teneam. Imò D E

V. 44. Et custodiam legem tuam semper; & tanto in eam amore feror, vt illam custodire vellem (siquidem vita mea eo vsq; extēderetur) in sæculum, & in sæculum sæculi. planè hoc exprimit vehementissimum affectum amoris erga Domini sui legem. Et quidni ita amem, & ita custodire proponam, quando recordor (reuocat in mentem quosdam præclarissimos effectus, & fructus custoditæ Diuinæ Legis; nam, vt sæpè dixi, hoc Psalmo aguntur Diuinæ Maiestati gratiæ à Christi Fidelibus) quando, inquam, recordor, quod eam Diuinam Legem vbi primum amplexus fui, non amplius, vt prius vinctus in mendicitate, & ferro, habitans in sepulchris fui, sed liber, & expeditus eram, F

V. 45.

A V. 45. Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui. planè eo modo, quo Prou. c. 4. 11. promisisti *viam sapientiæ monstraturum te mihi, & ducturum per semitas æquitatis, quas cum ingressus essem, non arctarentur gressus mei, & currens non haberem offendiculum*. Ita omninò factum *ambulabam in latitudine*. Imò (quod ipsa S. Mater Ecclesia in sexu fragili, in teneris Virginibus, & Martyribus vtens verbis sequentis Versus deprædicat)

B V. 46. Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar. admiranda sunt de hac animi fortitudine Sanctorum Martyrum, & Confessorum Christi exempla in historijs Ecclesiasticis. propterea cum Diuina tua Lex, Sanctum tuum Euangelium suis obseruatoribus vires tantas largiatur, vt eas consequerer duo præstiti, quod vtrunque necessarium est; primum quidem;

C V. 47. Et meditabar in mandatis tuis, quę dilexi, vt ea probè scirem. Deinde verò

V. 48. Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi operè ipso exercenda; & exercebar in iustificationibus tuis, crescendo in ijs, per earum assiduum exercitium.

D His suppositis, & præmissis, subiungit deinde spem illam non vanam, sed firmam, ac stabilem, quam conceperat de obtinendo præmio salutis, ac beatitudinis æternæ, legitimè certantibus proposito; qua spe se vehementer adiutum fuisse, sequenti octonario versuum exponit.

ZAIN.

E

V. 49. Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti. Dum, sicut dixi, Fidelis Domini seruus habens in se testimonium de seruatis opere ipso mandatis Domini sui postulat, vt quasi è conuerso, & vicissim ipse Dominus sit sibi *seruo suo memor verbi sui*, in quo iam dudum, & ab initio suæ conuersionis *spem dedit* consequendæ vitæ, salutis, & beatitudinis æternæ, non

F tam nouam aliquam recordationem, aut reminiscentiam requirit, quæ in Dominum non cadit, quàm vt ea ipsa præmia sibi conferat, ab ipso Domino efflagitat. *Verbum* autem, *in quo* Dominus *seruo suo spem dedit*, valde frequens, siue frequentissimè iteratum, & repetitum est, tam in antiquo, quàm nouo, de quo potissimùm agitur, Testamento; vt *qui reliquerit Domum*, &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Matt. 19. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* (adde

V quod

quod Matt. 28. v. 20. *& seruauerit omnia, quæcunque mandauit* Apostolis suis) A
saluus erit. Mar. 16. 16. *Qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12. 25. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* ibid. v. 26. His, & similibus verbis Dominus benignissimus *spem dedit seruo suo*, & ad illa ipse respicit; maximè autem insignis est illa promissio facta, Matt. c. 10. v. 32. ad quam potissimùm se alludere, non obscurè ostendit, ob verba, quæ paulò ante dixerat v. 46. quod scilicet *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar*; iam ergo quasi ex quadam æquitate, ò Domine, qui dixisti illo Matt. 10. v. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum* B
coràm Patre meo, qui in cœlis est; iam, inquam, *Memor esto*, &c. vt dixi. Quod autem horum promissorum Domini sui, sit valde memor ipsius seruus, qui hic loquitur, & magnam ex ijs corde suo lætitiam concipiat, & viuificari se inde sentiat, fatetur vers. seq.

V. 50. Hæc, spes, de qua dictum est, me consolata est in humilitate mea, in depressione, tribulatione persecutionis, & aduersitatis; quia eloquium C
tuum, de quo dixi, tanta mihi promittens; viuificauit me. Vitam dedit, tenuit, sustinuit, ne in illa humilitate deficerem. Hic versus per omnia concordat cum Rom. c. 5. 3. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* talem omninò spem, quem non confundit habet, qui hoc Psalmo Dominum benedicit & laudat; pergit, & magis adhuc explicans, quod dixerat, spem diuinorum promissorum sibi fuisse *consolationi in humilitate sua*, ait, quod quidem D

V. 51. Superbi Christianorum persecutores, maximè Romani Impp. iniquè agebant vsquequaque; omnia iniqua tentantes, & adhibentes ad eos à Christi Fide dimouẽdos, & ad idola pertrahendos; à lege autem tua non declinaui. sic, vt dixi, à te adiutus, ò Domine, E

V. 52. Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum. præter illam spẽ tãtorum promissorum reuocaui mihi in mentem *iudicia tua à sæculo Domine*, illa tua Sacramenta, & *mysteria temporibus æternis tacita*, nunc autem nobis *patefacta*, Rom. 16. v. 26. reuelata, manifestata, & tradita, quæ in Ecclesia tua possidemus, quorum quidem tanta est maiestas, & pretium, vt inde in medijs persecutionibus *consolatus sim*, F
maximam lætitiam, & gaudium perceperim; quia verè *visitasti & fecisti redemptionem plebis tuæ, sicut locutus es per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum tuorum*, Luc. 2. in his, inquam, *iudicijs tuis*, quæ sunt *sapientia* illa *non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, qui destruuntur*: sed tua *sapientia*, ò Deus, *in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinasti ante sæcula in gloriam nostram.* 1. Cor. 2. 7.

in

A in his, inquam, summam capio voluptatem. Quod autem de his, & eiusmodi ad excellentiam Sanctæ Legis nostræ Euangelicæ spectantibus loquatur, & ea vocet *iudicia* Dei *à sæculo*, provt explicatum est, quatenus de ijs *à sæculo* locuti sunt Prophetæ, & qui ante, & qui post Sanctum Dauidem fuerunt, vt ex testimonijs adductis constat; quod, inquam, de illis sit sermo non solùm connexio cum antecedentibus, sed etiam cum sequentibus ostendit; nam statim subiungit, quod sicuti ipse maxima lætitia afficiebatur eam mordicus tenendo, & obseruando; ita cum videret eandem sanctissimam, excellentissimam, & pretiosissimam Dei
B Domini sui Legem à peccatoribus derelinqui, summo tangebatur, & conficiebatur dolore;

V. 53. Defectio tenuit me, S. Hier. *horror;* Chal. *tremor;* pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Hæc ingens animi tristitia, quam probus, & maximis passibus proficiens Fidelis Domini seruus concipiebat *pro peccatoribus derelinquentibus legem Domini*, potest quidem vni-
C uersim accipi respectu peccatorum hominum omnium cuiuscunque status, seu sectæ, & religionis, seu superstitionis illi sint (siquidem omnes quatenus peccatores sunt, derelinquunt *Legem Domini*, saltem scriptam in cordibus eorum) verùm cum supra notatum sit, Sanctum Dauidem hoc Psalmo presse, & propriè loqui de ipsa noua Euangelij Christi Lege; hìc pariter dicendum est, hunc ingentem dolorem, & animi defectionem sentiri *pro ijs peccatoribus*, siue eorum peccatorum causa, qui ipsam Sanctam nouam Christi Euangelij Legem semel susceptam relinquerent, vel non obseruando, vel ab ea discedendo, vel praua de
D ea sentiendo, siue eam deprauando; *pro his peccatoribus* potissimùm, & primariò *Defectio tenuit me*. Et D. Apostolus 2. Cor. 11. 29. pro ijs, qui sibi erant in *solicitudine omnium Ecclesiarum infirmabatur, & vrebatur*. Et idem 1. Cor. 5. 9. declarans satis apertè suam mentem circa hoc propositum ait; *Scripsi vobis in Epistola: Ne commisceamini fornicarijs, non vtique fornicarijs huius Mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis ex hoc Mundo exijsse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur est fornicarius, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi, nec*
E *cibum sumere. Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Actorum etiam cap. 20. v. 29. & 30. de ijs, qui intus erant ingemiscebat, inquiens; *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis consurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Hæc omnia, vt Ecclesiæ testantur historiæ, facta omninò sunt, & quia ipsis temporibus etiam nostris fiunt, propterea *Defectio tenuit me*, &c. Et sanè lugendi quidem omnes illi sunt, qui talem, & tantam Legem Domini sui, tam inconsultè, imò tam nequiter, tam sceleratè, tamque superbè derelinquunt; nescio quid seu la-
F boris, siue asperitatis, & iniucunditatis in ea fingentes, quando nihilominus (quod mecum omnes dicent, qui eam norunt, diligunt, & obseruant)

V. 54. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ (quæ scil. *iustificationes*, siue quæ iustificatio multis modis acquiritur per eius Sanctæ Legis obseruationem) *cantabiles erant*, vt can-

tiones iucundæ,& suaues, in loco peregrinationis meæ. Insinuat hic medium efficacissimum ad Legem Domini exactè obseruandam, gerere se tanquam peregrinum in hac vita: sic 1.Petri 2.11. *Charissimi obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Et quidem iucunditas, quam ex Lege hac Domini mei percipiebam, ita me suauiter intentum,& occupatum detinebat, vt, cum illa me vehementer in eiusdem Domini mei amorem accenderet, ei considerandę, cùm horæ diurnæ non sufficerent, etiam multas nocturnas impenderem; & sic; A

B

V.55. Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam. Planè

V.56. Hæc, tua scil. sancta, pulchra, pretiosa, & suauissima lex facta est mihi omnis mea cogitatio, desiderium, & studium, siue, quæcunque supra numeraui bona, omnia hæc facta est mihi ipsa tua lex; & causam reddens, quod in ea,& per eam tanta bona sit consecutus, ait; quia iustificationes tuas exquisiui. non otio me, sed labori in ea dedidi, audiens Apostolum exhortantem 2.Cor.6. *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Sic proficiens C

HETH.

V.57. Portio mea, S.Hier.& Chal. *pars*; quasi dicat, vt benè P. Em. Sà, quod mihi pro hereditate est, Domine, dixi custodire legem tuam; est custodia legis tuæ. Eam ipsam legem tuam custodiendo, D

V.58. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, reuocat in mentem viam, ordinem, & progressum sui profectus, qui fuit omnium primò deprecari pro commissis suis delictis, sic dicendo; miserere mei secundum eloquium tuum, quo promisisti pœnitentibus veniam; inter quos ego cum essem, E

V.59. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos affectuum meorum in praua,& obliqua tendentium, siue inclinatorum, conuerti eos in testimonia tua. Atque ad persistendum in ijs F

V.60. Paratus sum, & fui séper, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. licet multa occurrerent, quæ, vt supra

A pra dixi, mihi in me ipso difficultatem in ijs obseruandis facesserent; quinimò non solùm in membris meis repugnantem legem non sum secutus, vt à mandatis tuis recederem; verum etiam

V. 61. Funes peccatorum circumplexi sunt me, quando laquei, aut retia, siue insidiæ hominum, & ipsæ cohortes, (vt habet Chal.) hominum impiorum me verbis, & prauis exemplis manifestis, atque etiam occultis dolis, & insidijs, tanquam quibusdam funi-
B bus circumplectentes conabantur in casum, & ruinam pertrahere, vt contra Diuinam tuam Legem quidpiam facerem; nihilominus tamen etiam tunc Diuina gratia tua adiuuãte firmiter steti, & legem tuam non sum oblitus. Atque ne maioribus eiusmodi tentationum, & persecutionum insultibus, subinde, & frequenter insurgentibus; vnquam cederem, sed eos semper vincerem, non solùm horis ante lucanis, quod solitum Christianis erat, sed etiam

C V. 62. Media nocte surgebam, ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ; gratiam à te Domine flagitando, vt ea firmiter, & inconcussè aduersus illos omnes insultus conseruarem. Certè Paulus, & Silas Act. 16. 25. *media nocte orantes laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodia erant. Subito verò terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris*, &c. atque hinc antiquus psalmodiæ nocturnæ, & mediæ noctis mos vsque nunc in Ecclesia Christi per-
D seuerat.

Quod verò summæ mihi consolationi est, in his bonis operibus non ipse vnus ego sum, qui ea exerceam, sed innumeros hàbeo Socios tuos Fideles Fratres meos, è quorum numero gratia tua ipse ego vnus sum, & sicuti contristor *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*; ita etiam amplius gratulor, quia eorum omnium, qui in vniuersa Ecclesia tua sunt, seruorum tuorum.

V. 63. Particeps ego sum omnium timen-
E tium te: & custodientium mandata tua. Quãtum bonum hoc est, tam multorum bonorum, & timentium te, atque custodientium mandata tua participem, seu, vt Chal. habet, *Socium* esse, seu consortem, & vinculo eiusdem Fidei, & charitatis annexum. Et quia hæc bonorum societas non impeditur spatijs terrarum, neque locorum intercapedine dirimitur, sed integra constansque perseuerat, & perdurat vbicunque tandem locorum illi fuerint, planè etiam in hoc

F V. 64. Misericordia tua Domine plena est terra; cum illi boni tui Fideles in vna tua Domo degentes, quæ est Ecclesia tua, sint toto orbe dispersi, cumque inter ipsos non secus, atque inter eos, qui sunt in vna Domo, Societate, Ciuitate, Regno, & corpore, sit bonorum communicatio, & bonum hoc consecuti sint gratia, & miseri-

cor-

cordia tua, consequitur omninò, quod, *Misericordia tua Domine plena est terra*; A
maximè iam Ecclesia tua, quæ habet hanc Sanctorum communionem, vt dixi, toto Orbe terrarum dilatata; ne quando contingat me tanto bono priuari si in vacuum gratiam tuam reciperem, eique non correspondere, obsecro Domine, vt hactenus fecisti, sic imposterum, iustificationes tuas doce me. Pergit deinde ex hac iusta, quam pro se habet, solicitudine, & ostendit quantam habeat necessitatem huius Domini auxilij. Sicut ergo petebat, *iustificationes* eius doceri; ita statim subiungit; Et tu quidem; B

TETH.

V. 65. Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine secundum verbum tuum; idest; benè fecisti; sic S. Hier. cũ seruo tuo, dando, seu docendo tua præcepta; sic P. Emm. Sà. Ego verò tanquam C
quod mihi valde necessarium est insuper peto;

V. 66. Bonitatem volũtatis, & disciplinam; idest mortificationẽ passionum, & scientiam; scil. intellectus, vt. P. Emm. Sà, doce me; hæc enim omnia mihi vel ideo necessaria sunt, quia mandatis tuis credidi: quia Fidem tuam amplexus sum, quã, ni præsidijs illis fulciar, illibatam seruare non potero. Et verò etiam non sine D
magno cordis mei dolore recordor, quod,

V. 67. Priusquam humiliarer ego deliqui;

idest, vt Chal. habet, priusquam *affligerer*, siue premerer, & diuexarer tribulationibus, & persecutionibus, *ego deliqui*. Hæc ad literam S. Dauidi non conueniunt; nam peccata ipse sua post maximas illas à Saule acerbissimo suo persecutore toleratas afflictiones commisit. Neque dici potest, quod hìc loquatur de humiliatione sibi per filium Absalonem illata, quia illi non conuenit, quod deinde subiungit v. 69. *multiplicata est super me iniquitas superborum*. Quod si Dauidi hæc propriè non conueniunt, multò minus Christo, vt patet. Dicendum itaque est (quod prædicta omnia confirmat, & verum esse constabit ex maxima cohærentia, & connexione cum sequentibus) verba hæc, vt sæpe dictum est, proferri in persona, & vice cuiusque Fidelis, qui in Christi Ecclesia Dominum laudando, eique gratias agendo præteritum rerum aduersarum statum in mentem reuocat. Quia igitur in annorũ quibus Ecclesia Christi propagabatur decursu (vt Annales Ecclesiastici ab Eminentiss. Card. Baronio editi testantur) multa à Christianis committebantur peccata, quæ iram Domini, & iustam eius castigationem merebantur; vt constat ex ijs, quæ Decij, & Valeriani, nec non vltimam Diocletiani persecutionem antecesserunt; quia, inquam, hæc Christianorum delicta Tyrannorum persecutiones præcedebant; propterea, qui vice aliorum, & voce Dominum laudat, tanquam, vt verè est, præstantissimam Diuinæ
Lau-

A Laudis materiam propriæ iniquitatis agnitionem aſſumit, & fatetur, quod *priuſquam humiliarer*, per immiſſas perſecutiones, *ego deliqui*; quia autem mira Dei bonitas ſemper facit cum tentatione prouentum, ſtatim ſubiungit præſentem ex perſecutionibus fructum; propterea eloquium tuum cuſtodiui; ideſt factus cautior, vt P.Emm.Sà: vel vt S.Hier.& Chal. *nunc autem*, ſic ſcil.eruditus, *eloquium tuum cuſtodiui*. verè,ò Domine,etiam dum corripis, caſtigas, & flagellas;

B V. 68. Bonus es tu; totum me tibi ſubmitto; fac quod lubet; & in bonitate tua, quã exerces etiã corripiendo, doce me iuſtificationes tuas; & fac, vt eas edoctus ſemper obſeruem. Et quidem, quod ad paternas tuas correptiones attinet, omninò

V. 69. Multiplicata eſt ſuper me iniqui-

C tas ſuperborum, perſecutorum ſcil.maximè Romanorum Impp. me affligentium multiplicibus pœnis; præteritum enim perſecutionum ſtatum recolit; quando illi quidem ſuper me, ſiue in me, & contra me ſequiebant; ego autem, quod vniuerſa Eccleſia faciebat, in toto corde meo ſcrutabor; Hier.ſeruabam; mandata tua. Eo maximè tempore vacantes Orationi, Diuinis Eloquijs, Pſalmodijs, Sacramentorum frequentationi.

D Pergit S. Dauid, & oſtendens diuturnitatem perſecutionum, & quam obſtinato corde, & voluntate ſuperbi illi Romanorum Principes Chriſtianos perſequerentur, ait;

V. 70. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorũ; ideſt, vt benè P. Emm. Sà, obſtinati ſunt, ſiue erant in eo, vt me perderent, & exterminarent; ego verò legem tuam meditatus ſum,

E dum ſic inſtarent, & perſiſterent.

Aduertens deinde, ſe ſeque reflectens ſupra fructum, qui conſecutus eſt, eaſdem obſtinatas illorum perſecutiones, exclamat;

V. 71. Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt ſic, diſcam, ſiue vt Hier. diſcerem, iuſtificationes tuas.

F V. 72. Bonum mihi lex oris tui, ſic per eas humiliationes ſeruata ſuper millia auri, & argenti. Verſus hic etiam hanc non minus conſequentem explicationem recipit, quod ſcilicet Fidelis Domini ſeruus experiatur ſibi Legem oris Domini ſui, qua ſupra Pſalmo 88. v. 31. ſtatuit, quod; *Si dereliquerint filij eius Legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint*. v. 32. *Si iuſtitias meas profanauerint: & man-*

mandata mea non custodierint: v.33. *visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*; quod hanc, inquam, eius Legem, per quam reductum se videt ad iustificationes Domini discendas, & obseruandas, experiatur sibi longè maiori vtilitati fuisse, quàm essent multa *millia auri, & argenti*, quorum, & aliorum eiusmodi bonorum persecutionibus ingruentibus iacturam necesse est facere. Et hæc explicatio tollit illam repetitionem eiusdem rei statim sequentem, *vt discam iustificationes tuas*, ne idem dicatur per *lex oris tui*. Deinde magis cohæret cum sequenti versu; nam, tunc facta mentione de perditis in persecutione fortunæ bonis, omnique substantia, aptissimè subiungitur; quod illa omnia respectu, & comparatione spiritualium cum Lege, & Christi Fide integrè conseruatorum bonorum, parui omninò, nihilique pendenda sint, siquidem A B

IOD.

V.73. Manus tuæ fecerunt me; tua potentia, ò Domine, & sapientia creauit animam meam, P. Emman. Sà. & plasmauerunt me; & corpus meum, quo posito, quasi infert, quod Dominus Matt. 6. 25. intulit; *Nonnè anima plus est, quàm esca, & corpus, plusquam vestimentum?* omninò; & propterea sequitur, me non debere *esse solicitum animæ meæ, quid manducem, neque corpori meo, quid induar*. quod maximè necessarium est, da mihi intellectum, & discam mandata tua. Tunc enim lumine à te accepto, & gratia intelligendi, & exequendi mandata tua, C

V.74. Qui timent te, alij Fideles serui tui, qui eadem instructi Fide, & S. Lege tua, in tua Ecclesia tibi seruiuat, videbunt me, sic benè agentem, & progredientem; & lætabuntur: quia in verba tua supersperaui. quia super omnia illa æstimaui, quia illis omnia reliqua postposui; *lætabuntur*, inquam, sicuti è conuerso vnà mecum contristantur propter lapsos, & eos, qui in tempore tentationis radicem non habentes arescunt, & à te recedunt, impiè omninò, & iniustè; nam rebus omnibus, quæ ad hanc Diuinam tuam Prouidentiam circa Ecclesiæ tuæ, & Fidelium persecutiones pertinent accuratè perpensis; D E

V.75. Cognoui Domine: quia æquitas iudicia tua, quæ sic nobiscum, & cum Ecclesia tua disponunt, æqua (& vt Chal. iusta) omninò iudicia, imò ipsa *æquitas* sunt; & in veritate tua humiliasti me; & meritò, atque iustè afflixisti me, Hier. & Chal. F

Verùm post susceptam iam, & diù toleratam, iustam castigationem tuam à tua Iustitia;

V.76. Fiat misericordia tua, & consoletur

A tur me, cunctamque Ecclesiam, prout cœpit, & id peto vt fiat, secundum eloquium tuum seruo tuo. secundum promissa tua, quibus & pœnitentibus veniam, & ipsi toti Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem te concessurum promisisti. Illæ obsecro semper, vt modo (nam supponit adesse.)

V. 77. Veniant mihi miserationes tuæ, &

B viuam: & viuam in illis miserationibus *vita beata*, vt S. Aug. de huius tamen temporis beatitudine, quæ est in Fide, & Spe, loquitur Sanctus Dauid; nam statim subiungit, se ideo in illis miserationibus victurum, quia lex tua meditatio mea est. quia in ipsa Lege, quæ ad præsentem statum pertinet, & ipsa Lex tua est mea *delectatio*, vt Hier. & Chal. propterea, quod quidem felicissimè factum est;

C V. 78. Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me; Illi superbi Romanorum Impp. qui abutentes potestate sua tam impiè, & iniustè in me (pro tota Ecclesia loquitur) sæuierunt, meque vastarunt, confundantur, & re ipsa frustrati improbo, atque impio suo fine, quem habebant me exterminandi, sunt omnes confusi, atque ad instar fumi abierunt; ego autem vnà cũ omnibus tuis Fidelibus superstites, exercebor in mã-

D datis tuis. iam enim, quod præstolabamur, licet nobis *vacare*; & dicitur nobis *vacate, & videte*, &c. Psal. 45. 11. Sic omninò

V. 79. Conuertantur mihi; iungantur mihi, P. Emm. Sà; timẽtes te, & qui nouerunt testimonia tua. iungantur mihi omnes alij Fideles, qui sunt timentes te, &c. vt iunctis animis, atque studijs *exerceamur in mandatis tuis*, & tibi vacemus. Hoc autem dum facimus (nam, vt dixi,

E supponit id fieri, sed quia sine Dei gratia fieri, & continuari non potest, petit, & instat) obsecro;

V. 80. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar. Da gratiam, vt ita vtar tam multis medijs, quæ ad iustificationem, & sanctitatem acquirendam habeo in Lege tua sancta, vt eandem vitæ innocentiam, puritatem, & sanctita-

F tem re ipsa obtineam, ne si ea destitutus fuero, in qua summa rerum Christiani hominis versatur, Dei, Angelorum, omnium hominum, & ipsorum à Fide alienorum ludibrio exponar, quod est, *vt non confundar*, atque ideo, *Fiat cor meum immaculatum*.

Hactenus valdè benè proficientem, & multis virtutibus ornatum, & corroboratum vidimus Christi Fidelem, atque in illo reliquos, & quales nos esse de-

 ceat;

ceat; ipsius scil. similes. Deinceps multa occurrent, quæ Christianum hominem perfectum ostendent. Nam non solum Lyrano concedi potest, vt P. Lorinus ait, sed etiam debet; hic & deinceps agi præsertim de vita contemplatiua, huc vsque actum de actiua. A

Qui ergo adeò instanter petijt, fieri cor suum immaculatum in iustificationibus Domini, vt non confunderetur in ijs ipsis iustificationibus sese exercens, & proficiens, eo vsque peruenit, vt diceret;

CAPH. B

V. 81. Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperaui. Defecit pre desiderio videndi facie, ad faciem, & in patria *salutare tuum anima mea*, ò Domine, *& in verbum tuum*, quo promisisti tuis fidelibus legem tuam obseruantibus te talem mercedem daturum, *supersperaui*, firmissimè indubitanter speraui, & spem hanc habui semper tanquam *anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, quo præcursor pro nobis introisti* Domine Iesu: Heb. 6. 19. à S. Dauide propositum vidimus hominem fidelem, spoliatum omnium terrenarum rerum affectu, imò cui etiam Paupertas Euangelica thesaurus erat, quem vndique tribulationes, & persecutiones circundederunt, atque circunstabant; quidni eiusmodi cupiat dissolui, & esse cum Christo? omninò C

V. 82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, in hoc promissum tuum, vt, *vbi tu es, illic sit & minister tuus*. Ioan. c. 12. 16. dicentes: Quando consolaberis me? scil. hoc pacto. Hanc consolationem idcircò tanto desiderio expecto, & postulo; D

V. 83. Quia persecutionum frigore, & hyeme desæuientibus, factus sum sicut vter in pruina: vt scilicet sicut vter est pellis animalis mortui, ita ego, quoad animales, & mundanos animi affectus mortuus sum, atq; per ipsas persecutiones tanquã *pruinam* (quæ molliores vtres, & laxiores reddit, ex Euthymio apud P. Lorinum) effectus sum magis capax eloquiorum tuorum suscipiendorum, & continendorum; ideò iustificationes tuas nõ sum oblitus. Sic quod Dominus, Matt. c. 9. v. 17. etiam homines non *mittunt vinum nouũ in vtres veteres, sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur*. Vter valde nouus, qui hic loquitur, pergit anhelans ad sibi paratam beatam æternitatem, præsentem vitam cum tædio, & dolore sustinens, cupiensque eam terminari, sed cum multorum animarum conuersione, ait E F

V. 84. Quot sunt dies serui tui? finiri quidem eos, qui pauci sunt & mali, cupio; sed simul maximo desiderio teneor videndi prius ad te conuersi, & in Ecclesiam ingredi omnes meos, eiusque hostes, & aduersarios idola-

la-

A latras, & ita quæso, ò Domine; quando facies de persequentibus me iudicium? vt qui modo te ignorantes, & in Gentilitatis tenebris degentes me, Ecclesiamque tuam persequuntur, & illi per te illuminati, errores suos agnoscentes iudicio tuo, Fidei tuæ Sanctæ, & ipsi subijciantur. Planè digni omni commiseratione illi, qui tot errorum, & superstitionum tenebris sunt inuoluti. Vtinam veritatem tuam agnoscerent! Et quidem ipsi aliquando crepantibus buccis, & sesquipedalibus verbis mundanæ tuæ elo-
B quentiæ

V. 85. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes dogmatum, & superstitionum suarum; sed non vt lex tua. nihil illa habent soliditatis, nihil veritatis, sicut *lex tua*, meras fabulas continent, oĩa apud illos vana, inutilia, noxia; at è cõtra

V. 86. Omnia mandata tua veritas: nihilominus licet
C omnia mandata tua, quidquid Fides tua sancta proponit, & docet, sit ipsa veritas, ipsa lux; tamen iniquè persecuti sunt me; & quidem adeò iniquè, adeò acerbè, & pertinaciter, vt continua tui auxilij ope indiguerim, eamque continuò implorare, & exclamare cõpellerer, adiuua me. Et certè nisi omnipotens dextera tua adiuuisset,

V. 87. Paulò minus consummauerunt me
D in terra; parùm abfuisset, ne me penitus perderent; ego autem, quicquid illi vehementissimè vrgerent, & obtinere se posse vanè sperarent; non dereliqui mandata tua. Sic, Dñe, perge, vt fecisti;

V. 88. Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui.
E subintellige quicquid illi conati fuerint impedire; tu Domine *viuificabis me* semper, & ego *custodiam*, &c. Quàm verò erat impia, & inepta eorum persuasio, quod sperarent se posse Fidem tuam in terra planè perdere, extinguere, & ad nihilum redigere; fieri id nullo modo potest; nam

LAMED.

V. 89. In æternum Domine, verbum tuum
F permanet in cælo. est phrasis similis aliàs dictis, maximè Psal. 101, v. 26. quod Verbi Dei, siue Fidei Sanctæ stabilitas comparetur cum ijs, quæ firmissima sunt, & nunquam peritura, & sic sensus est, quod tantum abest Fidem Christi perdi, & extingui posse, vt illa, tanquam si *in cælo*, vel ipsi cælo infixa esset, æternum permaneat, & permansura sit in sæculum, seu vsque ad consummationem sæculi. stat, & stabit

V. 90. In generationem, & generationem A

omnem ventură, veritas tua: id, quod promisisti, stat non minus immobiliter, & ita cōstāter, sicut olim fundasti terram, & permanet: non secus, atque

V. 91. Ordinatione tua, siue pręcepto tuo semel posito, quo Genesis c. 8. v. 22. iussisti; *Cunctis diebus terræ sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hiems, nox, & dies non requiescent*. sicut, inquam, posita hac *ordinatione tua* perseuerat dies; ita perseuerabit Fides, & Lex tua Sancta; neque id mirum; quoniam omnia seruiunt tibi. cum tu sis Dominus vniuersorum, neque sit, qui possit resistere voluntati tuæ. Verùm sicut Lex tua, & Fides Sancta immutabilis est, ita spectatis viribus meis, seu potius considerata mea infirmitate, B

V. 92. Nisi quod lex tua meditatio mea C

est, nisi omne meum studium, & animi occupationem, & delectationem collocauissem in Lege tua sancta; tunc, quādo tam acerbè, & acriter, & sæuè aduersarij persequebantur; fortè perijsse in humilitate mea; vtique in mea illa afflictione defecissem. Quod autem steterim, sint tibi, ò Domine, laudes, & gratiarum actiones; ego

V. 93. In æternum non obliuiscar iustifica- D

tiones tuas, quia in ipsis viuificasti me. Ecce, ò Domine, (id quod maximo animi mei gaudio, dico)

V. 94. Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui. & quidni hæc dicendo gaudeam, E

mihique ipsi gratuler? quandoquidem ne tuus, & ne saluus essem,

V. 95. Me expectauerunt peccatores, vt perderet me; sed gratia tua euasi, steti; testimonia tua intellexi: illa secutus sum, quæcunque aduersa contra me consurgerent. Et certè, dum ea, quæ mecum, & cum Ecclesia tua persecutionum tempore transacta fuerunt, considero, dicere cum veritate possum, quod F

V. 96. Omnis consummationis vidi finē; idest (provt P. Emm. Sà, & P. Lorinus post adductas multas alias explicationes, in hanc maximè literalem consentiens) omnes res, quamuis consummatæ, idest perfectæ, & omnibus, vt dici solet, numeris absolutæ, finem habent, ad exitum, & ter-

A & terminum perducũtur; & tandem cessant, & intereunt; sed latum mandatum tuum nimis. non sic Lex, & Fides tua Sancta, ipsa quàm latissimè, & longissimè se se extendit, omnes ætates, & tempora complectitur; proinde, ò verè beatam, & benedictam hanc Domini mei Legem!

Deinde Fidelis hic sanè perfectus Domini seruus, se se ipsum præ exuberante animi lætitia vix capiens, quod Legem, & Fidem eiusmodi haberet, eamque seruaret, in has vehementissimi affectus plenas voces prorumpit.

B

MEM.

V. 97. Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.

C V. 98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est. plusquam;

V. 99. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

D V. 100. Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui. omnia sat clara. Similes affectus, & effectus experientur, qui similiter dilexerint Legem Domini, & qui cum ipso sancto Dei seruo dicere poterunt quod sequitur;

V. 101. Ab omni via mala prohibui pedes

E meos: vt custodiam verba tua.

V. 102. A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi. sufficientissimum planè, & efficacissimum motiuum *non declinandi à iudicijs* Domini, præceptis eius, & mandatis, quia ipse *Legem posuit*, tanta Maiestas, tanta Bonitas, Deus Immensus, &c. Præter hunc sensum, etiam ille alius indica-

F tur his verbis, *quia tu Legem posuisti mihi*, qui positus est ad explicationem versus 33. huius Psalmi; quod scilicet ideò non declinasset, quia Dominus effecisset gratia sua, ne declinaret, Legem ponendo, vt, aquis ne transirent fines suos. Sic seruata;

V. 103. Quam dulcia faucibus meis elo-

quia

quia tua, super mel ori meo! Vt autem illa seruarem A
V. 104. A mandatis tuis intellexi, quid agere, & quomodo debe-rem; propterea odiui omnem viam iniquitatis.

N V N.

B
V. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. clara. Propter hæc tam ingentia bona, quæ ex seruata Diuina Domini mei Lege percipiuntur,

V. 106. Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, quæ profecta sunt, & tradita à tua iustitia. Atque ita, ò Domine, quando, & quotiescunque C

V. 107. Humiliatus sum, afflictus sũ, vel fuero, vsquequaque vehemẽter, Chal. tu, vt fecisti, Domine: viuifica me secundum verbum tuum. &

V. 108. Voluntaria, Chal. oblationes spõtaneas, oris mei; laudes, & gratiarum actiones, quas Diuinæ tuæ Maiestati refero, & persoluo; beneplacita fac Domine, gratãter accipe; & iudicia tua doce me, vt hactenus, quando D

V. 109. Anima mea in manibus meis semper; periclitabar de vita, ac si eam in superficie manus ferrem; & legem tuam non sum oblitus. quando etiam E

V. 110. Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.

V. 111. Hereditate acquisiui testimonia tua in æternum, pro hereditate habui, & habiturus sum quoad vixero, & semper *testimonia tua*; Legem tuam, & omnia mihi à te tradita, quibus voluntatem tuam testatus es; quia exultatio cordis mei sunt. F

Pla-

A Planè hic vir Sanctus, & perfectus est, quales Christiani primitiuæ Ecclesiæ erant, & omnes decet esse. pergit, & sciens mercedem sibi paratam ipsum Dominum; nam ad ipsum tanquam perfectus respicit, dum in retributionem aspicit, ait, quod dixi mihi æternam hereditatem futuram ipsum seruare tua mandata, id omninò ita est.

V. 112. Inclinaui cor meum ad faciendas
B iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Propter illam

SAMECH.

V. 113. Iniquos odio habui: & legem tuam
C dilexi.

V. 114. Adiutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui.

V. 115. Declinate à me maligni: & scrutabor
D mandata Dei mei.

V. 116. Suscipe me, Chal. sufflecta me; secundum eloquium tuum, in obseruatione tuorum præceptorum, & viuam vita gratiæ, seu spirituali; & non confundas, ne finas cõfundi me ab expectatione
E mea, frustratum illa.

V. 117. Adiuua me, & saluus ero, planè gratia Dei, & auxilio est opus, vt sæpissimè meminit: & meditabor in iustificationibus tuis semper. gratiam autem maximè perseuerantiæ postulat, memor quod multi non perseuerent vsque in finem. Ne sim ex
F eorum numero *adiuua*; nam

V. 118. Spreuisti, Hier. abiecisti; Chal. cõculcasti; omnes discedẽtes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorũ. sicuti supra v. 21. dixi quod *maledicti* sint, *qui declinant à mandatis tuis*, iuxta ibi datam explicationem, & tales,

V. 119.

V. 119. Preuaricantes, idest, eiusmodi homines non stantes in veritate, Diuinam tuam Legē transgredientes, reputaui, habui eos pro maledictis, quos à facie tua abiecisti, quos despexisti, omnes peccatores terræ; quæ pœna, cum sit omnium maxima, & grauissima, æternùm separari à te Summo Bono; *ideo* (vir perfectus, Deum suum amans, & eo priuari magis quàm vllas sensus pœnas timens loquitur) *dilexi mandata tua*; ne in pœnam illam inciderem. Et quia noui nimiam fragilitatem meam, & pronitatem ad malum, ne vnquam, quocunque tentationis alicuius impulsu contingat, hanc dictu horrificam separationem fieri, obsecro Domine, A B

V. 120. Confige timore tuo carnes meas; in membris siquidem, & carne mea viget Lex praua repugnans Sanctæ tuæ Legi; clauis eas iam dicti timoris tui confige, ne discedens à iudicijs Legis Sanctæ tuæ, inter præuaricatores à te spernendos, & æternùm diuellendos constituar; hoc ego seruus tuus infirmus, & labilis à te Domino meo instantissimè peto; C à iudicijs enim tuis timui; videns, quod multi, qui stabant, sint lapsi, qui benè currebant, sint retro reuersi. Hactenus quidem ego te adiuuante.

AIN.

V. 121. Feci iudicium, & iustitiam, D iuxta Diuinam tuam Legem viuendo, & à malis omnibus abstinendo; deinceps etiam rogo, vt non tradas me, non finas me tradi, si ad malum operandum deflecterem; calumniantibus me. vt iustè tunc calumnientur, qui vitam meam, & Christianorum reliquorum confictis nunc in nos criminibus proscindunt; idest, quod solùm S. Pater Noster Ignatius dicebat timendum esse, ne aduersarij de nobis, & malè dicant, & vera dicant;

V. 122. Suscipe seruum tuum in bonum: E non calumnientur me superbi. Calumniabantur quidem superbi Gētiles Christianos, eosque variorum criminum, & obscęnitatum faciebant reos, sed falsò, atque iniuria confundentes cum ijs impuros Gnosticos, & aliarum hæresum (qui se se Christiano nomine nuncupabant) fęces hominum, vt ex historijs, & annuis Ecclesiasticis constat; veri Christi Fideles vitæ semper fuere integerrimæ; neque erat, in quo iustè calumniari eos possent superbi. Ipsorum conuersatio, F vt alibi supra dictum est, inter Gentes bona, sanctaque erat, inter quos ad instar luminarium fulgebant; & quod hic ait S. Dauid de vno, id etiam de reliquis dicendum est

V. 123. Oculi mei defecerunt in salutare

tuum:

A tuum: & cælestium rerum amore inflammatus cum Christo esse cupiens; & in eloquium iustitiæ tuæ interim me exercens, & vitam meam conformans iuxta *eloquium iustitiæ tuæ*, perfectionis, & sanctitatis, à te mihi ostensæ: id quod vtrumque ego maximo studio, & conatu præstiti nam *oculi mei defecerunt*. Sic Domine (dum se aliquid fecisse dicit, statim deinde ferè semper subiungit, cuius ope, & auxilio id fecerit)

B V. 124. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

V. 125. Seruus tuus sum ego; hanc optimam allegat rationem, ad id quod petit impetrandum; Primo quod eius sit seruus, proinde
C da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Deinde aliam etiam adiungit, quia scil. etiam adest

V. 126. Tempus faciendi Domine: Hieron. vt facias vindictã, scil. in trãsgressores, quia dissipauerunt legem tuam. P. Lorinus obseruat allusionem egregiam in Hebræis verbis; quatenus vtrumque membrum huius versus
D significat *confringere*; vt sit sensus, tempus esse, vt Deus confringat illos, qui confregerunt Legem ipsius: & licet magis propter tui amorem, tamen etiam

V. 127. Ideo quia sic punis transgressores, dilexi mandata tua, super aurum, & topazion. & etiam

V. 128. Propterea ad omnia mandata tua
E dirigebar; omnem viam iniquam odio habui. Multa hucusque indicia viri valdè perfecti, & charitate Dei ardentis dedit Sanctus Dauid loquens in persona Fidelis Christi serui accuratè Legem eius obseruantis; quæ sequuntur non inferiora ijs sunt; nam quantum necesse est profecisse, imò ad quantam perfectionem peruenisse, qui intima, & maximè abscondita mysteria Legis Euangelicæ ingressus perscrutando dicere potest, quod sequitur?

F PHE, siue PE.

V. 129. Mirabilia testimonia tua: in Lege potissimum, vt dictum est, Euangelij, in qua altissima profundissimaque mysteria: multa ardua, & vires humanas excedentia, quæ tamen abundantia diuinæ gratiæ (quæ eius

obseruatoribus communicatur) non solùm non ægrè, sed etiam iucundè adim- A
plé-tur; ideò scrutata est anima mea; illa omnia zelo, & studio proficiendi, tum ipse ca- inuestigando, & inquirendo, tū ab alijs addiscendo: & verè expertus loquor, quod

V. 130. Declaratio sermonum tuorum, tā suscepta, quā alijs tradita, illuminat, & intellectum dat paruulis; humilibus; non enim nisi eiusmodi ijs addiscendis apti, & qui regnum hoc Dei B
non suscipit tanquam paruulus, in illud non ingreditur: quia ergo *declaratio*, vt dixi, *sermonum tuorum illuminat, & dat intellectum paruulis*, inter quos adnumerari cupio; propterea ijs sermonibus tuis audiendis, & addiscendis

V. 131. Os meum aperui, provt ij solent, qui res maximè iucundas, curiosas, admirandas auscultantes, intenti in loquentem, & ex eius ore pendentes, ora tenent aperta; ego autem, quia, & auidus maximè eram sermonum tuorum audiendorum, & simul æstuabam desiderio ea adimplendi, non solum, *Os meum aperui*; sed, & attraxi spiritum, æstui meo, qui intus ardebat, refrigerando necessarium; quia, vt dixi, mandata tua desiderabam. qui sic cum Apostolo vrebatur; fidenter deinde dicit; C

V. 132. Aspice in me, & miserere mei: secundum iudicium: Chal. pro cōsuetudine; diligentium nomē tuum; idest, provt soles misereri eorum, qui diligunt nomen tuum; inter quos cupio censeri. In hoc autem tuam erga me misericordiā exerce D

V. 133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: vt totius vitæ meæ actiones, & operationes fiant iuxta diuinorum tuorum præceptorum normam; & non dominetur mei omnis iniustitia; non solùm qua proximo meo, quod suum est, non tollam; sed liberari præterea peto à passionibus malis, & omnibus næuis, obliquitatibus, & imperfectionibus quomodocunque sanctitati tuæ Diuinæ Legis aduersantibus. Præterea cum durantibus contra Ecclesiam tuam Sanctam, nosque eius filios acerbissimis persecutionibus, necesse fuerit immensas calumnias ab hostibus, & aduersarijs nostris tolerare, quibus apud imperitos homines plurimum obscurabatur Sanctę Ecclesiæ tuæ splendor; iam tandem, & plenè E F

V. 134. Redime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua. Et iam etiam, vt cæpisti, te nobis beneuolum, & hilarem ostendere, ita perge, &

V. 135.

A V. 135. Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas. In his tamen, quæ pro me, & Ecclesia tua valde læta, & iucunda fuerunt, non defuit tristitiæ aliqua, eaque non leuis causa, propter quam

V. 136. Exitus aquarum, Chal. fluéta; deduxerunt
B oculi mei: ideo, quia non custodierant, impij, & peccatores legem tuam. Deplorat vir zelo, & amore Dei plenus peccata, & lapsus, non tam eorum, qui foris, & extra Ecclesiam, quàm qui in ea erant, vel fuerant, quorum numerus, si tempore S. Ioannis Euangelistæ, provt ipse testatur, 1. suæ Ep. cap. 2. 19. multorum erat, siquidem, vt ipse ait, *nunc Antichristi multi facti sunt, vnde scimus, quia nouissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique*
C *nobiscum: sed* (subintellige tales euaserunt) *vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis*. Si, inquam, tunc multi erant: deinceps etiam in alijs persecutionibus, maximè Impp. Decij, & Valeriani, valdè magnus fuit lapsorum numerus. & eos potissimùm deplorabat, vt etiam supra v. 53. dictum est, quod *Defectio teneret* eum *pro peccatoribus derelinquentibus Legem* Domini. Et hic quidem dolor eò amplius crescit; quod

SADE.

D V. 137. Iustus es Domine: & rectum iudicium tuum; idest, quod cum tu *Iustus sis, & rectum*, &c. nihilominus, non custodierunt legem tuam.

Quandoquidem etiam, tu, qui Dominus vniuersorum es, qui in vitam, & mortem imperium habes;

V. 138. Mandasti iustitiã testimonia tua:
E & veritatem tuam nimis; idest præcepisti seruari *nimis* sub æternæ scil. damnationis interminatione tua testimonia, seu mandata, quæ sunt ipsa iustitia, & veritas, iustissima, & verissima: cum id non videam fieri, sed secus fiat;

V. 139. Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. meum studium erga
F Legem tuam, quam videbam sic contemni, consumpsit me. quam detestanda eorum iniquitas! sic obliuisci verba tua; siquidem

V. 140. Ignitum eloquium tuum vehementer: purum, perfectum, & tanquam aurum, & argentum igni probatum, est omne eloquium tuum; ideo & ser-

uus tuus dilexit illud; idest ego, non obstantibus quibuscunque aduersis; quamuis, non ego solus, sed quod supra dixi v.63. me gratulari, quod *Particeps essem omnium timentium te*; quamplurimi etiam alij serui tui diligunt illud, quorum excellentium, & magna virtute præditorum famulorum tuorum comparatione A

V. 141. Adolescentulus sum ego, & contemptus: tuæ proinde gratiæ fuit, quod cum talis essem, iustificationes tuas nõ sum oblitus. & quod fuerit mihi B

V. 142. Iustitia tua, iustitia in æternum: & lex tua veritas. vt Legem tuam, in qua omnis iustitia, sanctitas, & perfectio, & veritas reperitur, amplecterer animo eam in æternùm conseruandi, tuæ pariter gratiæ, & misericordiæ donum fuit. Quandocunque ergo C

V. 143. Tribulatio, & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est, ne tribulationi, & angustiæ cedam. Sic cum sint ipsa

V. 144. Æquitas testimonia tua in æternum: posita vt illa perpetuò durent, & ipse ego ea semper seruare velim, intellectum da mihi; D fac vt dum ea meditor, etiam plenè intelligam, & viuam. In quibusvis tribulationibus, & angustijs, quando in ijs constitutus fueram, vt iam lubet meminisse, & Diuinæ Maiestati tuæ gratias referre;

COPH.

V. 145. Clamaui in toto corde meo: dicens quod sequitur; exaudi me Domine: iustificationes tuas requiram. E

V. 146. Clamaui à te, saluum me fac: vt custodiam mandata tua. F

V. 147. Præueni alios in maturitate; Hier. adhuc in tenebris; Chal. in aurora; & clamaui: quia in verba tua supersperaui;

A rau i; innixus, & maximè fidens diuinis tuis promissis cum essem clamaui.

V. 148. Præuenerunt omnes alios homines, seu vigilias, seu artifices, & operarios, oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua. Iam supradictum est de antelucanis Christianorum conuentibus. In meditatione ergo eloquiorum tuorum, dum non tam voce, quàm affectu,
B & desiderio loquor;

V. 149. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine: & secundum iudicium tuum, quo non perdere, sed saluare consueuisti, viuifica me, vt fecisti, dando mihi, & nobis Fidelibus tuis vitam gratiæ, qua felices sumus etiam in me-
C dijs persecutionibus. E contra verò, sceleribus se se tradentes

V. 150. Appropinquauerunt persequentes me iniquitati, vbi præsentissima mors animæ, & sic à lege autem tua, in qua sola tibi vniuersorum Deo, ac Domino viuere, & saluari potuissent, longè facti sunt; ab illa tua Sancta Lege, & consequenter etiam à te Deo, ac Domino; quamuis
D V. 151. Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas. Immensus æquè, atque iustus cum sis, nemo possit à te elongari, neque diuinam tuam manum effugere, sed eum, qui per vias misericordiæ non progreditur per ineuitabilem iustitiæ tramitem necesse omninò sit ad te peruenire. Quantum proinde tibi Deo, ac Domino meo debeo? quod
E V. 152. Initio, ex quo Legem tuã Sanctã didici, amplexusque sum, & cæpi tibi seruire; cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea. cognoui, quia voluisti ea inuiolabiliter obseruari, & ipse etiam ego statui in æternum ea obseruare, proinde, ò Domine,

RES.

F V. 153. Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

V. 154. Iudica iudicium meum, & redi-

me

me me: propter eloquium tuum viuifica me. A

Hæc toties repetita ostendunt ingens desiderium seruandæ Diuinæ Legis, tanquam fontis tantorum bonorum sibi communicatorum. Vrgent etiam, & extimulant ingentia, & æternùm duratura aliorum mala ob neglectam, non habitam, & non seruatam hanc eius Sanctam Legem; nam,

V. 155. Longè à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt. ex eorum ego perditione, & interitu agnosco, quia sunt tuæ erga me B

V. 156. Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundũ iudiciũ tuum, hoc benignũ perge, & semper, viuifica me; nam dum hìc viuo,

V. 157. Multi qui persequuntur me, & tribulant me: à testimonijs tuis non declinaui. C

Cum ergo habitem in medio nationis prauæ, & peruersæ, qui iniquis suis operibus non desistunt animam meam cruciare;

V. 158. Vidi præuaricantes, & tabescebant: quia eloquia tua non custodierunt. Quãtum autem illi diuinis tuis oculis displicent, tantum tibi de seruorum tuorum bonitate complaces: ideò D

V. 159. Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua viuifica me.

Mihi, cunctisque Fidelibus tuis, hæc est maxima consolatio, quod in tali Fide tua, ac Lege viuamus, in qua E

V. 160. Principium verborum tuorum veritas: Summa eius, & à principio vsque ad finem omnia, quæ ipsa docet, est ipsa veritas immutabilis; & quod hæc ipsa Fides, & Lex nostra Sancta sit perpetuò duratura; nam in æternum stant, stabuntque omnia iudicia iustitiæ tuæ. His tam multis prolatis ad finem accedens, omnia prædicta in vnum veluti compendium colligit postremis duabus residuis Alphabeti Literis Sin, siue Scin, & Tau. F

Cum igitur summa rerum in longo Psalmi decursu pertractatarum fuerit, Laudem Deo dicere ob Legem cum animi profectu in persecutionibus custoditam, ait, sic planè se res habet;

SIN.

A

SIN.

V. 161. Principes; nullis magis hic Titulus, quàm Romanis competit, & eos omninò intelligit Romanorum Imperatores, acerbissimos Christianorum Persecutores; illi, inquam, ait S. Dauid in persona cuiusvis Christi Fidelis Deum iam obtenta pace laudantis,
B persecuti sunt me gratis: sine causa; nam tametsi pientissimus Dominus persecutiones ipsorum ordinaret in peccatorum, quæ à Christianis committebantur castigationem; ipsi nihilominus peruersa voluntate perdere intendebant, contra omne fas tradentes horribilibus supplicijs, eo solo nomine, quod Christiani essent, & Deos non colerent: in hoc ergo ipso summo persecutionum tantarum ab ijs Principibus in perniciem nostram conspirantibus illatarum æstu, dum sic illi *persecuti sunt me gratis*, & à verbis tuis formidauit cor meum. Perpendendo
C in his ipsis rebus, quæ nobiscum facta sunt admirabilem sapientiæ, & iustitiæ tuæ dispositionem, *formidauit cor meum*; siue, vt S. Ambrosius, reueritus sum, siue sacro quodam horrore perculsus formidaui illam sapientiæ, & iustitiæ tuæ dispositionem, quod scilicet per illas persecutiones, vt Apostolus, & Vicarius tuus Petrus præmonebat 1. Ep. c. 4. 17. volueris *iudicium incipere à Domo tua*, quæ est Ecclesia, qui sumus nos tui Fideles. propterea autem optimo iure *formidauit cor meum à verbis* hisce, & dispositione, atque ordinatione tua, quia hinc protinus intuli cum ipsomet Patre, ac Pastore nostro eodem D. Petro; quod *si primum*
D *à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?*

Similiter etiam, & in hanc prorsus sententiam loquitur S. Apostolus Paulus 2. ad Thess. c. 1. dicens; quod gloriarentur *in Ecclesijs Dei pro patientia vestra, & Fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo, & patimini: si tamen* (idest quandoquidem) *iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant: & vobis qui tribulamini requiem nobiscum, in reuelatione Domini Iesu de Cælo, cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non*
E *nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini Nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas*, &c. Sic ipse ab his ergo verbis tuis *formidauit cor meum*.

Quia tamen nobis, qui tribulamur ad ostendendum, siue vt constet omnibus iustum Dei iudicium, requies promittitur, & datur in regno Dei;

V. 162. Lætabor ego super eloquia tua, super has tuas sanctissimas dispositiones, & promissa tua; sicut qui inuenit spolia multa;
F quia diligentibus te omnia cooperantur in bonum. bonum mihi quia

V. 163. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi,

vnà

vnà cum alijs tuis Fidelibus, cum quibus etiam durantibus persecutionibus A

V. 164. Septies in die laudem dixi tibi, super hæc,quę paulò ante dixi, iudicia iustitiæ tuæ, admiranda illa quidem, imò & pauenda, sed tamen omnia iusta, & quæ sunt *iustitia tuæ* æquissimæ, quæ mihi laudis tibi dicendæ materiam obtulerunt. Et quidni etiam in aduersis te laudandi, & benedicendi materiam habuissem, quando, quod experimento ipse didici, est

V. 165. Pax multa diligentibus legem tuã: & non est illis scandalum, siue offendiculum in ruinam, subintellige etiam quando castigantur, quia sciunt Patrem cælestem flagellare omnem filium quem recipit; sic in ipsis flagellationibus B

V. 166. Expectabam salutare tuum; liberationẽ, & salutem expectabam à te, Domine, qui mortificas, & viuificas, &c. Domine: & mandata tua dilexi. vel tunc maximè. Et C

V. 167. Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.

V. 168. Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ, studia, actiones, operationes, in cõspectu tuo fiebant, siue erant iuxta id, quod à seruo tuo exigebas; *ambula coràm me, & esto perfectus*. Gen. 17. Superest modo, ò Domine, quod ipsum instanter à te peto; D

TAV.

E

V. 169. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, quam hactenus fundere ad te cæperam; iuxta eloquium tuum da mihi intellectum, vt, provt te adiuuante incæpi, seruem Diuinam tuam Legem, & in ea sim perfectus. Et obsecro

V. 170. Intret postulatio mea in conspectu tuo: vt hactenus fecisti, perge, & secundum eloquium tuum eripe me à malis. Sic F

A V. 171. Eructabunt semper, prout modo faciunt, & *Nonum Alleluia* tibi cantamus, labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas. plenè, & perfectè in hac Ecclesiæ tuæ pace, & tranquillitate. Tunc

V. 172. Pronunciabit lingua mea eloquiũ
B tuum illud palã prædicando, & publicando, quia omnia mandata tua æquitas. Sic Domine

V. 173. Fiat manus tua vt saluet me; sicut hactenus; quoniam mandata tua elegi.

C V. 174. Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. ex his postremis etiam verbis, vt dictum est initio, patet esse, & fuisse hæc omnia verba dicta nomine, & persona Christi Fidelis gratias Deo in Ecclesia agentis, sibique gratulantis, quod iam conuersus ad Deum, & in Ecclesia eius

D V. 175. Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Iam, inquam, *viuet anima mea*, qui prius

V. 176. Erraui sicut ouis, quæ perijt: Sicut ouis perdita, seu peritura, & quæ dubio procul perijsset, & ex me ipso perirem; verum tu, ò Domine, qui quod quęris, inuenis, & saluas; sic semper quære seruum tuum, quia
E mandata tua non sum oblitus. Hùc vsque sunt verba immaculatorum Christi Fidelium ambulantium in Lege Domini sui, in ea proficientium, & ad perfectionem peruenientium, ad quam hoc ipso Psalmo descriptam vitæ Christianæ perfectionem quicunque, ex quocunque tandem statu, conditione, & gradu, qui in Ecclesia sunt, peruenerit; is dubio procul ad ipsos Gradus, qui in Dei Templum ducunt, via certa se pertigisse, magna animi sui lætitia animaduertet. Et omninò iam à sequenti Psalmo centesimo decimo nono incipit *Canticum Graduum*: cui
F præmittenda sunt

 A

Notanda ad Psalmos Graduales.

DE hac horum Psalmorum originali,& ex ipsorum essentia deducta inscriptione pluribus P.Lorinus, alijque differunt. Ad propositum mihi, intentumque finem connexionis, & cohærentiæ, atque consequentiæ in Psalterio ostendendæ satis est hæc pauca hoc loco obseruare.

Sanctum Prophetam Dauidem pro more sibi solito iam inde à Psalmo octogesimo tertio compendio quodam restrinxisse ea, quæ hic distinctiùs, & fusiùs B fuerat prosecuturus. Nam ibi *Beatos* pronunciabat, *qui habitant in Domo Domini:* eosdem *Ascensiones in corde suo dispposituros*, & *ituros de virtute, in virtutem* præcinebat; idipsum hìc, & abundantiùs, tanquam opportuno, & proprio suo loco, præstat, & quindecim omninò Ascensiones, siue Gradus, potissimùm pro Dei seruis, & ministris, qui ad Deum semper magis accedunt, proponit hisce quindecim Psalmis Gradualibus.

Nam, quod optimè P. Lorinus obseruat, licet Nomen *Graduum* sit nomen Latinum, quod est commune Ascensioni, & Descensioni; Hebræa tamen vox C solam Ascensionem significat.

Hi ergo quindecim Psalmi Graduales(& insuper duo alij Psalmi eos consequentes, qui sunt inscripti Titulo *Alleluia*, qui faciunt tertium ordinem Psalmorum Allelluiariorum) ad Dei seruos, & ministros pertinent.

Atque in hoc puncto, cum omni ex parte consentiat S.Ioannes in assignato eisdem Dei ministris tertio suo Alleluia; *Et ceciderunt Seniores vigintiquatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum sedentem super Thronum, dicentes: Amen: Alleluia:* Apoc.c.19.v.4. ea, quæ P.Alcazar eius occasione adnotauit Notatione D secunda in illud caput circa Psalmos Graduales; scilicet, illis alludi ad totidem Templi Ierosolymitani Gradus,quibus ad sublimem ipsius Templi partem ascensum patuisse, ex Iosepho notat Noster Villalpandus tomo 2.l.3.cap.34.vera sunt.

Quod autem ad eorum omnium Argumentum vniuersim sumptum attinet, idem P. Alcazar ibidem existimat, non esse aliud, quàm ingentia beneficia, quibus Deus suos cumulat seruos.

Verùm, cum dictum sit, hos Graduales esse Psalmos, & Ascensiones ad Templum Dei, & ministeria, atque obsequia in eodem dignè Deo exhibenda continere,non esset satis;imò minimum foret si sola ipsa beneficia, & non insuper pulcherrimarum virtutum ascensiones contineret. Propterea placet eorum sententia, qui referente P.Emm.Sà, dicunt his Psalmis contineri in Deum ascensiones, & velut gradus quosdam mentis,qui vtique, per virtutum exercitium fiunt, quarum in ipsis Psalmis vnà cum insignibus à Deo acceptis beneficijs fit mentio, & quasi generosa animi deliberatio ad eas indefesso studio exercendas. Et omninò sicuti ipsi Gradus inter se loci dignitate, & sublimitate ascendunt, ita & ipsæ, de quibus ijs Psalmis tractatur, virtutes sensim eò vsque progrediuntur, donec ad F Charitatem, quæ est plenitudo Legis perueniatur, de qua est Psalmus 132. & post quem quies proponitur, & quasi terminus Psal. 133. Inde initium *Alleluia* tertio datur.

Quid autem sibi velit, quod inter Graduales Psalmos solito sit prolixior Psalmus 131. *Memento Domine Dauid*,&c. suo loco dicetur.

Ex

A Ex his autem infertur non esse Psalmis istis Argumentum commune, agere de captiuitate Iudæorum, siue Babylonica, siue Ægyptiaca, & de liberatione ab eadem, prout multi cum P. Lorino sentiunt: neque eiusmodi Argumenta stare posse cum bona rerum, quæ Psalmis tractantur connexione, & cohærentia, sed standum esse dictis, quæ sese inuicem inferunt, & consequuntur.

His breuiter adnotatis facilè erit singulorum 15. Psalmorum Argumenta percurrere. Et primò quidem quod attinet ad Psal. 119.

B PSALMVS CXIX.

Ad Dominum cum tribularer, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXIX.

C *Canticum Graduum.*



On continetur hoc Psalmo clamor Populi Babylone captiui, & liberationem à Deo flagitantis; sed potius est Canticum Populi Christiani, & præcipuè Pastorum, & Ministrorum Ecclesiæ, qui iam à persecutionibus Rom. Imperatorum liberati agunt Deo gratias. Et quia in illa pace, & tranquillitate Deo sese probare volebant, & ad omnem virtutem, & perfectionem tendere, linguæ refrænandæ studium, D & in cælestibus conuersationem sectaturos se promittunt. Vnus ergo aliorum nomine, & voce facta breuiter præteritarum calamitatum recordatione, & obtenti in ijs auxilij diuini sibi congratulando, ait.

PSALMVS CXIX.

E **Ad Dominum cum tribularer clamaui: & exaudiuit me.** q. d. Posteaquam Dominus, ad quem cum tribularer clamaui, exaudiuit me, quid mihi nunc in hac eius Domus Ecclesiæ pace est agendum?

Ipsum sancientem Leges, quas in eadem Domo Ecclesiæ suæ seruari vult supra Psal. 100. audiui; quod, *qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum eius:* propterea in exactissimam linguæ custodiam incumbam. Peto itaque à te

F **V. 2. Domine libera animam meam à labijs iniquis: & à lingua dolosa.** Et mihi quidem satis, superque esset, petere, vt ab ijs ideo liberarer, eò quod tibi illa displiceant, eaque prohibeas, esto nullum insuper malum inferrent; Verùm

V. 3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Quid potest esse ea peius, & perniciosius? Illa certè est; sicut A

V. 4. Sagittæ potentis, à potēte emissæ, acutæ, peruadētes & penetrātes omnia; cum carbonibus desolatorijs, vastantes, consumētes, & in cinerem redigentes non secus atque ignis soleat. *Et lingua omninò ignis est, vniuersitas iniquitatis*. Iac. 3. 6. Videantur dicta sup. Psalmo 38. v. 3. Ps. 54. 4. Ps. 55. 5. & infra Ps. 139. 1. Ps. 140. v. 3. Dum ergo se inter tot Mundi mala, potissimùm è linguæ vitio prouenientia constitutum esse videt, ingemiscit cupiens esse cum Domino, & non vltra peregrinari ab eo. B

V. 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitaui cū habitantibus Cedar. C per *Cedar* vt Isa. c. 21. 17. quia desertum horridum, tenebricosum, benè hic Mundus exprimitur. multum incola fuit anima mea. iam diù hic peregrinata est. An non hæ voces amantis cælestia? vrgebat ad petendam emigrationem, quia sicut lilium inter spinas, sicut malus inter ligna siluarum; sic

V. 6. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Et quis quæ cum eiusmodi, vel appetat, vel possit diù viuere? D

Licet hic Primus sit, nihilominus valdè sublimis est Gradus. Sequitur aliud.

PSALMVS CXX.

Leuaui oculos, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXX.

Canticum Graduum. E

ARgumentum est gaudium, non Populi Iudaici Babylone reuertentis; sed Christiani Dei ope erepti de persecutionibus, & gratulantis de ea, sibi nunquam defutura. Proinde memor earum iam præteritarum persecutionum ait, quod cum illæ feruerent vel maximè, & vndique, atque vbique arctarent. F

PSALMVS CXX.

V. 1. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Quod facerent ab hostibus arctissimè obsessi; *Leuaui* & ego sic malis; & calami-
B tatibus circumdatus, *oculos meos in montes*, in sublime circumspectans, *vnde veniet auxilium mihi*. Sic 4. Reg. 6. 17. *Minister viri Dei* Elisæi, cum vidisset *exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus*, nunciassetque *heu, heu, heu, Domine mi, quid faciemus?* illuminatis oculis iussus aspicere, vidit, *& ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi*. planè sic in illis meis angustijs, aduenit

V. 2. Auxilium meum à Domino, qui fe-
C cit cælum, & terram. Proinde cùm à tali, tantoque Domino sit auxilium tuum; quicunque illi inniteris, ita imperterritus, certò fidens, quia quantumcunque magnus fuerit aduersitatis impetus,

V. 3. Non det, Chal. nō dabit, in commotionem pedem tuum; ita vt euertat, & in ruinam propellat, & præcipitium; nam *si dicebam motus est pes meus, misericordia tua adiu-*
D *uabat me*; vt supra dixi Psal. 93. v. 18. Quando etiam à tali tantoque Domino est auxilium tuum, securus esto, quod neque dormitet, qui custodit te, vt homines sæpe solent positi in excubijs pro aliorum salute, & vita tuenda. Et quantum, quamque magnum hoc bonum est, habere talem auxiliatorem, & custodem?

V. 4. Ecce, omninò sic est; non dormitabit vnquā, neq;
E dormiet, qui custodit Israël suum, suum populum Fidelem, qui sumus nos, Israel eius spiritualis per repromissionem: exulta proinde, ò Israel, ò Christi Fidelium Ecclesia, quia

V. 5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam; assistens tibi ad
F manum dexteram tuam, vt statim custodiat, & protegat. Sub hac eius protectione, & custodia.

V. 6. Per diem Sol non vret te, hæc præsens, & processura in multa sæcula prosperitas, pax, & tranquillitas, ad quam post transactam persecutionum noctem peruenisti, tibi (quod sæpè alijs accidere solet) prosperitas non no-
ce-

cebit, sicuti neque Luna per noctem. aduersitas, & persecutio non nocuit; quia nimirum(ex hoc, quod sequitur, ostendit se de morali Sole, & Luna, prosperitate, & aduersitate, multa mala causantibus, ni ijs benè vtamur, locutum fuisse) A

V. 7. Dominus custodit te ab omni malo:

peccato scil. & culpa; habet Dominus Ecclesiam Sanctam non habentem maculam, neque rugam: sic prorsus optat, & postulat, & obtinet pro Ecclesia Christi: custodiat animam tuam Dominus. vt hactenus fecit Ecclesiam suam, suosque Fideles admirabiliter inter persecutionum procellas, & exurgentium hæresum tenebras, & pestes immaculatam, & intactam conseruando, deinceps etiam semper. B

V. 8. Dñs custodiat introitum tuum, & exitum tuum, omnes actiones, & operationes, omnemque tuam conuersationem, & maximè illam per tot successura sæcula administrationem rerum diuinarum, à veritatis semita nunquam recessurã, custodiat ex hoc nunc, & vsque in sæculum. planè Sanctus Dauid hac tanta verborum energia, hoc tam amplo, & vasto affectu, complectente omnia tempora, respexit, non tam ad priuatam cuiusque Christi Fidelis conuersationem Sanctam; quàm ad publicas, & vniuersales Synodos, quæ successiuis temporibus emergentibus difficultatibus, & erroribus ad Christiani Populi directionem, & regimen erant celebrandæ cum certa, & infallibili Sanctissimi Spiritus veritatis assistentia, *vsque in sæculum*. Nam Ioan. c. 14. v. 16. *& alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere*. Accedit etiam clara Domini Iesu promissio; quod ipse nobiscum futurus sit *omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Matt. 28. 20. Sed de his plura, & ex professo alij. C D

PSALMVS CXXI.

Lætatus sum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXI.

Canticum Graduum. E

HÆc omnia, & quæ iam proximè, atque postremè dicta sunt, & etiam, quæ antecedenter pronunciata fuere in decursu Psalmorum, iam inde ab initio, quò in ijs lætissimum *Alleluia* insonuit, tam multa grandia, honorifica, atque excellentia bona Ecclesiæ Christi propria, & donata ipsi à cælesti suo Sponso patefaciunt, vt licet hi Psalmi Graduales Ascensiones per virtu- F

A tutum Gradus propriè, vt dictum est, contineant; nihilominus cum ijsdem virtutum Ascensionibus penè omnes, & maximè hic Psalmus iucundissimam animorum lætitiam coniunctam habent, propter prædictam bonorum Domus Dei vbertatem, qua se Christi Fideles, vt supra promissum fuerat, Psal. 64. v. 5. *repletos in bonis Domus eius* vident.

Itaque hìc non agitur de captiuis Babylone redeuntibus, neque de eorum studio visendi Templum, & Ciuitatem Ierusalem, neque de ipsa Ierusalem antiqua, quia quando S. Dauid hunc Psalmum, edidit Templum non erat extructum, B quod non tantùm in spe, vt P. Lorinus vult suffecisse, sed etiam in re, fuisset necessarium, vt verè dici posset; *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus*, nam, qui dicunt *ibimus*; quod est quasi dicerent (vt P. Emm. Sà notat) *eamus*; quasi terminum suæ profectionis præsentem, & existentem indicant eandem Domum Domini. Deinde hoc dicto, & indicato suæ profectionis termino subiungunt; quod, *stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem*: quò clarè ostendunt, se pro eodem sumere, & intelligere *Domum Domini*, & *Ierusalem*; neque de Templo, quod nondum erat, loqui. Clariùs adhuc ipse S. Dauid v. 8. C & 9. insinuat; se hæc duo pro vna eademque re accipere: dum de Ierusalèm ait; *loquebar pacem de te*; & subiungit, quod similiter; *Propter Domum Domini Dei Nostri quæsiui bona tibi*.

Quod autem de antiqua sua, & materiali Ierusalem non loqueretur, manifestè ostendit, dum ait, V. 3. quod *Ierusalem*, de qua ipsi erat sermo, *ædificaretur*, de præsenti, *vt Ciuitas:* cum illa antiqua esset iam ædificata, quæ ipsa verba causa fuerunt, vt Sancti Augustinus, & Chrysostomus, quos fusiùs citat P. Lorinus, hæc ad literam, & primarium intentum à S. Dauide de Christi Ecclesia dicta fuisse asD seuerauerint; de quo dubitari nullo modo potest. Nam si altiùs nos ad iam dudum dicta reflectamus, & in consequentissimum Psalterij ordinem, atque connexionem mentis aciem intendamus, reperiemus, quod ipse Propheta Sanctissimus suprà Psalmo quadragesimo septimo v. 3. gratulabatur quod; *Fundaretur exultatione vniuersa terra mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni*. Deinde Psalmo quinquagesimo v. 20. supplicibus à Deo votis poscebat, vt ipse *Benignus Dominus in bona voluntate sua faceret, vt ædificarentur muri Ierusalem*, nouæ scil. Ecclesiæ inter Gentes extruendæ, vt ibi dictum fuit: is modò, cum id tam abundè, E Ecclesiæ Christi pace, & tranquillitate donata videret in spiritu fieri, gaudio exultans, tanquam (& qui verè erat) & ipse vnus de Christi Fidelibus, ait, *Ierusalem quæ ædificatur vt Ciuitas*, &c.

Omninò propter hanc Ierusalem nouam, non propter antiquam, propter Christi Dei, ac Domini mei Ecclesiam, quam Domum Domini, & Ierusalem eius voco, cuius supra Psal. 83. v. 1. *Tabernacula dilecta*, dixi, me *concupiuisse*, & *animam meam defecisse in atria eius*; eò quod, *melior esset dies vna in atrijs eius, super millia*; cuius fundamenta *in montibus sanctis*. Psal. 86. & de qua tam mulF ta deinceps dixi; quæ ipsa omnia de ea à Domino dicta sunt mihi; propter illa, inquam, & in his omnibus

PSAL-

A

PSALMVS CXXI.

Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: iam tandem pace, & tranquillitate à persecutionibus concessa, qui prius veluti compediti eramus, iam liberè in domum Domini ibimus. siue, vt supra dictum est, eamus. hùc allusit S. Isaias cap. 2. v. 3. & idem hìc dicit S. Dauid. *Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob. Ibimus*, & eamus cum lætitia: nam prius licet in Domum Domini, eius Ecclesiam, per Fidem fuissemus ingressi; nihilominus tamen cum non valeremus diuinum cultum publicè exercere, tamque diuturnis, & pertinacibus odijs nos insectarentur persecutores, non tanquam progredientibus, sed potius consistentibus similes; B

V. 2. Stantes erant pedes nostri: in atrijs tuis Ierusalem. Nec dum valebas, ò Beata, & Sancta Ierusalem Mater Nostra Ecclesia, iuxta votum tuum, & desiderium portas tuas pandere omnibus Mundi nationibus, vt per Fidem, & Baptismi gratiam ad te ingrederentur, quod fieri iam tandem videmus, quia nimirum tu es illa fortunata, & felix C

V. 3. Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, de electis, vt aliàs supra dixi Gentium lapidibus, qui in vnam fabricam, in vnam Ciuitatem, & in vnum eiusmodi corpus compaginantur, & (vt hìc S. Aug. & 3. de Trin. c. 2. loquitur) ad quam currunt in Fide Lapides viui, & coædificantur in domum spiritualem, idest in Templum Dei Sanctum, cuius fundamentum Christus est; cuius participatio eius in idipsum; idest, communicatio bonorum eiusdem Ciuitatis est semper perdurans; siue vt S. Aug. est semper eodem modo: vt pote quia est inter multos, qui sunt vnum cor, & vna anima, esto ij sint ex omnibus Orbis partibus, & nationibus collecti, & congregati. D E

V. 4. Illuc enim, ad hanc Ierusalem Sanctam, ascenderunt Tribus; non loquor de illis Tribubus carnalibus Israelitici Populi; sed dico quod illuc ascenderint ij, qui sunt Tribus Domini: filij Israel per repromissionem, *& filij Dei, qui erant dispersi, congregandi in vnum*, Ioan. c. 11. v. 52. *ascenderunt*, inquam, hæ Tribus Domini; hi filij Dei congregati sunt, & congregantur, ex omnibus Mundi nationibus, iuxta promissionem, & testimonium Israel factum Israeli (sic etiam P. Emm. Sà) de quo supra dixi Psal. 104. v. 9. & 10. illæ, inquam, *Tribus*, numerosissimæ; *Tribus Domini* per Fidem, & Baptismum in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ascenderunt, & ingressæ sunt eius Ecclesiam, & Sanctam nouam Ierusalem, iuxta promissionem, testimonium, & ius iurandum factum Israeli; ingressæ sunt ad confiten- F

fiten-

A fitendum nomini Domini in eius Ecclesiam. Non igitur de 12. Tribubus Israel, ascensuris ad Templum Ierosolymitanum (quarum decem statim per Ieroboam à cultu Dei auocatæ) sed de Gentibus (quod etiam ait S. Hilarius Psal. 83. v. 5. apud P. Lorinum hic) est sermo. Et iure quidem meritò, *illuc ascenderunt ad confitendum nomini Domini*; prout modo facimus;

V. 5. Quia illic sederunt sedes in iudicio;

B *Illic*; ibidem; in noua illa, siue in hac Ierusalem noua eius Ecclesia inter Gentes fundata; *sederunt sedes in iudicio*; constitutum est Regni Christi Tribunal, Ecclesiæ sedes, potestas, auctoritas, eò est translata Lex, Sacerdotium, Sacrificium, Sacramenta, Scriptura, peccatorum remissio, ipsum Regnum Cælorum, & omnia *illic sederunt*, constituta illic sunt; non vnquam amplius aliò transferenda; sed omnia illa, quæ *Sedium* nomine appello, perpetuò permansura sunt illic: permanebunt autem hæ sedes super Domum Dauid; idest, vt Hier. *Domui Dauid*; siue vt

C Chal. *sedes in Domo Sanctuarij*; Regibus Domus Dauid, subintellige, sunt constitutæ, & dandæ, prout Dominus supra Psal. 88. promiserat, *Semen eius in æternum manebit*: filij autem, non qui carnis, sed qui promissionis computantur in semine. Sic etiam Isaias c. 9. v. 7. ait de Christo, quod ipse, *super solium Dauid, & super regnum eius sedit, vt confirmaret illud, & corroboraret in iudicio, & iustitia, amodò, & vsque in sempiternum*.

Atque ita hic clarissimè expressa est perpetua, & vsque ad finem Mundi duratura Romanorum Pontificum Christi Vicariorum successio. Iam quæ summa-

D tim hic comprehendi, tam fausta sunt, & felicia, vt sicut dicebam, omninò *lætatus sim in his, quæ dicta sunt mihi*; Vos modò, qui tantorum bonorum participatione fruimini,

V. 6. Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem: Benè precemini huic vestræ Ecclesiæ, vt, quàm diutissimè valeat Pace, & Tranquillitate, qua fruitur, gaudere: Dicite illi, Pax tibi sit, sic enim etiam

E erit, & abundantia diligentibus te. Nam hæc duo cum coniunctissima esse videret Apostolus 1. Tim. 2. 2. etiam ipse *Obsecrabat primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. hoc enim bonum est, & acceptum coràm Saluatore Nostro Deo*. Sic quæso tibi, ò Ecclesia:

V. 7. Fiat pax in virtute tua: concedatur pax, & vnio Regibus, & Prin-

F cipibus tuis Christianis; & inter ipsos Spirituales Principes, & Pastores animarum, qui omnes sunt virtus, robur, & firmamentum Ecclesiæ præcipuum, sit hæc ipsa Pax; nam ex inde consequetur omninò quod futura sit, & abundantia in turribus tuis. in priuatis alijs tibi subiectis Ecclesijs reperietur spiritualium bonorum abundantia, maximè eorum, de quibus D. Apostolus paulò ante

meminit, Pietas, & Castitas. Ad hæc ego instanter petendum motus sum, A

V. 8. Propter fratres meos, & proximos meos: non, vt Caietanus vult, illos vnos Ciuitatis terrenæ, & antiquæ Ierusalem; sed propter illos, vt dixi tam multos congregandos in vnam Regis magni, Dñi Christi mei Ciuitatem Nouã Ierusalẽ, qui omnes in ipso Christo meo, sunt fratres mei, & proximi mei; propter illos, inquam, **loquebar pacem de te;** tibi bona omnia &
ipse precabar, & vt alij precarentur hortabar: Et ne dubitare quis posset, S. Daui- B
di sermonem esse de his suis fratribus, & proximis, & non de cognatis secundùm carnem, repetit id ipsum, & declarat, quòd,

V. 9. Propter domum Domini Dei nostri, quasi dicat; Fratres illos, & proximos tam multos, & omnes vnà sumptos intelligo, qui sunt, Domus Domini Dei Nostri, Ecclesia eius, Cœtus, & Congregatio Fidelium Christi, propter illos, siue propter hanc, & *loquebar pacem*, & **quæsiui bona tibi** ipsi, ò Ecclesia, ò Ierusalẽ no- C
ua, ò Domus Domini Dei nostri: Magna virtus! non sua, sed quæ Iesu Christi sunt, quærere. Etiam P. Lorinus ait ipsis verbis repetitionem contineri.

PSALMVS CXXII.

Ad te leuaui, &c. D

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXII.

Canticum Graduum.



Oni Sanctique Ecclesiæ Filij, & maximè eius Ministri, ne præsenti felicitate, & prosperitate extollantur, in memoriam reuocant, & ante oculos tanquam præsentem statuunt præteritum in rebus maxi- E
mè aduersis statum, & illam, quam tunc, vt Fideles serui, & amantes Filij erga Deum habuere fiduciam, se conseruare ostendunt; hoc ipso Cantico, seu Psalmo gratiarum actionis, qui ipso Titulo, non præsentem, sed præteritam à qua liberati sint, calamitatem indicat, siquidem in præsenti est Canticum; Insuper quod etiam ad connexionem, & cohærentiam facit, obseruare licet; quod quandoquidem his Psalmis agitur communis lætitia Christi Fidelium, eorumque Ascensiones ad Deum proponuntur, in ijs ita vnus omnium
aliorum loco, & voce loquitur, vt à singulari numero, frequenter transeat ad F
numerum pluralem, siue multitudinis; sic priori Psalmo cum dixisset; *Lætatus sum*, &c. subiungit, *Stantes erant pedes nostri*. Similiter etiam in hoc Psalmo cum dicat, *Ad te leuaui*; prosequitur, *Ecce sicut oculi seruorum* &c. *donec misereatur nostri*, &c.

Ad hunc Psalmum (in quo de confidentissimo, quem Christiani in persecutio-

A tionibus habuerunt recursu ad Deum agitur) procedendi occasionem dedit; id ad quod inuitati fuerant in priori Psalmo, vt scil. *rogarent, quæ ad pacem sunt Ierusalem*, &c. ad transacta ergo bella persecutionum se se reflectentes, aiunt, quod ijs cum tanta Christianorum strage perdurantibus;

PSALMVS CXXII.

B V. 1. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Tibi Omnipotenti Deo vero, & viuo, Creatori & Deo Cæli innixus, & confisus perstiti in ijs acerbissimis persecutionibus, & calamitatibus: & cuius quæso alterius, vel implorassem, vel expectassem auxilium?

V. 2. Ecce, ô potentissimè Domine noster, sicut ingruentibus aduersitatibus, difficultatibus, &
C periculis, oculi seruorum, *sunt*, in manibus Dominorum suorum expectantes, vt ipse tueatur, defendat, & protegat: &

Sicut oculi ancillæ, *sunt*, in manibus Dominæ suæ: ab ea dependentes in omnibus; neque valentes se ipsas, vtpote imbecilles, protegere, & saluare; ita oculi
D nostri ad Dominum Deum nostrum erant, & sũt intẽti; donec misereatur nostri. Ad te ergo benignissimum Dominum clamabamus;

V. 3. Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multũ repleti sumus despectione.
E supra dictum est; pauperem, & vilem æstimatam fuisse Christianorum sortem; & quod miserabiliores essent omnibus hominibus. Itaque ipsi cum suo Capite Christo, quia *saturabantur opprobrijs* clamant:

V. 4. Quia multum repleta est anima nostra: facti sumus omnium peripsema; opprobrium abundantibus; diuitibus, qui paupertatem habent
F abominationi, facti sumus exosi. & despectio superbis. qui detestantur humilitatem, quæ duæ virtutes sunt propriæ Christianorum. Non poterat despectio Christianorum amplius crescere, quàm cum antiquis, quæ contra eos erant Edictis: Galerius Maximianus, ad Annum Christi 304. addidit, vt infames essent, qui Deos non adorarent; neque contra calumniatores per Leges defendi possent: sic ipsi patuere omnium hominum iniurijs, ipsorumque bo-

na rapinis, auarorum. Sit Sancta Martyr Iulitta primò bonis suis spoliata ab inuasore auaro, non aliud coràm Iudice prætendente, quàm quod Christiana esset, deinde etiam vita. A

PSALMVS CXXIII.

Nisi quia Dominus, &c. B

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXIII.

Canticum Graduum.

IN eadem persistunt suauissima recordatione, quonam pacto Diuina Maiestas eos ex maximis, & humanis viribus insuperabilibus persecutionibus, & miserijs eripuerit, & statuunt, quod, vt hactenus, ita deinceps semper velint Adiutorium habere in ipsa. C

PSALMVS CXXIII.

Nisi quia Dominus erit in nobis; idest: Si non erat, vel, vt Hier. fuisset Dominus in nobis, adiuuans nos (supra autem Psalmo 45. dictum est, quod, *Dominus virtutum nobiscum* V.8. & quod, quia *Deus in medio* Ecclesiæ *non commouebitur*) hanc diuinam eius presentiam, assistentiam, & adiutorium experti cùm simus, iterum, iterumque provt lætissimis affluentibus rebus fieri assolet; dicat nunc in hac Ecclesiæ pace, & tranquillitate Israel spiritualis, populus Christianus D

V. 2. Nisi quia Dominus erat in nobis. E

Sic ad literam, & intentum S. Dauidis dicendum est ipsum loqui de Israele spirituali, Populo Christiano, non autem Israele carnali (provt vult Caietanus) quando liber euasit à periculo seruiendi vlterius Moabitis, Syris, Philistæis, cæterisque vicinis gentibus, quibus antea seruierat. Ratio est, quia hoc Canticum dicit plenam, perfectamque liberationem, qualis nunquam fuit illius carnalis Israelis. Similiter neque hìc agitur de liberatione à captiuitate Babylonica, quia illa non ad vniuersum Israelem; sed potissimùm ad Tribum Iudæ, siue Iudæos pertinebat; neque cum ea staret cohærentia cum antecedentibus, & consequentibus, vt aliàs dictum. Melius ergo quàmplures Græci, qui id volunt, dicunt Latini nostri, qui Psalmum hunc aiunt pertinere ad spirituales Israelitas, & Christianos, ad liberationem ex multiplici persecutione, quam passi sunt, præcipuè Martyres, Confessores, & alij piè in Christo viuentes. Sic etiam Cyrillus Alexandrinus citatus à P. Lorino in Zachariæ cap. 9. num. 74. Psalmum applicat ad Christianos ex varijs F

ten-

A tentationum, ac tribulationum quasi fluctibus liberatos. Epiphanius quoque totum Psalmum decantari vult sub persona Martyrum. Idem sentit D. Bernardus serm. 2. de omnibus Sanctis. Dicendum autem est, quod non mysticè, sed etiam literaliter, & ad intentum S. Prophetæ hæc de ipsis Christianis sint dicta primariò; tum quia, vt paulò ante dictum est, illa carnali Israeli non æquè conueniunt; tum quia si ex eo, quòd metaphoricis, & translatis, ac figuratis verbis loquatur S. Dauid, hoc Psalmo dicitur esse locutus de Christianis quidem mysticè, de Israelitis verò, siue Hebræis literaliter, & ex intentione, manifestè sequetur, quod
B quandoquidem ea ipsa Psalmi verba non prout iacent grammaticè, sed cum illis quibuscum iuncta sunt metaphoris, & symbolis explicari debeant etiam de ipsis Hebræis; pari omninò, & eadem ratione dici debebit de illis quoque mysticè dicta fuisse, atque sic tolletur è medio sensus literalis, qui cæterorum omnium fundamentum est. Manet ergo, quod dictum est, Populus Christianus à persecutionibus liberatus super eas tantas, tam atroces, tamque diuturnas sese reflectens sibi ipsi, & suis commilitonibus Sanctis Martyribus, & Confessoribus, qui eas fortissimè cum Dei adiutorio superauerant congratulans, ait, *dicat nunc Israel,*
C *Nisi quia Dominus erat in nobis.*

Cum exurgeret homines in nos,

V. 3. Fortè, Chald. *tunc:* significat etiam, *vtique,* dubio procul, viuos deglutissent nos.

D Cum irasceretur furor eorum in nos,

V. 4. Forsitan, vtique haud dubiè, vt supra Psal. 80. v. 15. aqua tribulationum absorbuisset nos. Sicut supra Psal. 109. v. 7. dictum fuerat, quod *de torrente in via bibet;* sic omninò nos omnes eius Fideles, qui mysticum eius corpus efficimus de eo bibimus, & iam tandem

V. 5. Torrentem (illam in vnum confluentium aquarum, persecutionum, vim, abundantiam, acer-
E bitateq.) pertransiuit anima nostra, & (subintellige nisi, quia Dominus erat in nobis) forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem; idest, vt benè P. Emmanuel Sà, incidisset in mala grauissima, id enim significatur nomine *aquæ, & torrentis,* & aquæ intolerabilis, siue impertransibilis; de quibus omnibus supra Psalmo 68. multa sunt dicta, ad quæ sese hìc reflectit, *quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam:*
F *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Qui ergo nos è tantis liberauit;

V. 6. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. licet enim momorderint, atque laniauerint; non tamen deuorarunt, deglutierunt, & absumpserunt; sed potius

V. 7. Anima nostra (intelliguntur Fideles ipsi, qui erant cor vnum, & anima vna) sicut A
passer, quia humiles erant, solitarij, habitantes continuò in Domo Dei, eiusque Altaribus, vt Psalmo 83. v. 4. dixerat; & quia etiam habebantur viles, & abiecti. sicut passer anima nostra erepta est de laqueo venantium. Laqueus venantium erant illa omnia, quæ persecutores adhibebant ad euertendam constantiam, & Fidem Martyrum, & Confessorum Christi, tribulatio, angustia, fames, nuditas, periculum, persecutio, gladius, mors, vita. Rom. 8. v. 35. sed demum hęc omnia superata, B
Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. superata, inquam, sunt, non tamen nostris, seu humanis viribus; sed quo cuncta vicimus, fuit

V. 8. Adiutorium nostrum in nomine Domini illius, qui verè solus est Dominus, solus potens, qui fecit cælum, & terram. C
Ex his postremis verbis fit transitus ad sequens Canticum.

PSALMVS CXXIV.

Qui confidunt, &c.

D

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXIV.

Canticum Graduum.



N hoc commendatur illa ipsa fiducia, & confidentia, quam Ecclesiæ filij, Christi fideles habuerant, & porrò semper habituri erant in Domino, qua factum fuerat, & futurum erat, vt fierent immobiles *sicut mons Sion* inter aduersa. Qui alia progressi sunt via; quæ hoc E
Psalmo dicuntur, volunt referri ad eos, qui ex captiuitate Babylonica redituri erant, quibus dicatur, non esse quod similem deinceps captiuitatem, calamitatemque vereantur, vel amplius Ciuitatis Ierosolymitanæ timeant excidium, dummodò firmi perseuerent, constantesque, ac veluti habitantes in adiutorio Altissimi: futurum enim, vt quemadmodum fixus stat, immobilisque mons Sion, & spatium, in quo condita erat Ierusalem, sic ipsi, spe diuina innixi, non nutarent, vacillarent, & loco moueri non possent: sic ferè P. Lorinus, qui tamen ab hac sententia, quam sequi & ipse secundùm superius à se dicta deberet; ideò recedit, quòd, vt ipsemet ait, quæ Psalmo hoc dicuntur Ciuitati Ierosolymitanæ F
non conueniant, nam hæc à Nabuchodonosor semel excisa est, iterumque à Tito, multoties etiam impugnata, & ex parte destructa; propterea consentit cum Enarratoribus Catholicis, qui ferè Psalmum declarant de Ierusalem Spirituali, scilicet de Ecclesia militante, cui Christus policitus est firmitatem, ac soliditatem petræ,

A træ, ita, *vt portæ inferi præualere non possent aduersus eam*, Matt. 16. v. 18. appellauitque *Ciuitatem supra montem positam*. Matt. 5. v. 14. tum de Triumphante, quam Ioannes vidit, velut *Ciuitatem*. Apoc. c. 21. v. 2. Paulusque velut *fundamenta habentem* descripsit, cuius artifex, & conditor Deus. Heb. 11. 10. Quoad priorem partem de Ecclesia militante, & ipse sententiam amplector, prout dixi, secundùm hanc solùm ad literam est S. Dauidis hic Psalmus: accommodatitio sensu ad triumphantem quædam applicari, & transferri possunt, neque enim ibi locum habet, *virga peccatorum*, neque ibi sunt, *declinantes in obligationes*, *quos adducat Dominus cum operantibus iniquitatem*.
B Militantis ergo Ecclesiæ filij post suam illam ereptionem *de laqueo venantium*, post eiusdem *laquei contritionem* factam *adiutorio Domini, qui fecit cælum, & terram*, sibi ipsis gratulantur, & exultant, experimento proprio comprobantes quod verè

PSALMVS CXXIV.

C Qui confidunt in Domino, sicut mõs Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat, qui situs est

V. 2. in Ierusalem.

Montes in circuitu eius, sicut montes sunt in circuitu Ierusalẽ, sic & Do-
D minus in circuitu populi sui, qui sumus nos, ex hoc, nũc: & vsque in sæculum. iuxta promissionem, de qua sæpe, manendi nobiscum vsq; ad consummationem sæculi. Licet persecutores nostri extrema quæque in nos experiri voluerint, & sæuissimis tormentis subiecerint, nihilominus tamen certi eramus;

V. 3. Quia non relinquet Dominus, perpetuò dominari
E virgam, sceptrum, imperium, potestatem, peccatorum super sortem iustorum, super hereditatem eorum, vt non extendant iusti illorum metu, & persecutionibus, & afflictionibus nimium grauati, & victi ad iniquitatem manus suas. Sic omninò, ô Domine fidelis, *qui non pateris nos tentari supra id quod possumus, sed facis etiam cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere*. 1. Cor. 10. 13.
F sic, inquam,

V. 4. Benefac Domine bonis, & rectis corde, qui stant in veritate, qui in tempore tentationis à te non recedunt, sicut nos gratia, & auxilio tuo stetimus, neque à te recessimus, ideoque benedictionem tuam consecuti sumus; sed è conuerso

V. 5.

V. 5. Declinantes autem in obligationes, A
in vincula peccatorum, quibus ligatur homo, & ad quæ dissoluenda venit Dei Filius, deditque potestatem dimittendi peccata, & ab ijs absoluendi; hos sic declinantes ab illo gratiæ, veritatis, & vitæ felicissimæ statu, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, Chald. deducet in gehennam: & P.Emm. Sà, ait esse, quasi dicat, condemnabit eos, qui deserunt viam iustitiæ, simul cum illis, qui semper iniqua operati. Hæc ideò B
dicunt Christi Fideles fortes eius milites, quia, vt supra dictum, in singulis persecutionibus, magnus erat lapsorum numerus: sed pax super Israel; idest ab hoc tanto malo immunis est bonus, & verus Israelita, seu Christianus, non nomine tenus, sed opere, & vita talis; quem Apostolus Gal. 6. v. 16. vocat Israel Dei. *Pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Cum tales se esse Dei gratia, & misericordia confiderent, qui hunc Psalmum decantabant, illam tam felicem status sui, & Ecclesiæ totius in melius mutationem considerantes, aliud Canticum, quod sequitur, subiungunt. C

PSALMVS CXXV.

In conuertendo, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXV. D

Canticum Graduum.


Ixi, quod ij, qui prius alia Cantica cecinere, etiam hoc subiungant, idest Christi Fideles, quod omninò verissimum est; nam licet Psalmum hunc (vt communis opinio est) Iudæi captiui facta à Cyro Rege potestate redeundi in Iudæam potuerint accommodatione aliqua sibi vsurpare; nihilominus tamen de ipsis ad literam præcisè, & S. Prophetæ intentum non esse compositum, satis ipse Psalmus indicat, quando E
de ipsis non fuit verificatum, quod, *tunc dicent inter Gentes magnificauit Dominus facere cum eis:* nam constat, quàm exhausti, extenuatique Babylone ipsi redierint, neque apparet, quomodo *portantes manipulos suos*. Quæ diuitiæ? quæ magnificatio ipsorum apud Gentes? quando post illam captiuitatem adeò à finitimis vexabantur? Non ergo de ipsis tantùm, sed de Christi Ecclesia principali, eiusque Fidelibus à persecutionum Romanarum pressuris liberatis, & felicissimè conuerso rerum statu, est hic Psalmus. Verè tunc expugnata tandem Roma Ethnica, & subiecto Fidei Christi ipso Romano Imperio, dictum est inter Gentes: *Magnificauit Dominus facere cum eis.* Tunc etiam, cum plena veritate dictum, de Sanctis F
Apostolis, alijsque omnibus Fidei Prædicatoribus, quod, *venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Propterea etiam S. Mater Ecclesia, hunc Psalmum in SS. Apostolorum, & Euangelistarum Officio Diuino decantat. Itaque sic, qui supra læti, hilaresque concinunt.

PSAL.

PSALMVS CXXV.

A In conuertendo Dominus captiuitatem Sion; idest, cùm conuerteret Dominus ad se, & Fidem suam, & in Ecclesiam suam sanctam reciperet eos, qui erant sui Filij, *& dispersos in vnum con-*
B *gregaret*, Ioan. c. 11. 52. eosque, qui prius sub potestate Satanæ, & peccatorum detinebantur, erantque captiui eius; sed re ipsa, ad ipsum Dominum, eiusque Ecclesiam pertinebant, erantque omnes, & dici poterant *captiuitas Sion*, nouæ Christi Ecclesiæ; cum, inquam, Dominus hanc suam, & Sionis suæ *captiuitatem conuerteret*, & ad se congregaret in vnum, provt felicissimè factum est, & quia nobiscum factum est, factus sumus sicut consolati. Hier. habet, *vt somniantes*; & benè explicat P. Emm. Sà, id esse q. d. tantum erat gaudium, vt putaremus somnium esse,
C scil. vix credentes nos liberatos; subintellige autem ab illa, non Babylonica tantùm, sed plusquam Babylonica, Satanæ, Idololatriæ, & peccatorum seruitute. Quod autem hæc, non mystica, sed omninò literalis, & à S. Dauide intenta sit explicatio, probatur ex alio simili loco, & modo loquendi, quem quasi huc respiciens, obseruat S. Isaias cap. 45. V. 13. Vbi de Christo (vt ex capitis totius explicatione videri poterit) loquens ait; *ipse ædificabit Ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet; non in pretio, neque in muneribus*; quod Hieronymus simul cum præsenti loco Psalmi nostri de captiuitate spirituali, deque Ecclesia interpreta-
D tur, ait P. Lorinus statim initio explicationis huius Versus; propterea dum in positione Argumenti huius ipsius Psalmi citat eundem Hieronymum in Isaiæ cap. 30. sentientem hoc Psalmo agi de temporibus Zorobabel, dicendus est, id non ex suo, sed carnalium Iudæorum, & Rabbinorum sensu, & opinione dixisse, qui pro more omnia diuinæ scripturæ verba crassè, carnaliterque interpretantes, cum legerent *captiuitatem Sion* non aliam, quàm Babylonicam intelligebant; cum nihilominus non solùm S. Dauid in Psalmis, vt supra vidimus Psalmo 67. v. 7. & Psal. 104. v. 10. & 14. &c. sed etiam alij Prophetæ, vt Isaias cap. 61. v. 1. & cap. 49. v. 24.
E & 25. & alibi frequentissimè, dum de *captiuitate* loquuntur, non possint nisi de spirituali explicari primariò; vel ipso Christo interprete, qui primum illud Isaiæ testimonium; *Spiritus Domini super me*, &c. *ad annunciandum mansuetis misit me*, &c. & *prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem:* Lucæ cap. 4. de spirituali explicauit. Similiter secundum illud testimonium ex cap. 49. v. 24. & 25. Isaiæ desumptum; *Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robusto saluum esse poterit?* exposuit de eadem spirituali animarum captiuitate, Lucæ cap. 11. v. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si au-*
F *tem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Manet ergo, quod qui de hac fortis armati captiuitate, & miserando eius atrio liberati fuerunt, dicant se *factos fuisse sicut consolatos*: illi ipsi pergunt, sibique gratulantes dicunt, quòd omninò

V. 2. Tunc repletum est gaudio os nostrũ:

& lingua nostra exultatione; quando de tenebris, de misera seruitute vitiorum translati sumus in admirabile Fidei lumen, & in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quæ Mundi huius bona? quæ gaudia cum his conferri possunt? Plenè hic hi iusti se possidere ostendunt, ad quod supra Psalmo 32. v. 1. inuitabantur. *Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio*. & Psal. 80. *Exultate Deo adiutori nostro*, &c. Dum sic exultantes, & eiusmodi immarcescibilibus, & inamissibilibus diuitijs ditatos viderint Christianos ij, qui sunt à Christi Fide alieni; & nihilominus res benè ponderare nouerint, A

B

Tunc dicent inter Gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis. Magnificè cum eis fecit protegendo, ditando, efferendo, in omnibus benedicendo; vt Apostolus loquitur Ephes. cap. 1. *in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, &c. *secundum diuitias gratiæ eius*, *quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, & prudentia*, &c. Quàm multi Gentiles cum magna illa Virgine, & Martyre S. Eugenia ad hæc ipsa, & similia Christianorum bona attendentes beatam eorum sortem & agnouerunt, & amplexi sunt; ita omninò est, quod C

V. 3. Magnificauit Dominus facere nobiscum: ipse benignissimè dignatus est magnifica facere nobiscum; re ipsa, provt cernitur, & experimur facti sumus lætantes. & verè, *sicut lætantium omnium habitatio est in te*, ò Mater nostra Sancta Christi Ecclesia; nostrûm, inquam, qui in te sumus. Et quis det, vt illi adhuc tam multi, qui extra te sunt, & ad te pertinent, & ipsi quàmprimum, & quàm maximo numero ingrediantur? O, sic quæso, sic fiat. D

V. 4. Conuerte Domine captiuitatem nostram, quæ residua est, seu filios tuos, qui dispersi adhuc sunt, & ex omnibus Mundi nationibus nunc in hac publica Ecclesiæ tuæ pace per liberam prædicationem Fidei tuæ conuertendi supersunt; *conuerte*, inquam, quàm citissimè, & quàm maximo numero, vt Ecclesia tua repleatur tuis Fidelibus, E sicut torrens in Austro: sicut Austro flante, & imbres adferente torrens repleri quàm citissimè, & quàm maximis, & abundantissimis aquis solet; ita quæso fiat cum animarum conuersione. Illud verò, quod nos modò experimur, & in quo nunquam satis Diuinæ Prouidentiæ Tuæ ordinem, & dispositionem laudare, & admirari possumus; illud, inquam, est, quod supra ipsa prima nascentis Ecclesiæ tuæ exordia nos reflectentes, & grata memoria Sanctorum Apostolorum, Martyrum, & Confessorum tuorum labores, sudores, & sanguinem recolentes, & præsentem de ijs fructum percipientes dicere possimus: F

V. 5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.

V. 6.

A V. 6. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, quos Tu dedisti, & nos Tibi Canticum hoc Laudis in gratiarum pro-
B pter eos actionem persoluimus. Elucent hoc Psalmo Christianorum gratitudo, & zelus animarum.

PSALMVS CXXVI.

Nisi Dominus ædificauerit, &c.

C

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXVI.

Canticum Graduum Salomonis.



Vid sibi velit ordinario Titulo Psalmorum Gradualium, qui est *Canticum Graduum*, illud additum *Salomonis*, P. Lorinus sententias varias refert, quæ cum non sint cum rerum, de quibus agitur conne-
D xione, eas hic adferre non est necesse. Ad rem nostram, id quod cum antecedentibus omnibus, & maximè ad Psalmum 71. dictis connexissimum est, sufficit dicere, illo addito *Canticum Graduum Salomonis*, in ipsa medietate ipsorum Psalmorum (idest octauo inter ipsos posito) significari ipsos omnes Gradus, & illam, ad quam per eos ascenditur, Domum Dei, non esse, neque pertinere ad antiquum Templum Ierosolymitanum, sed ad Nouam Ecclesiam, seu Domum Christi Iesu, veri Salomonis, quem se suscepisse laudandum S. Dauid iam inde ab ipso Psalmorum initio, & apertè Psalmo 71. testatus fuerat, vt
E ibi vidimus.

Ne quis ergo ob vocum similitudinem error subrepere posset, & ambiguitas, de quonam Templo, seu de quibusnam Gradibus, & ad quod Templum, seu Dei Domum deducentibus sermo esset S. Prophetæ, in ipsa Graduum medietate inscribit, *Salomonis*; illius scil. de quo supra Psal. 71. qui est Christus, vt per illam Inscriptionem sciatur tam primos inferiores Gradus, quàm superiores omnes, ipsamque, ad quam per eos ascenditur, Domum, ad ipsummet pertinere Dominum Iesum. Erat porrò hæc admonitio hoc loco facta necessaria; nam cum S. Dauid
F continuando illa mirabilia, & magnifica opera, quæ Deus Dominus fecit (*conuertendo* illam Ecclesiæ *captiuitatem*, seu statum persecutionum, & oppressionum maximarum in tantam eius felicitatem) esset hoc Psalmo dicturus; id fuisse opus solius omnipotentis eius dexteræ, vt sic illa Christi Domus, eiusque Ciuitas, quæ est Ecclesia, ædificaretur; opportunum, & necessarium erat (quò sciretur, de quanam Domo sibi esset sermo) apponere, *Salomonis*; quod scil. continuaretur sermo

de Christi Ecclesia; quandoquidem necdum existente Templo Salomonis carnalis, neque Gradus ad illud esse poterant. Et omninò de eadem Christi Ecclesia, eiusdem Domo, & Ciuitate hìc literalis est S. Dauidi sermo, quæ admirabiliter post diuturnas persecutionum tenebras,& dolores (quæ indicat Versu secundo) post continuatas 300. Annorum spatio in Christianos, & maximè Ecclesiæ Pastores, & Prædicatores, cædes (quas Versu tertio exprimit) cùm & Ecclesia, & Christianum nomen (quod in vltima sæuissima Diocletiani persecutione accidit, vt ex dicendis in Ieremiæ vltima capita constabit) extinctum planè putaretur: tunc vel maximè florere vbique cæpit, & promissa Christo Gentium hereditas aduenit: quod reliquis Versibus vsque ad finem celebrat,animando Christianos omnes ad sectanda primorum suorum Patrum facinora. Obseruare oportet S. Dauidem ad hunc Psalmum progredi occasione proximè dictorum in fine prioris Psalmi; nam cùm exultantes in Deo Domino suo Christi Fideles similes se esse dixissent ijs, *qui seminassent in lacrymis, nunc verò in gaudio meterent, portarentque manipulos suos*; ijdem probè scientes, quod neque qui plantaret, aut seminaret,aut rigaret esset aliquid; sed qui incrementum daret Deus;quod quidem incrementum dare,vt ait D.Aug.*excedit humanam humilitatem; excedit Angelicā sublimitatem,nec omninò pertinet,nisi ad agricolam Trinitatem*. Hoc, inquam, cum ipsi optimè nossent, ne quid sibi ipsis de tam felicibus Ecclesiæ successibus adscribere voluisse viderentur; præsenti Psalmo cuncta in Deum referunt,quæcunque prospera Ecclesiæ acciderunt, & de ea (non verò de priuatæ alicuius Domus, seu familiæ per prolis susceptionem ædificatione, aut propagatione, quod non esset connexum & consequens) loquentes,palàm agnoscunt,& sincerissimè confitentur,quod quidquid factum, gestumque fuit in Ecclesia, in quamcumque illa molem, & structuram magnam, mirandam, & visendam exurrexerit, id totum Domini beneficio, & auxilio fuisse perfectum.

Quod, quia certum est (& ex passim exurgentium, & mox intereuntium, aut saltem non consistentium sectarum, & hæresum insanis substructionibus comprobatur) Christi Fideles agnoscunt, & palàm cum gratiarum actione confitentur; quia

PSALMVS CXXVI.

Nisi Dominus ædificauerit domum,in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Diuus Ambrosius in Lucæ cap.3.colligit hinc;quòd homo ædificare non potest, qui non potest custodire: verèque,ac diuinè de Ecclesia hìc dici,quia Domino egeat ædificatore, & custode; imò, & præuiante,seu viam præmonstrante.

Quid ergo ædificatis Iudæi? inquit,hoc loco Arnobius; quid Hæretici vigilatis?

A tis? sine causa hæc facitis, quia vobiscum, neque ædificat, nec vigilat Dominus. Vos autem Orthodoxi, Christum in incorruptione amantes, nolite timere, securi ædificate, quia vobiscum ædificat Dominus; vigilate, quia non solùm vobiscum vigilat, sed & dormientes excitat.

Ita sanè fecerunt Orthodoxi, & benignissimus Dominus semper *dedit in Ecclesia*, quæ est Domus eius, & Ciuitas, *Pastores, & Doctores in ædificationem corporis Christi*. Ephes.4.v.12. *Constituit custodes super muros eius, qui tota die, ac nocte non taceant*. Isa.62.v.6. Propterea Domino ipsos dante, & constituente, & ipsomet sic B Domum suam per eos ædificante, & Ciuitatem hanc suam custodiente; ædificata tandem est, & custodita; quicquid in ruinam eius, & exterminium totius Idololatrici Mundi potentia, & portæ inferi consurrexissent.

Et quidem vos fortissimi Ecclesiæ ædificatores, & custodes vigilantissimi, durante illa persecutionum tempestate, & nocte, cum necdum aduenisset determinatum à Saluatore tempus, quo in plena luce, & pace Ecclesiæ eius Euangelium promulgandum erat (nam, *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis*, Matt. 24.v.27. per Fidei prædicationem, vt C aliàs dictum, & probatum fuit) cum, inquam, vos in illa adhuc persecutionum tempestate, & nocte versaremini, animaduertebatis, quod

V. 2. Vanum est vobis ante lucem surgere:

quod vestri labores, & conatus non haberent illos, quos pro Dei gloria amplificanda, & Ecclesiæ, & Fidelium bono promouendo successus desiderabatis; quia nimirum sic à Domino constitutum, dictumque vobis fuerat, **surgite postquam sederitis**, D non ante surgetis, erigemini, & ad illam promissam pacem, & Ecclesiæ splendorem peruenietis, nisi *postquam sederitis*; diù pressi, humiliati, & persecutionibus afflicti fueritis: infra Psalmo 138. v.1. gratulabitur, quod, *tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam*; nunc autem vobis sedendum erat, antequam veniret lux; vtpote cum vos illi sitis, **qui manducatis panem doloris;** quos paulò ante dixi euntes, & flentes præiuisse, vt venientes venirent cum exultatione vestri successores. Ita planè futurum erat, vt resurrectio reseruaretur vsque ad il-E la tempora,

Cum dederit dilectis suis somnum:

postquam Dominus per mortem (quæ eius dilectis somnus suauissimus est) ad se suscepisset Apostolos suos, Sanctos Martyres, & Confessores primitiuæ Ecclesiæ, qui durantibus persecutionibus tanto, & tam innumerabili numero occisi sunt pro eius Fide, illis, inquam, ad se per gloriosam mortem susceptis;

F **V. 3. Ecce,** mox aderit, & aduenict, & præsens est promissa iam ab initio supra Psalmo 2.v.7.& 8. **hereditas Domini filij;** hereditas, inquam, Vnigeniti Filij Domini Nostri Iesu Christi, de qua ibi dictum fuit, quod *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminus terræ*. Omninò etiam consentiente Patre Lorino, *hereditas Domini* hic sumitur, non de ea, quam dat; sed, quam quodammodo acqui-

quirit: hæc eius hereditas sunt Gentes omnes, & termini terræ, filij tam copiosi, & numerosi (Græcè enim filij pluralis nominatiuus est) de quibus Isaias cap. 53. v.10. dicebat; quod *si posuerit*, provt fecit, *pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*. Et ipse Dauid supra Psal. 21. 31. in Christi persona. *Et anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi*. & Psalmo 17. v. 50. *Confitebor tibi in nationibus*: quod plenè tunc factum, quando Vniuersalis Pax data fuit Ecclesiæ; tunc enim solùm dici potuit, *Ecce hereditas Domini*, siue, *ecce* quàm innumeri *filij*. Hi autem innumeri filij, vbique terrarum, ex omnibus Mundi nationibus in illa publica Ecclesiæ pace, & tranquillitate ad Christum conuersi fuerunt præmium, &

A

merces, fructus ventris; idest fructuosi, siue fœcundi ventris Sanctæ Matris Ecclesiæ inter Gentes fundatę, de qua supra dictum est Psal. 86. 5. quod, *Homo, & homo natus est in ea*, &c. & Psal. 112. v. 9. eam *habitare in Domo*, & esse *matrem filiorum lætantem*. Tibi ergo fœcunda Mater S. Ecclesia, cum *pro Patribus tuis*, quibus Dominus, vt sibi dilectis, *somnum dedit*, *nati sint tibi* tam multi *filij*, quos *constituere* possis *Principes*, & animarum Rectores, ac Doctores *super omnem terram*, Psal. 44. v. 17. licuit, & modò licet, dolorem ob priorum mortem abstergere, quandoquidem hi filij, tibi pro Patribus nati, non sunt à patribus suis degeneres; sed omninò

B

C

V. 4. Sicut sagittæ in manu potentis: Ducis, seu militis prçliantis, sunt maximo auxilio ad prosternendas, fugandas, & vincēdas hostiū acies; ita filij excussorum, illorum expeditorum, validorum, præcinctorum ad omnem expeditionem, & pugna Christi militum, Sanctorum Apostolorum, & Discipulorum Domini, *filij*, & successores eorum, sunt, & seruiunt ad instar sagittarum, quibus cum præliari, & hostes tuos vincere possis. Quicunque Ecclesiæ Pastor, & Princeps solicitus fuerit, & omnem operam adhibuerit, vt eiusmodi tam bonorum, & insignium filiorum, quàm maximum fieri poterit, numerum habeat;

D

V. 5. Beatus vir, qui impleuit desideriū suū ex ipsis: ex ipsis, inquam, filijs amandata quacunque alia occupatione, & minus, vel omninò inutilium rerum terrenarum cura, is profectò huius sui studij præmium referet quàm amplissimum, quia nō confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. In publico quouis cōsessu laudabitur, neq; aduersarij eius, & Ecclesię habebunt quod opponant, & quo vituperent ministerium seruorum Dei. Sic breuiter ad literam, & S. Dauidis intentum Psalmum hunc explicandum duco, & sic explicari debere persuadet connexio, & cohærentia, coniūncta cum Patrum etiam, & aliorum Expositorum auctoritate, notata suis locis. Neque verò ex eo, quod in hac Explicatione complura, & ferè verba omnia figurata sint, & figuratè expendantur, dici debet mysticam propterea, & allegoricam esse explicationem; nam etiam illi, qui dicunt ad literam hoc Psalmo agi de ædificatione Domus per susceptionem prolis, & filiorum per naturalem generationem coguntur illam metaphoricam explicationem admittere, cum metaphoricæ sint similitudines, quas sacer textus proponit, *somni*, *sagittarum*, *excussorum*. Neque etiam ex eo, quòd

E

F

A quòd Diuus Hieronymus commendat Marcellæ argutiam, quæ cum non legisset
Hilarium, ex se sciscitata expositionem loci; *ita filij excussorum*; obiecerat, non
posse Apostolos sub nomine *excussorum* intelligi, cum sit aliud *excutientium*, aliud
excussorum, & non congruat *excussos*, Apostolos accipi, qui magis (iuxta videlicet
præceptum illud Christi) *excutientes* (scil. puluerem de pedibus) debuerint ap-
pellari. Nō, inquam, hoc quicquam obstat, vel officit, quo minus explicatio supra
posita de Apostolis vera sit, & omninò literalis; nam tametsi ea ratione S. Apostoli
excutientes, potiùs quàm *excussi* dici debeant; nihilominus tamen ea ex parte, qua
B sæpe non recipiebantur in Ciuitates, imò absque Synagogis fiebant, & eijciebantur ex ijs, alijsque Ciuitatibus eiectique, ac fugati compellebantur ad alias Ciuitates, & regna migrare, verè, propriéque *excussi* erant, dicique poterant.

Propterea ipse D. Hieron. in Nahum cap. 2. *filios excussorum*, de SS. Apostolis intelligit, vultque idem esse, atque filios excussos, siue adolescentes, puberes, vegetos, robustos, expeditos: de quibus sit etiam illud Zach. c. 9. v. 13. *Quoniam extendi te mihi Iuda, vt arcum.* & Isaiæ c. 49. v. 2. *Posuit me sicut sagittam electam; & in pharetra sua abscondit me*. Quod autem his locis illa spiritualium insignium filio-
C rum, & non carnalium successio ad literam à S. Dauide intellecta fuerit, præter dictá, confirmat etiam Psalmus sequens. Nam cum hæc omnia, & tam honorifica de hac Ecclesiæ spirituali prole dixisset, ne prçterijsse videretur honorabilem matrimonij statum, subiungit sequentem de illo Psalmum, sic pergens.

PSALMVS CXXVII.

D
Beati omnes, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXVII.

Canticum Graduum.

NOn solùm illi, quos dixi veri Ecclesiæ, & non degeneres Sanctorum Apostolorum, qui eis in Ecclesiæ administratione, & sacris ministerijs suc-
E cesserunt filij; verùm etiam alij, qui immediatè Altari non seruiunt;

PSALMVS CXXVII.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. dummodò timeant Dominum, & ambu-
F lent in vijs eius; *Beati omnes*; nam verè Ecclesiasticus cap. 34. à v. 17. dixit *timentis Dominum beatam animam*, & cap. 23. 37. *nihil melius illo, nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini*. In mandatorum etiam obseruatione (per mandata autem, non solùm Decalogus, sed etiam, quæ Lex noua, & potissimùm Euangelium Christi præcipit, intelligendi sunt iuxta dicta supra Psalm. 118.) sunt suæ viæ rectæ, per quas ad Deum tenditur.

Quia

Quia verò sæcularis illius vitæ status quamplurimis expositus est difficultatibus, A
& laboribus, vt Coniugatis potissimùm dictum fuisse videatur illud Gen. cap. 3. v. 17. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*, &c. *In sudore vultus tui vesceris pane*, &c. propterea consolatur Christi Fideles, quod esto etiam ipsi comprehendantur sub hac pœnali Lege, nihilominus tamen diuinæ gratiæ beneficio futurum sit, vt quicunque ex ijs, vt dictum est, Deum timuerit, & in vijs eius ambulauerit, etiam propter ipsos

V. 2. Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. B tùm scilicet vesceris partis labore manuum tuarum.

V. 3. Vxor tua sicut vitis abundans (Hieron. & Chald. fructifera,) in lateribus, intra parietes, seu penetralia domus tuæ.

Filij tui sicut nouellæ plantulæ, seu germina oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. C Aptissimè harum arborum humilium, & fœcundarum similitudine declaratur Christianarum virtutum apud Christi Fideles fœcunditas, & omninò intelligendus est S. Dauid loqui non tantùm de temporalibus, sed vel maximè de spiritualibus bonis, quem sensum (ait P. Lorinus) Hilarius, Augustinus, Arnobius, dictus Hieronymus, Cassiodorus, Latini ferè alij, maximè persequuntur, ne quis offendatur, si viderit timentes Deum bonis in Psalmo promissis, ac temporaliter acceptis destitutos. D Dico autem S. Dauidem ea bona spiritualia sensu non solùm mystico, sed literali, & intento significare voluisse, nam Psalmum hunc non Veterum Hebræorum tantummodo, qui toti in terrenis hærebant; sed Christi Fidelium nomine edidit, qui iuxta Apostoli monitum, *habebant vxores, tanquam non habentes; gaudebant, tanquam non gaudentes; emebant, tanquam non possidentes; vtebantur hoc Mundo, tanquam non vterentur.* 1. Cor. c. 7. v. 30. & quia *filios habebant Fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos*; ad Titum cap. 1. 6. dici poterant, *sicut nouellæ oliuarum*. Præterea nisi dicamus Sanctum Dauidem ex intentione primariò ad hæc E
spiritualia bona respexisse, non poterit assignari differentia inter hos viros bonos, & timentes Deum, & alios, quos Psalmo 143. v. 11 & 12. vocat *filios alienos*; *Quorum filij*, & ipsi sunt, *sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua*. Et tandem nisi de spiritualibus etiam, & præcipuè bonis loquatur, non habebit emphasim, quod immediatè subiungit, & vt quid magnum, dignumque notatu pronunciat;

V. 4. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. F nam si præscindamus à spiritualibus, etiam alieni habent filios, vt dictum est, sicut *nouellas plantationes*: sed cum ijs spiritualibus verè dicitur de timentibus; *Ecce sic benedicetur*, &c. habiturus scil. filios non quomodocunque, vt *nouellas plantationes*, infructuosas; sed vt oliuarum daturas omnis pietatis, misericordiæ, pacis, charitatisque fructus. Planè sic, & in his, ò vir fidelis timens Deum,

V. 5.

A **V. 5. Benedicat tibi Dominus ex Sion** sua Sancta Arce, quæ est Ecclesia eius, in qua ipse habitat; **& videas bona Ierusalem**, eiusdem ipsius Ecclesiæ, in qua tu degis; videas, inquam, & perfruaris tam magnis, & multiplicibus bonis, quæ ipsa possidet, & quæ filijs suis ipsa communicat, **omnibus diebus vitæ tuæ.**

B **V. 6. Et videas filios filiorum tuorum**, tam per carnalem, quàm per spiritualem generationem, & successionem; videas, inquam, omnes in longa vsque sæcula, habentes, vt nunc eam possidet, **pacem super Israel.** qui est eius populus Christianus; *videas*, inquam, *pacem* illam diù optatam, quam tandem est consecutus, quam diutissimè super eum permanentem.


Huius tam faustæ, postremis hisce verbis contentæ, precationis occasione,
C S. Dauid transit ad aliud Canticum.

PSALMVS CXXVIII.

Sæpe expugnauerunt me, &c.

D
Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXVIII.

Canticum Graduum.

N hoc cum lætitia, & gratiarum actione (est enim Canticum, & Psalmum Eucharisticus, sicut, & priores) commemorat, non quidem transactas calamitates captiuitatis Babylonicæ perpessas à Populo Iudaico; sed Ecclesiæ Christi, & Christianorum toleratas
E à Romanorum Imperatoribus.

Ratio est, non solum vis consequentiæ, & connexionis, sed etiam ipse sacer textus, qui sicut aliàs suprà notatum fuit, liberationi illi de captiuitate Babylonica non conuenit; nam certè tunc dici non potest, quod v. 4. *Dominus iustus concidit ceruices peccatorum* aduersantium Iudæis, neque quod sunt *confusi, & conuersi retrorsum omnes qui oderunt Sion*, cum innumeris etiam deinceps afflicti fuerint malis: supponit autem sacer textus omnes calamitates iam superatas, atque præteritas; proinde etiam præteriti temporis verbo vtitur; *Dominus iustus concidit*;
F Sic etiam D. Hieronymus, & in fonte Hebræo præteritum est, & in emendatis Biblijs Sixtinis.

Licet autem (quod optimè monet P. Lorinus in illum versum) legant in futuro; *concidet*; Hilarius, Augustinus, Arnobius, creditus Hieronymus, Cassiodorus, Remigius, Haimo, Hugo, Aiguanus, & ferè cæteri Latini, tamen acquiescendum potius auctoritati Pontificiæ (quicquid aliqui dicant, non attendentes

ad illam) cui fauent Editiones aliarum linguarum. sic ipse: addendum est, non solùm Editiones aliarum linguarum fauere auctoritati Pontificiæ; sed etiam eandem ipsam auctoritatem Pontificiam illa determinatione præteriti temporis ostendere id, quod dicimus; Sanctum scil. Dauidem loqui, non præcisè de illa liberatione Iudæorum, sed magis de hac, post quam verum non erat dicere, quod *Dominus iustus concidit ceruices peccatorum*; sed de hac, quæ proponitur scil. Ecclesiæ Christi, in qua, tum illud, tum reliqua omnia in Psalmo proposita verificantur: Christi ergo Ecclesiæ, eiusque Fidelium iam publica pace, & tranquillitate gaudentium nomine, & transacta superata aduersa cum gratitudine, & lætitia recordantium voce ait S. Dauid; A B

PSALMVS CXXVIII.

Sæpe expugnauerunt me, oppugnauerunt totis viribus, expugnare cupientes, à iuuentute mea; iam inde à primis meis exordijs: & hoc planè dignissimum est, vt recolatur; & dicat nunc, iam feliciter mutato rerum statu, Israel, Christianus Populus hanc tantam pacem post tam sæua bella videns; dicat lætabundus; C

V. 2. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim, sed, non potuerunt mihi nocere, vel præualere, & vincere, vt intendebant. D

V. 3. Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, Chald. supra corpus meum arauerunt arantes. vtroque modo, & vtraque similitudine significatur grauitas tribulationis, & acerbitas persecutionum illatarum à peccatoribus: neque tantùm grauitas significatur; verùm etiam diuturnitas, dum ait; prolongauerunt iniquitatem suam. Chalarationem suam, persequendo scilicet, ipsis etiam sæculis continuatis (& hæc etiam *prolongatio* non tam propriè dici potest de calamitatibus Babylonicæ captiuitatis, quæ suum habuere præfinitum, neque ita productum tempus) sed tandem, pro vt modò gratulamur; E

V. 4. Dñs iustus concidit ceruices peccatorum. Diuus Augustinus per peccatores, non quoslibet intelligi vult; sed superbos, ceruicatos, qui non solùm faciant mala, sed nec agnoscere velint. Etiam D. Hilarius ait, hìc innui eandem peruicaciam superbiæ. Omninò iuxta sæpius dicta, quod per superbos, & elatos à S. Dauide, alijsque Prophetis intelligantur Romani, dicendum est, per *concisam ceruicem peccatorum*, eosdem notatos fuisse, atque hoc loco proponi tanquam factum, quod supra (sic exigente connexissimo Psalmorum ordine) vt futurum, cum desiderio F

præ-

A præstolabatur, Psalmo scil. 67. v. 22. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis*, quod pariter de ijsdem Romanis dictum fuit. Ipsi ergo Romani Ethnici, ipsorumque Principes, & Imperatores, qui totis viribus in Ecclesiæ Christi exterminium, & eradicationem incubuerunt;

V. 5. confundantur, & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion. id quod revera factū

B est; & quia, quod futurum erat, vt factum, & presens, imò etiam vt iam præteritum cernebat S. Dauid, sic loquitur, *Confundantur*, &c. non tam optatiuè, seu imperatiuè, quam approbatiuè; quia, vt paulò ante dixerat, *Dominus iustus* fecerat, vt *confunderentur*, & ab impijs suis conatibus, videntes se nihil proficere, & desperantes se quicquam effecturos, desisterent, & vt inglorij terga verterent, *& conuerterentur retrorsum omnes, qui oderunt Sion*, Sanctam eius Ecclesiam. Ita prorsus ipsi cum omni suo fastu, & mundana potentia, quam sublimatam, & firmam, atque inconcussam perennare,

C seu perpetuum durare volebant, & satagebant, facti sunt sicut fœnum, & illud tectorum;

V. 6. Fiant sicut fęnum tectorum: quod priusquam euellatur, exaruit, vt qui firma radice caruerint, & succo, atque humore, terraque bona destituti fuerint, & supra arenam fundati. Planè verum, quod ab Isa. cap. 40. v. 6. de ijsdem Romanis dictum est; *omnis caro fœnum*, &c. hìc autem addi-

D tur, quod non qualecunque, sed, vt tectorum fœnum fuerint;

V. 7. De quo non impleuit manum suam, qui metit, & sinum suū, qui manipulos colligit.

Cùm per messem, & vindemiam intelligatur collectio animarum facta per Fidei prædicationem, vt Apocalypsis cap. 14. v. 15. & seqq. probat P. Ludouicus Alcazar; *mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora, vt metatur*; *quoniam aruit messis ter-*

E *ra*, &c. hoc loco (ad quem S. Ioannes respexisse videtur) aliud significare non intendit S. Dauid, nisi quod superbi illi, & ceruicati Ecclesiæ, & Christianorum persecutores in illa generali animarum messe, tanquam inutiles, aridi, & inepti, neglecti, & præteriti fuerint à messoribus.

V. 8. Et non dixerunt, qui præteribant:

de illis, inquam, persecutoribus, alijsque obstinatis in perfidia, & impietate sua permanentibus, non est facta illa aggratulatio, qualis fieri solet, dum messis bona,

F seu manipuli in horrea inferendi colliguntur; vt scilicet diceretur à prætereuntibus cum fausta apprecatione, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini. Quia ex his postremis verbis, quòd Christianorum persecutores, alijque Gentiles in impietate, & perfidia sua

permanentes, non sint collecti in horreum Domini; sed vt fœnum tectorum aridum proiecti, neque vlla de illis facta fuerit fausta,& læta apprecatio, provt fieri solet messoribus, manipulos colligentibus, & in horrea importantibus; quia, inquam, ex his tacitè inferebatur, quod sicuti prædicta cum illis facta non sunt, ita ea omnia quàm felicissimè ijs contigissent, qui Domino Psalmum illum, seu Canticum decantabant, qui erant ipsi Christi Fideles, vt sæpe dictum est, in Ecclesiæ tranquillitate,& pace gaudentes, messis Christi opima, manipuli numerosi,& fœcundi,super quos *benedictio Domini, & verè benedicti in nomine Domini*. Ipsi ergo idipsum, qua par erat animi gratitudine,agnoscentes, vt Deo gloriam darent,sibi de bonis exhibitis nihil adscribentes,pro Christiana humilitate,ad miserabilem illum statum, cùm in peccatis (siue tam multis ante conuersionem, siue etiam aliquibus post eam) iacuissent,se se reflectunt,& magna pœnitudine animi sequenti Psalmo 129. sequens Canticum subijciunt; A B

PSALMVS CXXIX.

De profundis, &c. C

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXIX.

Canticum Graduum.


Anticum, inquam, Graduum decantant hoc Psalmo; esto Sancta Mater Ecclesia inter Pœnitentiales eodem vtatur; vtrumque enim continet Psalmus; &,qua pro culpis deprecationem habet efficacissimam, Pœnitentialis Psalmus est; qua verò veniæ, & copiosæ Redemptionis adeptionem proponit; Canticum est. D

Non ergo hìc propriè, primariò, & ex intentione S.Dauid agit de captiuitate Babylonica; quia nulla eiusmodi materialis calamitas; sed spiritualis peccatorum toto Psalmo exprimitur; & illa ipsa prima eius verba, *De profundis*, quæ ex Hebræo carceres, & ergastula sonant, interpretari necessariò debemus de animi angustijs, & peccatorum profundo; quicquid Genebrardus in contrarium dicat Hebraismo nimis fidens; nam neque Populus Iudaicus, licet captiuus Babylone, in ergastulis, carceribus, & turrium profundis fuit; quinimò benignè potius habitus;& S.Dauid cum statim verbis illis,*De profundis clamaui*,subiungat, *Si iniquitates obseruaueris*,&c. atque in huiusmodi verbis spirituales miserias animæ, quæ sunt peccata, totum Psalmum prosequatur, & finiat, clarè ostendit, se etiam prima Psalmi verba de ijs figurata locutione intellexisse; nisi valdè magnæ inconsequentiæ, & perturbati sermonis (ne in NeoRhetore quidem ferendi) arguere, & damnare velimus sapientissimum Prophetam. E F

Simili modo neque dici potest eundem S. Prophetam hìc ex primaria sua intentione lugere sua peccata solùm, nam cum Psalmum concludat lætissimis illis verbis; quod *ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius*; satis superque ostendit, se non sua propria tantùm, sed quæ in communi totum Israel (Christianum Populum intellige) concernerent,deplorasse.

Pro-

A Provt ergo dictum eſt, ipſe eorum loco, & voce ad recordationem; quod aliquando erant tenebræ; alienati à Deo; hoſpites teſtamentorum; promiſſionis ſpem non habentes; à longè; ſine Deo in hoc Mundo; & eiuſmodi in memoriam reuocantes, quæ cum peccatorum ſtatu coniuncta fuerant, & eſſe ſolent ab eo inſeparabilia, ait, quod tunc ſanè

B PSALMVS CXXIX.

De profundis animi, vt dictum eſt, peccatis oppreſſi anguſtijs, clamaui à te Domine, petendo inſtiti;

V. 2. Domine exaudi vocem meam.

C Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ. quam deprecationem faciebam pro commiſſis à me, quocunque in ſtatu, ſiue extra, ſiue intra Eccleſiam tuam, vt dictum eſt. D. Chryſoſtomus hic conſiderat magnum ſtudium profundiſſimæ orationis, magnam animi alacritatem ex ipſis mentis penetralibus, magnam cordis compunctionem, preces adeò potentes, vt neque ſubuertantur, neque concutiantur, &c.

D S. verò Gregorius aduertit, quo quis melior, & ſanctior, Deo propior, ac proinde altior; eò nihilominus videri magis *De profundis* clamare ad ipſum; magis infimos, & abiectos ſe ſentire; tunc primum miſeriam ſuam incipere cognoſcere perfectè, cum Dei præſentiam cæperint in corde ſentire: quæ quidem omnia mirificè conueniunt Primitiuæ Eccleſiæ Fidelibus, magno lumine, & Dei cognitione præditis.

Sic illuminati, optimè ſcientes, quod homo *ſi adducatur* cum Deo *in iudicium, non reſpondere quis vnum pro mille ipſi poterit*; Iob. c. 9. hìc magna animi humilitate prætendunt, quod

E V. 3. Si iniquitates obſeruaueris Domine, vt eas in iudicium voces, & punias; Domine quis ſuſtinebit? quis ferre poterit; aut, vt Chal. quis ſubſiſtet? Vtique nemo: hinc verò in ſpem ſe ſe erigens, ait, non tamen idcircò de venia, & miſericordia obtinenda diffido, certò ſciens,

F V. 4. Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam, quæ amoris eſt; qua te tam clarè, tamque ſæpe oſtendiſti miſericordiam velle, & non ſacrificium; te veniſſe vocatum peccatores, non iuſtos; omnes ſiquidem peccauerunt, & egent gloria tua, oſtendendo præceptum de diligendo proximo impleri, faciendo cum ipſo miſericordiam, quam tu Samaritanus noſter nobiſcum te facere oſtendiſti, ſanando vulnera, remittendo debita, dando Spiritum Sanctum in re-

remissionem peccatorum, & potestatem in Ecclesia ea remittendi: propter hanc, A
inquam, *legem tuam*, quam tu *Dulcis, & rectus Dominus dedisti delinquentibus in via*; vt supra, te eā daturum prædicebam, Psalmo 24. 8. sustinui te Domine; vt à te non recederem, vt tecum, tuisque permanerem. Omninò

Sustinuit anima mea in verbo eius, quo mihi eiusmodi iam insinuatas promissiones tam magnificas fecit; per omnia, & in omnibus

V. 5. Sperauit anima mea in Domino. B

Et quod de me dico, de vniuerso eius Fideli Populo dictum esse volo, & iubeo, atque ita omninò futurum est semper in Ecclesia, vt

V. 6. A custodia matutina, vsque ad noctem speret Israel in Domino. Causam autem sic semper, & omni tempore sperandi Populus Christianus spiritualis, & per repromissionem verus Israel, hanc habet C

V. 7. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. quia facta sanguine, cuius vna stilla saluū facere Mundum totum quit ab omni scelere. D.Thom.

V. 8. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. nam ipse est, *qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi Populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*. ad Titum. c. 2. v. 14. Sequitur iam D

PSALMVS CXXX.

Domine non est, &c. E

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXX.

Canticum Graduum Dauid.



Certum est Sanctum Dauidem neque hunc Psalmum de se ad literam, atque primarium intentum pronunciasse; quandoquidem aliquando *exaltatum* fuit *cor eius*, &c. Neque hoc Psalmo (quod Euthymius, & ante illum Origenes putarunt) monentur reuersi de captiuitate Babylonica partam Dei beneficio libertatem custodire, nec ad superbiam redire, &c. quia hoc non est prioribus connexum, & cohærens; sed huic ipsi connexioni, & cohærentiæ inhærendo; Dicendum est Psalmum F

A mum hunc continere hoc, quod sequitur; Quandoquidem tam eximia, tamque honorifica erant, quæ Dominus Ecclesiæ suæ, suisque Fidelibus contulerat, communicabatque beneficia, vt (spectata humani cordis prauitate, & ad inanem, vanamque gloriam procliuitate, quæ, & potissimùm oriri, & concipi solet etiam ex ipsis spiritualibus Dei donis, atque ornamentis) verendum esset, ne si humilitatis spiritu (Christianorum filiorum maximè proprio) non essent præditi, efferrentur vanè, & ab ipso donorum Dei, & dignitatis apud ipsum obtentæ gradu deijcerentur, etiam postquam se ad illum, *De profundis*, euectos fuisse agno-
B uissent; propter hæc, inquam, S. Dauid vnius alicuius filiorum Ecclesiæ, siue ipsius Ecclesiæ Christi Spiritu Christi Sponsi sui humillimi præditæ (propter quod adiungitur *Cantico Graduum Dauid*, eandem Christi humillimi Ecclesiæ Sponsi humilitatem denotando) ait, inquam, voce, & affectu Ecclesiæ, quod propter prædicta mihi collata, tanta, tamque ingentia tua dona;

PSALMVS CXXX.

C

Domine non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulaui in magnis: neque in mi-
D rabilibus super me. vt deditus essem scrutandis humana ratione, mysterijs tuis, captum meum excedentibus; sed seruaui quod monet Sap. c. 1. 1. vt *sentirem de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærerem illum*. hic verus est Ecclesiæ Sanctæ, & legitimorum eius filiorum spiritus; sicuti è conuerso degenerum Hæreticorum proprium est esse scrutatores maiestatis, & errantes, nec intelligentes scripturas, easdem *deprauare ad suam ipsorum perditionem*. 2. Pet. 3. 16. Omninò in pœnas grauissimas incidunt superbi, vt proinde mihi, & cuivis Fideli Christiano timendum sit; ne

E V. 2. Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam (hoc secundum membrum versus huius, solum explicatiuum est prioris, & quasi in parenthesi dictum) timendum, inquam, mihi est, ne *si non humiliter sentiebam*; & quidem tanta, tamque profunda humilitate dotatus ornatusque fuero, vt sim

Sicut ablactatus est super matre sua, sicut paruulus, in-
F fans lac cõcupiscens; ita retributio in anima mea (subintellige) fiat; & pœnis superborum plectar. non igitur alta sapiendo, sed humilibus consentiendo, quilibet nostrûm, ipseque totus Populus Christianus;

V. 3. Speret Israel in Domino, ex hoc,

nunc,

nunc, & vsque in sæculum. Et quidē id omninò fiet. Hinc, quam pulchro ordine, & connexione S.Dauid progrediatur ad sequentem pulcherrimum plenumque affectu Psalmum, videndum est in eius Argumento. A


PSALMVS CXXXI.

Memento Domine Dauid, &c. B

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXI.

Canticum Graduum.

§. I.



On continere propriè, & per se, atque ex primaria intentione S.Dauidis desiderium, votum, & iuramentum, quod fecerat ædificandi Templum Domino, indè colligitur; quia id non esset connexum cum antecedentibus, & consequentibus; deindè omnia illa, quæ à versu 13.inclusiuè, vsque ad finem dicuntur, vt mox patebit, non conueniunt ædificationi Templi Ierosolymitani. C

§. II.

Non agi hoc Psalmo propriè, & ad literam de Salomone, neque illa verba versus 10. *(Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui)* sunt, vel à Dauide de Filio, vel ab ipsomet Salomone de se dicta; quia exploditur passim ab omnibus Rabbinicum illud figmentum, ac delirium, quod scilicet Salomoni, cum peruenisset ad decimum tertium Templi gradum, ipsæ Templi fores spontè clausę fuerint; tuncq; veritum Salomonem, ne id accidisset propter Patris peccata, prorupisse in hæc verba, quibus deprecabatur, ne Deus propterea faciem auerteret à se *Christo*, seu Rege suo. D

Neque illa ratio, quæ valdè probatur P. Lorino, desumpta ex simili phrasi, modoque loquendi 3. Regum cap.2. v.20. vbi Bethsabee respondit Salomon; *Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam*; non, inquam, hoc sufficiens est argumentum dicendi etiam illa verba; *ne auertas faciem Christi tui*; esse ad literam de Salomone; esto ipse Salomon 2.Paralip.6. v.41.& 42. cum ædificato, ac dedicato Templo inferret in id Arcam, longiorem illam suam orationem terminauerit istis verbis, quæ videntur ex præsenti Psalmo deprompta. *Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ; Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem, & Sancti tui lætentur in bonis. Domine Deus ne auerteris faciem Christi tui.* Non, inquam, propter hæc dici potest Salomonem hæc verba de se ipso dixisse; aut de eo pro tali occasione dicta ad literam fuisse. E F

Ratio est, quia non poterat ipse de se ita esse solicitus, cum antecedenter 2.Paralip.cap.1.v.12. sponsionem habuisset à Domino; *Sapientia, & scientia data sunt tibi: diuitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui.* Item eodem lib. cap.5. v.13. *Cum Dominum*

A *minum laudare cæpissent, & dicere. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in*
æternum misericordia eius: factum est, vt, *impleretur Domus Dei nube*; per quam
ipse Salomon Domini præsentiam indicari dixit; *Dominus policitus est, vt habita-*
ret in caligine, cap. 6. v. 1. Cum ergo tanta Domini beneuolentiæ erga se signa cer-
neret, non poterat cum ijs pro se ipso postulare, *ne auerteret faciem Christi sui*;
sed eo sensu ipsa pronunciauit, quo ea Pater suus protulerat; nimirum, ne quan-
do ab eo Populo Christus Messias auferretur, vt mox patebit, & cum qua ex-
plicatione totus contextus Psalmi vsque ad finem connexus, & consequens erit;
B quod vtrunque deesse necesse est, si quodcumque aliud argumentum præfiga-
tur Psalmo.

§. III.

Neque peti videtur hoc Psalmo Aduentus ipsius Messiæ; quia etiam hoc con-
nexione, & consequentia careret; neque apparet quomodo ad hoc petendum
seruiat illud votum factum à Dauide de exstruendo Templo Hierosolymitano;
deinde illa promissa, quæ fiunt à versu 13. incipiendo immediatè, & propriè my-
stico Christi Corporis, scilicet Ecclesiæ eius Sponsæ conueniunt, vt patebit.
C Quædam alia minus vrgentia aliorum argumenta, ne sim longior, non attingo;
similes prædictis obices, & remoras patiuntur & illa; plana autem omnia, & ex-
pedita sunt, si sic dicatur; scilicet, Sanctum Dauidem, cum in Psalmorum suo-
rum ordine, & dispositione per Gradus pulcherrimarũ virtutum ascenderet; iam,
iamque Domui Dei, quæ est Ecclesia, eiusque Sacris Ministris appropinquaret;
inter hæc, quæ Christi Fidelibus lætissima erant, recordatus Domus illius, &
Templi, quod magnificentissimum Diuinæ Maiestati extruere cogitabat, atque
etiam vouerat; quam quidem Domum, & Templum, vnà cum omni illo Popu-
D lo, cum tandem à Diuina eius Maiestate sciret deserendum, impellente ipsum
solito commiserationis affectu, hoc Psalmo (vt eò efficacius postea progrediã-
tur, & res Ecclesiæ Christi magnificet) digreditur aliquantulum; & cupiens, si
quo modo posset, etiam Synagogæ, prospera, eaque diuturniora obtinere, ait;

PSALMVS CXXXI.

E Memento Domine Dauid, & omnis man-
suetudinis eius. Hier. & Chal. afflictionis; afflictio enim hominem red-
dere solet humilem, atque mansuetum. Verùm cum
plurimas afflictiones, & humiliationes S. Dauid sit passus, inquirunt hic Expositores, de qua nam potissimum loquatur, & quam nam ad deprecandum Domi-
num mansuetudinem suam alleget; alij deiectionem suam sub Saule; alij quam
passus est in deducendo Arcam à Michol; quidam de anxia cura, tum circa de-
F ductionem illam Arcæ, tum circa ædificationem Templi.

Dicendum est, S. Dauidem hoc loco propriè, & proximè illam tantum humi-
liationem suam Diuinæ Maiestati proponere, quando ad horribiles cædes, quæ
fiebant in Populo per Angelum percutientem, & ipse summè afflictus fuit; & in-
de occasionem habuit (admonente eum Propheta Gad) voto se se obligandi] ad
erigendum altare Domino in area Areuna Iebusæi, provt 2. Regum cap. 24. &

1.Paralip. 21. fusè describitur. Prius autem quam hoc accideret, iam cogitationem susceperat de extruenda Domo Domini, seu Templo; nam vocato ad se Nathan Propheta; 2.Regum 7.2. *Videsne*, ait, *quod ego habitem in Domo Cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium?* A

Huius ergo suæ mansuetudinis inde conceptæ, & promptissimi ad promouendum Diuinum Cultum animi rogat, vt Dominus meminisse dignaretur;

V. 2. Sicut; quemadmodum ipse eius seruus; iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob; extruendi scilicet, non solùm altare in ostenso sibi loco (cuius extructio 2.Reg. 24.23. vocatur; *Votum*; dicente Areuna ad Regem: *Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum*) sed etiam Domum ipsam, seu Templum; quod eodem loco Dominus se velle, vt ædificaretur demonstrauit; vt clarè habetur 2. Paralip. c. 3. v. 1. nam *cæpit Salomon ædificare Domum Domini in Ierusalem, in monte Moria, qui demonstratus fuerat Patri eius, in loco, quem parauerat Dauid, in area Ornan Iebusæi.* B

Votum hoc de Templo, Domo, seu Mansione Domino extruenda coniunctum erat cum ingenti desiderio, quod nullam requiem permittebat zelantissimo honoris Dei, Regi pientissimo Dauidi; cupiebat vehementissimè, vt id quantocyus perficeretur: C

Memento, ò Deus, quemadmodum statueram, tibique Domino, ac Deo meo iuraueram; reum me criminis in te commissi futurum;

V. 3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei. D

V. 4. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

V. 5. Et requiem temporibus meis; si, inquã, hæc mea prius quęsiero, vel ante, siue præposuero, quàm exequar, & adimpleam quę voui; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob; tunc criminis, vt dixi, reus ero. Atque iuxta hæc mea ardentissima desideria de ædificanda tibi mansione, & Domo. E

V. 6. Ecce audiuimus eam in Ephrata, existentes adhuc, seu habitantes in Bethleem, *audiuimus* dici, futurum, quod ædificanda esset Domus, siue permanens mansio Domino. Sic è multis sententijs, quas videre est apud P. Lorinum nostrum, hæc, cum qua consentit P. Emm. Sà, Clarius, Arias, Genebrardus, certior est; & magis facit ad connexionem. Vatablus vult, S. Dauidem humiliter, ac modestè appellare se Ephratæum, siue Bethleemiticum: conuenit cum allegata, versu primo, *mansuetudine* eius, & cum Micheæ cap. 5. v. 2. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es*; scil. vicus, *in millibus Iuda,* F

quia

A quia ad illam Tribum Bethleem pertinebat. dicitur Bethleem *Ephrata* ad distinctionem, quia est alia in Tribu Zabulon. In ea ergo adhuc Ciuitate paruula existentes *audiuimus*, seu sermo, & fama ferebat ædificandam Domino Domum, & mansionem permanentem, & stabilem, vt obtenta iam terra fluente lacte, & melle, Dominus non amplius in tabernaculo, provt prius, habitaret. Sicut autem adhuc tunc cum maximo desiderio id *audiuimus*; ita iam optatissimum illum locum, & mãsionẽ; inuenimus eam in campis siluæ, in monte Moria, vt supra

B versu 2. dictum est. Ager autem ille Areunæ Iebusæi designatus Templo locus, *campi siluæ* dicitur, eo quod non procul esset à silua, vnde & ipse mons Sion quandoque vocatur Libanus propter vicinitatem montis Iarim, idest montis siluarum; atque in eodem Domus à Salomone ædificata, appellata fuit Domus saltus Libani: *inuenimus* ergo eam in eo loco, quia propediem eodem loci extruendam erat. Atque cum hoc vel maximè esset in optatis Sanctissimo Regi Dauidi, alijsque timentibus Deum, lætitia exultans, quod tandem stabilem illam mansionem demonstrante Domino inuenissent, ait, quod mox;

C V. 7. Introibimus in tabernaculum eius; in domum scilicet illam, in qua figendum est tabernaculum eius, siue illa fixa sedes, & requies; adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. significat; quod eò inferenda erit Arca, in qua est propitiatorium, quod est veluti Dei scabellum; sic paucis, & benè P. Emm. Sà. & ipse S. Dauid sequenti versu declarat, se non aliud vtraque parte versus illius intellexisse, quàm

D extruendum locum permanentem, vbi collocaretur Arca; qui quidem tanquam si iam exædificatus esset (præueniens desiderio suo breues illas moras, quæ interponendæ erant) inuitat benignissimum Dominum ad ingrediendam in illam paratam sibi habitationem, eiusque plenam, & (si pactis illi stetissent) perpetuis futuris temporibus perduraturam, possessionem accipiendam;

V. 8. Surge Domine in requiem tuam, tu

E & arca sanctificationis tuæ, quam tibi sanctificasti, P. Emm. Sà. Hier. vocat Arcam fortitudinis tuæ. Chal. in qua lex tua. Obseruare ad connexionem satis est, quod Sanctus Dauid hic, vt patet, instantissimè petat quæ erant, & fuissent ad bonum, & honorificentiam Populi illius Iudaici; si *requiem* apud ipsum Dominus habuisset, provt cupiebat, petebatque Dauid; fac iam nunc, ò Domine, (pergit S. ipse) & quod feceris conserua; vt

V. 9. Sacerdotes tui, deputati cultui tuo, & ministerijs habitationis tuæ; in-

F duantur iustitiam; sint conspicui, non tam externo sacrarum vestium splendore, quàm internis virtutum, & omnimodæ perfectionis ornamentis; & sancti tui, omnes Leuitæ tui, & quicumque tibi, & cultui tuo diuino consecrati; exultent, habeant perennem exultandi occasionem, dum tibi in Templo paulò post fabricando inseruient.

Inter hæc aliquantulum læta nosti Domine, quidnam illud sit, quod etiam tantillam hanc meam lætitiam interturbat, & destruit. Illud vtique est, quod tibi nobiscum, idest cum hoc meo Iudaico Populo habitatio, & requies futura non est diuturna, & perpetua: proh! quam id altè cordi meo infixum! quam continuò affligit, & lancinat! Si quis veniæ, & deprecationi locus, obsecro A

V. 10. Propter Dauid seruum tuum, non auertas ab illo Populo tuo, quod etiam supra sæpe rogaui, & maximè Psalmo 88. versibus 39. 40. 41. & deinceps defleui; non, inquam, auertas faciem Christi tui, quem missurus es, & vncturus oleo præ participibus eius. B

Quia hìc S. Dauid, ad hoc obtinendum, non tam merita sua allegat, quàm gratuitam promissionem sibi à Domino factam; ne quid illi deesse videretur, ipse S. Dauid ab hoc versu, vsque ad finem explicat, quid illud sit, quod ei Dominus promisit, seu iurauit, & quomodo inuiolabiliter, quod promiserat seruaturus sit. Sic ergo se ipsum consolatur S. Dauid, & post hanc, licet breuissimam digressionem, ad ea, quæ Ecclesiæ Christi honorificentissima sunt transiens, seu potius rediens; nam in ijs erat, ait, ne quis excidisse, vel defecisse in aliquo, verbum, seu promissionem Dei putare possit, omninò, C

V. 11. Iurauit Dominus Dauid veritatem: & non frustrabitur eam: non faciet irritam, eam scil. veritatem, vt Hier. Chal. & Græc. id quod iurauit est, vel hāc dixit Dominus veritatem, provt sequitur; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Quod literali sensu hic locus de Christi Iesu Domini Nostri regno intelligatur, licet quam plurima suppetant Diuinæ scripturæ testimonia, vno ad breuitatem ero contentus, quod *Gabriel à Deo missus ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria*; attulit, dum dixit; quod Filio, quem ipsa Virgo Maria erat paritura, & Sanctissimo Iesu Nomine vocatura; *dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius: & regnabit in Domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. Lucæ cap. 1. quod ipsum testimonium explicat etiam id, quod sequenti versu ait S. Dauid, sibi Dominum promisisse, scil. D E

V. 12. Si custodierint filij tui, quos nimirum filius tuus Christus, natus de Maria Virgine Filia tua (quia de familia, & sanguine tuo) habebit, & dici poterunt filij tui; si, inquam, illi custodierint testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos: notanter dicitur; *testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos*; nam nouum Testamentum, & noua testimonia erat eos docturus, nouamque Legem Euangelicam daturus; ipsi ergo eam seruantes F

Et filij eorum, vsque in sæculum, sedebunt su-

A super sedem tuam. Hanc veritatem, & promissionem suam Dominus adimpleuit, & adimplet in perpetua successione Summorum Pontificum Romanorum, qui sunt legitimi Iesu Christi Regis Regum Domini Nostri Vicarij, Diui Petri successores. Id, quod nusquam, nisi in Sancta hac Nostra Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia reperitur, Dei beneficio factum est, fit, & vsque in sæculum, & Mundi consummationem futurum est in illa; ideo;

B V. 13. Quoniam elegit Dominus Sion: ipsam Nouam Sponsam suam Ecclesiam, veram, suam, & dilectam Sion sibi elegit, sibi in ea complacuit, cum ea fœdus æternum inijt. Itaque de Noua Sione hìc est sermo, vt sæpe supra dictum, & probatum est, Psal. 64. 86. & alijs, atque etiam ex hìc dictis clarissimè infertur, S. Dauidem eam intelligere; si enim antiquam Sionem hìc intelligeret; quid necesse fuisset paulò ante petere, *ne auerteret Dominus faciem Christi sui?* Nihil eorum, quæ subiungit, antiquæ Sioni conuenit, sed omnia Nouæ;

C elegit eam in habitationem sibi. non autem illam, quæ ad interim fuit inuenta *in campis silua*, ad quam ego (pergit ipse S. Dauid recapitulationem faciendo ad ea, quæ initio petierat pro Synagoga, quod etiam in sequentibus obseruat) licet ardentissimis votis, & desiderijs ipsum Dominum inuitarem, vt *surgeret in requiem* illam *suam, ipse, & arca sanctificationis eius*; nihilominus non de hac; sed de illa *Sion*, quàm *elegit sibi in habitationem* dixit, & testatus est, atque promisit; quod,

D V. 14. Hæc requies mea in sæculum sæculi: *Ecce enim ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi.* Matt. vlt.

hic habitabo, quoniam elegi eam. Similiter ad id, quod petebam; vt ad ministeria in eo, quod parabam Templo, dignè obeunda efficeret Dominus, vt, *Sacerdotes eius induerentur iustitiam, & Sancti eius exultarent*; ad hoc, inquam, minimè placitum responsum retuli (quod ad Synagogæ Templum attinet) cæterùm, quod ad nouam *Sion* Christi Ecclesiam spectat in se ipsum recepit, quòd longè

E etiam abundantiùs, quàm petijssem, esset ipsi benedicturus; siquidem non solùm Sacerdotali statui, & Ministris Ecclesiæ ad dignè obeunda sua munia esset collaturus abundantem gratiam; verùm etiam infimos quosque, qui in ea futuri erunt, personarum gradus, & conditiones donis suis sit locupletaturus; nam

V. 15. Viduam eius, scilicet Sionis, seu Ecclesiæ Christi, intelliguntur, vt dixi, infimi illi gradus, & conditiones hominum, qui sunt in Ecclesia; neque repugnat imò valdè ad mentem S. Dauidis videtur esse, si dicamus hoc versu ipsum expressisse omnes Reli-

F giosorum vtriusque sexus Deo in Ecclesia Christi militantium Ordines; fœminarum quidem, per *Viduam*; quandoquidem licet sint Virgines; quatenus tamen Sponsum habent in Cælo, & hìc lugent, *Vidua* dici possint. Virorum verò, per *Pauperes eius*: & omninò voto, & vitæ instituto pauperes ipsi sunt Religiosi, quos tamen, & præcipuè prouidentissimus Dominus saturat panibus, vt hìc promittit, & supra etiam Psalmo 21. 26. promiserat; provt autem ibi dictum est,

ser-

sermonem esse de Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento; ita hic dicendum est, de his sacratissimis panibus, & hac salutifera saturitate eundem Sanctum Prophetam etiam hic loqui. Ad ea, quæ contra debacchantes circa hunc locum Nouatores dicunt, P. Gretserus Noster, P. Bellarminus, nec non P. Lorinus hic multa habent. Mihi satis est hic adnotare; quod hæc vox; *Viduam eius*; quam Editio nostra posuit, veniat in optimam, & consequentissimam connexionem, & explicationem contextus totius Psalmi (longè melius quàm vlla alia versio, quæ siue *cibum*, seu quæ *venationem*, seu *captionem* habet) ac proinde ex eo colligi, ipsam Editionem nostram verè, ac propriè veritatem attigisse. Omninò Sancto Dauidi in animo erat ostendere diuersos, eosque omnes, qui in Christi Ecclesia futuri erant status, & gradus hominum, benedicendos; quandoquidem sequentem Psalmum de eo bono tam *bono*, *& iucundo habitantium fratrum in vnum* subiungit; vtpote, qui hic de ijsdem gradibus omnibus à Deo benedicendis egisset; hanc autem eiusdem Domini benedictionem sola, & vnica S. Mater Ecclesia dilecta Christi Sponsa, & amata Sion, & promissam habuit, & datam cumulatissimè possidet, vel ipsis eius hostibus, testibus, & admiratoribus. fecit quod promisit Dominus; benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus; vt dictum est, & hoc quidem ex abundanti; ad id autem (pergit S. Dauid) quod pro Synagogæ, & Templi Ministris immediatè petebam; *Sacerdotes tui induantur iustitiam*, &c. respondit: id reseruari Ecclesiæ;

V. 16. Sacerdotes eius induam salutari: salute, sanctitate, perfectione omnimoda, vt sint *conformes imaginis Filij*, Rom. 8. 29. *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus:* si omnes iubentur induere Dominum Iesum Christum; quanto magis decet Sacerdotes indutos esse eo salutari? *induā* omninò eos, & sācti eius, omnes diuino cultui destinati, exultatione exultabunt. quidni hi exultent, dum se se diuinis obsequijs benè impedunt, quando etiam ipsi filij hominum inebriantur ab vbertate Domus Domini? & torrente voluptatis potabuntur? Psal. 35. v. 9. Iam supra Psal. 67. dictum, quod *millia lætantium* in Ecclesia; & Psal. 86. *sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Quid mirum? de ea ait Dominus;

V. 17. Illuc producam, ad illam Ecclesiam Nouam Sion, inter Gentes fundandam, & stabiliendam, *producam*, siue vt Hier. habet; ibi oriri faciam cornu Dauid, potestatem regiam Dauidi, Christo meo, vt statim explicat; ibi paraui lucernam Christo meo; idest, vt optimè Pater Emm. Sà ex 3. Reg. c. 11. & 15. & 2. Paral. 21. colligit, ibi *paraui*, siue constitui Christo meo *posteritatem splendidè regnantem*. Hæc de Summorum Pontificum in Christi sedem successione ad literam sunt dicta. Tam magnis, tamque honorificis, quæ hic de Christi Ecclesia dixi, ait Dominus, obstrepent quidem eius aduersarij; non tam Gentiles, qui ad ea intuenda oculos non habent, quàm Hæretici, qui eam lacerant, & ab ea deficiunt; verùm

V. 18.

A **V. 18. Inimicos eius induam confusione:** sic planè omnes Sectarij semper ab initio, & deinceps confusi. **super ipsum autem** Christũ meũ in Ecclesia Catholica per suos Vicarios, vt dixi, regnantem, semper **efflorebit sanctificatio mea.** vt apud ipsum, siue in eius Ecclesia permaneat iustificatio peccatorum; vt P. Emm. Sà. Diadema eius; vt Hier. Corona eius; vt Chal.

B Hæc omnia, cum bene ordinata, sibique cum omni verborum proprietate absque vlla sacri textus contorsione, consequentia, & cohærentia sint; ipsissimam veritatem manifestant. Atque adeò hunc ipsum bonum ordinem consequentem, atque cohærentem seruando, subiungit S. Dauid sequentem, breuem quidem, sed lætitia redundantem Psalmum.

PSALMVS CXXXII.

C

Ecce quàm bonum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXII.

Canticum Graduum Dauid.

D IN hoc Titulo illud additum; *Dauid*; denotat solum, quod aliàs insinuatum fuit; Canticum scil. hoc pertinere vnà cum alijs, non ad materiales Templi Gradus, quos Dauid non vidit; sed ad spirituales Ecclesiæ Christi, de qua ipsi etiam proximo Psalmo tantus, tamque honorificus sermo fuerat.

§. I.

Atque hinc dubio procul inferri potest; eos, quamuis plurimi sint (vt P. Lorinus ait pro Argumento huius Psalmi) qui censent Sanctum Dauidem hoc Psal-
E mo laudare concordiam, quæ erat in regno suo; postquam lapsis annis primis septem, quibus regnauerat solùm in Hebron super Tribum Iuda totum sibi regnum comparauit; & priusquam diuideretur sub Roboam, & Ieroboam, hinc in decem Tribus, inde in duas; & quod simul etiam commendet similem coniunctionem, atque societatem vnanimem, quam præuidebat futuram post reditum Populi de captiuitate Babylonica, iterum constructa Ciuitate, Temploque sub omnium Duce Zorobabele, & Iesu Sacerdote; inferri, inquam, ex iam dictis certò potest; eos Argumentum, quod literale sit, & primario à S. Propheta in-
F tentum fuerit attigisse; sed cum hoc non stat, siue antecedentium, siue consequentium connexio; deinde hæc, licet de vno integro illo Populo dicerentur; angusta nihilominus nimium essent amplissimo Sancti Prophetæ stylo, quo iam supra Psalmo 106. v. 2. & 3. testatus est, se de ijs loqui, *qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregauit eos. A Solis ortu, & occasu: ab aquilone, & mari.* Demum Populo illi Iudaico, quacunque in pace con-

constituto, non conueniunt vltima huius Psalmi verba; *Quoniam illic mandauit Dominus, benedictionem, & vitam vsque in sæculum.* A

§. II.

Dicendum igitur est, principaliter agi hoc Psalmo de magna in Christi Ecclesia inter Fideles charitate. Et sanè requirebatur, vt hoc loco de ea ageret S.Dauid, posteaquam proximè proposuisset, tam magnis, multisque Dei donis à Deo benedicendam nouam Sion Christi Ecclesiam, quam sibi in requiem elegisset, &c.& pariter omnes in ea status designati per *Viduam*, *Pauperes*, *Sacerdotes*, *Sanctos*, essent benedicendi; & *illuc*; ad eandem; *cornu Dauid producendum*; & B quod *super eum*; eodem loco; *efflorebit sanctificatio eius*.

§. III.

Præterea, cum Sanctissimi huius Prophetæ intentum esset his Psalmis Gradualibus Ascensiones virtutum, & affectuum, quibus ad Deum, & Diuinæ eius Maiestati dignè deferenda obsequia scanditur, proponere; post tam multos iam propositos, & conscensos Gradus, restabat, vt supremum, & maximè sublimem charitatis, in qua plenitudo Legis est, ostenderet; quo conscenso Immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini, proximè vnirentur cum seruis Domini, *qui* C *stant in Domo Domini, in atrijs Domus Dei Nostri*; *cum ijs, inquam, ad benedicendum Dominum* (vt sequenti Psalmo dicturus est) vnirentur.

Itaque seruato semper, & in omnibus ordine, connexione, & consequentia, S.Dauid hoc Psalmo proponit eam, quæ in Christi Ecclesia vniuersim sumpta, & provt Fideles omnes omnium nationum sub vno Christi Capite, eiusque in terris Vicario Pontifice Romano, complectitur cuiuscunque illi sint status, & ordinis; nam rectè Cassiodorus admonet, ad generalitatis concordiam pertinere istum Psalmum; nec tantum Monasterij, sed vniuersæ pronunciari Ecclesiæ; spi- D ritualemque tubam in vnum colligere, quicquid est Christi militum in toto Orbe Terrarum: hìc nos imitari, quod in illa Beata Patria summo munere constat attribui.

His notatis; quandoquidem fusiorem explicationem Psalmi huius (quatenus charitatem commendat) apud alios, maximè P. Lorinum nostrum, qui quàm plurimis in eius laudem excurrit, est reperire; ea solum explicationi eius Textus addentur, quæ pro ea, quam quærimus connexione, & cohærentia faciunt.

Itaque cum S.Dauid iam inde ab vndecimo versu prioris Psalmi tam multa de E Ecclesiæ Christi bonis, ipsius Domini voce dixisset; concludens omnia illis verbis, quod ad illam *producturus esset cornu Dauid* Christi sui, & in ea *parasset lucernam*, eidem, *Christo suo*; & quod pariter in eadem *efflorebit* semper *sanctificatio eius*; vt dictum est; cum hæc insignem planè singularem, mirificam Dei benedictionem contineret, quæ se se in omnes Ecclesiæ Fideles (vt pariter insinuatum fuit) diffunderet; ipsorum Fidelium præ lætitia vix se capientium, in tali Ecclesia, sub tali capite, Christo Domini constitutorum felicitatem, & gaudium per hæc verba exprimit;

A

PSALMVS CXXXII.

Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum; vt nos degimus, sub vno Capite Christo, in vna eius Ecclesia, in qua
B Christus Dominus habet *lucernam*, posteritatem, & successionem suorum Vicariorum, splendidè regnantem; Hoc nimirum illud est, quod ipse à Patre tam instanter petebat, vt & Apostoli, & Discipuli eius (tunc pusillus illius grex) & qui per verbum eorum in ipsum crediturí erant, *omnes vnum essent*. Ioan. cap. 17. v. 11. & ex charitate, quæ inter eos futura esset, agnoscerent homines, quod Discipuli eius essent.

Hæc mutua charitas inter tam multos fratres Christi, & Ecclesiæ eius Sponsæ, filios, tanta eos vtilitate, honestate, & iucunditate afficit, vt omninò sit;

C V. 2. Sicut vnguentum in capite, quod existens in capite, cũ magna abundantia inde defluens; descendit in barbam; & quia de pretioso, non profano, sed sacro vnguento charitatis loquor, similitudinem hanc intelligi volo de persona, non profana, sed sacra, & quæ Summum Sacerdotem Christum, *vnctum oleo lætitiæ præ participibus suis*, repræsentet; atque ideo notanter dico; hanc, quæ in eius Ecclesia est, charitatem, quam Dominus docuit, quamque ipse suis
D Fidelibus largitus est (siquidem, *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Rom. 5. versu 5.) esse ad instar vnguenti *in capite, quod descẽdit in barbam*, barbam Aaron Summi, vt dictum est, Sacerdotis, & Pontificis Nostri Christi Iesu. Quia verò vnguenti eiusdem magna est abundantia, non solùm venerandam eius faciem vniuersam perlinit, per quam sicuti Canticorum c. 4. v. 3. per *genas*; *sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*: intelligi debent, qui in Ecclesia maximè spectabiles sunt, vt sunt eius Prædicatores, Doctores, alijsque omnes in Ecclesia
E Principes, Pastores, & Rectores, non solum hos, vnguentum Christi perlinit, sed etiam, tam abundans est,

Quod descendit in oram vestimenti eius, vt illiniat, & perungat ipsam oram vestimenti, non tantùm superiorem extremitatem, quæ circa collum, vt P. Emm. Sà; sed etiam imam, per quam alij omnes eius Fideles intelliguntur, integro vestimento Sacerdotali denotati. Omninò in Ecclesia Christi, mutua, quæ est inter Fideles omnes charitas, est tam co-
F piosa, vt ad instar roris sit,

V. 3. sicut ros Hermon, qui montem Hermon, frequenti sua irroratione, virentem, & fertilẽ reddit; est sicut ros, qui descendit in montem Sion, illum similiter suo humore, suisque aquis irrigans, & fœcundans. Nominantur hi duo montes, vt

magis noti; subintelligenda autem est repetitio *roris*, dum dicitur; *qui descendit*, & ros, qui descendit, vt sint duplices rores, vt benè notat P. Emm. Sa, & P. Lorinus, & alij, qui apud ipsum videri possunt, excurrentem multis in notionem vtriusque montis: hic satis est præcipuum intentum S. Dauidis significasse; quod scilicet aptissimis similitudinibus vnguenti, & roris exprimere voluerit charitatem, quæ est in Christi Ecclesia, quæ quidem ipsa charitas est donum Dei singulare eidem Ecclesiæ collatum. A

Quoniam illic (intellige in eadem Ecclesia, sicut supra priori Psalmo v. 17. dixerat; se, *illuc producturum cornu Dauid*; pergit enim in sermone de Ecclesia) mãdauit Dominus benedictionẽ, decreuit Dominus dare benedictionẽ; & vitam, quia, *qui non diligit manet in morte*. 1. Ioan. 3. 14. vsque in sæculum duraturam (cum illa, quam dixi, mutua charitate inter Christi Fideles) vsque ad consummationem sæculi, quandiù durabit Ecclesia; imò, quia *charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. 1. Cor. c. 13. 8. existentibus in hac Sancta sua Ecclesia, & illa charitate ornatis decreuit *Dominus benedictionem, & vitam, vsque in sæculum*; vsque in æternum. B C

Atque ex his postremis verbis gradum faciendo ad postremum Psalmum, & Canticum Graduum.

PSALMVS CXXXIII. D

Ecce nunc benedicite, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXIII.

Canticum Graduum.


Onstare potest ex postremis prioris Psalmi verbis, Psalmo huic Argumentum ad literam non esse illud principaliter, quod Græci Expositores ponunt; vt scilicet agat de reuersis de captiuitate Babylonica post restitutam iam Ciuitatem, Templumque, & factam potestatem liberè ac securè habitandi in patria: minimè, inquam, id est, quia, vt constat, non *mandauit illic Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum*. E

Non ergo pro his, vel de his tantùm est Psalmus hic, & Canticum vltimum graduum; sed continetur eo communis gratulatio, quæ fit Christi Fidelibus omnibus, maximè autem Dei seruis destinatis ad Dei laudes, & Ecclesiæ ministeria, ad quos Dei seruos, & ministros Ecclesiæ, illi (de quibus supra ad Psalmum 118. dictum est) qui sæculari in statu constituti sunt Christi Fideles, *immaculati in via, ambulantes in lege Domini*, & per virtutum gradus, & Psalmis gradualibus inclusarum ascendentes, proximè accesserint; iamque cum ijs coniuncti sint, se seque inui- F

A inuicem ad benedicendum Dominum exhortentur; maximè cum experimento nouerint, verissimum id esse, quod in fine prioris Psalmi promittebatur; scil. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem*, &c. Itaque, quando ad hæc deuentum est;

PSALMVS CXXXIII.

B Ecce nunc benedicite Dominum, omnes serui Domini: nunc vtique licet benedicere, maximè vobis,

Qui statis in domo Domini, in atrijs Domus Dei nostri. Iam supra Psalmo 83. æstimabam *Beatos, qui habitarent in Domo Domini; & meliorem esse diem vnam in*

C *atrijs eius, super millia:* hanc tantam felicitatem consecuti; *Ecce nunc beneditite*, &c. *Qui statis* prompti, & expediti ad omne eius obsequium *in Domo Domini*, & *in atrijs Domus Dei Nostri* (licet sit distinctio inter atria, & Domum; nihilominus hoc loco pro eodem illa accipit, & Ecclesiam intelligit) Ijdem vos, quos alloquor, & omnes, qui vobiscum sunt, & vnum quid per charitatem facitis, qui per Fidem, per speciem, & adhuc in ænigmate, & necdum facie ad faciem Domino seruitis;

V. 2. In noctibus, vsque dum *inclinentur vmbræ*, Cant. c. 1.

D v. 17. vitæ huius mortalis, *& aspiret dies* plena luminis gloriæ; atque etiam verè *in noctibus* ipsis; nocturna illa in requie, & cessatione à strepitu, & curis huius vitæ; extollite manus vestras in sancta; *non* iam in illa *Sancta* Sanctorum *manufacta*; sed in illa Sancta, in quæ *Iesus introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Heb. c. 9. v. 24. in illa, inquam, *Sancta* extollite manus vestras, & benedicite Dominum. Ex antecedentis patet, Sanctum Daui-

E dem de illis *Sanctis* loqui ex primario intento; dici autem potest, quòd hæc intendendo significare, alludat solùm ad id, quod in Tabernaculo, & Templo extruendo erat diuisionis ad Sancta Sanctorum.

Concludit hanc breuem, sed plenam lætitia gratulationem, & ad beatum illum cœtum tam multorum fratrum, & seruorum Dei habitantium in vnum, cum quo loquebatur, ait; plenus quidem es Dei benedictionibus, sed adhuc amplius, & semper

V. 3. Benedicat te Dominus ex Sion, ipse, qui

F eam, vt paulò ante dixi, elegit sibi in habitationem, & requiem in sæculum sæculi; ipse, inquam, Dominus benedicat te; quo nullus maior, potentior, & melior, sed neque alius Dominus; nam ipse est, qui fecit cælum, & terram. Hac, inter Christi Fideles facta congratulatione, & inuitatione seruorum Dei, ministerijs Ecclesiæ,


& cultui Diuino deputatorum ad benedicendum Deum; ijdem sic inuitati suas A
etiam proprias Laudes, siue proprio sui status, & gradus sublimissimo loco positi nomine depromunt sequentibus duobus Psalmis, qui eo ipso, quod eas laudes maxima lætitia concinendas contineant, inscripti sunt Titulo *Alleluia*, qui Titulus tertio iam ordine venit, & vt supra dictum est, omninò ad Dei Ministros pertinet; quæ vt melius intelligantur, ad eorundem Psalmorum Argumentum animaduertere oportet, quod est sequens.

PSALMVS CXXXIV. B

Laudate nomen, &c.

Argum. Psal. CXXXIV. necnon Psal. CXXXV.

Alleluia. C



TErtio huic *Alleluia*, quod S. Dauid Psalmis his duobus pro Dei Ministris attribuit, correspondere Tertium Apocalypsis Capitis deciminoni *Alleluia*, quod à 24. Senioribus, & 4. Animalibus Deo decantatur, iam supra dictum est in Notatis ad Psalmū 110.

Igitur pro horum duorum Psalmorum Argumento sufficit obseruare id, quod P. Alcazar Notatione 2. in cap. illud 19. Apoc.
planè ad rem nostram, ipsamque veritatem (quam Diuinæ Scripturæ ad se inuicem respicientes, se seque inuicem explicantes manifestant) consequentissimè D
adnotauit, scil. *Post Canticum Graduum adhibetur Sacerdotum Laus, & Euangelij Ministrorum, Deo decantata per Sacrificia ipsa, atque Conciones. Quo innuitur Sacerdotalis muneris, & prædicationis Euangelicæ sublimitas, atque perfectio: ad cuius significationem denotandam quindecim illi Gradus apponuntur; qua ratione designatur, magnos hosce Ecclesiæ Ministros esse in excelso valde dignitatis gradu, quod diuinitatis speciem præ se fert.* sic ipse: qui etiam addit; quod binarius horum Psalmorum numerus est appositissimus ad duo Ministrorum genera, quos Apocalypsis designat, Seniores nempe, & animalia: siue Sacerdotes, & Prædicatores. E

In voce, *Amen*, Tertio Apocalyptico *Alleluia* addito, attenditur illa versiculi intercalaris repetitio; *quoniam in æternum misericordia eius*; quod in singulis versibus Psalmi 135. repetitur.

Tandem quia, vt ab initio Psalmorum Alleluiariorum dictum est, hisce Psalmis omnibus celebratur diù optata illa pax, & victoria de Roma, & Romano Imperio Ethnico Fidei Christi subiugato, & Ecclesia apud Gentes fundata, & dominante; etiam hi duo Psalmi, toti sunt in his ipsis Laudibus Deo dandis, *qui* F
percussit gentes multas, & occidit Reges fortes, &c.

Hoc omninò est horum duorum Psalmorum Argumentum; non autem ex primaria intentione proponuntur à S. Dauide eximia beneficia Populo olim suo à Deo exhibita, præter communia creationis, atque gubernationis Mundi, prout vult P. Lorinus; qui tamen fatetur, hoc ipso Psalmo, pios homines, præsertim

cos,

A eos, qui sacra tractant, impelli ad laudandum, & colendum Deum. Et certè necesse est hoc asserere, cum & initio Psalmi, & in eius fine de ijs clara mentio fiat. Neque tamen de Synagogæ, sed de Ecclesiæ Christi Ministris, & Sacra tractantibus hic est sermo. Nam tametsi vtroque hoc Psalmo frequenter attingantur ea, quæ Libro Exodi scripta sunt; Ægypti plagæ, Pharaonis pœna, Regum mortes, hostilis terræ obtenta hereditas, &c. nihilominus iuxta initio posita fundamenta, & præuia documenta, S. Dauid, Iudaica tangendo, Christiana significat.

B Atque hoc sanè ipsum pulcherrimum fuit monitum Diui Hilarij, quod hoc loco facit, & veluti pro nobis citat P. Lorinus noster; *aduertere*, ait, *in eiusmodi omnibus oportet, quod secundum Apostolum, quæ in Lege sunt, vmbra sint futurorum; & quæ in ea gesta sunt, allegorumena* (id est sub allegoria) *non negligenter audienda sint, quia sub corporalium gestorum Fide, in exemplum sunt spiritualium operum constituta.*

Deinde ipse S. Pater hoc suum monitum (quod re ipsa semper in decursu explicationis Psalmorum secutum me fuisse confido) confirmat per comparationem elegantem Agri saluberrimis herbis pleni, vbi ad delectum ex ijs ad cibos,
C seu medicinas faciendum plurimum interest inter eum, qui earundem herbarum genera, virtutesque nouerit, & alium, qui imperitus earum, nesciusque sit.

His sic adnotatis (quæ plurimum faciunt pro iam explicatorum Psalmorum confirmatione, & præsentium, atque consequentium explicandorum intellectione) Seruorum, & Ministrorum Dei, & Ecclesiæ, qui Psalmo priori 133. fuerant inuitati ad benedicendum, & laudandum Deum nomine, & voce, deinceps dicitur cum iubilo *Alleluia*: ita omninò.

D

PSALMVS CXXXIV.

Laudate nomen Domini; quid melius, quid conuenientius, quid iustius est? laudate serui Dominum; Vos, inquam, serui laudate Dominum.

E V. 2. Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. quamuis enim omnes omninò Fideles id præstare obsequij, & laudis debeant Domino; præcipuè tamen vos, quia serui, quia in domo.

V. 3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: cuius bonitatem, vos eius serui, magis experimini; psallite nomini eius:
F quoniã suaue. Et nomen eius suaue est; & illi psallere, est suaue. Laudandi, & Psallendi illa maxima, & vrgentissima causa est, debitæ gratitudinis titulus ob beneficia nobis eius suis Fidelibus exhibita.

V. 4. Quoniam Iacob elegit sibi Dominus:

nus, Israel in possessionem sibi; nos omnes, qui sumus per repromissionem spiritualis Iacob, & Israel; qui sumus eius Populus; qui facimus eius Ecclesiam; nam sicut supra Psalmo 46.v.5. dixeram; ipse benignissimè *Elegit nobis hereditatem suam: dare speciem Iacob quam dilexit.* A

Ex magnificentissimis donis huic suo Fidelium cætui, huic suæ hereditati, & possessioni, huic suæ Ecclesiæ collatis, factum felicissimè est;

V. 5. Quia ego cognoui, & palàm omnes, qui tantam beneficentiam perpenderint, B intelligēt; quod magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus dijs. Neque alio euidentiori argumento hanc suam magnitudinem, & omnipotentiam manifestauit; quàm, dum,

V. 6. Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. C Non de rerum harum materiali tantum creatione loquor; sed per has res materiales (clara omnipotentis dexteræ argumenta) significare volo; quod non minus, imò multò amplius omnipotentiam suam Dominus ostenderit; quando *Omnia quæcunque* decreuerat facere circa Ecclesiæ suæ tanquam cæli, & terræ fundationem; quæcunque destinauerat operari circa Gentilium, & Peccatorum conuersionem faciendam *in mari, & in omnibus abyssis* Gentilitatis Idololatricæ; omnia inquam, licet maxima, & innumera intercurrerent obstantia, felicissimè est executus. quo autem modo? D

V. 7. Educens nubes ab extremo terræ: *nubes* suas, Apostolos, Discipulos, cæterosque Fidei suæ Sanctæ Prædicatores euocando, & educendo è longinquis partibus, qui Doctrina Euangelij, ad instar nubium repleti, eam inter Gentes sparserunt; & quia signis etiam, & miraculis coruscantes eiusdem Fidei veritatem confirmabant; eos ipsos tanquam fulgura quępiā suā, in pluuiam fecit abundantissimam descendere in arentia Gentilitatis deserta. Ipse nimirum est admirabilium operum patrator Dominus; E

Qui producit ventos de thesauris suis, qui, sicuti ad cōferendum terræ fœcunditatem, & germina, vijs occultis, & modis incognitis spirare facit Austrum, aliosque ventos ad eum finem aptos; ita ad spiritualem animarum generationem, modis mirabilibus, soli sapientiæ suæ cognitis, mittit viros Apostolicos, qui tanquam quidam venti celeres, & fortes, terras permeent, atque fœcundent. Supra Psalmis 17. 103. & alijs vidimus eiusmodi Symbolicis locutionibus ad literam, quæ dixi, significari. Atque hæc ipsa sic intelligi debere, ipse Dominus declarauit Ioannis c.2. v.8. hac vsus venti similitudine ad spiritualem natiuitatem significandam; *Spiritus vbi vult spirat, & vocē eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* F

Per-

A Pergit; & illam tam vberem animarum conuersionem factam in Ecclesia de tot Gentibus Fidem Christi amplectentibus, exprimit per cædes aliquas notabiliores, per quas, vt supra sæpè vidimus, & in Isaia constabit sæpissimè, mysticæ occisiones, & strages peccatorum, siue animarum ad Deum conuersiones, per quas Idololatriæ, & peccatis moriebantur, intelligi debent; laudant ergo Dominum, quia ipse est,

V. 8. qui percussit primogenita Ægypti
B ab homine vsque ad pecus. qui sicut olim in Ægypto, prostrauit hominum, & iumentorum primogenita; ita modo in mystica Mundi huius Idololatrici Ægypto, ad Fidem suam, per Idololatriæ, & peccatorum cædem conuertit tam de principibus, & nobilioribus, quàm de inferioribus, & vilioribus hominibus quamplurimos.

V. 9. Et misit signa, & prodigia in me-
C dio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes seruos eius. Alludendo ad ea, quæ olim facta in Ægypto signa, subintelligit, quod etiam signa, & prodigia minimè defuerint, sed facta fuerint maxima in medio Gentilitatis, tempore primitiuæ Ecclesiæ prædicantibus Christi Fidem Apostolis, & consequentibus prædicationem Euangelij signis, & prodigijs factis *in Pharaonem*, &c. coràm Idololatris Imperatoribus, Regibus, eorumque seruis, Præsidibus, & Gubernatoribus, omnibusque Gen-
D tilibus. Admirabilia sanè sunt, quæ in Annalibus, & Historijs Ecclesiasticis de Sanctis Christi, & Ecclesiæ eius Martyribus, & Confessoribus leguntur facta prodigia, digna planè quorum hìc S. Dauid ex primaria sua intentione sub illa allusione patratorum in Ægypto signorum meminisset. Laudandus idcircò Dominus,

V. 10. Qui, signa hæc, & prodigia in Fidei suæ attestationem operando; percussit gẽ-
E tes multas, cæde spirituali, & mystica, provt paulò ante dixi, & occidit reges fortes; eos subijciendo Fidei: Plurimorum Regum, post Constantinum Magnum, factas fuisse conuersiones: ad Christi Ecclesiam accessiones, & sub eius in terris Vicarij Romanum Pontificem subiectiones, qua sacri Annales, qua etiam profanæ Historiæ testantur; eos omnes S. Dauid exprimit per illam vmbram, quæ in Lege præiuerat; scilicet per

V. 11. Sehon regem Amorrhæorum, &
F Og regem Basan, & omnia regna Chanaan. Hæc Iudaica attingit, & Christiana significat, quæ dixi; vicit ergo Dominus hos aliosque eiusmodi Reges fortes; & sicut olim ijs deuictis;

V. 12. Et dedit terram eorum hereditatẽ,

here-

hereditatem Israel populo suo: ita multo maximè, & solùm verè cum omni plenitudine veritatis id accidit; quando in hereditatem Gentium Populus Christianus (qui est verus Israel, & Populus Dei, per repromissionem) & Ecclesia Christi per Fidei eius Sanctæ propagationem venerunt iuxta promissa Ps.2. *Dabo tibi Gentes hereditatem tuam*. Tunc sanè, & solùm, tunc verum fuit dicere, A

V. 13. Domine nomen tuum in æternum: subintellige laudabile,& gloriosũ permansurum est; nunc tandem Domine memoriale tuũ, Testamentum tuum, quod est ipsa Lex, & Euangelium tuum Nouum, quo voluntatem tuam, & quæ à nobis exigeres, quorumque nos velles recordari, testatus es; iam, inquam, illud nunquam amplius cessabit, sed perennabit; & transmittetur in generationem, & generationem. B

V. 14. Quia, quod tam multis votis desiderabatur; nunc tandem iudicabit Dominus populum suum, iudicio suo illo mitissimo, optabilissimo, æquissimo, de quo supra iam toties dixi; & in seruis suis deprecabitur. & seruorum suorum (quales nos sumus qui hìc ipsum laudamus, & deinceps vsque in finem ipsum in Ecclesia hac Sancta laudaturi sunt) ipsorum, inquam, seruorum suorum grata, acceptaque habiturus est obsequia. Iam enim, quod etiam supra Psalmo 113. à v.4. secundæ partis dicebamus, ipso Domino operante factum est, vt toti Mundo constet esse, C D

V. 15. Simulachra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. & quod,

V. 16. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. E

V. 17. Aures habent, & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum. & vt ibi dictum fuit; qui eiusmodi Idola, & Simulachra sibi fabricant, & in Deos erigunt, digni omninò sunt, qui

V. 18. Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis. His ergo prostratis, & cultu illorum ex toto fere Orbe terrarum eliminato; iam nunc F

V. 19. Domus Israel, Fideles omnes, Christi Ecclesia vniuersa benedicite

A cite Domino: vos, qui in ea Sacerdotio fungimini, & estis, atque vocari potestis domus Aaron, benedicite Domino. Vos quicunque, & quibuscunque Ecclesiæ, & Cultus Diuini ordinatissimis, & maxima maiestate conspicuis ministerijs destinati estis, & vocamini

V. 20. Domus Leui benedicite Domino;

B & tādē, omnes, qui timetis Dominum, benedicite Domino. Iunctis omnes animis, vocibus, & affectibus dicamus;

V. 21. Benedictus Dominus ex Sion (pro in Sion hac nostra, quam sibi in requiem elegit, vt supra sæpe dictum est, ipse benedictus sit) qui habitat in Ierusalem; pariter Ecclesiam intellige. Ex su-

C pra sæpe dictis, & explicatis facilè colligi potest, prædictam explicationem, non iam mysticam, sed verè literalem, & ad S. Prophetæ primarium intentum esse. Probari adhuc amplius potest, quia nisi id dicatur, & taliter fiat explicatio, plurium versuum veritas deficit; Primò, Duodecimi versus. Nam si ad literam intelligitur de data hereditate terræ Chanaam Populo Israelitico, vix vnquam ea plena fuit, & imperturbata; quod si Salomonis, aut ipsius Dauidis postremis annis fuit; breuissimo illa tempore durauit, & propterea eam tanta Prophetiæ tantæ magnificentia celebrari operæ

D pretium non extitisset. Secundò, Tunc non fuit verum, quod ***Domini nomen in æternum*** laudandum esset in Synagoga; neque quod ***memoriale illius*** veteris Testamenti transmittendum ***in generationem, & generationem***; quod tamen vult versus 13. Tertiò, Idem esto iudicium de versu 14. Quartò, Tunc toto Terrarum Orbe impius simulachrorum cultus maximè vigebat, qui tamen prætenditur fuisse, vel extinctus omninò, vel agnitus vanus, & maiori ex parte eliminatus; ***quia*** scilicet ***iudicabit Dominus Populum suum, & in seruis suis deprecabitur***, v. 14. quod fieri non poterat, nisi postquam patuisset, quod essent ***Simulachra gentium***

E ***argentum, & aurum***, &c. vt ait v. 15. cum ijs quæ sequuntur v. 16. 17. & 18. sed pro his, quæ controuersa videri potuissent, satis; ad læta nos reuocat sequentis Psalmi lætissimum ***Alleluia***.



 A

PSALMVS CXXXV.

Confitemini Domino,&c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXV. B

Alleluia.

§. I.



B ijsdem, qui prius Dominum laudauerunt Dei seruis, & Ecclesiæ Ministris Senioribus, seu Presbyteris, & Pastoribus, atque Doctoribus laus hæc sequens cum inenarrabili lætitia Deo defertur, iterãdo in singulis versibus intercalare illud; *quoniam in æternum misericordia eius*, quo quidem intercalari, vt Cassiodoro placet, velut C stellis micantibus radiat hic Psalmus: & si excipias quædam Breuiaria, vt Benedictinum, Camaldulense, Ecclesiæ Parisiensis, Placentinæ in Hispania, Ambrosianum, P. Lorinus notat, Hebraicam, Græcam, & Latinam, omnem Editionem in fine singulorum versuum intercalare illud exprimere. Quod autẽ Vulgata Nostra (cui satiùs fortè esset omne aliud Psalterium conformari) id non omiserit, argumento est; vim in eo emphasim, & exuberantiam lætitiæ in diuinis his Laudibus, quas Dei serui hoc Psalmo Domino persoluunt, agnouisse, & sanè illud mirificè eam exprimit; & priorem omnem lætitiam Psalmis 103. 104. 105. 116. D 117. alijsque similibus celebratam iterum resumens, & quodam quasi compendio includens, iucundissimè terminat.

Resumere autem, & iterare lætitiam illam, constat ex ijsdem planè verbis, *Confitemini Domino quoniam bonus*,&c. quibus prędicti Psalmi inchoantur: illud autem intercalare; *Quoniam in æternum misericordia eius*,&c. id repetit, quod Psalmo 116. breuissimè dixerat; *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum*; eo planè sensu, quem ibi dixi.

§. II. E

Ex his autem, quæ insinuaui, constare incipit; quod licet in hoc Psal. attingantur opera Creationis, Prouidentiæ Diuinæ, & curæ particularis circa Populum olim suum Iudaicum, educendo illum de Ægyptiaca captiuitate; nihilominus ex primario intento S. Dauidis de his minimè agatur, sed illa solum attingantur, factaque ad illa allusione pura, & mera, Christiana nostra significentur.

Ratio efficacissima est, quia, quæ hoc Psalmo dicuntur, de illo Populo non verificantur; neque enim cum illo *in æternum misericordia Domini* permansit; sed illam ab eo discessuram S. Dauid toties suprà & prædixit, & luxit. F

§. III.

Sicuti ergo ad rationem illam, quam Lyranus, & Aiguanus referunt ex Rabbi Salomone; cur scilicet illud intercalare, seu secunda pars versus toties repetatur, hoc est, viginti sex vicibus (quam esse ait ideò, quoniam à principio Mundi vsque ad dationem Legis in monte Sina fuerunt 26. generationes, in quibus

Mun-

A Mundus fuit ſuſtentatus ſola diuina miſeratione) ſicuti, inquam, ad hoc optimè reſpondet P.Lorinus; non ſufficere numerum generationum congruere tot vicibus, quibus ea repetitio fit; ſed oportere, vt ea, quæ continentur in Pſalmo, pertineant duntaxat ad tempus intra quod fuerunt dictæ generationes viginti ſex; ita omninò dicendum eſt, omnia contenta hoc Pſalmo conuenire debere ei, de quo dicuntur; in eo autem, quod potiſſimum eſt, Populo Iudaico non conueniunt.

§. IV.

B Deinde, eſto illa, coacta aliqua explicatione ei conuenire oſtenderentur; nulla tamen eſſet cum ea explicatione antecedentium, & conſequentium connexio. Neque appareret, quonam pacto S. Dauid, cum nullam planè hoc Pſalmo faciat mentionem captiuitatis, niſi Ægyptiacæ, Pſalmo deinde ſtatim ſequenti ad Babylonicam tranſiret.

Si totum vidimus (ipſis eius mentem Pſalmis declarantibus) diſtentum in Eccleſiæ Chriſti pace, felicitate, bonis maximis decantandis, quomodo hìc repente ad alia tranſiliret?

C Planè id, quod inſinuatum eſt, eſſe poteſt Pſalmi huius Argumentum; ſcilicet, Dei ſeruos, & Eccleſiæ Miniſtros, ad laudandum Deum inuitatos, ſecundo etiam hoc Pſalmo, proprium ſuum *Alleluia* Domino concinere. Et ſanè ipſa rerum maximarum ſupradictarum repetitione, conglobatione, & recapitulatione, atque pulcherrimo compendio, quod faciunt, laudem hanc ad ſe, vt Diuinis Laudibus deſtinatos, & rerum diuinarum notitia præ reliquis inſtructos, oſtendunt vel maximè pertinere.

Ipſi igitur paulo ante titulo Domus Aaron, & Domus Leui nuncupati, ſe ipſos, D aliosque Chriſti Fideles ad benedicendum, & laudandum Deum ſic hortantur. *Alleluia*.

PSALMVS CXXXV.

Confitemini Domino quoniam bonus:

E Ex dictis patet, confitendi verbum ad Laudem potius, quàm ad accuſationem peccatorum referre. ſed vt D. Hilarius ait; vtrumque naturæ noſtræ eſt conueniens; vt & eum ad cuius cognitionem naſcimur, laudemus, & ei qui bonus, & miſericors in ſæcula ſit, confiteamur peccata.

quoniam in æternum miſericordia eius.

ingens motiuum laudandi, & confitendi Domino habet Populus Chriſtianus; quoniam ita erga Eccleſiam ſuoſque, qui in ea ſunt, & futuri ſunt, bonus eſt, vt etiam cum ea permanſura ſit *in æternum miſericordia* F *eius*. hoc illud eſt *Alleluia* cum addito Amen. Apocal. c. 19. & id, quod ſupra Pſalmo 116. dicebatur; *quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius*, &c. Itaque

V. 2. Confitemini Deo deorum:

quia priori Pſalmo dixerat; quod *Simulachra gentium argentum, & aurum*, &c. hìc ad eos deos ligneos,

aureos, & lapideos alludens, quos contriuit Dominus, vult ipsum, qui solus Deus est celebrari; quoniam sic eos perdidit, vt deinceps destructo Idolorum cultu (quod non fuit tempore Populi Iudaici) in æternum misericordia eius perduratura sit, cum vero, & solo diuino illius cultu introducto. Eodemque prorsus modo, iam nunc A

V. 3. Confitemini Domino dominorum:

quandoquidem, vt supra Psal. 102. prædixeram v. 19. *regnum ipsius omnibus dominatur*. & Psal. 46. 3. ipse est *Rex magnus super omnem terram*. v. 8. *Rex omnis terræ*. & Psal. 94. 3. *Rex magnus super omnes Deos*. huic Domino Dominorum est confitendum; *nam*, vt ait Apostolus 1. Cor. 8. 5. *Etsi sunt*, *qui* (Gentilium opinione) *dicantur Dij*, *siue in cælo*, *siue in terra* (*siquidem sunt Dij multi*, iuxta eandem stultam ipsorum opinionem, & Domini multi) *nobis tamen vnus Deus*, *Pater*, *ex quo omnia*, *& nos in illum*: tendimus; & in eum finem, vt ad eum tenderemus, ab eo creati sumus: *& vnus Dominus Iesus Christus*, *per quem omnia*, *& nos per ipsum*; subintellige sumus: & sic huic Domino Dominorum confitendum; quoniam in æternum misericordia eius nobiscum. Ad confitendum Trino, Vnique Domino Deo, facta inuitatione cum terno, seu potius sub vno, ter repetito Confitemini, ita prorsus ait, ipsi esse confitendum, quia ipse est (vt ex hactenus ab eo præstitis beneficijs Ecclesiæ suæ patet) B C

V. 4. Qui facit mirabilia magna solus:

eaq; ipsa mirabilia magna operatur in eadem sua Ecclesia; quoniam in æternum misericordia eius. quam ei initio exhibuit, in eadem permanet. Quæ autem sunt illius mirabilia magna? præter ea quæ Psal. 110. item 64. & aliàs dicta sunt: potiora hìc numerantur hæc, quæ sequuntur. Ipse est, D

V. 5. Qui fecit cælos in intellectu:

qui sicuti sũma sapientia materiales cælos, qui continuò circumaguntur, architectatus est; ita etiam mysticos Ecclesiæ suæ Cælos, Sanctos Apostolos condidit sapientissimè; eosque Sanctissimi sui Spiritus sapientia, & doctrina exornauit; vt sicuti supra Psalmo 18. dicebam; possent *enarrare gloriam Dei*, & *in omnem terram exiret sonus eorum*. hos ego cælos iam inde à Psalmo 8. cupiebam videre, meque ipsum solabar v. 4. *Quoniam videbo cælos tuos*: nunc gratulandum, quia *fecit cælos in intellectu*, planè, vt se facturum promiserat, fecit, inquam: quoniam in æternum misericordia eius. Notandum obiter, quod tam supra sæpius in Psalterio, quàm in Isaia, præcipuè capite 42. à versu 6. per cælos ad literam exprimantur Apostoli. Pergit ergo S. Dauid in mirabilibus magnis recensendis; & quod cum priori opere iam dicto est connexum, ait quod ipse est, E F

V. 6. Qui firmauit terram super aquas:

Similiter hìc; non solum de materiali globo terræ loquor, quem constat in prima sui

A ſui Creatione aquis tectum fuiſſe, ijsque ſubiectum; & quem etiam modò videmus, licet ex aquis extractum ſeu eductum, & ijs eminentiorem plurimis locis redditum, non tamen ſuper ipſas aquas poſitum tanquam ſi ipſæ eius fundamentum eſſent; hoc enim non ita ſe habere, experientia patet; ſed aio, (quod ſupra Pſalmo 23. iam dixi, & quod repetij Pſal. 92. item Pſal. 103. & aliàs, vt patebit etiam in Iſaia ſæpiſſimè) Dominum in eo feciſſe mirabilia magna, quod Eccleſiam ſuam tanquam terram ſuper maria, flumina, & aquas Populorum, & Nationum Gentium fundauerit; atque ita firmauerit, vt eius ſtabilitas ſuper eaſ-
B dem ſit perpetuò permanſura, nunquam inde commouenda; *firmauit orbem terræ, qui non commouebitur*. Pſal. 92. 1. quoniam in æternum miſericordia eius. Atque ſicuti in hac Vniuerſi machina, ita etiam in Eccleſia ſua, ipſe eſt,

V. 7. Qui fecit luminaria magna: quibus ipſa ſit conſpicua, & ad omnium ſtuporem exorna-
C tur, & perpetuò ijs fulgebit; quoniam in æternum miſericordia eius. Perpetuò, inquam, & in omni rerum ſtatu ijs fulgebit, nam ſicuti hæc Mundi machina materialem, ita illa ſuum myſticum habet

V. 8. Solem; per quem intellige, vt aliàs dictum, maximè Eccleſiaſtici cap. 43. Dominum Ieſum veram lucem; in poteſtatem diei; cum quo timeri non poſſunt tenebræ; neque in eo ſunt vllæ; vt non ſunt Sole Mundum
D illuminante; hic autem Sol noſter perpetuò Eccleſiam ſuam illuminabit; quoniam in æternum miſericordia eius. Neque huic myſtico Eccleſiæ Mundo timenda eſt nox, quia ſicut ipſe Mundus ita hæc habet, & eſt ipſa Eccleſia huic Mundo ad inſtar Lunæ: iuxta, & ſecundùm dicta Pſal. 93. & Pſal. 103. v. 19. & alijs.

V. 9. Lunam, & ſtellas in poteſtatem no-
E ctis: Beatiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam, SS. Apoſtolos, Martyres, Virgines, Confeſſores, aliosque ſanctitate maximè inſignes viros, qui ad inſtar aſtrorum in ea reſplendent; neque vnquam deerunt in ea, qui luceant, ſicut luminaria in hoc Mundo; quoniam in æternum miſericordia eius. Etiam de hac ſimilitudine ſupra multa ſunt dicta. His Symbolis, de quibus ſparſim ſupra dixerat, hic in vnum collectis, & ad Eccleſiam tranſlatis, ijsque applicatis, alia ſimiliter de quibus ſupra varijs occaſionibus memi-
F nerat, attingit, & ad maiorem Dei laudem in vnum componit; ait ergo Confitemini, &c. nã ipſe eſt, vt paulò ante priori Pſal. dicebã v. 8. & 9. & vt ibi ſunt explicãda.

V. 10. Qui percuſſit Ægyptũ cũ primogenitis eorũ: quoniã in æternũ miſericordia eius.

V. 11. Qui eduxit Israel de medio eorum: A
quoniam in æternum misericordia eius.

V. 12. In manu potenti, & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia eius.

V. 13. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones, B
qui sicuti in eo mari separauit hinc inde aquas, vt Hebræi possent transire; sic in mari Gentilitatis viam electis suis, Israelitis per repromissionem, ad Ecclesiam aperuit; Plura de hoc dicta sunt Psal. 76. 20. quoniam in æternum misericordia eius.

V. 14. Et eduxit Israel per medium eius, C
provt explicatum est; quoniam in ęternum misericordia eius. Illos quidem eduxit; sed eorum hostes, & persecutores, sicut olim Pharaonem, in eodem infidelitatis, & idololatricæ impietatis mari perdidit.

V. 15. Et excussit Pharaonem, & virtutem eius in mari rubro: quoniam in æternum D
misericordia eius; erga nos suos electos, quos, & eduxit de illo mari, &

V. 16. Qui traduxit populum suum per desertum: sicut supra Psal. 67. v. 8. prædicebam; quoniam in æternum misericordia eius. E

V. 17. Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius.

V. 18. Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia eius. F

V. 19. Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius.

A V. 20. Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia eius.

V. 21. Et dedit terram eorum hereditatem: quoniam in æternum misericordia eius.

B V. 22. Hereditatem Israel seruo suo: quoniam in æternum misericordia eius. Explicatio horum versuum constat ex priori Psalmo versu 10. 11. 12. Hæc omnia nobis Fidelibus suis præstitit,

V. 23. Quia in humilitate nostra, cum tam multis persecutionibus, & calamitatibus affligeremur,
C memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia eius. Etiam ex hoc versu paret, Sanctum Dauidem ad literam, vt dictum est, loqui de rebus Christianis; nam tunc, cum carnalis Israel debellauit Sehon, Og, aliosque Reges fortes, florentissimus, & fortissimus erat; neque propriè de eo dici poterat; ***quia in humilitate nostra***, &c. Imò cum ipsi rerum potirentur, neque de ijs quod sequitur verificabatur, sed de Christianis ex persecutionibus ereptis;

D V. 24. Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius. Iam igitur nobis sic redemptis, & in vnam Ecclesiam collectis ex omnibus Mundi nationibus, ipse est modo,

V. 25. Qui dat escam omni carni: supra Psal. 64. v. 3. dixeram; quod in Nouam eius Sion cum hymno ad ipsum ***omnis caro ventura*** esset; ita fa-
E ctum; sic nobis suis Fidelibus in vnum collectis ex omnibus Mundi nationibus, non tam corporali, quàm spirituali Verbi sui, & Sacramentorum pascit esca (videantur dicta Psalmo 103. v. 14. 15. & alijs) nam nos, vt supra Psal. 4. v. 8. dicebam, à ***fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sumus***. & nos Populus pascuæ eius. Ps. 94. 7. dat, inquam, escã nunquam nobis defecturam, quoniam in æternum misericordia eius. Itaque

F V. 26. Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia eius. Iterum, & absque cessione

Confitemini Domino dominorum: quoniam

niam in æternum misericordia eius. Sic persoluto hoc a Dei Seruis, & Ministris Tertio, seu tertij Ordinis *Alleluia*, adhuc superest Quartum *Alleluia*. A

Notanda ad reliquos Psalmos.

INter hanc Tertiam Psalmorum *Alleluiariorum* iam explicatorum seriem, & Quartam, quæ est subsecutura, interponitur Nouenarius Psalmorum Ordo, & Numerus, cum alia pro singulis propria Inscriptione, & Titulo. B Huius interpositionis causam P. Alcazar ait, *non esse, quod illo Nouenario numero excessus aliquis perfectionis Quarti Alleluia supra Tertium denotetur, sicuti per quindecim Gradus inter Secundum, & Tertium Alleluia interpositos fuit significatus; non enim datur aliqua Dei laudatio illustrior, ac præstantior ipso Missæ Sacrificio, & perfecta Euangelij prædicatione, quæ duo ab Ecclesiæ Ministris duobus Psalmis iam explicatis persoluta sunt.*

Atque hæc benè omninò, ac verè. Cæterum dum positiuam huius Nouenarij numeri causam assignat, quod *videlicet hoc pacto denotetur Nouenarius orationum, atque expectationum, ipso persecutionum tempore, quas passa est Ecclesia ante triumphum in Quarto Alleluia figuratum.* Hoc, inquam, ni valdè fallor, dici cum bona rerum consecutione nullo modo potest. C

Nam Ecclesia, non solùm in Quarto, & vltimo *Alleluia* suum Triumphum celebrat, verùm etiam in singulis omninò Psalmis, iam inde ab ipso Psalmi 104. initio, quo Alleluiarij Psalmi inchoati fuere, vt vidimus. Deinde hi omnes interiecti Psalmi Nouem suos quisque proprios Titulos, & sæpe, vt mox patebit, valde diuersos habent, vt ex illis necesse omninò sit colligere, etiam ipsorum Psalmorum Argumentum, & contentum debere esse diuersum, & non tantùm vnam Ecclesiæ orationem, & expectationem, dum in persecutionibus reperiretur. D

Propterea, vniuersim de hoc Nouenario Psalmorum interiecto numero, spectata rerum omnium totius Psalterij bona connexione, quæ inquiritur;

Dicendum est, illo fieri rerum omnium antecedenter dictarum recapitulationem, quæ quidem recapitulatio faciebat mirificè, non solùm ad ostendendum bonam connexionem in prolixa oratione tot, tamque multiplicium Canticorum semper fuisse conseruatam; sed etiam plurimum inseruiebat ad indicandum, & simul terminandum lætitiæ, laudum, iubili, & triumphi Ecclesiæ, & Christi Sponsi eiusdem, exaltationis, & gloriæ incrementum; de quibus ferè semper actum fuit in hac tertia, & vltima Psalmorum Parte. E

Huic similem recapitulationem S. Isaias in connexa pariter, & consequente (vt patebit) sua Prophetia circa eiusdem finem obseruauit.

Quod autem etiam S. Dauid in Concordissimo suo Psalterio eam obseruauerit, Psalmi ipsi Titulis suis, & rebus contentis demonstrant. Nam, vt ad proximum, qui immediatè subsequitur Psalmum veniamus; F

A


PSALMVS CXXXVI.

Super flumina Babylonis, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXVI.

B

Psalmus Dauid, Ieremiæ.



PVlcherrimus hic Psalmus, tam multorum celebratus, qua Encomijs, qua expositionibus, nihil insuper admittere posse videtur, nisi vt inseratur ordinatissimo Psalterij sui Instrumento; vel potius, quia insertus illi iam est, requirit, vt ostendatur, quàm aptè cum toto Psalterio coniunctus sit.

C Hæc omnia Titulus, si benè inspiciatur, magna ex parte ostendit. Contextus verò eiusdem Psalmi, per omnia Titulo, & antecedentibus omnibus correspondens, plenissimè explicat vniuersa. Titulus igitur Psalmi est; *Psalmus Dauid, Ieremiæ.*

§. I.

Supposito, quod sæpiùs dictum est, neminem præter Dauidem fuisse horum Psalmorum compositorem: & quod Ieremias nequaquam abductus Babylonem in captiuitatem fuerit, vt ibidem lugubrem aliqua ex parte Psalmum
D hunc decantaret; neque ipse vllam in Threnis, seu Lamentationibus suis huius Psalmi mentionem fecerit: quid sibi vult illa duorum horum Prophetarum *Dauid, & Ieremiæ* in Titulo Psalmi huius coniunctio? Dubio procul aliquid, & multum omninò eam edocere, indubitatum est. Illud verò spectatis, atque recogitatis hactenus dictis, cum omni sermonis consequentia aliud esse non potest, quàm, quod hic Psalmus, & ad Christum, eiusque Ecclesiam spectet, quod innuitur per; *Psalmus Dauid:* deinde verò addita vox; *Ieremiæ:* ostendit, hoc Psalmo contineri, Threnos aliquos, seu Lamentationes, non Populi Iudai-
E ci, sed Christiani Babylone Romanæ Vrbis in persecutionum angustijs, & calamitatibus detenti.

Has ergo ærumnas suas, & ingentes calamitates Romæ diù perpessas, quia earum iucundissimum erat meminisse, Ecclesia Christi in ipsa sua iam sibi per Christum parta felicitate ad mentem reuocat hoc Psalmo. Et dum tam hoc, quàm reliquis subsequentibus Psalmis octo, alternos rerum suarum, nunc prosperarum, nunc maximè aduersantium cursus, veluti alterius considerationibus exponit; omnia summatim, quæ prius toto Psalterio fusiùs exposita fuerant, repetit;
F & tandem faustissimo senario Alleluia omnia concludit.

§. II.

Iam verò nimis fortasse asperum cuipiam videbitur dicere; Sanctum Dauidem ad literam respexisse, atque intellexisse non veram Babylonem, sed mysticam Romam Ethnicam, apud quam Christi Ecclesia diù pressa persecutionibus commorabatur; quandoquidem ipse S. Propheta tam claris vtitur terminis, vt ferè videa-

tur, neminem posse nisi veram Babylonem intelligere; dum *Flumina Babylonis*; dum *salices*; dum *captiuos cò ductos*; dum *Cantica Sion*; dum *Ierusalem* nominat. Verùm his nihil obstantibus certum esse, & ex antecedenter dictis (quæ omnia connexissimè de Ecclesia Christi sunt dicta) & ex ijs ipsis, quæ hoc Psalmo dicuntur verissimum esse colligitur; Sanctum Prophetam Dauidem, vt summum, indicasse quidem Populi Iudaici captiuitatem aliquando Babylone futuram; attamen cum eius intentum in hoc suo Libro Psalmorum esset de Christo, rebusque ad eum, eiusque Ecclesiam pertinentibus scribere, vt initio notatum fuit, indubitatè infertur; ipsum hoc Psalmo vti solùm voluisse illa figura Babylonicæ Iudæorum captiuitatis ad ostendendam, & describendam primaria sua intentione Christi Ecclesiam, Romæ oppressam. A B

§. III.

Nam, præterquam quod nulla connexio Psalterij patiatur, vt hoc loco ita ex abrupto, & ex professo tractetur de Babylonica captiuitate, ipse S. Dauid, quod de ea ad literam loqui hìc non velit, se se declarat versu 8. & 9. dum ait; *Filia Babylonis misera*, &c. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram*. An innocentium cædes persuasisse dicemus Sanctissimum, & mansuetissimum Prophetam? & quidem ab ipsis captiuis patrandas? Nemo vtique, ne ex ipsis quidem Iudæis, sibi quid simile ipsum voluisse, in animum induxit; quod ipsum maximo indicio est; ipsosmet etiam perspexisse, quod aliquid aliud, etiam per priores Psalmi versus, vellet significare, Prophetico planè more, qui præsentia, & Iudaica tangunt, futura verò, & Christiana significant. Præter hæc alijs adhuc stabilienda est proposita sententia argumentis. C

§. IV.

Inter quæ hoc vnum est; quod qui volunt S. Dauidem hoc Psalmo prophetico Spiritu tanto ante præuidisse, & prædixisse illam carnalis Israelitici, seu Iudaici Populi captiuitatem, admittere etiam necessariò, & longè potiori iure debent, cum minimè ignorasse illam multò amplius maiorem, diuturniorem, & diuinæ gratiæ liberalitatis, & benignitatis signis erga Populum Christianum longè illustriorem, quam astruimus captiuitatem, siue in Persecutionum ærumnis detentionem eiusdem Populi, seu Ecclesiæ Christi Babylone Romanæ Vrbis Ethnicæ, atque hanc potissimùm describere intendisse, cùm hæc sola Dominum Iesum Christum suum (quem celebrare, & exaltare Psalmis suis percupiebat) quàm proximè attingeret. Imò præter iam citata ex hoc Psalmo verba, sunt præterea multa alia, quæ non Iudaicæ captiuitati, sed Christianæ solùm, Babylone Romanæ Vrbis detentæ conueniunt. D E

Ipso statim initio versu primo non apparet; quonam pacto *Super flumina Babylonis sederint, & fleuerint* captiui carnales Israelitæ, siue ipse Populus Iudaicus; cum Babylon non habuerit nisi Euphratem fluuium, non multis riuis, ita vt *flumina*, dici possent; sed vno tantum alueo per eius medium decurrentem.

§. V. F

Deinde quomodo *super flumina sederunt?* licet *super* interdum significet *iuxta*; nihilominus tamen, dum nihil vetat, in propria significatione accipi debet hæc præpositio, maximè cum sit in figurata, & Symbolica constructione, qualiter accepta fuit Psalmo 23. v. 2. *quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum*. est enim etiam hìc similis phrasis, & cum illo loco concordat

San-

A Sanctus Psaltes. Tertio. Cum de medio Ciuitatis Babylonicæ expressa fiat mentio versu 2. *In salicibus in medio eius*; non apparet, quonam modo in medio, licet amplæ Ciuitatis, mœnibus tamen, & turribus cinctæ, tanta fuerit salicum multitudo, quæ tantæ captiuorum multitudini capiendæ sufficiens fuerit. Atque esto etiam illa non defuisset; quis tamen credat, eam captiuis fuisse assignatam, vel assignandam? Certum potius est, vt Polychronius Catena in Ezechielem notauit, ipsis secus Euphratem, siue Chobar, non procul ab Vrbe Babylonis, domicilium assignatum fuisse; Babylonij enim non admiscebantur Iudæis; sed B velut mancipia eos auersabantur; fuisseque illis iniunctum (Pradus noster, assentiente etiam P. Lorino, non temere suspicatur) hortos regios ad fluminis ripas consitos excolere, aut muros, aliasque Vrbis munitiones extruere. Leguntur quoque 4. Regum cap. 18. Israelitæ, collocati à Salmanasar in Hala, & Habor fluuius Gozan, in Ciuitatibus Medorum. Quis igitur dubitet, Sanctum Dauidem, dum de captiuis *in medio eius*, qui *& in salicibus suspendissent organa sua*, loquitur, verè, & propriè longè alios captiuos, & longè diuersam ab illa captiuitatem intellexisse?

C §. VI.

Quarto. Quod si, vt vidimus, captiui illi Hebræi, & extra Vrbem amandati erant, & vt mancipia illis laboribus subeundis destinabantur; tunc Caietani sententia (licet eam P. Gaspar Sanctius Noster in expositione supra hunc Psalmum, non admittat) quàm optimis, & solidissimis niti deprehenditur fundamentis; dum vult, Iudæos cum capti abducerentur è patria, non tulisse secum *organa*, quæ ex arborum ramis *suspendere* potuerint; atque ideò non tam propriè, quàm figuratè hæc esse accipienda; nam vrgente hoste inhumano, ac barbaro, priuatisque D domibus simul cum templo, aut dirutis, aut exustis, neque otium erat, neque facultas (putarim etiam voluntatem defuisse) ferendi secum organa.

Ex quo planè colligitur, Sanctum Dauidem aliquid aliud, & non illa materialia organa indicare, & tangere voluisse, dum dixit; *In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra*. Neque credendum videtur, quod Arias Montanus refert; Leuitas, qui sacra illa instrumenta tractabant, quò sibi ea pulsandi, aut tractandi facultatem eriperent, pollices sibi dentibus præcidisse, & tunc respondisse Babylonijs; *Quomodo cantabimus?* Nam præterquam quod nimia hæc Religio E extitisset; an non ad cantandum etiam præcisis pollicibus compelli potuissent?

§. VII.

Itaque dicendum est cum S. Hilario, quem ad propositum huius Argumenti refert P. Lorinus (licet ipse dicat, quod in Argumento literali omnes conueniant Græci, Latinique, non tantùm Hæbrei, contineri hìc lamentationem captiuorum in Babylone, & patriæ desiderium, &c.) dicendum, inquam, cum eo, qui antiquissimus est ex Interpretibus Patribus, solusque ad faciendam Fidem sufficeret, suppositis prædictis fundamentis; *in præsenti Psalmo omnem virtutem, & ra-* F *tionem verborum, non tam corporalem captiuitatem tractare, quàm spiritualem; quoniam, & in querelis, & in locis, & in rebus, & in omnibus momenta sunt, vt spiritualem potius captiuitatem hac lamentabilis Propheta querela significet.*

§. VIII.

Dum autem Psalmus hic dicitur continere spiritualem captiuitatem, non intelligitur illa mentium nostrarum sub seruitute corporum, vel sæculi Dominatu,

vel Dæmonum per varia vitiorum incentiua in nobis regnantium tyrannide, captiuitas, nisi mysticè, & moraliter; sed literaliter, & ex primariò S. Dauidis intento exprimitur illa captiuitas, seu veræ, maximæque captiuitatis species, Christi Ecclesiæ apud Gentes, & potissimùm in ipsa Vrbe Roma (quæ à Diuo Petro 1 suæ Epistolæ cap.5.v.13.vocatur Babylon) maximis calamitatibus diuexatæ. A

Pro hac autem acceptione, & explicatione illa vel maximè faciunt, quæ supra Psal.23. dicta. Item illa omnia, quæ in Isaiæ cap.11. ad v.15. Item quæ eiusdem Prophetæ cap.18. dicentur. Item quæ in Ieremiæ capp.50. & 51. His omnibus suppositis, Psalmi huius 136. connexio cum præcedentibus est talis. Christi Iesu Domini Nostri Fideles, eiusque Ecclesia, vt subinde, etiam supra in Psalmis Gradualibus, & aliàs vidimus, in ipsa sua iam sibi per Christum parta felicitate, & lætitia, ad mentem reuocant ærumnas suas, & ingentes calamitates Romæ exantlatas, siquidem iucundum omninò est rebus lætis, & prosperis tristium, & aduersarum meminisse. B

Atque ita S.Dauid tam in hoc Psalmo, quàm in reliquis subsequentibus octo, alternos rerum Ecclesiæ Christi nunc prosperarum, nunc aduersantium cursus, veluti alternis considerationibus (imò & Canticis) exponit. Atq; sic ordinatissimè omnia summatim, quæ prius toto Psalterio fusiùs exposita, & decantata fuerant, repetit, & tandem faustissimo senario *Alleluia*, quartùm iterato, omnia concludit. C

His notatis; quandoquidem priori Psalmo Dei serui, & Ecclesiæ Ministri ad *Confitendum Domino* se ipsos adhortati fuerant, cæterosque omnes Christi Fideles inuitauerant, eò quod nunc sanè liceret laudare, & lætissimis vocibus deprædicare, atque extollere *Dominum Dominorum*, *quoniam in æternum misericordia eius* super nos, suamque Ecclesiam, quam iam pace, tranquillitate, & libertate publicè diuini cultus proponendi, & exercēdi donauit; erat aliquando tēpus, quo, D

PSALMVS CXXXVI.

V. 1. Super flumina Babylonis, delati, seu Profecti Romā, quæ erat Gentium omnium, & totius Idololatriæ Arx, & Metropolis, & in qua omnium scelerum, & concupiscentiarum *flumina* pleno alueo, & præcipiti cursu ferebantur; (eo autem proficisci necesse omninò erat ad fundandam ibidem Ecclesiā) illic sedimus, ibidem, & *super eius flumina*; illis eminentiores effecti; & vt eorum cursu nimimè raperemur, constitimus, sedemque fiximus; *sedimus*, inquam, *super flumina illa Babylonis*, *non concurrentibus nobis* Fidelibus Christi *in eandem luxuriæ confusionem*, 1. Petri 4. v.4. qua deuoluebantur, & volutabantur Gentes, quod ipsam erat *super flumina sedere*. *illic* verò non solum *sedimus*, sed etiam aduersis, & persecutionibus immanissimis, & maximè diuturnis exagitati, & fleuimus: in diuturno illarum persecutionum luctu, cum recordaremur Sion: futuræ aliquando pacis, tranquillitatis, & felicitatis, atq; splendoris nouæ nostræ Sionis Christi Ecclesiæ; illam eiusdem pacem, & tranquillitatem totis præcordijs exoptantes. Interim verò, dum illam nobis Dominus exhiberet; E F

V.2.

A V. 2. In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra. Sic, vt dixi, locata sede, fixaque statione in ea Vrbe, in qua Behemoth ille infernalis, qui vt Iob cap. 40. v. 16. & 17. ait, *Sub vmbra dormit, in secreto calami, & in locis humentibus; protegunt vmbræ vmbram eius, circumdabunt eum salices torrentis*; per quæ carnalium voluptatum, luxus, & libidinis incentiua (iuxta D. Greg. in hunc locum intellige) quæ maximè in illa Vrbe abundabant. Ibidem, inquam, eiusmodi *in*
B *salicibus in medio eius*, Babylonis Romanæ, *suspendimus organa nostra*. quàm diutissimè fuit dilata lætitia nostra, quam reddita pace Ecclesiæ eramus habituri. Ex hoc autem tam diuturno luctu, quem sibi inuicem succedentes acerbissimæ Imperatorum Romanorum persecutiones causabant, ansam arripiebant Gentiles nobis Christianis insultandi, maximè Romæ, vbi prædictæ persecutiones magis sæuiebant;

V. 3. Quia illic interrogauerunt nos, sic insultãtes, nosq.
C adeò afflictos, & miserabiles despectui habentes Gentiles, cæterique Idolorum cultores, ex his nostris afflictionibus, & miserijs malè opinantes Fidem nostram, & Religionem vanã esse; illi, inquam, qui etiã propterea, captiuos duxerunt nos, denunciantes nos Præsidibus, & ad eos trahentes, dum Christianum aliquem deprehendebant; vt dixi, *interrogauerunt nos* verba cantionum: exprobrantes illam vitam nostram afflictam, & quæcunque ad Sacram nostram Religionem spectabant, vt Psalmodiæ Sacri Cantus
D Sacrificia, &c. nobisque propterea insultabant. Similiter,

Et qui abduxerunt nos; in exilium nos ex Vrbe mittentes, proscribentes, igne, & aqua interdicentes (scimus tempore Claudij Vrbe pulsos cum Iudæis Christianos omnes; Sanctum Clementem à Traiano Imp. relegatum trans mare Ponticum, in solitudinem Vrbis Chersonæ; Sanctum Cornelium à Gallo, & Volusiano in exilium missum ad Centum cellas; aliasque eiusmodi Christianorum, tam ex Vrbe Romana, quàm ex alijs eiectiones) omnium ergo, qui sic *abduxerunt nos* idem
E omninò sensus, & opinio fuit; vt ex nostris tam multiplicibus, tamque continuatis calamitatibus Fidem, Spemque nostram vanam esse arbitrarentur, & mœstissimis nobis insultarent, atque illuderent, tanquam si omnis lætitiæ aliquando in Ecclesia subsecuturæ spes esset occisa. Itaque sarcastico quodam risu nobis afflictis dicebãt; Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Equidem, ò Deus, vt supra Psalmo 64. v. 1. dicebam, omninò, *Te decet hymnus in Sion, & ibi reddetur votum in Ierusalem*; verùm pro eo persecutionum tempore
F nostrarum calamitatum, & afflictionum irrisoribus, exprobratoribus, atque insultatoribus id solum respondere poteramus;

V. 4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? necdum aduenisse nobis tempus expectatæ lætitiæ: non posse nos in terra alie-

aliena, & needum Christi Fidei subiugata cantare canticum Domini. Neque tamen propter vllam persecutionum acerbitatem, & diuturnitatem vnquam à spe excidimus; fore vt, pro Ecclesiæ pace, & tranquillitate promissa, rerum status in melius commutaretur. Et verò etiam, quis tot innixus Domini pro sua Ecclesia promissionibus hac spe excidere potuisset? Vna proborum omnium eius Fidelium, & Filiorum hæc vox erat; A.

V. 5. Si oblitus fuero tui Ierusalem: S. Christi Ecclesia, quamuis acerbis adeò modis diuexeris, priusquam tamen, & potius quam tui obliuiscar, & te deseram, obliuioni detur dextera mea, contingat me, mei ipsius obliuisci, meque ipsum me deserere. B

V. 6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: quæcunque tandem in te procella deseuiat: quicunque contra te aduersus exoriantur casus; nunquam tales, tantique erunt, vt propterea ego desinam de te loqui, & tuam futuram felicitatem alijs proponere, eosque ad eam expectandam adhortari: quod si non fecero; &, C

Si non proposuero Ierusalem, in principio lætitiæ meæ. Si de alia vlla re magis lętatus fuero, quàm de te, ò S. Christi Ecclesia nostra dilecta Ierusalem, deque promissa tibi à cælesti tuo Sponso pace, tranquillitate, & felicitate; sic, inquam, vlla in re magis lætatus fuero, eamque maioribus laudibus celebrauero, tunc mihi ipsi eam pœnam, quam dixi, irrogari cupio, vt scilicet; *Adhæreat lingua mea faucibus meis*. D

Hic, vt dicebam, erat sensus, hæc opinio, vox, & certa, atque statuta sententia omnium proborum Christi Fidelium, dum Ecclesia persecutionum tempestatibus vndique concuteretur, & insuper Gentilium probris, & illusionibus diuexaretur. Quod autem ad hos illudentes Gentiles, & Christiani nostri nominis hostes attinet; illi quidem, cum ignorantia, & mentis cæcitate laborarent, non iam stomachum, & indignationem, sed pientissimam in nobis commiserationem commouebant; ita vt instantissimis à Deo precibus eorum conuersionem efflagitaremus. Et sanè (quod D. Aug. in Psal. 54.) *Vtinam qui nos modò exercent, conuertantur, & nobiscum exerceantur:* aut saltem si illis modò exercitatio, & Crux nostra est offendiculo; saltem E

V. 7. Memor esto Domine filiorum Edom, eorundem Gentilium, & hostium nostrorum (hi enim per Edom significantur, siue per Moab, & Idumæos, vt supra sæpe, atque etiam in Isaia) memor, inquam, esto eorum, vt Fidei, & veritatis tuæ lumine illustrati ad te conuertantur, si non ante, dum persecutiones durauerint; saltem in die Ierusalem, qua Ecclesia tua pacem, tranquillitatem, & felicitatem illis terminatis obtinebit. (Aliquando quidem, Ly *in die* calamitatem indicat; hoc autem loco ex sacri textus consequentia, & ipsiusmet Christi Domi- F

A Domini phrasi consimili, Lucæ c. 19. v. 42. *in hac die tua, quæ ad pacem tibi*; ad pacem, & felicitatem significandam ponitur: concordat hic cum eo, quod supra Psalmo 121. v. 6. dictum fuit; *Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem)* saltem tunc Ecclesia tua sancta Ierusalem in sua pace constituta, *Memor esto Domini filiorum Edom*, qui modò nos implacabili odio insectantur;

Qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. qui Ecclesiam tuam, tuosque omnes Fideles penitus excindere, & exterminare satagunt.
B Alibi adnotatum est, & Annales Ecclesiastici meminerunt; Populum Romanum insanis vocibus vicies quater iteratis à Diocletiano petijsse; *Christiani tollantur, Auguste*. Verùm nihil effecit tantus eorum furor, irritus cecidit omnis eorum conatus, & vis violentissima; non equidem Christi Ecclesia, aut Christiani, licet acerbissimis persecutionum afflictionibus, & mortibus subditi; non, inquam, illi, siue nos infelices, & miseri; sed potius tu

C V. 8. Filia Babylonis (quicunque Romanæ Vrbis, & Idololatricæ impietatis, ciuis) misera es, & infelix. Proinde ad te liberandam ab ingenti miseria, & infelicitate tua, in qua degis, & quam non vides; beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. talem de te vindictam sumemus, qualem Deus, ac Dominus noster de hostibus nostris nos sumere præcepit, eos scilicet diligendo, ipsisque benefaciendo;
D atque ita Christianus quilibet erit *beatus, qui retribuet tibi*, &c. qui, sicut per te in captiuitatem trahebatur, & ad mortem quærebatur; ita conabitur te ad eandem suam Sanctam Fidem perducere, in qua Christi seruus captiuus, & testis, seu martyr fias, vera libertate, & summa felicitate donandus. Et certè à Domino Christo Nostro Deo lata lex est. Apocalypsis cap. 13. v. 10. *Qui in captiuitatem duxerit; in captiuitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. quæ quidem lex, licet vniuersim ad omnes homines extendatur; tamen hoc loco propriè posita est, ad ostendendam illam retributionem, quæ contingebat
E in Christianorum persecutoribus, qui pro ea Fide, ad eam conuersi, capiebantur, & moriebantur, cuius cultores prius ipsi capiebant, & occidebant; nam vt ipse D. Ioannes se ipsum quid velit explicat, ait, quod *Hic est patientia, & Fides Sanctorum*.

Hæc intelligenda sunt de misericordissima vindicta, quam Deus, cuius natura bonitas, cuius opus misericordia, exercet. Atque ita eum imitantes Christiani, eorum quilibet erit, & adlaborabit, vt sit,

F V. 9. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram; adducendo ad Christum, qui petra est, tuos filios, seu incolas Idololatras, omni eorum infidelitate, impietate, & iniquitate confracta. Cum Sanctus Isaias ad hunc Psalmum, & versum alludat capite 13. v. 16. videnda ibi. Similiter cum pariter S. Ioannes Apocalypsis cap. 18. v. 6. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis*, &c.

ad

ad hos duos poſtremos verſus huius Pſalmi reſpiciat; cumque per omnia hi diuerſarum ſcripturarum ſacri textus in explicatione hic tradita conueniant, de eius veritate ambigi nullo modo poteſt: præſertim cum non ſolum cohæreat cum antecedenter dictis; verùm etiam quamoptimè connectatur cum mox ſequentibus, & nominatim cum ſibi annexo Pſalmo ſequente. A

PSALMVS CXXXVII. B

Confitebor tibi, &c.

Titulus, ſeu Argumentum Pſalmi CXXXVII.

Ipſi Dauid.

§. I. C



X hac connexione iuxta hanc meam ſententiam colligi, atque inferri poteſt; Pſalmo hoc minimè contineri gratiarum actionem eorum, qui de Babylonica ſeruitute reuerſi fuerant; quod Græci volunt, & aliqui ex Latinis: neque hic Sanctum Dauidem agere de rebus ſuis, & gratias referre pro liberatione ab Abſalon, & Siba. Ratio eſt, quia hæc connexa, & conſequentia non ſunt; neque rebus hiſce, aut conſtructo Templo (de cuius conſtructione tradi hic vult Caietanus) conueniunt ea, quæ hoc Pſalmo tam magnificè dicuntur, vt ſcil. D *Confiteantur Domino omnes Reges Terræ, quia audierunt omnia verba oris tui, & cantent in vijs Domini*, &c.

§. II.

Præ reliquis Expoſitoribus propiùs acceſſit Valentia, dum vult ea, quæ hoc Pſalmo dicuntur referri (non tamen myſticè, vt eum citat P.Lorinus, ſed verè literaliter, & ad intentum S.Dauidis, quod vel antecedenter dicta comprobant) ad liberationem de captiuitate ſpirituali, & præterea de externa ſub tyrannis, & gratias agi pro Conuerſione Regum terræ ad Chriſtum; & quod multi perſecutores Eccleſiæ puniti fuerint. E Hæc omnia cum illa limitatione, & paucis inſuper additis adæquatum faciunt Pſalmo huic Argumentum, atque ita omninò dicendum eſt; quod cum his Pſalmis dictorum, & præmiſſorum omnium in Pſalterij decurſu recapitulatio fiat; cumque priori Pſalmo perſecutionum Romæ toleratarum perſtricta fuerit acerbitas; hoc Pſalmo proximè illum ſequente parta ab Eccleſia de Roma Ethnica victoria cum gratiarum actione Domino eiuſdem largitori commemoretur.

Pulcherrima autem concatenatione Sanctus Dauid cum priori Pſalmo Chriſti Fidelium, & afflictæ eius Eccleſiæ vota, preces, & deſideria pro perſecutorum ſuorum Conuerſione, & ſalute expoſuiſſet, inde principium Pſalmo huic fecit. F

PSAL-

A

PSALMVS CXXXVII.

V. 1. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: tibi liberatori, laudes dicã magnificas in toto corde meo, quoniam audiſti
B verba oris mei. ſæpiùs quidem, & iam proximè prolata verba, & deprecationem pro mea liberatione, & perſequentium hoſtium meorum conuerſione audiſti. Iam tandem ſic per te liberata; ſic in pace, & tranquillitate conſtituta;

In conſpectu Angelorum pſallam tibi. licebit mihi liberè; & (ad quandam ſimilitudinem Sanctorum Angelorum tibi aſſiſtentium) imperturbatè, atque abſque vllo externo ſtrepitu, & timore diuinas tuas lau-
C des decantare. Omninò iam nunc eo pacto, eaque tranquillitate

V. 2. adorabo ad templum ſanctum tuũ, & confitebor nomini tuo. Ingens, immenſaque te laudandi, materia eſt;

Super miſericordia tua, & veritate tua: De promiſſis tuis nobis miſericordiſſimè factis, fideliſſimè adimpletis, laudandus
D planè propterea es, & benedicendus; quoniam, ſic faciẽdo, magnificaſti ſuper omne (quodcunque aliud altum, ſublime, excellens, & magnificum nomen eſſe poteſt ſuper terram) nomen ſanctum tuum. Ex præſenti hoc modo felici ſtatu animaduerto, quantum mihi præteritæ tribulationes, & perſecutiones profuerint; nunquam prorſus illas mihi timendas eſſe, didici ex ijs bonis, quæ expertus ſum (Eccleſiæ nomine loquitur) cum illis coniuncta eſſe; proinde

E V. 3. In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem. virtus in infirmitate perficitur; nunquam niſi per eas ad hanc pacem peruenire potuiſſem: nunquam niſi per eas Fides tua Sancta in omnia regna, terras, & Populos penetraſſet. Itaque iam nunc

F V. 4. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: (nam ſicut promiſſum, prædictumque fuerat tibi eos ſubijciendos) erudiendos, & intellecturos ea, quæ ſalutis æternæ sũt; Pſ. 2. v. 10 iam cõfiteantur, quia audierunt omnia verba oris tui. tibi ſubiecti, Fidem Sanctam tuam receperunt; idcircò *confiteantur*,

Hh V. 5.

V. 5. Et cantent in vijs Domini. iam & ipsi cōstituti, & ambulantes in vijs Domini ipsum laudent, benedicant; & laudum, quas ipsi dicturi sunt, hoc præcipuum sit thema; quoniam magna gloria Domini, Christi Iesu Nostri; cantent; A

V. 6. Quoniam excelsus Dominus. iam est in Ecclesia sua toto orbe dilatata, & factum est, quod prædictum, promissumque fuerat; quod scilicet, *adoraturi* cum essent *omnes Reges terræ, omnes gentes* ipsi *seruituræ*. Psal. 71. v. 11. & quod futurus esset *excelsus præ Regibus terræ*. Psal. 88. v. 28. (ad hos, & eiuscemodi Psalmos respexit, & allusit S. Isaias cap. 60. v. 12.) planè iam quod *Excelsus Dominus* sit, cantādum est à Regibus terræ, & simul dicendū; quod, & humilia respicit, benignis, & auxiliantibus oculis *humilia*; qualia omnia erant in Ecclesia eius, dum persecutionibus vexaretur; & postea; & alta, quæ elata, superba, fastu, arrogantia, & crudelitate plena erant; qualia fuerunt omnia persecutorum Ecclesiæ eius molimina; à longè è solio suo, seu maiestate excelsa (P. Emm. Sà) cognoscit. scil. vt puniat; Chal. deprimet. Cum talem, tantumque Dominum habeam (pergit Ecclesia, vel S. Dauid Ecclesiæ nomine) experimento comprobaui nullum mihi rerum aduersarum impetum esse pertimescendum; nam experta iam sum, quod, B C

V. 7. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & super iram inimicorum meorum, qui me persequebātur, extendisti manum tuam, impios eorum conatus reprimendo, & è medio tollendo; & saluum me fecit dextera tua. Et prorsus hæc ipsa spes mea, atque fiducia erat; quod D

V. 8. Dominus retribuet pro me (hostibus meis, quæ merentur. P. Emm. Sà) Item certò sciebam; quod mihi promissa mecum permansura sit, Domine misericordia tua in sæculum: Itaque opera manuum tuarum, qui sumus nos ipsi Fideles tui, & hæc tua Ecclesia, ò Deus, ne despicias. Hier. dimittas: Chal. derelinquas; P. Emm. Sà; ne desine fauere; subintellige, vt hactenus semper fauisti. E

Et quia de rebus hisce sermo incidit, sequenti Psalmo sensum meum, quem de illis habeo, magna cum animi mei lætitia exponam. F

PSAL-


A

PSALMVS CXXXVIII.

Domine probasti me, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXVIII.

B *In finem, Psalmus Dauid.*



Salmus hic, vt paulò ante est dictum, res varias, de quibus supra fusiùs varijs Psalmis tractatum fuit, compendio restringit. Proinde non Adam hìc loquitur, vt vult Rabbi Kimhi, quem meritò refellit Iacobus de Valentia; sed quod vult Beda, & consequentissimum cum dictis est, per totum Psalmum de Ecclesia est sermo, & illa loquens inducitur. propter quod etiam, *In finem*, inscriptus est Psalmus; quia scilicet, licet in illo agatur de Dei Prouidentia, Sapientia, Immensitate, &c. non tamen in illis sistitur; sed illa ad Ecclesiæ successus referuntur. Dici etiam potest, Christum hic tanquam Caput Ecclesiæ, seu vice corporis sui mystici, quod est ipsa Ecclesia, hæc loqui.

C

Initium sermonis ducitur à probationibus, siue à persecutionibus ab ea toleratis. Inde fit progressus ad Dei admirabilem sapientiam, prouidentiam, & protectionem, quam in maximis periculis, & aduersitatibus fuit experta. Hinc ad Apostolorum prædicationem, & fructum ex ea perceptum fit gradus; ad fructum, inquam, de Gentium potius, quam Iudæorum Conuersione, quia hi obstinati in perfidia permanserunt. Nihil mirum, si velamen habenti Rabbi Abenezra grauis valdè, ac difficilis præ omnibus Psalmis iste sit habitus: nobis hoc pacto planus redditur.

D

PSALMVS CXXXVIII.

E **Domine probasti me** varijs, multis ijsque diuturnis afflictionibus, tribulationibus, & persecutionibus; illis scrutatus es (vt Chal. habet) & explorasti virtutem, ac Fidei erga te meæ sinceritatem, integritatem, soliditatem, atque constantiam; idque quod è munere, gratia, atque beneficio tuo erat, deprehendisti, **& cognouisti me;** & vt D. Aug. approbasti.

V. 2. tu cognouisti sessionem meam illam diuturnam in lacrymis, & afflictionibus persecutionum, in quibus, vt supra dictum fuit, Psal. 126. v. 2. *Vanum erat ante lucem surgere*; sed iubebamur *surgere postquam sedissemus*, diutius in illis persistendo; illam ergo *sessionem meam tu cognouisti*, atque etiam, quia te sic disponente fiebat, approbasti; neque illam solùm, verùm etiam **& resurrectionem meam** præsentem, qua per te ad hunc pacatum rerum statum

F

perueni. Nihil tibi, quod circa me, vel de me, vel per me agendum fuerat (te sic disponente, volente, & operante) ignotum, vel fuit, vel esse poterat. Tu Domine A

V. 3. Intellexisti cogitationes meas de lõge: quas te iubente conceperam, de instituenda ad ipsius Romæ Ethnicæ expugnationem expeditione, & ad Gentes profectione, desertis Iudæis; (possunt etiam aliæ; sed hæc explicatio magis in consecutionem venit;) semitam meam, ipsum iter meum, & migrationem ad illas, B & funiculum meum, & obtentam apud illas, primò quidem paruam tanquam funiculum, deinde plenam hereditatem, mansionem, & possessionem (iuxta dicta Psal. 15. ver. 6.) inuestigasti. habes exploratum. P. Emm. Sà.

V. 4. Et omnes vias meas, modos, vias, & media, quę ad illam obtinendam adhibenda erant, præuidisti: quia non est sermo in lingua C mea. Cum vi, & efficacia Diuini tui verbi tantum illud, & tam grande opus Conuersionis Gentium ad Fidem efficiendum esset, probè sciui, *quia non est sermo in lingua mea*, nisi quem tu ad id dares. Proinde, quantum mihi gaudium habuisse, & habere talem Dominum!

V. 5. Ecce Domine tu cognouisti omnia, nouissima, quæ iam recenter facta, & præsentia sunt; & antiqua: quæ à multis iam D sæculis preteriere; tu formasti me (Ecclesia loquitur) admirabili modo condidisti, diuinis tuis Legibus ordinasti, Sacramentis ornasti, Sanctissimo Sacrificio tuo, & Sanctissimi Spiritus tui donis, gratia, scriptura, alijsque tam multis (omnia enim verbũ illud, *formasti*, complectitur) donasti, & ditasti; & posuisti super me, sic per te formatam, & ornatam, manum tuam, protegendo, & protectionem vsque ad consummationem sæculi promittendo. E
Quis admirabile hunc sapientiæ tuæ, quem mecum obseruasti, ordinem satis capiat, & explicet? Prorsus per omnia;

V. 6. Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me: ex his quę mecum egisti, & in me (per Incarnationem, Passionem, Crucem, Mortem, & Resurrectionem tuam, & Sanctissimi tui Spiritus missionem) formanda operatus es; *mirabilis facta est scientia tua ex me*; & in me condenda, & protegenda confortata est, eleuata, Chal. ardua facta, & non potero ad eam F pertingere, seu peruenire, quantumcunque diù, accuratèque de illa percogitem. O magnum meum Dominum, qui attingit à fine vsque in finem fortiter, suauiterque omnia disponit! qui omnia amplissimo Prouidentiæ, Sapientiæ, & Potentiæ suæ sinu complectitur! Et sanè illam ego in me Domini mei Prouidentiæ,

A tiæ, Sapientiæ, & Potentiæ eius immensitatem abundantissimè experta, confidenter dicam;

V. 7. Quo ibo à spiritu tuo? à præsentia tua (vt Chal. habet) quonam me locorum subducam? vbique adfuit; vbique illa mihi aderit; & quo à facie tua fugiam? esto ad exilia quam remotissima amandent; non tamen efficient, vt à diuino tuo conspectu, & protectione separer: quia vbi tu non sis, nullus omninò, & nusB quam eiusmodi locus est. Nam

V. 8. Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Alludit ad prospera, & aduersa, quæ ipsa Ecclesia sustinuerat; & ad illud, quod supra Psalmo 106. v. 26. &c. fuit dictum.

V. 9. Si sumpsero pennas meas diluculo,

C ad proficiscendum quàm velocissimè in remotissimas quasque orbis terrarum partes; & ad illas delata, habitauero in extremis maris. (subintellige non tamen extra tuam præsentiam, & protectionem ero.)

V. 10. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua. Quæ hìc dicuntur ad omnes omninò totius Mundi

D homines extenduntur, sed Christi Fideles, eiusque Ecclesia sibi potissimùm accommodat, & de se dicit, vt etiam quod sequitur;

V. 11. Et dixi: quãdo etiã dixi, cũ essem inter persecutionum angustias constituta; Forsitan tenebræ conculcabunt me: operient ita, vt conculcent; & nõ possim emergere. tunc potius factum, vt & nox illuminatio mea, lux esset coràm me (vt S. Hier.) seu in lucem,

E & illuminationem mihi ipsæ tenebræ, & ipsa nox conuerterentur; essetque in delicijs meis, mihi quàm iucundissima, & acceptissima. Quod quidem idcircò mihi accidebat, eò quod æquè aduersa omnia, atque prospera, tanquam de pientissima tua manu profecta suscipiebam, & certò sciebam,

V. 12. Quia tenebræ non obscurabuntur

F à te: vbi tu tribulationum, persecutionum, & calamitatum tenebras immiseris, non mittes obscuratas tanquam tenebras, quia tenebræ *non habent tenebras apud te*; sic S. Hierony. & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius perinde est apud te; nox, & dies (Pater Emm. Sà) tenebræ, & lux apud te, æquales (Chald.) P. Lorinus in hunc locum

cum ait; fateor Græcos nonnullos, vt Chrysostomum, Basilium Apollinarium A
exponere, ac per *noctem*, *tenebrasque* velle intelligi tribulationes; has autem per
Dei gratiam conferre lucem consolationis, & in spirituales delicias conuerti: &
apud Deum discrimen nullum esse, vt non possit consolari, perinde cum quis est
in maximis tribulationibus, atque cum versatur in maximis delicijs. S.Gregorius
etiam 5.Moral.cap.1.vel 2. tractans verba Iob cap. 3. v. 20. *Quare data est misero
lux?* tradit eundem sensum; vt quia Sancti viri ita prosperitatem sæculi despi-
cientes calcant; sicut aduersitatem eius calcantes tolerant; per magnam mentis
celsitudinem Mundi sibi, & aduersa, & prospera substernentes, dicant; *sicut te-* B
nebræ eius, ita & lumen eius. pergit S. Dauid. neque verò mirùm, mihi perinde
fuisse tenebras, & lumen aduersa, & prospera à te mihi immissa, eius enim causa
fuit;

V. 13. Quia tu possedisti renes meos: quia, te etiam in
aduersis dulcissimum Patrem, & Creatorem habui, & reueritus sum, qui in-
scrutabili tua scientia, & potentia efficiebas; vt cuncta in vtilitatem, & bonum
meum redundarent (concordat cum hac explicatione S.Chrysost.) tu ipse es, qui C
suscepisti me de vtero matris meæ; qui me iam inde à Natiuitate mea na-
scentem, & teneram protexisti (ipsa primordia sua, quæ vt constat, admodum
parua, & exilia fuerunt, Ecclesia in mentem reducit) quia autem *suscepisti* me;
tam sapienter, tamque fortiter protexisti iam inde ab initio; in hanc magnitudi-
nem prouecta cum sim,

V. 14. Confitebor tibi, vt facio, & laudare te non de-
sistam; sed *confitebor* non sine sa- D
cro quodam me-tu, & tremore; quia me ad hãc amplitudinẽ euehendo tu simul, ò Domine, terribiliter ma-
gnificatus es, deuictis tandem, superatisque cunctis tuis hostibus, ijs-
que debitis pœnis adiudicatis, & plexis tam Iudæis,
quàm Gentilibus, qui honori, gloriæ, & exaltationi tuæ pertinacissimè obsiste-
bãt; prorsus, quod sæpè dixi, sunt mirabilia opera tua, & anima mea
cognoscit nimis, ea considerando, & attentè perpendendo; habet E
in quo proficiat quotidie discendo (P. Emm. Sà)
& euasit sapiens valdè (Chald.) Illa, inquam, *opera tua*, quæ mihi, & mecum
fecisti, siue in me formanda, siue in me propaganda, & dilatanda, sunt omninò
mirabilia, & ad profectum meum, dum ea considero, & agnoscere adlaboro. Ti-
bi autem omnia nota, manifesta, & in aperto sunt;

V. 15. Non est occultatum os meum à te;
sicut in obstupescenda humani corporis fabrica nullum ex tam multis, vel F
minimum officulum est, quod scientiam, & notitiam effugiat tuam; siquidem
omne quodcunque tandem est, illud ipsum est, quod tu ipse fecisti in occulto: ita & in me
quæcunque sunt, tibi nota, & à te facta sunt; & substãtia mea, quæ est ipsis in inferiori-
bus

A bus terræ, tibi pariter nota est. S. Hilarius per hanc Ecclesiæ *substantiam in inferioribus terræ*, intelligit Gentes, quæ factæ sunt heredes, & concorporales, & comparticipes promissionis Dei in Christo. Cassiodorus etiam inferiora terræ interpretatur de Gentibus, quæ sordebant Idololatria (plura videri possunt apud P. Lorinum.) Hanc explicationem conuenientem, & consentaneam, atque omninò consequentem esse, etiam sequentes versus confirmant; nam facta hac humili vniuersi sui status constitutionis, & corporis repræsentatione Diuinæ Maiestati, Ecclesia pergit cum eadem humilitate, fidu-
B cia plena, & ait; omninò vt dixi, *Non est occultatum*, &c. atque sic

V. 16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, illos ipsos, qui mihi mystico Vnigeniti tui Corpori incorporantur, qui dici possunt *Imperfectum meum*; qui tamen, & in libro tuo omnes scribentur: etiam ipsi de illo misero Idololatriæ statu, & sordibus ad me venientes mundati, *scribentur in libro tuo*, tuis Fidelibus accensebuntur. Vide dicta
C Psalmo 86. v. 6. Suscipiendis per singulas hominum ætates, & Mundi sæcula, tam multis filijs, qui serui, & electi tui fiant à te Domino, cui omnia præsentia sunt; dies formabuntur, tot, & quāti sapientia tua sola nouit; & nemo in eis; & nullus dies deerit ex ijs, quos cuique præscripsisti (P. Emm. Sà) sed neque dies hominibus vocandis, & conuertendis deerunt; neque homines diebus; fluent, fientque omnia infallibiliter iuxta æternæ tuæ sapientiæ, & dispositionis decretum. Hos mihi à te destinatos filios, ex Gentibus conuertendos, & Fidem San-
D ctā tuā suscepturos vocabā *imperfectum meum, & substantiam in inferioribus terræ*;

V. 17. Mihi autem, dum autem considero (vt 2. Petri 1. v. 3. & 4.) *quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatem donata sunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute, per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ:* dum, inquam, hæc considero, dicere etiam grato, & confidenti animo possum vniuersim de omnibus tuis Fidelibus; quod esto fuerint aliquan-
E do tenebræ; *Mihi autem* à te traditi; nimis honorificati sunt amici tui Deus; quod si omnes (S. Hilarius; *amicos*; interpretatur ad Euangelium pertinentes, de quibus Christus Ioā. 15. v. 14. *iam non dicam vos seruos, sed amicos*) quantò amplius honorificati sunt illi, quos præ reliquis amicos tuos fecisti, Sancti tui Apostoli? (S. Aug. Prosper, Cassiodorus, Latini passim reliqui de Apostolis explicant, & sequens etiam pars versus de illis præcipuè esse sermonem confirmat) de illis loquendo plena voce dicendum
F est, quod nimis confortatus est principatus eorū. effectum planè, quod supra dixeram Psal. 46. v. 10. *Principes Populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.*

Quod si quis quærat, & quonam pacto *confortatus sit principatus eorum?* Respondeo; quod quandoquidem Principum gloria ex multitudine potissimùm Populorum illis subiectorum deprehenditur, ad multitudinem eorum qui per il-

los conuersi sunt, attendat oportet, qui ipsorum Principum sublimitatem intelligere desiderat: ea porrò tanta, tamque magna est, vt si dixero A

V. 18. Dinumerabo eos, & (subintellige, ipsi) super arenam multiplicabuntur: neque tamen etiam posito hoc numero maximo, propterea cessabunt successiuè fieri conuersiones aliorum, & aliorum; postquam ego ad tranquillum, & pacatum statum, te adiuuante exurrexi, & verum semper erit dicere, & adhuc sum B tecum. Verùm, quod planè luctuosissimum est, ex hoc tam magno numero conuertendorum eximendi sunt illi, quos iam sæpius peculiari ratione dixi nominari peccatores, & viros sanguinum, & sunt infelices Iudæi, obstinati Gentiles, & Hæretici: eiusmodi

V. 19. Si occideris Deus peccatores, si quando de ijs vindictam sumere decreueris, ò Deus, viri sanguinum declinate à me. fiat, obsecro, vt à vobis separer, ne vestris pœnis, & supplicijs inuoluar. Id quod, ipso C Domino auxiliante fiet omninò, contra quàm vos ipsi opinemini, & velletis:

V. 20. Quia, vt viri sanguinũ estis, dicitis in cogitatione, vobiscum ipsi statuitis de nobis dicendo, quod mei Fideles, & in Christum credentes accipient in vanitate, frustra, & in vanum; ciuitates tuas: quas tu Domine daturus es ipsis terras, possessiones, & hereditates; eò quòd eas D sitis eis erepturi: id, inquam, non permittet Dominus. Quid verò causæ fuit, tam implacabilis eorum in me, meosque odij?

V. 21. Nonne, qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam? Nonne probos charitatis visceribus complectebar? peccatores, & Diuinæ tuæ Legis transgressores redarguebam? propter malos molestia afficiebar, atque zelo, & sancta indignatione replebar? E

V. 22. Perfecto odio oderam illos (odiendo eorum peccata, & diligendo naturam; S. Aug.) & inimici facti sunt mihi; quod nunquã debuissent. Sed nihil propterea moror; hoc ipsorum odium, & quæ ex illo consequuntur aduersitates, meæ sunt eruditiones: quando tibi Domino, ac Deo meo sic placet,

V. 23. Proba me Deus, & scito cor meum: F interroga me, subijciendo me veluti examini tuo per illas afflictiones; & cognosce semitas meas; easque cognitas approba.

V. 24.

A V. 24. Et (cum tribulationes ad omnem vitiorum rubiginem, & scoriam tollendam inseruiant) per eas, vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna. Circa finem Psalmi huius insinuatas contra Christum, eiusque Ecclesiam persecutiones, S. Dauid prosequitur sequenti Psalmo; incipit, & recapitulat eas, quas à Iudæis Ecclesia passa fuit.

B
PSALMVS CXXXIX.

Eripe me Domine, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXXXIX.

In finem, Psalmus Dauid.

C IDcircò, ne putaretur agere de suis persecutionibus solummodò (prout complures volunt) quas à Saule, Absalone, Ziphæis, Philisteis, &c. est passus, Titulo additum est; *in finem*; quod scil. ad Christum, eiusque Ecclesiam hæc referenda essent. Pro constituendo hoc ipso Psalmi huius Argumento præter connexionem, & rerum consequentiam, illa S. Hilarij valdè bona est ratio; quod nihil in hoc Psalmo propriè dicatur de Dauide, & Saule; & quod contra Dauid prælia tota die Saul non
D constituit, &c. Christus ergo, eiusque Ecclesia diù, duriterque à Iudæis afflicta orat

PSALMVS CXXXIX.

V. 2. Eripe me Domine ab homine malo
E vnum veluti hominem in malitia tenacissimè alligati inuicem Iudæi faciebant. à viro iniquo eripe me.

V. 3. Qui cogitauerūt iniquitates in corde: constat quantis dolis, fraudibus, & technis contra Christum, eiusque Ecclesiā Ierosolymis cōgregatam egerint; tota die constituebant prælia; vt notū est.

F V. 4. Acuerunt linguas suas sicut serpentis, qui acutam linguam habet ad perforandum, & immittendum venenū; propterea venenum aspidum sub labijs eorum. aspidum, quod præsentissimū; & maximè noxium, & mortiferum est.

V. 5. Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me. A

Qui cogitauerũt supplantare gressus meos: meque subuertere;

V. 6. absconderunt superbi laqueum mihi B in meam perniciem, ad quam procurandam etiam

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum, offendiculum, posuerunt mihi. His tam multis malis, & periculis circumdatus, ad Dominum confugiens;

V. 7. Dixi Domino: Deus meus es tu, C exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

V. 8. Domine, Domine virtus salutis meę: tu planè fuisti fortitudo mea mihi salutem afferens, quando obũbrasti super caput meũ in die belli. protexisti (vt S.Hier.) instar clypei. Obsecro D

V. 9. Ne tradas me Domine à desiderio meo frustratum, peccatori; in prædam dominiũ, & potestatem; cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur. E

V. 10. Caput circuitus eorum: illud totum quod, vt me perderent excogitarunt, & quod potissimum, ac maximum fuit eorum opus, erat labor labiorum ipsorum (doli, fraudes, & voces, quibus me ad mortem quærebant) sed hoc ipsum operiet eos; super ipsos recidet. Iustæ vindictæ.

V. 11. Cadent super eos carbones, in ignẽ, F & præsentis vltionis, & futuri gehennæ ignis supplicij, deijcies eos: in miserijs positi tam multis, & magnis non subsistent. Chal. non surgent ad vitam æternam; neque ex illis emergent.

V. 12.

A V. 12. Vir linguosus, qui abutitur lingua, mendax, maledicus, detractor, calumniator, &c. quales fuerunt Iudæi contra Christum, eiusque Ecclesiam; non dirigetur in terra: neque prosperabitur: virum iniustum mala capient in interitu; perniciosa mala, mortalia, & ineuitabilia. Atque ita ex ijs, quæ mihi, atque hostibus, & aduersarijs meis acciderunt, experientia didici, &

B V. 13. Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopis: & vindictam pauperum. Christi, & seruorum eius causam assumet, & tractabit, eosque tutabitur, & defendet. Et quæcunque tandem impij contra illos moliantur;

V. 14. Verumtamen iusti confitebuntur
C nomini tuo: & habitabũt recti cum vultu tuo. læti sub tua tutela, & à malis immunes *confitebuntur nomini tuo*; te laudabunt, vt nos modò.

PSALMVS CXL.

D
Domine clamaui, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXL.

Psalmus Dauid.

PEruentum iam est ad Psalmum hunc centesimum quadragesimum,
E in cuius Expositione, vt P. Lorinus notat, & nos supra cap. 2. §. 6. obseruauimus, conqueritur D. Chrysostomus, *ignorari sensum Psalmi obscuri; nec vim sententiarum eius quæri; sed canentes curare sola verba; thesauro assidentes abscondito; obsignatam crumenam circumferentes; illius obscuritate, ac difficultate non excitatos; puritate, & limpiditate istius, quasi fontis, non allectos; neque ceu floridi prati, & odoriferi amœnitate, ac suauitate prouocatos.* Vel hæc ipsa tam ponderosa tanti huius Patris verba stimulo esse debent ad eruendos, etiam in hoc Psalmo latentes, thesau-
F ros. Via ad eos sic aperitur.

Etiam hoc Psalmo continuatur materia eadem, quæ in priori fuit pertractata, nam de persecutionibus agitur à Iudæis in Christum, eiusque membra suscitatis. Innuitur illa maxima, quando summi eorum Sacerdotes, & Principes tradiderunt eum in damnationem mortis; ex quo vltima eorum calamitas est consecuta. Propiùs autem ad explicationem connexam Psalmi accedendo;

cum proximè explicati Psalmi verbis iam insinuasset; *Caput circuitus eorum* fuisse *laborem labiorum* ipsorum; & illos quidem iusta pœna mulctatos; iustos verò ereptos, & laudaturos Dominum; illa, quæ dixi, S. Dauid Christi, seu Ecclesia eius nomine volens insinuare, à Dei laudibus, & oratione inchoat; A

PSALMVS CXL

Domine clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clamauero ad te. B

V. 2. Dirigatur, grata accedat oratio mea sicut incensum; Chal. suffimentum aromaticum, quod tibi offerri solet; in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum, in oratione mea ad te, sacrificium C vespertinum; est tibi sicut sacrificium, quod vespere offertur. S. Chrysostomus paulò ante citatus testatur, non temerè decretum fuisse à Patribus, vt hic Psalmus diceretur quotidie; quia est, inquit, tanquam salutare aliquod pharmacum, & peccatorum piaculum, vt quæcunque sordes, aut maculæ fuerint à nobis toto die susceptæ, dum vel in foro, vel domi, vel quocunque alio loco versamur, eas cum ad vesperum peruenerimus, per spiritale hoc carmen abstergamus, quia est medicamentum, quod delet hæc D omnia. addendum videtur, quod etiam præseruat ne contrahantur; nam statim sequitur;

V. 3. Pone Domine custodiam ori meo: & ostium circumstantiæ labijs meis. Versus hic, redeundo ad sensum literalem, à quo ad moralem deflexerat per D. Chrysostomi adnotationem, ita explicatur; quod Ecclesia Christi Ierosolymis constituta, post studij orationis instantiam, videns se oppugnari à vaferrimis aduersarijs, quorum præcipui E conatus essent, versutijs, & fraudolentijs agere, postulet à Domino, *poni* suo, suorumque Fidelium *ori custodiam, & ostium circumstantiæ*, & circumspectæ discretionis, & prudentiæ labijs suis, tam ne peruersa illa linguosorum hostium suorum vitia imitentur, quàm ne ab ijs circumueniantur. & pergit;

V. 4. Non declines (idest inclinari ne sinas, prout illi faciunt in suam ipsorum perniciem) cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Auerte, ò Domine, ne vnquam sim F

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non

A & non communicabo; subintellige statuo non velle communicare, aut cõmercium habere, nec quidẽ cum electis eorum, viris primoribus, nobilioribus, principibus; quia scilicet fucis apud eos, & fraudibus omnia sunt plena; cum alijs mihi longè diuersis hominibus conuersatio, cum ijs, qui veritatem amant, & charitatem.

V. 5. Corripiet me iustus in misericordia;
B & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Oleum planè peccatoris fuit id, quod Caiphas, & Principes ad necem inferendam Christo prætendebant vtilitatis, & conseruationis Status Reipublicæ ipsorum, & amissionis gratiæ Cæsareæ ad extorquendum à Pilato condemnationis in mortem Crucis sententiam.

Ad dimouendum eos à tam peruersis studijs constat, quàm multa Dominus
C adhibuerit media, nam verè ipse ait,

Quoniam adhuc, & oratio mea, non solùm quã sæpe pro ipsis fudi; sed etiam vltima illa mea in Concilio ipsorum facta clara protestatio, quod scil. *amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*, Matt. 26. v. 64. facta à me fuit in beneplacitis eorum. vt benè ipsis esset, & ab inchoato desisterent: sed, proh dolor!

D V. 6. absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. ibi se ipsos in ruinam præcipites dederunt *iudices* Iudæorum, qui vel maximè *coniuncti* debuissent esse, vt erant corpore, ita animo *petræ* illi Angulari, Christo Domino, cui se ipsos, & statum illidentes confracti sunt; nam quæ tunc noluerunt audire, paulò post

Audient verba mea vera fuisse, &, quoniã potuerũt
E ea, quæ prædicebant, efficere; seu (vt P. Em. Sà) quod valida fuerunt, seu efficacia experientur suo ipsorummet malo. Nam exinde in vniuerso Populo Iudaico;

V. 7. sicut crassitudo terrę erupta est super terram. maxima cęcitate mentis, & obstinatione cordis percussi sunt, quod supra toties defleui.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum:
F quicquid virium, & roboris in nobis fuit, perditum est; parua tamen ex nobis particula, & veluti semen seruatum est;

V. 8. quia à te Domine, Domine oculi mei: in te speraui, non auferas, non penitus perire sinas ani-

mam

mam meam : quos tanquam animam meam diligo, Iudæos contribu- A
les meos.

V. 9. Cuftodi me à laqueo, quem ftatuerunt mihi : & à fcandalis operantium iniquitatem : vt faltem feruetur hic pufillus tuus grex primitiuæ Ecclefiæ, Ierofolymis congregatæ; provt petebam,ita fiet;


V. 10. Cadent in retiaculo eius peccatores: B
inuoluentur repente calamitatibus obfidionis fuperuenturæ per Romanos; qua tanquam retiaculo concludendi, abfque euafionis fpe, *peccatores* illi, Chrifti mei,meique hoftes. At verò (Ecclefia eius loquitur) fingulariter fum ego; ab impijs illis feparata,manebo,& præftolabor tempus donec tranfeam; ab ijs ad Gentes migrem. Hæc connexa cum fint, neque habeant vl-
lam violentam explicationem textus aliàs valde difficilis intellectu, & explicatu, C
veritatem indicant. Quando autem tefte Lyrano, id quod in Pfalmo difficillimum eft *v.6.* explicare aliquibus licuit de Aarone, & Moyfe, qui dicantur *abforpti*; per peccatum lapfi; *iuncti petra*; iuxta petram, de qua debebant aquam elicere: non eft dubium in data hìc explicatione omnia effe cum omnibus magis confequentia, & connexa,quàm id,quod ibi ponitur vt confideranti patebit; fed ad connexionem, & continuationem explicationis reuertendo, fequitur.

PSALMVS CXLI. D

Voce mea, &c.

Titulus, feu Argumentum Pfalmi CXLI.

Intellectus Dauid E
Cum effet in fpelunca, oratio. (1. Reg.24.)



Didit pro Ecclefia Chrifti inter perfecutionum, quas Ierofolymis patiebatur anguftias pofita, & ad migrandum, quando Diuinæ Prouidentiæ videretur, parata Pfalmum hunc S. Dauid, fiue Ecclefiæ, fiue ipfius pro ea Capitis Chrifti nomine.

Neque aliud illa Tituli appofitio (*Cum effet in fpelunca, oratio*) indicat, quàm ex allufione ad eas preffuras (quas ipfe Dauid à F
Saule redactus inter anguftias fpeluncarum,nunc Engadditanæ,nunc verò Odollamnæ fuerat paffus) eas exprimere, quas Ecclefia Ierofolymis paffura erat, & ad Dominum in ijs oratura; provt dictum fuit in Argumento Pfalmi 62. quæ videri debent. Per has itaque adnotationes, & hiftoriarum, quæ per *fpeluncam* declarantur, infinuationes, nihil aliud nobis fignificare intendit, quàm Chriftum Domi-

A Dominum in se, suaque Ecclesia similes illis passum fuisse angustias, & persecutiones, quibus olim ipse Dauid diuexatus fuerat; ipsumque Sanctum Dauidem hoc Psalmo non tam suas, quàm ipsius Mystici Christi Corporis, scil. Ecclesiæ eius Sanctæ, angustias expressisse, quas Ierosolymis veluti in speluncam quampiã adacta, & vndiq; ab hostibus circumdata patiebatur. In ijs ergo persecutionibus, de quibus in Secunda Psalmorum quinquagena Psalmis 51.52.53.54.55.56.57.58.&c. tam multa dixerat; hìc omnia complectens, ait, quod tunc sic afflicta Ecclesia;

B

PSALMVS CXLI.

V. 2. Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum:

C V. 3. Effundo in cõspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuncio. Id verò facio tunc

V. 4. In deficiẽdo ex me spiritum meum; cum spiritus meus præ afflictione, siue afflictionis, & persecutionis vehementia

D penè deficit, & quasi emoritur; & quando etiam in ipsa prima Ecclesiæ membra Iudæi manũ mittebant, & morte mulctabant Fideles, Diaconos, & Apostolos, &c.

& tu tamen, ò Deus, cognouisti semitas meas iustas esse, & innocentẽ meæ vitæ rationem.

In via hac qua ambulabam; in hoc ipso sancto vitæ Instituto, in quo benè, viuebam,

E absconderunt laqueum mihi; conati sunt me peruertere.

V. 5. Considerabam ad dexteram, & videbam, an scilicet esset, qui mihi omni auxilio humano destitutæ opem ferret; & non erat qui cognosceret me; qui vel posset, aut vellet adiuuare.

F Perijt fuga à me; sic vndique affligebar, vt diffiderem me posse effugere; & nõ est, vllus hominum, qui requirat animam meam, vt ei subueniat. Sed in his tantis, tamque extremis malis, & calamitatibus, quod vnicum supererat;

V. 6. Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es

spes

spes mea, portio mea, hereditas, possessio, & totum bonum meum; in terra viuentium, in hac vita, siue dum in hac vita vixero, te solum habeo; proinde A

V. 7. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis; afflictus, Hier. infirmatus, Chal. pauper factus. Christus, seu Dauid loquitur pro suis membris, seu corpore suo, quod est Ecclesia; B

Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me. Et quia ipsi tam sęuè, & iniquè opprimunt, neque Euangelium tuum, quod per vniuersum Mundum accepi prædicandum, ipsi recipere volunt; obsecro tandem, ò Domine,

V. 8. Educ de custodia, de his Ierosolymæ, & Iudææ angustijs, animam meam, me meosque tuos Fideles, & Filios; ad confitendum nomini tuo inter Gentes, sicut iussisti fieri illis non recipientibus verbum tuum; me expectant iusti, qui à te præordinati sunt ad suscipiendam Fidem, in qua iusti fiant; qui dispersi nunc sunt, & congregari in vnum, & ad me ingredi debent; me, inquam, tam multi expectant, donec retribuas mihi hoc donum, quod promisisti; tam multos Filios, quos, vbi educta fuero, & Euangelium tuum vbique Gentium prædicauero, congregabo. C D

Sed tempus est, vt S. Dauid persecutiones, quas Ecclesia à Iudæis passa est, quasque hìc restrinxit; & simul luctum suum sæpe pro amissione illius sui Populi repetitum iam tandem plenè terminet. Id ipse facit hoc sequenti Psalmo.

PSALMVS CXLII. E

Domine exaudi, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXLII.

Psalmus Dauid;

Quando persequebatur eum Absalon filius eius. (2. Reg. 17.) F

COntinere autem hunc Psalmum illa duo iam dicta puncta, Titulus demonstrat, qui est; *Quando persequebatur eum Absalon filius eius.* quo quidem clarè ostenditur, hunc Psalmum correspondere cum Psalmo tertio, qui pariter inscriptus est; *Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalonis filij sui.* Sicut igitur ibi ostensum fuit, illo Psalmo agi fuisse cæptum de persecutionibus à Iudæis in

A in Christum, eiusque Ecclesiam suscitatis; dictumque fuit ipsum Psalmum, veluti primi Psal. vices sustinere; quandoquidē duo priores Titulo carentes vniuersale Argumentum totius Psalterij proponunt; ita hic Psalmus 142. illi correspondens, pulcherrimo, ordinatissimoque artificio, & eandem materiam complectitur, & in eadem planè vltimus est; neque enim quicquam deinceps de Iudæis in Psalterio agitur; propter quod etiam Psalmus luctu ob eorum interitum interspersus est: & quidni Filium Absalonem defleat Dauid? Itaque Ecclesiæ Christi nomine à Iudæis (qui propterea vt Absalon perituri erant) afflictæ voce ait;

B

PSALMVS CXLII.

Domine exaudi orationem meam: quam pro me fundo; & etiam eam, quam pro his hostibus meis, qui filij sunt, aut certè filij esse deberēt;

C auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua; provt promisisti te fore nobis placatum; & provt iussisti, vt diligeremus inimicos nostros, & oraremus pro calumniantibus, & persequētibus nos; exaudi me in tua iustitia: per tuam misericordiam. P. Emm. Sà. per eam ipsam obsecro, vt,

V. 2. Et non intres in iudicium cum seruo

D tuo, Iudaico hoc Populo, qui tibi seruus est, aut esse deberet; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens; quia nemo est, qui non habeat aliquod peccatum, & tibi collatus, nemo innocens; *viuens* scil. in carne mortalis. S. Aug.

Neque solùm, quia tu misericors es, & omnis viuens natura sua malus, misericordiam merentur; verum etiam

E V. 3. Quia persecutus est inimicus animā meam: illos ipsos aduersarios meos Iudæos, quos ego animam meam appello, quia vt animam meam diligo; illos ipsos, inquam, *persecutus est inimicus*; hostis ipse tartareus ad malum incitauit; quod posteaquam perpetrarūt; humiliauit in terra vitam meam. in terram deijciens conculcauit (vt Chal.) eosdem; scil. qui sunt *vita mea*; suos, tanquam se pro more, & præ amore reputat eorum amatissimus Dauid; & sic illis afflictis, in terram deiectis, & conculcatis;

F Collocauit me in obscuris, Hier. & Chal. in tenebris, scil. calamitatum, sicut mortuos sæculi: tanquam iam dudum mortuos, de quorum vita, salute, & resurrectione nullus sit amplius sermo, seu conclamatum sit; planè Iudæorum calamitatē exprimit. propterea autē

V. 4. & anxiatus est super me spiritus meus eorum commiseratione, quos tanquam me diligo, tanquam si *super me* cecidisset eorum calamitas; *anxiatus est spiritus meus*, & in me turbatum est cor meum. Creuit vehementer meus hic dolor, quando A

V. 5. Memor fui dierum antiquorum, quibus nos protegebas tanquam tuos; & in admirandis quæ nostrum causa fecisti; meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar cum ingenti animi mei iucunditate. Iam verò rebus nostri defluentibus, seu breui defluxuris, & iam penè defluxis; B

V. 6. Expandi manus meas ad te: expandi illas quidem ad te; sed anima mea sicut terra sine aqua tibi se se præsentat; & comparet omni succo deuotionis, & gratiæ destituta, proinde C

V. 7. Velociter exaudi me Domine: ni fiat, defecit spiritus meus. quæso,

Non auertas faciem tuam à me, & similis ero: (alioquin similis ero) descendentibus in lacum, in sepulchrum; quinimò in ipsam gehennam, quò descendunt ij, à quibus faciem tuam auertis. Ne in tantum malum incidamus, D

V. 8. Auditam fac mihi (fac me, eosque omnes, qui mecum sunt, & quamplurimos, qui ad me venient, fac, inquam, nos audire, & experiri) mane, maturè, & tempestiuè, misericordiã tuam: quia in te speraui. ego vnà cum illis; & sic, vel saltem pusillo huic gregi ex hoc Populo Iudaico collecto E

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

V. 9. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi (vt verba Ecclesiæ, Ierosolymis congregatæ, proferuntur) F

V. 10. doce me facere voluntatem tuam,

quia

A quia Deus meus es tu, quem agnoui, & sequar deinceps semper, certus, quod

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; in viam, & per viam rectam ad te ducentem;

V. 11. propter nomen tuum Domine viui-
B ficabis me, in æquitate tua. propter te ipsum, & tua promissa facies, vt ego semper viuam; atque etiam

Educes de tribulatione animam meam:

V. 12. & in misericordia tua disperdes ini-
C micos meos. non optat, sed quod futurum est denunciat.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum. sic Ecclesia Christi erepta, Iudæis perditis, de quibus Psalmo hoc, vt dictum est, omnia concludit; nihil deinceps de ijs dicturus.

Superest, vt etiam, quæ à Gentibus perpessa fuit Ecclesia, compendio aliquo
D complectens omnia, & ipsa simili modo terminet, vt ita ad diù optatam, eamque, pariter in Psalterio postremam Christi Domini, ac Dei Nostri Laudationem, & Exaltationem cum Senario Alleluia perueniat. Primum illud hoc, qui sequitur Psalmo facit.

PSALMVS CXLIII.

E
Benedictus Dominus, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXLIII.

Psalmus David, Aduersus Goliath.

F ID agi, & ostendi hoc Psalmo, persecutiones, quas Ecclesia à Gentibus tolerauit, præter probationem (quæ maxima est) consequentiæ, consecutionis, connexionis, & cohærentiæ, & expositionis totius contextus, quæ cum illo argumento, & non cum alio conuenit, hoc ipsum S. Hilarius sentit, negans posse literaliter de Goliath, Psalmum intelligi; & ipse P. Lorinus, qui ex sententia Euthymij, & Nicephori statuit Psalmi thema esse trophæum illud de illo Gigante reportatum, fateri co-

gitur, quod nonnullam hic Psalmus habeat cum decimo septimo similitudinem, A
in quo gratiæ aguntur Deo, quod eripuisset Dauidem de manu omnium inimicorum, præsertim Saulis. Planè id verum est, hunc Psalmum cum illo 17. concordare; nam, vt ibi probatum fuit, Christi, eiusque Ecclesiæ victorias Psalmus ille summatim comprehendit; atque hic ipse etiam Psalmus easdem denuò compendio restringit sub illo Titulo, *Aduersus Goliath*; qui quidem Titulus, prout passim etiam alij non grammaticè, prout iacet, intelligi, sed symbolicè accipi debet (iuxta dicta initio, & ad Argumentum Psalmi 62. & 64.) quandoquidem
Goliath occiso non fuit *subditus Populus* sub Dauide, vt dicitur v. 2. neque *inclinati cæli*, *neque tacti*, consumptique *montes*, vt v. 5. neque *data salus Regibus*, vt B
v. 10. &c. His ad positi Argumenti confirmationem breuiter adnotatis; David, Noster Christus Iesus, siue ipse S. Dauid pro Domino suo, eiusque Corpore, Ecclesia, comprehendens omnia, quæ perpessa fuerat, & superauerat apud Gentes in prædicanda Christi Fide, Ethnicisque ad eam conuertendis, de felicissimis successibus sibi congratulans, ait,

PSALMVS CXLIII. C

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ab bellum. Ipse in persecutionibus, fuit D

V. 2. Misericordia mea, & refugium meũ; susceptor meus, & liberator meus:

Protector meus, & in ipso speraui: omnia hæc ipse mihi fuit; & ipse pariter est, qui subdit populum meum sub me: eos Fideles, E
qui ex Gentilitatis tenebris ad me venerunt, & per Fidem fiunt *populus meus*, siue sponsi mei Christi, qui eos mihi in cælum abiens consignauit, & tradidit pascendos.

Admirans, & gaudens ad maximum numerum, & multitudinem eorum, qui illuminabantur per Fidei prædicationem, eamque suscipiebant, ait;

V. 3. Domine quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? F

V. 4. Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt. Proinde cum ex se tam vanus sit, & misera-

A ſerabilis, illam tui notitiam, qua ad tam excellentem ſtatum, & dignitatem ipſum ducis non mereretur ille quidem accipere, ſed tamen tu, qui benignus, & miſericors es, provt feciſti, ita perge;

V. 5. Domine inclina cælos tuos, & deſcende: innoteſce quæſo illis per tuos Apoſtolos, & Fidei tuæ prædicatores (videantur dicta Pſalmo 17. v. 10.) tange

B montes, ipſos etiam, qui in Mundo ſunt cæteris nobiliores, potentiores, & ſublimiores; viros, inquam, Principes Fidei, & illuſtrationis tuæ iaculis, tanquam ſagittis, & immiſſis fulminibus *tange*; & fumigabunt, etiam ipſi, ex illo ſuo ſuperbo faſtu deijcientur, humiliabuntur, accendentur, & peccatis, atque Idololatriæ perdentur, conſummentur, & interibunt. Romanorum Principes præcipuè intelligit, & Senatores magno numero ad Chriſti Fidem conuerſos. Quantumvis opus hoc maximè arduum ſit; nihilominus tamen illam, quam dixi, Fidei tuæ, ò Deus,

C V. 6. Fulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos. Ipſi quidem ſummas interpoſituri difficultates, & acerbiſſimas ſuſcitaturi ſunt perſecutiones; ſed tu, Domine,

V. 7. Emitte manum tuam de alto, eripe

D me, & libera me de aquis multis: tribulationum, ſicut feciſti (priora, & ſuperius dicta de perſecutionibus epilogat) manu tua de alto emiſſa, auxilio tuo omnipotente, *eripe me*, &c. eripuiſti, & liberaſti me de manu (de violentia) filiorũ alienorũ, Gentilium in impietate, & perfidia ſua obſtinatorum, & conſequenter *alienorum* à cultu tuo; quos *filios* voco, quia filij eſſe potuiſſent; & quia materno eos affectu proſequebar.

Sic ſupra Pſalmo 17. v. 46. cum Iudæos cum Gentilibus conferret, & iſtos

E vocaſſet; *Populum quem non cognouerat*; qui tamen *ſeruiuit* Domino; illos filios alienos appellabat; *Filij alieni mentiti ſunt mihi*, &c. quia ſcilicet ipſi potiſſimùm filij fuerant, & eſſe debuiſſent. Pari ergo ratione tranſlata ad Gentes Eccleſia, qui ex Gentilibus in eam non ingrediebantur, ſed potius perſequebantur, *filij alieni* erant; & quidem tales,

V. 8. Quorum os locutum eſt vanitatem: vt apud eos in impio, & ſtulto Idolorum cultu omnia vana eſſent, & faſtu, arro-

F gantia, & ſuperbia omnia plena. Romanos Ethnicos potiſſimùm intelligit, qui reliquas omnes Gentes in Idoloſum, & vitæ vanitate ſuperabant, iuxta ſupra ſæpius dicta, neque ſolùm in vanitate primi, & maximi, ſed & dextera eorum dextera iniquitatis; primi, præcipui, & maximi etiam in ſceleribus erant. Quantum, quàmque magnum beneficium, & quàm inſigne, atque ſin-

singulare Dei opus erit (vel fuit) ab eiusmodi liberari; id cum factum fuerit; A

V. 9. Deus canticum nouũ cantabo tibi: (alludit, & epilogat, quæ supra dixerat, & cantauerat Psalmis 94.95.96.97.&c.) in psalterio decachordo psallam tibi; subintellige; in gratiarum actionem. Dicam, & deprædicabo, quia tu es,

V. 10. Qui das salutem regibus: quia post datam mihi victoriam, B
de filijs illis alienis, vanis, & iniquis, quamplurimi Reges S.Fidem amplexi conuertentur, & salutem consequentur. Hoc vnicum, maximumque votum meum est; atque ita rursus obtestor, ò Deus, qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno: vt sicut Dauidi tam insignem illam victoriam contulisti de Goliath, ne ipse inermis *gladio* armati illius Gigantis periret; sed potius ipse suomet cum gladio obtruncaret; ita modò (Ecclesiæ nomine loquitur S.Dauid) C

V. 11. eripe me. (restringit in compendium dicta supra de auxilijs præstitis Ecclesiæ Christi in persecutionibus Romanorum Impp. existenti)

Et erue me de manu filiorum alienorum, de quibus paulò ante dixi; quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis; Ab illis, inquam, tutari D
postulo, qui *filij alieni* sunt, & in vanitate, iniquitate, & impietate persistent: Nam ij Mundi huius vanitati fastui, diuitijs, voluptatibus dediti sunt, vt Christianæ vitæ humilitatem, paupertatem, puritatem, & innocentiam contemptui, horrori, abominationi habeant, & prorsus detestentur.

V. 12. Quorum filij; proinde videre est eorum filios esse tales, sicut subintellige, sunt; nouellæ plantationes in iuuentute sua. E
pulchri, hilares, iucundi, simili modo, imò potiori atque maiori,

Filiæ eorum compositæ: circumornatæ, vt similitudo templi.

V. 13. Promptuaria eorum plena, eructantia. F
Hier. superfundentia. ex hoc in illud; idest varia rerum genera, P. Emm. Sà; vel vt Chal. eructantia quotannis, siue se se propagantia. Similiter

Oues eorum fœtosæ, fœcundæ fœtibus, abundantes

in

A in egressibus suis; dum egrediuntur ad Pascua.

V. 14. boues eorum crassæ.

Non est ruina maceriæ, omnia illis salua, & integra sunt; neque transitus, neque migrare coguntur ex vno in alium locum, & patriam quærere alio sub Sole iacentem, proinde neque

B clamor in plateis eorum. est comploratio, vlulatus, & vociferatio, qualis esse solet in eiusmodi migrationibus, siue abductionibus.

Videtur S. Dauid describere antiquorum Romanorum potentiam, atque diuitias, de quibus multa dicta sunt initio, & dicenda sunt Isa. cap. 18. De illis ipsis S. Gregorius (Hom. 28. De Sanctis Nereo, Achilleo, & Domitilla) ait, quod *Sancti isti ad quorum tumbam consistimus, florentem Mundum mentis despectu calcauerunt. Erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace.* Et illi quidem filij alieni hæc terrena amantes, & illis toto affectu adhærentes;

C V. 15. Beatum dixerunt populum, cui hęc sunt: neque ab illis se se auelli, & abstrahi passi vnquam sunt: verùm longè alia est nostra, ò Christi Fideles, sententia. Nos pleno ore, & iucundissimo cordis nostri gaudio id, quod re ipsa experimur, dicimus, & palàm profitemur;

D beatus populus, cuius Dominus Deus eius. ille Populus est beatus (qualis nos sumus) qui Dominum pro Deo habet, provt nos habemus Dominum, ac Deum Nostrum Iesum Christum Dei Vnigenitum.

Verba hæc postrema Psalmi huius omninò ad *Dominum* Iesum Christum referuntur; siquidem illa ipsa (in vltimo hoc Psalmo ex illis, qui compendio colligunt prius dicta) occasionem dant inchoandi Psalmum sequentem, qui totus quantus est de exaltatione, & gloria eiusdem Dei, ac Domini Nostri Iesu Christi, provt ex eiusdem Psalmi Argumento planè colligitur.

E

PSALMVS CXLIV.

Exaltabo te, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXLIV.

F *Laudatio ipsi Dauid.*

GLoriam, & exaltationem Vnigeniti Filij Dei Domini Nostri Iesu Christi fuisse scopum, & metam S. Dauidi toto Psalterio intentam, & demum in fine attingendam, iam inde ab initio fuit dictum, dum inter Capita, & Fontes rerum, de quibus agendum esset, positus fuit in Intentione Primus, & in

& in executione Vltimus Fons, eiusdem Domini Gloria, & Exaltatio. A

De hac totus est iste pulcherrimus Psalmus, qui cum sit pariter plenissimus tenerrimis affectibus, eximijs laudibus, celebratione magnificentissima Domini Iesu, idcircò inscribitur, *Laudatio ipsi Dauid*.

Quamuis autem S. Dauid quidquid toto Psalmo hoc dicit, meram, & excellentissimam Laudationem Domini Iesu Christi sui proloquatur; nihilominus tamen tanquam parùm, aut nihil id totum esset præ magnitudine affectus sui, & propter laudati Domini excellentiæ immensitatem concludit Psalmum; ***Laudationem Domini loquetur os meum***, &c. B

Quo quidem fine initium dat Quarto, vltimo, & perfectissimo Psalmorum, *Alleluia* inscriptorum Numero, eoque (qui ad senarium ascendunt) Psalterium suum, cùm nihil amplius dicendum supersit, ordinatissimè finit, ac terminat. In huius igitur pro gloria Domini Iesu Nostri magnificentissimi Psalmi titulum, benè obseruat P. Lorinus adhuc in toto Psalterij decursu similem non occurrisse; id equidem ita est, neque tamen casu aliquo, seu fortuitò factum, sed ordinatissima dispositione, quia scil. vt iam dictum est, plena Domini Iesu Laudatio, Exaltatio, & Gloria initio quidem Psalterij, & primò omnium intenta fuit; nihilominus fini Psalterij obtinenda, & exponenda reseruabatur. C

Similiter, verum omninò est, quòd obseruat Cassiodorus, deinceps alios sex Psalmos vsque ad vltimum in Dei laudibus, præconijsque versari, & cælesti lætitia plenissimos videri; cæterùm ad id, quod addit, ideò hæc fini reseruata, quod in præcedentibus completa sint omnia, quibus humana ignorantia fuerat instruenda; huic rationi minimè assentiri me posse, ostendunt supra explicata, quæ plus aliquid continent, quàm sit simpliciter humanam ignorantiam instruere, quòd sit moralium præceptorum propositione, quorum cùm ex occasione; & incidenter longè maior multitudo tradita fuerit in Prima, quàm in hac Tertia Psalmorum Quinquagena; si ratio vrgeret, illa potius, quàm hæc lætissimam illam postremorum horum Psalmorum clausulam exigerent. D

Neque simpliciter admitti potest, quod ipse Auctor, & cum ipso Hugo, Aiguanus, Haimo in hunc Psalmum aiunt, ipso Dei laudes celebrari, & laudari Deum à potentia, magnificentia, sanctitate, &c. id quidem verum est, sed addere necessariò oportet laudari Deum, ac Dominum, & Regem nostrum Iesum Christum; quandoquidem, vt Titulus vult, &, vt P. Lorinus ait, conueniunt ferè Latini; (nam quidam Græci Codices ponunt; *Laudatio ipsius Dauidis*; sed standum Vulgatæ Editioni, & S. Matris Ecclesiæ auctoritati) dirigi sermonem ad Christum; & S. Hilarius probat, cuncta tendere ad commendandum præcipuè Regnum Christi. E

Hæc autem *Laudatio* Christo Deo, ac Domino nostro defertur Vniuersalis Ecclesiæ ipsius Sponsæ voce, ac nomine, sicut & aliorum sex sequentium Psalmorum *Alleluia* omnium vniuersim eius Fidelium voce decantantur eidem Christo Deo, ac Domino Nostro. Et hoc sanè (vt nihil dicam, quod connexio, & cohærentia idipsum exigat) manifestè colligitur ex V. 10. vbi inuitantur Fideles omnes ad laudandum Dominum; ***Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi***. F

Sed adhuc multò clarius ipsum Psalmi initium; ***Exaltabo te Deus meus Rex***; quod est planè simile verbis Psalmo quinto, Vers. tertio prolatis; ***Rex meus, & Deus meus***; ostendit vnius nomine, vnam esse vtrobique locutionem: ibi autem vt di-

A dictum est, Ecclesia eius Sponsa loquitur; & tunc quidem, quia *hereditatem* adeptum ibat, verba illa orantis, & deprecantis in morem pronunciabat; hoc autem loco, ea obtenta, tanquam exultans, sicut triumphans, & Cælesti suo Sponso Regi Deo, Magno Domino, & laudabili nimis gratias agens, sic eloquitur.

PSALMVS CXLIV.

B Exaltabo te Deus meus rex (epithetum, *Regis*, Christo peculiariter conuenire, supra in multis Psalmis vidimus, vt paulò ante citato Psal. 5.v.3. Psal. 43.5. Ps.67.25.Ps.73.12.Ps.83.4.Ps.88.19. & totis Psalmis 92.96.98.) Magni affectus sunt hæc verba: quæ quanto amore, & zelo Ecclesia in Christi Sponsi sui maiorem gloriam procurandam feratur, valde clarè manifestant. O sic omnes, etiam Filij! *Exaltabo te*, &c. & benedicam nomini tuo, in sæculum,

C & in sæculum sæculi. Hic Ecclesiæ perpetuitas insinuatur; quasi dicat; cum mihi inter cætera tua maxima dona largitus sis, vt nunquam desinam, & vt illa nunquam à me auferantur; sed sint mihi perpetua; ob tam eximiam tuam hanc erga me bonitatem; *Exaltabo te*, &c. *& benedicam in sæculum*, &c.

Maximæ hic est fons consolationis, hoc Dei cum Ecclesia fœdus æternum; proinde repetit, quod cum mihi spoponderis, te mecum futurum *omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*, Matt.28. 20. Et ego pariter

D V. 2. Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. Hæc quidem anagogicè, possunt etiam de futura vita intelligi; literaliter tamen, & ex primario intento de hac, vt dictum est, intelliguntur; nam hic Ecclesia militans Deum suum, & Regem exaltat, celebrat, & benedicit, & quidem *in sæculum, & in sæculum sæculi*, per con-

E tinuas sæculorum successiones. Hoc autem, vt patet, soli S. Matri Ecclesiæ Catholicæ conuenit; dum alia omnia sectariorum conciliabula sanam doctrinam, veritatem, fidem, & religionem non habentia, neque Deum laudare, vt par est, possunt, & sensim intereunt. Apud solam Catholicam S. Ecclesiam, & illi soli est

V. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: est hic Deus meus, Rex, & Sponsus; vt etiam supra Psal.47.v.2. dicebam; & magnitudinis

F eius non est finis. & non sic, vt aliorum Dominorum, ac Regum terræ, quibus Regnorum, opum, potentiæ, subditorum, & eiusmodi, atque etiam ipsius vitæ valde angusti, & circumscripti sunt fines. Minimè mihi tu talis es; sed potius,

V. 4. Generatio, & generatio, omnis omninò ætas, & sibi inuicem suc-

cedens genera-tio hominum laudabit opera tua: non tam illa machinæ huius mundialis, quæ etiam per te, A
qui es Verbum Patris facta sunt; quàm quæ pro reparatione humani generis gessisti, & quæ à te ad hominum salutem instituta, & admiranda illa, quæ in Euangelij Prædicatione,& Mundi Conuersione patrata fuerunt. & potentiam tuam diuinam,quę in ijs elucet, & vim omnē humanam transcendunt, pronunciabunt. Cum verò in ijs omnibus operibus, quæ ad salutem hominum in tua Ecclesia sapientissimè instituisti, non solùm illa tua diuina potentia B
eluceat; sed etiam in omnibus appareat quædam plena gloria, & maiestate sanctitas; propterea etiam hanc

V. 5. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & quia inter illa opera fuerunt plurima mirabilia, & humanum tam captum, quàm morem solitum excedentia, vt diuitias in paupertate, in luctu gaudium, in humilitate sublimitatem, C
vitam in morte, collocata fuisse;ideoque & hęc atq;eiusmodi alia mirabilia tua narrabũt. Atque hæc, & similia mirabilia quidem sunt; sed simul amabilia; quædam alia, & ipsa quidem mirabilia; sed simul terribilia reperiuntur; & illa sunt, illa tua post longanimem expectationem in puniendis tuis hostibus seueritas, qua eos solitus es mulctare; primò quidem mitioribus pœnis, rerum externarum, amissionis bonorum fortunæ, valetudinis, famæ; deinde grauioribus tradere eos consueuisti pœnis; scilicet, peruersis praui cordis, & effrenatarum concupiscentiarum desiderijs; & tandem ni resipiscant, ipsi igni gehennæ addicere. Quandoquidem ergo etiam hæc in puniendis tuis hostibus Iustitiæ pars, admirabilis seueritas tibi Deo meo Regi competit, inter illa mirabilia tua tui Fideles visa, quam de tuis hostibus sumpsisti, & sumere soles, iusta vltione, etiam hanc D

V. 6. Et virtutem, seu (vt Hier.) fortitudinem, terribiliũ tuorum iudiciorum, scil. in illis puniendis, dicent: & magnitudinem tuam narrabunt. nam inuictæ virtutis, & fortitudinis diuinæ est; posse suos hostes ita domare (verè enim Diuina tua Maestas Iob. 40. 6. E
dixit) *Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo; absconde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam: & ego confitebor quod saluare te possit dextera tua.*

Verùm quia tu, qui mitissimus es Rex, non nisi coactus ad eiusmodi de hostibus tuis, & hominibus impijs pœnas sumendas pertraheris, aliam longè maiorem, melioremque te laudandi; de eximia nimirum benignitate tua, materiam F
habituri sunt tui Fideles;

V. 7. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: illius copiosissimæ, & abundantissimæ tuæ charitatis, & suauitatis, qua nobiscum in terris es conuersa-

A ſatus; qua diſceſſurus ex hoc Mundo ad Patrem Sanctiſſima Euchariſtiæ Sacramenta inſtituiſti; qua te in acerbiſſimæ Paſſionis, & Crucis tormenta pro nobis tradidiſti; qua rediuiuus à mortuis Diſcipulis tuis mœſtiſſimis apparuiſti; per hanc horum, & ſimilium ſuauiſſimorum operum tuorum memoriam, mira inde nimiaque ſuauitate, de illa tua nimia ſuauitate repleti, de pleno corde, pleno ore *eructabunt* illam *memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ*, & iuſtitia tua exultabunt. de illa tua miſericordiſſima fidelitate, qua tuos tam dulciter protegis, & nunquam deſeris, *exultabunt*, pleni gaudio, & iubilo. Verè ipſe eſt nobis, ò Fideles,

B V. 8. Miſerator, & miſericors Dominus: patiens, & multum miſericors.

V. 9. Suauis Dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. (nihil his addendum, ne, quod

C aliàs ex S. Aug. caui, eloquij Prophetici obtundatur ſapor) proinde æquum eſt, & ita ſanè ſemperque fiat:

V. 10. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: illa ipſa opera tua, omnia poteſtate, & ſuauitate plena, te laudent, & ſancti tui, quos feciſti tantorum operum tuorum participes, & poſſeſſores, qui ſunt tui Fideles in Ec-

D cleſia congregati; illi, inquam, benedicant tibi. Omninò tantis tuis beneficijs grati erũt, & omnibus Mũdi nationibus

V. 11. Gloriam regni tui dicent: deprædicabunt quãta præſtiteris huic tuo Regno, quod eſt Eccleſia hæc tua; & potentiam tuam loquentur: & dignum planè erit,

E V. 12. Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: qua, tam fortes, tamque multos illi Regno tuo, Eccleſiæ erectioni obſtantes obices, per ea, quæ infirma ſunt Mundi, tam validè perrupiſti. hanc *potentiam tuam*, vt digniſſimum laudum tuarum, conſolationis noſtræ, & eruditionis filiorum hominum argumentum, loquentur, & dicent Sancti tui. Exinde enim factum eſt, vt in hanc magnificam gloriam, regnum hoc tuum, tua hæc Eccleſia excreſceret; proinde ipſi Sancti tui, & illam *potentiam tuam*,

F vt dixi, notam facient; nec non & gloriam magnificentiæ regni tui. planè magnifica eſt gloria regni tui, & quæ cuiuſcunque alterius Regni gloriam longè, & quam maximè excedit. & quid quæſo in his non vanum, mancum, & breue eſt? at verò, ò Rex meus, & Deus meus,

V. 13. Regnum tuum regnum omnium

sæculorum: eiusmodi est regnum tuum, quod hic in Ecclesia tua militante habes, quod se in omnia, & ad omnia sæcula extendit, A
nunquam habiturum finem: & dominatio tua non est, sicut aliorum Dominorum, inter paucas circumscripta, definita, & finienda generationes; sed est, in omni generatione, & generationem. Factum est id omne secundùm id, quod promisisti: prorsus per omnia
Fidelis Deus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis. Ex his, quæ in me, & in meis Fidelibus infirmis, & fragilibus persecutionum tempore, tam potenter, tamque misericorditer operatus es, verissimum esse comperi, quia B
V. 14. Alleuat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos. tuum fuit, atque etiamnum est, fulcire casuros, & erigere collapsos. Ideo en respice ad hanc omnem tuorum Fidelium toto Orbe in hanc tuam Ecclesiam congregatorum (de hac primariò loquitur licet vniuersim, tam ad homines infideles, quàm iumenta extendi possit) multitudinem: en, inquam, quod etiam modò in hac Ecclesiæ tuæ pace C
V. 15. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum, singulorum statibus officijs, & capacitati proportionatam, tam quoad Diuini Verbi tui pabulum, quàm quoad Sacramentorum, & nominatim Sanctissimi Corporis, & Sanguinis tui nutrimentum, & cælestium consolationum, & illustrationum condimentum; id quod totum facis, quando, quantum, & prout scis singulis expedire in tempore opportuno. Atque ita simili planè modo, quo te liberalissimum, & prouidentissimum Dominum in Mundi totius gubernatione exhibes; sic & multò amplius in Ecclesia tua D
V. 16. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Quicunque hæc attentè perpendit, dicere atque fateri necessariò, & cum eximia animi gratitudine cogitur, quod verè E
V. 17. Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis. Ex his, quæ experti sumus, atque etiam modò nobiscum aguntur, patet manifestè, quod F
V. 18. Prope est Dominus omnibus inuocan-

A cantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Ipse sic sincero, confidenteque animo inuocatus dum fuerit, quia benignissimus est,

V. 19. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos. Nam

V. 20. Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores (intellige in peccatis perseuerantes, vt S. August. adnotat) disperdet. prout fecit, tam cum Iudæis, quàm cum Gentilibus obstinatis; quod hactenus in Psalterio vidimus. Nunc, & deinceps
C semper, quod ad me attinet, & quod à me omni iure exigitur;

V. 21. Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius. & quandoquidem supra Psalmo 64. dicebam; quod, *Te deceat hymnus Deus in Sion*, &c. *& quod ad te omnis caro* (homines ex omni Mundi Populo, & natione) *veniet*; & per Fidem in Ecclesiam hanc tuam,
D congregabitur; id cum iam factum videam; *Hymnum*, & *laudationem Domini loquetur os meum: &* omninò iam, nunc, *benedicat omnis caro*, omnes Fideles ex omni Mundi Natione, & Populo in vnum collecti, *nomini sancto eius* in sæculum, & in sæculum sæculi. dicat laudationem omnibus sæculis, vsque ad consummationem sæculi duraturam. Ecclesia militante, & Catholica loquitur, quæ sola *Laudationem Domini* per tot sæcula continuauit, & est continuatura vsque ad finem.

E S. Dauid non solùm ad *laudationem Domini* Sanctam Christi Ecclesiam Catholicam, vniuersalem, *ex omni carne*, Mundi Populo, & natione constantem inuitat, sed etiam ipsammet pulcherrimam, lætissimam, Dei laudibus, & benedictionibus plenissimam laudationem ab ea, eiusque filijs vsurpandam, & Domino decantandam, vt re ipsa fit, pulcherrimo, & consequentissimo ordine cum Senario Psalmorum *Alleluia* inscriptorum numero subiungit.



PSAL-


A

PSALMVS CXLV.

Lauda anima, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXLV.

Alleluia, Aggæi, & Zachariæ.



HIc Titulus planè indicat hoc Psalmo, & quinque sequentibus à S. Dauide tractari id, quod paulò ante dixi. Consentit Diuus Hilarius, qui (vt eum refert P. Lorinus, atque etiam cum aliquo addito sequitur) admonet, *visum fuisse translatoribus* (adde & S. Matri Ecclesiæ, necnon & LXX. Interpretibus) *Aggæum, & Zachariam in titulo anteferre, vt nosceremus Psalmum esse Propheticum, quia* C *per hos Prophetas, sub quibus ædificata rursum Ierusalem est illo ipso tum tempore æternæ Ierusalem ædificatio prædicatur: & quoniam huius Ierusalem potius, & Sion Regem, Psalmus ostendit.*

Verùm ad id quod ait, ab ipsis Prophetis prædicari *æternæ Ierusalem ædificationem*; per Ly *æterna*, S. Doctorem nequaquam voluisse intelligere Ierusalem beatam, & triumphantem inde certum redditur, quia de militante Ierusalem Prophetæ illi tantum loquuntur; *æterna* autem dicitur, eò quòd non vt prior mobilis, & transferenda; sed immobilis, & perpetuò duratura esset (vide dicta ad D Psalmum centesimum vndecimum.)

Hoc ipsum S. Dauid vltimo versu huius Psalmi expressit, dum ait; *Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion*; vbi ne quod dixerat, *in sæcula*, putaretur loqui de æternitate alterius vitæ beatæ; sed volens id solita sibi phrasi, vt sæpe vidimus, intelligi de hac vita, vsque in finem Mundi, addidit; *in generationem, & generationem*; quæ nulla est in futuro sæculo. Et multò adhuc clariùs in prioribus versibus significauit, se loqui de Regno, quod Dominus Christus in Sancta sua Sion, & Ierusalem, Ecclesia militante, erat habiturus, quando dixit, quod *Do-* B *minus faceret iudicium iniuriam patientibus; solueret compeditos; illuminaret cæcos; erigeret elisos, custodiret aduenas*; quæ diuinæ benignitatis, & misericordiæ officia propriè in Ecclesia militante exhibentur.

Atque ex his patet, nequaquam Psalmi huius sententias, æquè congruere Ecclesiæ, tam militanti, quàm triumphanti; sed literaliter, & ex S. Dauidis intento illi soli, idque summa cum connexione, & consequentia rerum omnium: quid enim exaltato iam Domino eius Sponso super omnia aliud restabat, quàm vt ipsa eius Sponsa Ecclesia sese totam effunderet in eius Laudes? Omninò; vniuersalis Christi Ecclesia ait;

PSAL-

A

PSALMVS CXLV.

V. 2. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo
B meo quam diu fuero. ero autem vſque in finem, & ſæculi conſummationem. Et quis vnquam Principum huius ſæculi mihi aduerſantium ſibi perſuadere, & credere potuiſſet, me, vel in hunc ſtatum peruenturam, vel illis abeuntibus, & ad inſtar fumi euaneſcentibus ſuperſtitem futuram, & cum Domino Chriſto meo regnaturam? Id quod fieri nullo modo poſſe, neque vnquam futurum ipſis perſuaſiſſimum fuit, factum eſſe, nos modò gratulamur: proinde, ò filij, & fideles mei, hanc tam admirabilem Domini Noſtri potentiam ſuſpicite, & qui aliquando aliquid magnum
C eſſe Mundi huius potentiam arbitrabamini, iam nunc amplius

Nolite confidere in principibus: in ijs, inquam, qui quantalibet poteſtate fulgeant, nihilominus tamen nihil plus quàm homines ſunt, atque ita

V. 3. in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus, qui ſaluare non poſſunt, nolite confidere. Et quomodo quæſo ſaluare illi poſſunt; quandoquidem, vt experientia patet,

D V. 4. Exibit ſpiritus eius, cuiuslibet eiuſmodi principum, qui filij hominum ſunt ſpiritus vitalis, & anima per mortem exibit, & à corpore ſeparabitur, atque ita ſepa-rata, & abeunte in locum ſuum anima, corpus pariter reuertetur in terram ſuam, de qua formatum fuerat. collapſo autem rerum omnium fundamento, ex conſequente ineuitabili, etiam in illa die peribunt, fient irritę, omnes cogita-
E tiones eorum, conſilia, ſtudia, & vt Chal. machinationes. Non ſic res noſtræ ſe ſe habuerunt, neque hoc miſero, & infelici fluxerunt curſu; proinde non qui in illis Principibus confidit; ſed potius ille tantùm, quales nos ſumus, eſt

V. 5. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, qui habet adiutorem Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, vt dictum ſupra Pſalmo octuageſimo, verſ. ſecundo; ille, inquam, beatus, cuius ſunt
F ſpes eius in Domino Deo ipſius: in illo, inquam, Domino Deo

V. 6. qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: qui Deus Omnipotens eſt; & præterea in promiſſis ſuis fideliſſimus; vtpote

V. 7.

V. 7. Qui custodit veritatem in sæculum, A
Fidelium seruorum suorum amantissimus, nam facit iudicium iniuriam patientibus: in donis suis liberalissimus; dat escam esurientibus. Beneficentissimus, & misericordissimus est; ipse enim (quod in nobis nos eius Fideles factum gratulamur, ipsumque benedicimus) ipse, inquam,

Dominus soluit compeditos: B

V. 8. Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.

V. 9. Dominus custodit aduenas, pupillũ, C
& viduam suscipiet; hæc amplissimæ eius erga nos misericordiæ opera nos ea experti deprædicamus; mali autem timeant eius iustitiam, quia, vt fecit, & vias peccatorum disperdet. Hic tantus, nobisque tam bonus Dominus, super nos

V. 10. Regnabit Dominus in sæcula, hic, inquã, Dominus, D
qui simul est Deus tuus Sion, vt dixi, regnabit in generationem, & generationem. Quantum hoc, quamque immensum est hoc bonum, ò præsentes, & qui vsque in sæculum estis futuri, Christi Fideles! Consequentissimè hinc fit transitus ad alterum & Psalmum, & Alleluia.

PSALMVS CXLVI. E

Laudate Dominum, &c.

Titulus, seu Argumentum Psalmi CXLVI.

Alleluia. F

Atque etiam ab exhortatione Christi Fidelium ad laudandum Deum connexissimè Psalmus ipse inchoatur, sic;

PSAL-

A

PSALMVS CXLVI.

Laudate Dominum, quoniam propter hæc tanta, quæ nobis exhibuit, bonus est Psalmus: bonum, æquumque est ipsum laudare, & nefas omninò esset à diuinis eius laudibus abstinere.

B Itaque Deo nostro sit iucũda, decoraque laudatio: laudetur hilariter, & decenter, seu modestè. P. Emm. Sà.

Ex supra sæpiùs dictis, & quia aliàs nulla esset connexio, constat hìc non agi de reditu populi ex captiuitate Babylonica, & instauratione Ciuitatis Ierusalem illius terrenæ, & carnalis, quicquid Græci hoc velint esse Psalmo Argumentum, & ad illud inclinet P. Lorinus, quamuis deinde ex ea ratione, quia rursus diruta est Ciuitas illa, & sine aliqua restauratione dissoluta, atque sine spe reformatio-
C ne adhærescat S. Hilario, qui literaliter vult hìc de ea potissimum Ciuitate agi, quæ secundùm Euangelia Sancti Regis est Ciuitas. Hæc vera omninò est sententia, quam ipse S. Dauid clarè, & manifestè (spectatis ijs, quæ prius dixerat) Versu statim sequenti proponit, dum Christi Fidelibus Dominum laudandi materiam offerens, ait eam potissimum esse, quod

V. 2. Ædificans Ierusalem Dominus: di-
D spersiones Israelis congregabit. Manifestum est, quod in ædificatione Ierusalem, quæ post captiuitatem facta est, dispersiones Israelis non sint congregatæ; nam Esdræ lib. 1. cap. 1. v. 5. dicitur, quod *surrexerunt principes patrum de Iuda, & Beniamin, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis, cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderent ad ædificandum Templum Domini, quod erat in Ierusalem*. remanentibus ergo alijs decem Tribubus, nequaquam tunc dici poterat, *dispersiones Israelis congregatas* fuisse, & consequenter de ea Ierusalem ædificatione Sanctum Dauidem non esse locutum. Sed potius dicendum est, Sanctissimum, sapientissimumque Pro-
E phetam dictorum supra sæpiùs à se, necnon & phrasium, siue modi loquendi, quem vsurpare in toto decursu Psalterij solitus fuerat, & tandem ordinis, connexionis, & omnimodæ consecutionis apprimè memorem; dicendum, inquam est, ipsum sic omniũ memorẽ significare hìc se agere ex primaria intẽtione de *ædificatione* illius Ierusalem, quam supra Psal. 47. v. 3. dixerat; *fundari exultatione vniuersæ terræ, & esse Ciuitatem Regis magni*. Cuius *muri, vt ædificarentur in bona voluntate Benigni Domini Sion*, petebat Psalmo 50. v. 20. & quam Psalmo 121. v. 3. dicebat, *ædificari, vt Ciuitatem*, &c. Similiter (iuxta illis, alijsque eiusmodi locis dicta)
F etiam hìc ait; laudum Domino dicendarum amplissimam, & nunquam finiendam materiam esse, quod ipse Dominus sicut hactenus fecerat, ita deinceps misericordissimè esset facturus, scilicet, vt in *ædificatione* Sanctæ Ciuitatis *Ierusalem* Ecclesiæ suæ, quam de viuis, & electis lapidibus, Gentium, & eorum, quos nouit ipse, qui sunt eius, faciebat, omnes omninò *dispersiones Israelis*, non carnalis, sed spiritualis, qui sunt filij, & Israelitæ per repromissionem, *congregaturus esset* in vnum,

vt supra sæpè dictum est ex Ioan. cap.11. v.52. Ipsum ego, ait S. Dauid, & *ædificantem*, & *congregantem* voco; quia cum hæc ædificatio spiritualis sit, & fiat ex illis lapidibus, qui ex Idololatriæ tenebris, sceleribus, & impietate ad Fidem, & ad Ecclesiam eius vocantur; ipse est A

V. 3. Qui sanat contritos corde:

dans ei notitiam miserandi, & iniqui eorum status ad compunctionem, & vitæ emendationem commouet, & cum ipse cor contritũ, & humiliatũ nõ despiciat, sic veniẽtes ad se recipit benignissimè,

& alligat contritiones eorum.

fractiones, & vulnera, & lethales plagas, vino, oleoque superinfuso misericordissimus Samaritanus alligat, curat, & sanat, atque adeò in Ecclesiam suam receptos, curatos, & sanatos sibi dilectos seruos facit, vt qui paulò ante tenebræ erant, lux fiant, & *sicut luminaria in Mundo luceant*, Philip.cap.2. v.15. Ipse omninò est; B

V. 4. Qui numerat multitudinem stellarũ

harum: horum suorum electorum, qui cùm Diuinæ ipsius Maiestati chari, pretiosique sint, provt quæ apud homines habentur in pretio, habentur etiam in numero, ac nominatim appellãtur; ita etiã ipse & eos numerat, C

& omnibus eis nomina vocat.

nam Ioan.10.3. ipse bonus Pastor *proprias oues vocat nominatim*. *Nouit eos ex nomine*. Exod.cap.33.12. ipse *scit quos elegit*. Ioan.13.16. ipse *cognoscit qui sunt eius*. 2.Tim.2.19. Iam supra gratulabar, & de his ipsis tuis electis sub hoc Stellarum symbolo, Psal.8.4. loquebar quod visurus essem *Cælos tuos*, &c. *Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti*.

Si igitur visibilis huius, & materialis *species cæli* est *in visione gloriæ*, plena gloria, & maiestate. Ecclesiastici cap.43.1. Si tam conspicua redditur *species cæli*, ipsaque eius species est ipsa *gloria stellarum*, perque eas si apparet, & veluti conspicitur *Mundum illuminans in excelsis Dominus*, Ecclesiastici 43.v.10. multò certè amplius propter tantam, tamque magnam electorum Dei (*quorum nomina scripta sunt in cælis*. Luc.10.v.20. & *qui fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*. Dan.cap.12.3.) multitudinem, pulchritudinem, diuersitatem, distinctionem, vnionem, concordiam, atque ordinem; multò, inquam, amplius, & per omnia hinc conspicitur, & pleno ore dicendum, quod, D E

V. 5. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius: & sapientiæ eius non est numerus.

Ita prorsus in suis electis, vel maximè magnitudinem diuinæ suæ potentiæ, & sapientiæ simul inscrutabilis Dominus ostendit, quando considerata eius Electorum vocatione inuenimus, *quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt Mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*. 1. Cor. 1. atque sic palàm toti Mundo ostensum est, quod ipse sit; F

V. 6.

A **V. 6. Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores vſque ad terram.** Vos igitur eius Fidelium, humilium, & manſuetorum multitudo, poſteaquam ſuos, veſtroſque aduerſarios peccatores, & perſecutores depreſſit, vicit, ac perdidit; vos, inquam, modò

B **V. 7. Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.** Digniſſimus ipſe eſt omni noſtra confeſſione, & laude; quia ſicut bonitatem, & beneficentiam ſuam in totius orbis gubernatione oſtendit; ita & vel maximè eam in Eccleſia ſua erga ſuos Fideles manifeſtat, & proinde, quod ſupra etiam Pſalmo 103. inſinuaui, ipſe eſt,

V. 8. Qui operit cælum nubibus: ſicut cælũ hoc materiale, ſiue

C altiorem aëris partem ad irrigandã terram operit, ſeu tegit nubibus; ita & in Eccleſia ſua de Fidei Sanctæ Doctoribus, & Prædicatoribus proſpicit, atq; ſic **parat terræ pluuiam,** qua cũcta in ea irrigentur, & creſcant; & ſic ipſe eſt,

Qui producit in montibus fęnum, & herbam ſeruituti hominum, vt dictum eſt Pſalmo 103. v. 14. 15. 16. quæ videantur. Similiter ſicut

D in naturalibus huius Mundi operibus, ita in ſpiritualibus in ſua Eccleſia ipſe liberaliſſimus, & miſericordiſſimus Dominus eſt;

V. 9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, nullos quamuis infimi ſtatus, & conditionis, ſeu gradus homines in Eccleſia negligit; ſed ſua omnibus proportionata alimenta exhibet, vſq; adeò, vt proſpiciat, **& pullis coruorum inuocantibus eum.** quando ipſi corui editis

E pullis eſcam præbere diſſimulant, priuſquam plumeſcendo nigreſcant; vt ait D. Greg. 30. Mor. cap. 8. Et *quis quæſo alius præparat coruo eſcam ſuam, quandò pulli eius clamant ad Deum, vagantes eò quod non habeant cibos.* Iob. cap. 38. v. 41. S. Aug. per hos coruos vult ſignificari nigros peccatores, necdum dealbatos remiſſione peccatorum; ſed ideo pullos, quia iam humiles; ideo errantes, ſiue vagantes, quia nondum cognouerunt veritatem, quam tamen piè quærunt, cum ad Deum clament, &c.

Per hæc, & ſimilia, vt dictum eſt, præcipuè ad ſpiritualia, quæ in Eccleſia ſunt,

F reſpicit; planè provt S. Paulus dixit, Dominum intendiſſe loqui de Seruis ſuis, & Altaris Miniſtris paſcendis, quando vetuit *alligari os boni triturantI,* 1. Cor. c. 9. potiſſimùm autem his paucis verſibus inſinuat, & remittit ad ea, quæ fuſiùs in hunc ſenſum ipſum dixerat Pſ. 103. Sic etiam ſequẽtibus Verſibus duobus, quod ſupra de Eccleſiæ ſuæ, & Fidelium ſeruorum ſuorum humilitate, manſuetudine, tolerantia, & patientia in aduerſis dixerat, Pſalmo 19. v. 8. & 9. & Pſalmo 32. v. 16.

17.& 18. deprædicando, & extollendo benignissimam Domini omnipotentiam, A
eò quod superbum illum fastum, arrogantiam, & humanam potentiam hostium Ecclesiæ depressisset, eamque & Fideles suos humiles erexisset; sic, inquam, hoc loco id ipsum ad lætitiæ complementum,& diuinarum laudum incrementum repetit, quod Dominus, vt experientia iam comprobatum est;

V. 10. Non in fortitudine equi voluntatē habebit: nec in tibijs viri beneplacitū erit ei. B
deuicta omni eorum fortitudine, qui tanto fastu,& potentia oppugnabant Ecclesiā,hac interea erecta,& super omnem eorum fastum in altum euecta,quia nimirū

V. 11. Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis,qui sperant super misericordia eius. qui sumus nos eius Fideles, proinde iterum,iterumque Domino dicamus, *Alleluia*. C

PSALMVS CXLVII.

Lauda Ierusalem, &c.

Alleluia. D

V. 12. Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion. ò Noua Ierusalem Christi Ecclesia, de qua hactenus mihi est sermo, *Lauda Dominum*.

Notandum est,quòd sicut supra dixeram,S.Dauid nullam amplius mentionem iam dudum faciat de Iudæis, aut carnali Ierusalem, sed omninò spiritualem intelligit Christi Ecclesiam,& militantem primariò. Ratio est, quia hoc requirit connexio,& cohærentia,& quia,quæ in contextu Psalmi dicuntur, illi soli Ierusalem, & Sioni propriè conueniunt. Quomodo enim carnalis Ierusalem post reditum de Babylone habuit *fines suos pacem*,&c.tot bellis Persarum,Medorum,Græcorum,& tandem Romanorum vexata,& excisa? Triumphans verò Ierusalem licet summa pace perfruatur, de ea tamen, quæ sequuntur propriè dici non possunt; neque enim ibi Dominus dat *niuem*, *nebulam*, *crystallum*, &c. neque amplius ibi *annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel*; hæc enim sunt beneficia, quæ conferuntur viatoribus, alia, & longè maiora sunt comprehensorum. F
S. Dauidem in hac nominatione imitati sunt Isaias cap. 60. & Ieremias, Baruch cap.4. à v.30. provt fusiùs ibi ostendetur, vt proinde nomine Ierusalem verè Ecclesia Christi intelligatur.

Ecclesia ergo Christi noua Ierusalem suas, quas Deo persoluit, laudes continuat, & vltimis hisce quatuor Psalmis concludit, & terminat, provt supra in horum

A rum Psalmorum vltimorum argumento dictum est. Id ita esse pulcherrimo artificio hi ipsi quaterni vltimi Psalmi indicant, quandoquidem (quod priores superiores alij nulli habent) hi tantùm, non solùm in initio, verùm etiam in fine suum annexum habent *Alleluia*, cuius quidem ratio est (non quam Cassiodorus autumat, quod scilicet Psalmi, qui habent *Alleluia* in fine, pertineant toti ad præconia Domini, nec alicuius alterius causæ relatione permixti sint; sed vt à capite incipiunt, ita vsque in finem in laude Dominica terminantur) non, inquam, propterea, quia constabit paulò post his Psalmis, ita Domini laudes decantari, vt simul (maximè autem hoc præsenti Psalmo 147.) ingentia beneficia, quæ Ecclesiæ suæ ipse præstitit, celebrentur.

B Deinde paulò ante vidimus totum Psalmum 144. continere eximias Domini Nostri Iesu Christi laudes, & exaltationem, neque tamen sicut & plurimi alij vllo *Alleluia*, siue in initio, siue in fine sunt notati.

Ratio ergo, cur tantum hi quatuor vltimi Psalmi tam in initio, quàm in fine ipsorum sint suo *Alleluia* insigniti, petenda est ex supra dictis de quadruplici Psalmorum *Alleluia* insignitorum ordine. Sicuti ergo vidimus in quadruplicata

C illa serie primos Psalmos cum *Alleluia* attributos fuisse vniuersim simul sumptis omnibus Christi Fidelibus: secundam verò ijs, qui ad sæcularem, & externum, seu mundanum, & coniugalem statum pertinebant: tertiam Dei seruis, & Ecclesiæ ministris: quartam tandem rursus his omnibus simul sumptis; ita modò dum Psalterio suo, & diuinis laudibus finem imponere disponit S. Dauid, volens omnia priora repetere, illis supradictis quatuor Psalmorum Alleluiariorum seriebus, seu ordinibus singulos Psalmos quatuor vltimos attribuere voluit. Atque sicuti re ipsa vidimus ipsum Sanctum Prophetam in singulis illis quatuor seriebus,

D & ordinibus verè egisse, & insinuasse illam hominum, & statuum laudantium Dominum conditionem; ita omninò constabit etiam his quatuor Psalmis vltimis cum suo *Alleluia* terminatis, fieri earundem conditionum hominum expressam mentionem, hoc quidem & vltimo Psalmo omnium vniuersim Christi Fidelium: sequenti verò sæcularium, & mundanorum, iuuenum, & virginum, senum cum iunioribus: penultimo, seruorum eius, & ministrorum Ecclesiæ. Et tandem vltimò, omnium simul.

Provt ergo supra dictum fuit, hoc Psalmo 147. (qui Psalmorum quatuor habentium etiam in fine *Alleluia*, primus est ad illam distinctionem declarandam;

E quod ita diuinas laudes contineat, vt simul indicet hunc omnium Fidelium nomine, & voce decantari) Sanctus Dauid totam simul Ecclesiam ad laudandum Dominum inuitat, *Lauda Ierusalem*, &c. Eximia Domini beneficia, quæ omnes omninò in ea degentes concernunt, incipit enumerare, atque simul cum sæpius supra de ipsis locutus fuisset, ea omnia in compendium, & veluti in pulcherrimum, atque odoratissimum fasciculum componere; vt sic ad Dominum laudandum maiori eis sint incitamento. quidni laudes? ò Ierusalem: Christi Ecclesia:

F

V. 13. Quoniam confortauit seras portarum tuarum:

ædificatis, quod petebatur muris, mœnibus, turribus, omnibusque completis, omnia in te muniuit, & stabiliuit, vt firma omnia sint, & cum summa pace, absque vlla hostium irruptione secura: vt *portæ inferi* aduersus te nequeat præualere. Matt. 16. 18. vt sis *columna, & firmamen-*

mentum veritatis, 1.Tim.2.15. de spiritualibus bonis potissimùm loquitur. Similiter in illis A

benedixit filijs tuis in te. vt Apostolus aiebat Fidelibus Ephesijs; *omni benedictione spirituali in cælestibus.* Ephes.cap.1.3. Sponsus tuus cęlestis, qui dilectis Apostolis, & Discipulis suis dicebat, Ioan.c.14.v.27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo Mundus dat ego do vobis*; ipse est

V.14. Qui posuit fines tuos pacem: qui te, & omnes ditionis tuæ terminos, siue omnes tibi per Fidem Christi subiectas nationes, & populos, pace illa, quæ exuperat omnem sensum donauit, vt *sine timore de manu inimicorum suorum*, Satanæ scilicet, & peccatorum *liberati*, seruire Deo valeant, *in sanctitate, & iustitia coràm ipso omnibus diebus suis.* Luc.cap.1.v.74. ipse est, qui, B

& adipe frumenti satiat te. Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Sic Lyranus, & Iacobus de Valentia explicant. & certè, supposito, quod initio probatum est, sermonem esse de Ierusalem non carnali, sed Spirituali, idest de Christi Ecclesia ad literam, & S. Prophetæ intentum, aliud non potest congruentius intelligi, quàm idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vt sæpe etiam alijs Psalmis supra de eo facta est mentio literalis, & ex S.Prophetæ primario intento. Et quid quæso, vel conuenientius prophetico eloquio, vel pretiosius, & excellentius in Ecclesia Christi ipsa Augustissima Eucharistia? Post eam eximium aliud, & singulare Ecclesiæ bonum est, quod solùm in ea sit legitimi, sani, integri, incorrupti, & verè Diuini Verbi assidua, frequens, & maximè fœcunda Prædicatio: laudandus proinde Dominus; C

V.15. Qui emittit eloquium suum terræ: D

tanquam cęleste quoddam semen in hominum corda spargit eloquium suum; & *quomodo* (vt S.Isa.cap.55.10.& 11.) *descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed infundit terram*, &c. *sic*, ait ipse, *erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* ita planè fit, & **velociter currit sermo eius.** prosperatur, & facit quæcunque vult Dominus; quia *viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ*, &c. Heb. cap.4. 12. E

Præterea illud adhuc Ecclesiæ suæ, & omnibus suis Fidelibus contulit priuilegium, quòd licet omnes, qui in ea piè volunt viuere, necesse sit multas tribulationes pati; nihilominus ita eas diuina eius, & pientissima manus partitur, temperat, & dulcorat, vt faciat ipsis suis Fidelibus cum tentatione prouentum, vt possint sustinere. Itaque ipse est, qui (quod paradoxum esse, & fieri non posse videtur, facit tamen, & per quam facillimè operatur) nimirum

V.16. Qui dat niuem, quæ licet frigida in se sit; illam tamen dat **sicut lanam:** dum sata quibus incubat, fouet, tanquam si esset lana, atque etiam **nebulam** (pruinam, seu gelatam nebulam) **sicut cinerem spargit.** qui impinguãdis agris plurimum inseruit, nam (vt tradit Arnobius) nebula, seu pruina, F

A na fruges intra terrę viscera clausas impinguat, quantoque plus incubuerit in satis, tantò vberius proficit in aristis, ad eundem modum, eò nos plus proficimus, quò plus tẽtationum, & afflictionum fuerimus perpessi. Pari modo ipse Dominus

V. 17. Mittit crystallum suum sicut buccellas: ipsam glaciem, seu frigore induratam aquam, & grandinem pro pane, & nutrimento facit deseruire. per hæc omnia, vt S. Chrysostomus, & Euthymius, adde, & S. Hilarius apud P. Lorinum sentiunt, significatur;

B quod quemadmodum hybernum tempus, tametsi ipsum per se molestissimum sit, terræ tamen vtilissimum est; sic & præsentis sæculi tentationes valde prosunt, licet multas secum afferant molestias, &c. Sed hos hyemis rigores, has vitæ acerbitates; quis & quomodo ferat? & quis resoluat? ante faciem frigoris eius quis sustinebit? facillimum est Domino ab ijs liberare.

C V. 18. Emittet verbum suum ad Domini voluntatem, & imperium dissoluẽtur, & liquefaciet ea: omnia ea, niuem, pruinam, glaciem, seu grandinem, flabit spiritus eius, Auster calidus, per quẽ Sanctissimus, & Diuinissimus Paraclitus Spiritus significatur, qui à Patre Filioque procedit, & fluent aquæ. rigoribus resolutis, in placidis, & tranquillis, & serenis nos quiescere faciet, vt S. Hilarius, non tamen solùm in regno cælesti, sed etiam in præsenti vita. Nam ipse demum est, vt omnia paucis com-

D prehendam, qui pactum suum, fœdus, & testamentum suum cum Ecclesia sua, cum Populo suo Christiano (qui est eius spiritualis Iacob, & Israel) nunquam delendum, & obliterandum pepigit; & apud quem Populum sibi acceptabilem, *iustitias* suas, omnimodam sanctitatem, & omnis perfectionis plenitudinem (cum nihil ad perfectum Lex vetus adduxerit) instituit; & apud quem Regni sui sedem collocauit, & *iudicia sua* pietate, & misericordia plenissima (de quibus supra Psalmo *66*. v.*5*. Psal.*80*. v.*5*. Psal.*97*. v.*9*. & alibi sæpè multa dixi) exercet; nam, vt dicebam, ipse est

E V. 19. Qui annunciat verbum suum Iacob: iustitias, & iudicia sua Israel. Quandoquidem hoc Psalmo, nihil de Ierusalem, & Sione carnali agi vidimus, neque hoc versu quidquam de Iacob, & Israel carnali, sed tantùm spirituali agitur; proinde, per *iustitias*, *& iudicia*, non præcepta Legis moralia, & cæremonialia, sed quæ dicta sunt, intelliguntur. Quæ autem dicta sunt, esse re ipsa ad mentem, & primarium intentum Sancti Dauidis,

F ex sequenti versu certò colligitur; nam ipse Propheta Sanctissimus ad tam eximiam beneficiorum, priuilegiorum, & prærogatiuarum Ecclesiæ à Domino communicatorum excellentiam veluti attonitus exclamat; quod

V. 20. Non fecit taliter omni nationi: nulli omninò nationi, aut Populo ea præstitit, quæ subintellige Christiano, seu Ec-

Ecclesiæ, de qua hoc Psalmo locutus sum) concessit; **& iudicia sua non manifestauit** A
eis; illa de quibus paulò ante, & supra dixi. Cum constet experientia, & ex D.Pauli, Heb.10.1. quod *vmbram habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, &c. infertur S.Prophetam, non de vmbraticus illis, sed de
realibus his bonis Ecclesiæ Christi locutum: cui cum absque comparatione plura
dederit, quàm Synagogæ, si de hac ad literam hoc versu locutus fuisset, plenè
verificari non posset, quod non fecisset *taliter omni nationi*. Ideò iterum, ò S.Christi Ecclesiæ Ierusalem beata, Lauda Dominum; dic **Alleluia.** Cum *Alleluia*, vt dictum est, non solùm inchoatur, sed etiam terminatur B
hic Psalmus, ex postremis quatuor Primus; quo quidem *Alleluia* in fine addito
significatur repeti, atque iterari, & quodam breuissimo compendio includi Laudes dictas supra omnium promiscuè Christi Fidelium nomine. Supersunt tres
alij similiter insigniti *Alleluia* in initio, & fine, ob rationem initio explicationis
Psalmi v.1.notatam. dictis nihil addere videtur esse necessarium.

Illud tamen ad Psalterij huius ordinatissimi, & concordissimi, ac proinde suauissima etiam cæloque digna harmonia mentes nostras exhilarantis commenda- C
tionem obseruandum est; quod, vt initio dictum fuerat, ex ipsiusmet Domini
Iesu Christi testimonio, Lucæ c.24.v.44. Psalmos agere de ipso Domino, ac Deo
nostro Iesu: Item quod Sancti Dauidis primarium intentum hoc suo Psalterio,
seu Psalmorum, & Diuinarum Laudum Libro fuisset, cum illis Diuinis, quas
pangebat Laudibus, & Mysterijs, quæ aperiebat, proponere supremam eiusdem
Domini Christi sui gloriam, quæ, vt aliàs dictum fuit, ordine intentionis prima
cum esset, quoad executionem tamen postremò obtinenda, atque persoluenda
fuerat: sicut, inquam, hæc, & eiusmodi iam inde ab initio præuisa, propositaque D
fuerant; ita illi initio finem pariter Psalterij correspondere, necesse erat; & sanè
per omnia, vt vidimus correspondet; nam totus Psalmus 144. Laudationi, &
Exaltationi ipsius Domini Iesu tam magnificè impenditur, vt nihil sublimissimis,
ac planè Diuinis illis Laudibus addi possit. Reliqui autem, qui eum sequuntur
Psalmi, licet communem Ecclesiæ totius lætitiam contineant, & propterea lætissimo *Alleluia* inscribantur; nihilominus, vnà cum illo cordium iubilo, singuli illorum Psalmorum magnificentissimas ipsi Domino Iesu laudes, & benedictiones decantant; *Lauda anima mea Dominum*, &c. ait Psal.145. *Laudate Dominum*, &c. E
Psal.146. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*. Ps.147. Vbiq. autem
per *Dominum*, cum illo addito nunc *Deum*, nunc *Regem*, ipse Dominus, ac Deus
Noster Iesus Christus ex primario S. Dauidis, eoque connexissimo, & consequentissimo intento venit, & intelligitur tanquam si esset expressus cum ipso
Sanctissimo suo Iesu nomine.

Longè autem, quam vnquam ante vberiùs, abundantiùs, atque vehementiùs
Sanctissimus hic Propheta in eiusdem Domini, ad Dei Christi sui Iesu laudes se
se veluti totum effudit his tribus vltimis, licet perbreuibus Psalmis; nam seruato illo, quem dixi ordine; vt sicut prior iam explicatus Psalmus decantatus fuit F
totius Sanctæ Ierusalem eius Ecclesiæ vniuersim sumptæ nomine; ita sequentes
tres, primò quidem Fidelium vtriusque sexus sæcularium, & mundanorum; secundò Ecclesiasticorum, seu Ecclesiæ ministrorum; tertiò tandem omnium simul
vnitorum Fidelium spiritu decantari deberent; seruato, inquam, hoc ipso ordine
hos

A hos tres postremos Psalmos (quos etiam S. Mater Ecclesia, ob Laudum Diuinarum sublimitatem, atque excellentiam quam continent, in vnum Psalmum in Laudibus Canonicis decantandum proponit) hos, inquam, tres postremos Psalmos orditur ab eo, quod in Domini Nostri Iesu Christi Laudibus summum, & maximum est, hoc pacto;

B

PSALMVS CXLVIII.

Laudate Dominum, &c.

Alleluia.

Laudate Dominum de cælis: illum omninò Dominum laudate, cui *data*
C *est omnis potestas in cælo*, Matt. c. 28. v. 18. & quem propterea omni iure voco, *Dominum de cælis*. Verùm, quonam modo nos terrestres homines hunc Nostrum, cælos possidentem, & in cælis regnantem, Dominum Maiestatis dignè, aptèq; laudabimus? Vobis potius, ò celestes, hoc muneris competit: vos, ò vos Beati, laudate eum in excelsis. Et quandoquidem, vt supra dixi, Psalmo 96. v. 7. vobis dictum fuit, ò S. Angeli; *Adorate eum omnes Angeli eius*, vosq. ipsos Psalmo centesimo secundo, v. 20. inuitabam ad benedicendum Dominum, *Benedicite Domino omnes Angeli eius*, &c.
D *omnes virtutes eius*, &c. vos sanè

V. 2. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Vos laudate eum nobiscum, qui per eum arctissimo nobiscũ fœdere estis coniuncti; *siquidem omnes estis administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Heb. 1. v. 14. Cum sit, vt dixi, *Dominus de cælis*, prius per ea omnia, quæ in cælis sunt discurren-
E do, eaque ad ipsum Dominum laudandum inuitando; omninò

V. 3. Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.

V. 4. Laudate eum cæli cælorum: à supremis cælis, omnes vsq; ad imũ laudate;
F & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, ipsę nubes in aere suspensæ, & terram ambientes, cęloq. operientes (Psal. 103. v. 3.

V. 5. laudent nomen Domini. Per istam autem tam admirabilem, tamque suspiciendam rerum cælestium molem dixi supra Psalmo centesimo tertio significari ea, quæ quàm simillima cælestibus in Ecclesia sua constituit, tanquam cæ-

los,Sanctos Apostolos;Solem,ipsum Dominum Iesum;Lunam,Ecclesiam; Stellas, A
qui Sancti in ea sunt; aquas super cælos ipsos Fideles,per Fidem, & vitæ sanctitatem à terra subleuatos. Ipsa ergo eius Ecclesia,cælestis machinæ speciem,& pulchritudinem referens, & quæcunque in ea pulchra, splendentia, & admirabilia sunt, non secus,imò etiam multò amplius,quàm illa materialia, & oculis visibilia, *laudent nomen Domini.* Laudent omninò nomen Domini, ex eo capite,

Quia tam hæc, quàm illa, ideſt tam materialia, quàm Spiritualia per illa materialia expressa, tam grandia, tamque admiranda opera sunt, vt ab alia, quàm ab omnipotente eius manu fieri nullo modo potuerint; sed B
quò vtraque fierent, & existerēt, ipse dixit,& facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Et tam hæc, quàm illa

V. 6. Statuit ea in æternum,& in sæculum sæculi: constituit, vt perdurarent vsque in finem Mundi(vt de materialibus Gen.cap.9. v.22. De mysticis, seu spiritualibus, dictum est sæpe) C
hoc ipse eis perdurandi præceptum posuit, & non præteribit; ideſt (vt P. Emm. Sà) non cessabit, seu irritum erit, omninò implebitur. Sed quia *Domino* non solùm in cælo, verùm etiam in terra omnis potestas, absolutum imperium, regimen, & dominium datum est, idcircò hunc ipsum

V. 7. Laudate Dominum de terra, habentem plenum,& absolutum dominium in vniuersa terra, in qua, vt dicebam supra Psalmo 103. D
vers.25. quia opus maximè conspicuum, & admirandum est, *hoc mare magnum, & spatiosum manibus*,&c.in quo est *Draco*,cete grandia; propterea laudate Dn̄m, dracones,& omnes abyssi; aquarum immensitates, in quibus grādia illa sunt animalia, seu monstra. Per hæc autem, etiam eodem Psalmo,dixi denotari idololatriam, seu Gentilitatem, & in ea Leuiathan sæuientem, & omnia tanquam sæua tempestate perturbata, quæ tamen, & ipsa in laudem, & gloriam Domini fuere conuersa.

V. 8. Ignis,grando,nix,glacies,spiritus procellarum:quæ faciunt verbum eius. sicut quando exorta tempestate coruscationes,fulgetra,& fulmina emittuntur, grando,nix,glacies,& ventorum turbines desæuiunt, Dominus ostendit imperium suum,maiestatem, & quàm ipse terribilis sit; ideò etiam hæc ipsa, *quæ faciunt verbum eius*, quæ cum ipse voluerit, provt consurgunt, ita & concitata conquiescunt, laudent Dn̄m; insuper laudent E

V. 9. Montes,& omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri. F

V. 10. Bestiæ, & vniuersa pecora:serpentes,

&

A & volucres pennatæ. Per hæc similiter & res ipsas intelligo, & per eas res spirituales, quæ cum ipsis proportionem, & similitudinem, seu analogiam habent; qui in hoc Mundo sunt sublimes, magni potentes, viri primarij, per *montes*, &c. alios etiam terrenos, diuitijs, & vitijs addictos, per *bestias, & vniuersa pecora*, & per serpentes, & humi repentes; at, qui à terrenis se se ad cælestia extollunt, *volucres pennatas*, voco. Omninò primaria mihi mens est ad Dominum laudandum inuitare eiusmodi, & laudent sanè,

B V. 11. Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ.

V. 12. Iuuenes, & virgines: senes cum iunioribus laudent nomen Domini. Omnis hominum status, gradus, sexus, ætas, & conditio (nam de his nunc, vt dictum est, agitur) laudent; & ideò laudent Dominum;

C V. 13. quia exaltatũ est nomen eius solius: id quod vnicè per Fidei prædicationem quærebatur obtentum est; exaltatum est nomen eius, clarificatus est Vnigeniti Dei Filius, Dominus Noster Iesus Christus.

V. 14. Confessio eius (Hier. gloria eius. Chal. laus eius) super cælum, & terram: replet cælum, & terram. hùc Isaias respiciens c. 6. 1. vt diceretur, dixit; se *vidisse Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*, &c. & quod *plena est omnis terra gloria eius*. v. 4. Sic Dominus exaltatus; ipse etiã, quod cõsequens erat; & exaltauit cornu, robur; Chal. gloriã regni, populi sui. nam *erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui*. Luc. 1. 6. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. In sanctitate*, &c. Ideò

D

E Hymnus (cantus cum laude, & iubilo, vt modo facimus, sit) omnibus sanctis eius; in ore omnium eius Fidelium, qui effecti sunt filij Israel; his hymnus debetur, laus, & iubilatio; filijs Israel, populo appropinquanti sibi. Vobis Gentes in carne, qui eratis illo in tẽpore sine Christo, &c. spem non habentes, & sine Deo in hoc Mundo; vobis, *qui aliquando eratis longè*, nunc autem *facti estis prope in sanguine Christi*. Ephes. 2. 13. vobis, inquam,

F Hymnus, Alleluia. Quod S. Dauid ad lætitiam, Dei laudem, & gratiarum actionem excitare intenderit vniuersum Populum Christianum, satis quidem expressis verbis in iam explicato Psalmo declarauit; nihilominus etiam in hoc, qui sequitur Psalmo id ipsum se voluisse, ac velle, vt fiat, ostendit, cum ab omnibus omninò Christi Fidelibus, tum, & præcipuè ab ijs, qui diuinis obsequijs, & Ecclesiæ ministerijs sunt mancipati, provt dictum

paulò ante fuit, quod penultimus iste Psalmus recapitulationem faceret Tertiæ A
ſerici Pſalmorum Alleluiariorum. Itaque mox adhortaturus hos Dei ſeruos, &
miniſtros, pergit in materia, quam proximè proponebat, & ne cui dubium ſupereſſe poſſet, quod per *Filios Iſrael, & populum appropinquantem ſibi* intellexiſſet ipſos, vt dictum eſt, Chriſti Fideles, vniuerſamque eius Eccleſiam, iteratò ait;

PSALMVS CXLIX.

B

Cantate Domino, &c.

Alleluia.

Cantate Domino canticum nouum: prout ſupra Pſalmo 95. v. 1. & Pſalmo 97. v. 1. dicebam, cantandum Domino eſſe per vitæ nouitatem, & ſanctitatem; nam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris; & dixi ſupra Pſalmo 49.16. *peccatori dixiſſe Deum; quare enarraret iuſtitias eius*, &c. vos igitur, ò eius Fideles, qui per Fidem charitate formatam appropinquaſtis ei, *Cantate*, &c. neque enim ab alio vllo Populo canticum, ſeu laudem acceptat; laus eius in Eccleſia ſanctorum. *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei:* 1. Petri c. 2. v. 9. & 10. propterea C D

V. 2. Lætetur Iſrael, hic ipſe eius Populus Chriſtianus, in eo, qui fecit eum: & filij Sion, per repromiſſionem, vocationem, Fidem in eum, & gratiam eius tales ab eo facti, cum natura eſſent filij iræ, & *non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti*, 1. Petri 2. v. 10. exultent in rege ſuo, qui eſt ipſe Dominus Ieſus, ipſe vt ſemper dico, Rex meus, & Deus meus. Quantùm, quàmque maximè magnificè poſſunt, E

V. 3. Laudent nomen eius in choro: in tympano, & pſalterio pſallant ei hi filij Sion, filij Eccleſiæ eius Sponſæ, hi eius Fideles. Nil vereantur; eorum laudes ipſe nullo modo auerſabitur; quinimò eas benigniſſimo vultu ſuſcipiet;

V. 4. Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo. ſibi in eo complacet, vtpote cui *maxima, & pretioſa promiſſa*, olim per Prophetas, *donauit, vt per hæc efficiantur diuinæ conſortes naturæ*. 2. Pet. 1. 4. Non poteſt igitur eos non benigniſſimè reſpicere, cuius oculi, vt aliàs dixi, ſunt ſuper metuentes eum; imò, cum omnes hi eius Fi- F
deles

A deles paruuli, humiles, manſuetique ſint, in eis, & beneplacitum ſuum habet;
& exaltabit manſuetos; eoſdē ſeruos ſuos; **in ſalutem;** dando eis ſalutem, ſiue ſtatum inconcuſſum, vita, & ſalute ſtabili conſtantem, qualis eſt hic, quem de facto in Sancta eius Eccleſia poſſident. In ea;

V. 5. Exultabunt ſancti eius ſerui, & miniſtri, miniſterijs Altaris, & Prædicationis Diuini eius Verbi deſtinati, &
B initiati; exultabunt, inquam, **in gloria,** glorioſè, & magnificè (vt P. Sà) fungentes officijs, & miniſterijs ſuis cum lætitia, & exultatione: & iam tandem poſt perſecutionum tempeſtates obtenta in Dei Eccleſia pace, & tranquillitate, illi, qui prius nullam requiem habuerāt, ſed foris pugnas, intus patiebantur timores, etiam ipſi **lętabuntur in cubilibus ſuis,** in quietis manſionibus particularium ſuarum Eccleſiarum, quarum conſtituentur Rectores, & Paſtores. Neque tamen in hac quiete otioſi erunt, aut deſides; ſed tunc vel maximè negotioſi, operoſique exiſtent; nam tunc

C **V. 6. Exaltationes Dei in gutture eorum.**

Palàm facient, & pleno ore deprædicabunt, illas magnificas, grandes, ſublimes, & quæ ſola diuina manu, & opera fieri poterant *exaltationes* (quæ etiam ideò *exaltationes Dei* dicuntur) & factæ ſunt, tam in Domino Noſtro Ieſu Chriſto Crucifixo, quàm in eius Eccleſia Sancta Catholica, Romana, Apoſtolica toto orbe exaltandis, extollendis, & ſuper omnes iuratos eorum hoſtes efferendis: deinde quod ex hoc ipſo conſequitur, illis ipſis, qui has exaltationes Dei habe-
D bunt in gutture, quemadmodum Dei ſeruos, Eccleſiæque eius Sanctæ Miniſtros, Præſides, & tanquam fortiſſimos Throni Salomonis cuſtodes decet, erūt ſemper **& gladij ancipites in manibus eorum.** Vi, & efficacia Diuini Verbi prædicandi, tanquam vtraque parte acuti gladij, erunt inſtructi.

V. 7. Ad faciendam vindictam illam diù expectatam, de qua ſæpius ſupra, & reſeruatam Anno pleni Iubilæi, prædicationis Euangelij Chri-
E ſti faciendæ toto terrarum orbe, amotis perſecutionum obſtaculis; ad faciendam, inquā, vindictam **in nationibus:** quæ de manu Satanæ, & peccatorum, omnique Idololatrica impietate vindicandæ erant per Chriſti Fidem, eiuſdemque iam dictam Euangelij prædicationem; ſic enim verbo Dei, tanquam gladio inſtructi, potentes, & efficaces, futuri erant *ad faciendam vindictam*, ſiue (ne quis de materiali, & bellica me putet loqui) ad faciendas, inquam, **increpationes in populis,** eoſque ab impietate, & innumeris ſceleribus re-
F uocandos: Atque hæ increpationes, & obiurgationes per Chriſti Fidei, eiuſdemque Euangelij prædicationem fient, vt ſupra dicebam Pſalmo 17.16. Pſal. 75.8. Pſal. 79. v. 17. Pſal. 103.7. Sic omninò ad literam explicandus eſt S. Dauid, vt explicatus fuit citatis ſuperioribus Pſalmis; nam ipſe, vt alibi ſemper, etiam nunc, & vel maximè in fine Pſalterij ſui conſequenter loquitur. Non igitur ſiue hic, ſiue ſequens verſus eſt de vllis, ſiue Machabæorum, ſiue Hebræorum victorijs,

de

de quibuscunque hostibus reportatis, quia hæc extra rem, & intentum (saltem A
primarium) S.Dauidis sunt. Et Agellius etiam (quicquid eum non admittat Pater Lorinus) ex eo quod increpationes, & obiurgationes verbo propriè fiant, non ferro, rectissimè collegit, S.Dauidi sermonem hic non esse de armis materialibus, sed de spiritali gladio verbi. Et quidem literali sensu mysticas has cædes Populorum proponit; nam, vt optimè D. Augustinus, Pagani occiduntur, cum Christiani fiunt, & Idola franguntur. Mactauit, & manducauit Petrus, Act.10.13. Saulus occisus est persecutor: & Paulus erectus est prædicator. Cum hac explicatione cohærentia, connexio, & rerum omnium consequentissima consecu- B
tio seruatur. Pergit S. Dauid, & similiter non de materialibus, sed de spiritualibus compedibus, & manicis ferreis loquitur; dum Dei ministros sic gladijs iam explicatis accinctos fore, ait, potentes;

V. 8. Ad alligandos reges eorum (populorum, in quibus increpationes dictas fecerint) in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; idest, quod vulgari latina phrasi dici solet; eorum Re- C
ges etiam, & viros primos, & nobiles ita conuincent de idololatrica impietate, scelerum turpitudine, de Christi Fidei veritate, virtutum pulchritudine, Christianæ vitæ sanctitate, vt victas manus daturi sint, & in eandem cum ipsis sententiam, & fidem ituri, promptè quidem, & voluntate, atque voluptate sua maxima; nihilominus tamen etiam adeò potenter attractos, tanquam si manibus, pedibusque constricti fuissent, *compedibus, & manicis ferreis,* vinculis insolubilibus, & nulla vi rumpendis. Similis est Ecclesiastici cap.6.v.25. phrasis, dum Sapientiam laudans hortatur; *iniyce pedem tuum in compedes illius, & in tor-* D
ques illius collum tuum: subyce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius. Ad hanc S.Dauidis symbolicam locutionem idem cum ipso (conuersionem scilicet Regum, & Principum virorum ad Christi Fidem significando) allusit Isa.cap.45.v.14.& 15. *Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent,* &c. vt ibi ostendetur.

Sic, vt dixi, à Sanctis Dei Ministris, eiusdemque Diuini Verbi Prædicatoribus, captiui ad Christi Fidem, & in eius Ecclesiam trahentur Nationum, & Populorum Reges, & Nobiles; E

V. 9. Vt faciant in eis iudicium conscriptũ:

non illud, quod Lex antiqua iubebat de Regibus, & Gentibus terræ Chanaan delendis; nam de ijs hic nullus est sermo; sed, vt cum eis *faciant iudicium conscriptum* in Lege gratiæ à suauissimo Legislatore Deo, ac Domino Nostro Iesu Christo, quod est, vt illi quibus *apparuit gratia Dei Saluatoris Nostri Dei*, &c. *abnegent impietatem, & sæcularia desideria*, &c. *sobriè, & iustè, & piè viuant in hoc sæculo.* ad Titum cap.2.12. Et; *sicut exhibuerunt membra sua seruire immunditiæ, & ini-* F
quitati ad iniquitatem; ita nunc exhibeant membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem, &c. &, vt, *nunc liberati à peccato* (cuius finis mors) *serui autem facti Deo, habeant fructum suum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Rom.6. v.19.20.21.22.

Vt hos tam nobiles, tamque præstantes effectus operari possint Sancti eius serui,

A ui,& ministri,gratia sua eos dignos,fortes, & efficaces facit Dñs, & has ipsas præstare posse operationes,sublimitas,dignitasque maxima,& peculiaris,singularisq. gloria hæc est omnibus sanctis eius, omnibus de quibus nunc loquor, atque ideò sit,dicaturque Domino Alleluia.

Nihil iam superest, nisi vt vna omnes eius Fideles voce, & vltimo Cantico ipsum laudent. Ideò cum inter omnia eius valdè conspicua, & omni laude,atque
B admiratione digna opera,sint illi ipsi eius Fideles, tam variorum graduum, statuum,dignitatum, nationum,&c.quique tam varijs, multiplicibusque Dei donis præditi,ministerijs,& officijs deputati sunt: ob hoc ipsum,quod eius esse opus maximè insigne,omni gratitudine agnoscimus, & reueremur, dicendum est Domino vltimum in hoc Psalterio, & in his Diuinis eius Laudibus *Alleluia*.

PSALMVS CL.

C

Laudate Dominum, &c.

Alleluia.

Laudate Dominum in sanctis eius: qui sunt, & intelligũtur,
D non solùm qui in cælis cum Christo triumphant; sed etiam eius Fideles omnes in vnam Sanctam Catholicam, Romanam, & Apostolicam Ecclesiam, sub vno eius Capite, & Pastore Romano Pontifice Christi in terris Vicario congregati; quique mysticum eius corpus, & regnum vsque in finem Mundi duraturum, & nullum finem habiturum constituunt; cum verò,vt sæpè dixi,perpetuitas hæc regni eius, & Ecclesiæ sit prærogatiua singularis (regnum enim eius Psal. 144. v.13.*regnum omnium sæculorum*,& non sicut aliorũ mortalium Regum terræ) ideò
E laudate eum in firmamento virtutis eius. quod firmamentum virtutis suæ in eo, quod dixi, vel maximè ostendit, & laudandus ob id est. Item, quod ex hoc sequitur;

V. 2. Laudate eum in virtutibus eius: In Diuinæ eius Potentiæ operibus fortibus, quæ fortia opera potentiæ eius iuxta Caietanum (citatum in hunc locum à P. Lorino) attendi debent circa mutationes regnorum; S. verò Augustinus, Cassiodorus, & Hugo, *virtutes*, siue potentatus,
F ob quos laudandus est Deus, vel Christus, dicunt esse; quoniam subiecit omnia sub pedibus suis; & omne genus sibi flecti fecit: ex quo apparet, etiam ex horum tantorum Interpretum sententia, deductæ consequentis explicationis veritas; & quod finis Psalterij pulcherrimo ordine correspondeat initio, & medio, vbi toties hæc ei subiectio promittebatur, & exhibebatur; Laudate ergo Dominum Christum *in virtutibus eius*; in regibus, & potentatibus illi, vel spontè, & obse-

sequiosè subiectis, vel imperio, & potestate ab eo deuictis, & perditis: planè A
laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. quam multitudinem magnitudinis eius toto hoc Psalterio vidimus: & quam ipse palàm ostendit, paupertatem, Crucem, mortem, persecutiones in se ipso, suisque tolerando, patientia, & longanimitate vincendo, recipiendo pœnitentes, puniendo obstinatos, per pauperum, & imperitorum prædicationem Mundi sapientiam destruendo, Idololatriam, & scelerum ex ea profluentium colluuiem è medio tollendo, Satanam B
è Mundo eijciendo, Romam sibi subijciendo, eamque in Ecclesiæ suæ Sedem erigendo, Ecclesiam suam stabiliendo, tam multa, tamque magna tantorum, & nunquam auferendorum donorum abundantia eam ditando; in his, inquam, alijsque his similibus ipse Dominus *multitudinem magnitudinis suæ* ostendit, secundum quam laudandus est, qui verè, & paulò ante dixi Psal. 144. v. 3. est *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.* Ideò cum ipse, vt Iob c. 9. v. 10. faciat *magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus:* magna, vt explicat D. Gregorius, *virtute, inscrutabilia ratione, in-* C
numerabilia multiplicitate; quæ proinde tunc facundiùs loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Ad narranda quippe Dei opera habet defectus noster quam sufficienter exerat linguam suam; vt, quæ comprehendere idoneè non valet, hæc idoneè mutus laudet. nihilominus tamen, saltem vt potest à nobis, *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.*

Ad infirmitatis, & insufficientiæ propriæ subsidium, & laudum eius immensarum incrementum;

V. 3. Laudate eum in sono tubæ: non tam materialis; quàm D
eius symbolicæ tubæ de qua supra Psalmo 46. v. 6. dixi; quod *ascenderit Dominus in voce tubæ*; glorificatus fuerit per prædicationem Euangelij: in hoc ipso sono tubæ (vt omnia repetam, & semel simul omnia dicam) laudate eum: laudate eum in psalterio, & cithara. & per hæc etiam, non tam materialia instrumenta intelligo; quàm, quòd ea denotant; laudandum Dominum etiam in tribulatione, quæ ad tubæ Euangelicæ prædicationem passim vbique subsequebatur, vt in decursu Psalterij sæpe dictum fuit, & per Psalterium, & citharam aptè E
exprimuntur. Præterea, quia sensim crescentes tribulationes in acerbissima persecutionum bella proruperunt, vt etiam dixi; idcircò,

V. 4. Laudate eum in tympano, & choro:

& quia hæc persecutionum bella lætitia est consecuta, & innumerabiles per ea chori Sanctorum Martyrum, & Confessorum coronas suas immarcescibiles obtinuerũt; ideò laudate eum in chordis, & organo; quia ploratus, fletus, & tristitia conuersa sunt in gaudium, per chordas, & organum designatum. F

Et tandem quia hæc tanta rerum alternantium vicissitudo in tranquillissimum, felicissimumque vniuersalis eius Ecclesiæ Sanctæ statum terminata fuit; in hoc eius statu, pace, & tranquillitate


V. 5.

A V. 5. Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: ipsumque Dominum tantummodò resonantibus (vt Chald. habet) laudate eum in cymbalis iubilationis. Et quia me omnia de ipso volentem dicere, & omnia in Diuinas eius Laudes suscitare, & animare cupientem, ipse spiritus meus præ magnitudine eius, quem laudandum suscepi, deficit; mecum, obsecro, eorum omnium, qui hìc adhuc mi-
B litant, & ibi triumphant,

V. 6. omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

Amen; ita fiat Domine Iesu, vt Te, & hic, & ibi Spiritus etiam meus æternùm laudet; quoniam vt Te tui amantissimus, & secundùm cor tuum tibi charissimus, & secundùm carnem Pater tuus Dauid (Tu enim Dei Vnigenite Virginis
C MARIÆ, Ioachin, & Annæ Filiæ, Iosephi Sponsæ de Domo Dauid es Vnigenitus) provt, inquam, Te ipse Dauid hoc suo de Te Psalterio pulcherrimè expressit, & quantum Te adhuc in his vitæ huius mortalis vmbris ego intueri potui, verè TV SOLVS SANCTVS, TV SOLVS DOMINVS, TV SOLVS ALTISSIMVS IESV CHRISTE, CVM SANCTO SPIRITV, IN GLORIA DEI PATRIS. Amen.

D Ad maiorem Dei Ter Optimi Max. Patris, Vnigenitique eius Filij, Sancti quoque Spiritus Gloriam.



INDEX LOCORVM,

Qui è Sacra Scriptura citantur,& explicantur.

Primus numerus Partem; secundus folium; Litera locum folij indicat.

39.18.

PROVERB.

CANTICA.

SAP.

ECCLESIASTICVS.

ISAIAS.

S. IOANNES.

I. CORINTH.

II. CORINTH.

AD GALATAS.

AD EPHES.

I. AD THESSAL.

II. AD THESSAL.

AD PHILIP.

AD COLOSS.

I. AD TIMOTH.

II. AD TIMOTH.

AD TITVM.

INDEX ALPHABETICVS
In Psalterium Dauidicum Concordatum.

Primus Numerus Partem; Secundus Folium; Litera locum Folij indicat.

per

gra-

Exem-

ad

H

I

Lau-

L

M

R

Romani.

Romanorum Imperatores,& Principes.

Roma.

Romæ

INDEX ALPHABETICVS
Sacrorum Symbolorum.

Primus Numerus Partem; Secundus Folium; Litera locum Folij indicat.

A

B

C

item

D

E

Falx;

F

G

H


I

L

Leo;

M

N



INDEX ALPHABETICVS Applicationis Sacrorum Symbolorum.

Primus Numerus Partem; Secundus Folium; Litera locum Folij indicat.

Chri-

R

Re-

Errata corrigenda.

Primus Numerus Partem; Secundus Folium; Litera locum Folij indicat.

Error	*Correctio*	
explicatus	explicatius	par.2.fol.2.b
incitationem	imitationem	2.23.b
conteſtantes	conteſtante	2.25.b
idem	eidem	2.57.e
deſperanter	deſperantes	2.59.d
incitetur	imitetur	2.63.e
dilectorum	delictorum	2.76.a
per	præ	2.78.e
atque	neque	2.105.a
fideles	fidelis	2.126.d
conſternationem	conſternatione	2.155.c
Chananæus	Chananæos	2.178.d
ſcandeſcentia	excandeſcentia	2.199.a
ſubſecuturus	ſubſecutura	2.206.f
repromiſſionem	reprobationem	2.207.e
parit	paret	2.209.a
fulgore	fulgure	ibidem
vnumquemque	vnuſquiſque	2.209.b
Eccleſia	Eccleſiam	3.29.c
exhibuiſti	exhibuiſtis	3.46.f
Exod.c.13.	Exod.c.15.	3.62.e
Ioan.c.19.	Ioan.c.21.	3.63.e
ad te	ad ſe	3.74.d
erant	erunt	3.82.d
ad promouendum	permouendum	3.124.d
reſpicit	reſpiciente	3.131.a
pauperum	pauperem	3.141.b

Error	*Correctio*	
Patres	Patribus	3.172.c
Matt.4.	Matt.24.	3.184.f
tempore	tempora	3.194.a
hisque	his,qui	3.199.a
qui	quod	4.38.b
vocaturam	vacaturam	4.39.d
pacem	pace	4.47.f
quidnam	quidni	4.56.f
viliſtes	viles	4.79.a
quod	quoad	101.c
idololatriam	idololatria	4.107.a
illi	illis	4.113.d
gentes	egentes	4.115.e
&	ex	4.128.b
præmentes	prementes	4.129.f
tuæ	ſuæ	4.163.b
ſuum *abundat*		4.181.e
deſerendum	deſerendum	4.209.d
vi	vt	4.213.f
Nota 4.215.e.f *ambiguus ſenſus*		
antecedentis	antecedentibus	4.219.e
alterius	alternis	4.233.e
fluuius	fluuijs	4.235.b
occiſa	acciſa	4.237.e
reformatione	reformationis	4.273.c
ei	eis	4.274.a
ad	ac	4.280.f

Hæc, & quæ alia inuenerit prudens Lector, ipſe corrigat, Typoque erroribus obnoxio condonet.



REGESTVM.

Partis Primæ.

a A B C D E F G H I.

Omnes ſunt Duerniones, præter a, & I, qui ſunt Terniones.

Partis Secundæ.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee.

Omnes ſunt Duerniones.

Partis Tertiæ.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh.

Omnes ſunt Duerniones.

Partis Quartæ.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes ſunt Duerniones, præter R r, qui eſt Ternio.



V T I N I, MDCLXII.

Ex Typographia Nicolai Schiratti.

SVPERIORVM PERMISSV.

